

a




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
13 — M
3




ANNALES MARIANI
QVIBVS HISTORIA
SS. VIRGINIS MARIAE
DEI GENITRICIS

In ſingulos annos diſtribuitur,& oppoſitis ſubinde rerum humanarum ſucceſſibus illuſtratur.

AVCTORE
IO: BAPTISTA CANCELLOTTO
SEPTEMPEDANO E SOCIETATE IESV

S. D. N.
ALEXANDRO VII.
PONT. MAX.
A CONFESSIONIBVS.


PARS PRIMA.
Ad annum Chriſti CII. & natæ Virginis CXVI. ducitur.



ROMAE, Typis HH. Franciſci Corbelletti: M. DC. LXI.

SVPERIORVM PERMISSV.


ANNALES
MARIANI
Eques Petrus Berettinus delin
Fr Spierre



SANCTISS: DOMINO NOSTRO

ALEXANDRO VII.

PONT. OPT. MAX.

IO: BAPTISTA CANCELLOTTVS SOC. IESV. FEL.





DSVM B. P. ad Tuos pedes venerabundus, & ſupplex, ſicuti Maieſtatem iſtam decet, Numinis in terra vicariam; adſum omnium poſtremus, & minimus, munuſculum exhibiturus, perexiguum illud quidem, quia depromptum eſt ex paupere penu, neque diſſimulat auctoris inopiam: at etiam verè magnum, quia continet vniuerſam magnæ Dei Matris hiſtoriam, humani generis euentis parem; de qua ſcribenda mihi iam pridem iniecta cogitatio, eò vſque peruaſit; vt campum oſtenderit ampliſſimum contexendorum annalium, in quos eruditè ac fideliter diſtributam à Cæſare Cardinali Baronio legimus Eccleſiæ hiſtoriam: cum cæteroqui videri poſſit inconueniens, ſi honorem deſideret Chriſti Mater, quo Sponſa non caret, dum illa non minus quam hæc, rebus admirandis abundat, & præter inſignes titulos, quibus paſſim à ſacris Doc-

toribus ſalutatur, dicitur à Chryſoſtomo, magnum mundi miraculum; à Damaſceno,miraculorum abyſſus; &,ſæculorum omnium negotium à Bernardo. Hoc verò Marianum opus, cui, animo maiore, quam viribus, laborem ac ſtudium ſenectutis addixi, Tibi potiſſimùm deſtinatur, quòd dici quodammodo poſſit euigilatum, non ad Cleanthis lucernam, vt vetus habet, vulgatàque parœmia; ſed ad ſplendorem Marianæ pietatis, quam ſemper vel tacitus in Te ſuſpexi. Nam ex quo iuſſiſti, me ignotum hominem, Tibi in ſecreto animi foro ſeruire, atque à ſacris confeſſionibus eſſe (quas ego partes,tum primùm ſuſcepi; cum poſt reditum è Germania, in ſacrum Cardinalium Collegium cooptatus Innocentij X. Pont. Max. iuſſu purpuram induiſti) ex eo tempore,quibus ergà Dei Matrem ſtudijs, quo amore totus exarſeris, fuit mihi probè perſpectum; quando nimirum Tu, Senis in vrbe Virgini non ſemel mancipata, natus; atque in domo eidem ſummopere addicta,educatus; poſt obita præclarè multis in locis Chriſtiani Præſulis munera, Romam accitus; ad Sanctæ Mariæ, cui à Populo nomen, inſtaurare, atque exornare aggreſſus es, peruetuſtum Tuæ gentis Sacellum, D. Virgini Lauretanæ dicatum; vnde eſſe Chiſios omnes ſub eius patrocinio magnificentiſſimè declaraſti. Equidem citrà adulationis notam affirmare nunc poſſum; eo ipſo die, quo ad recurrentem Deiparæ natæ memoriam, opus magnis ſumptibus abſolutum,inter Romæ plauſus, re diuina peracta, quaſi iterum dedicabas; apud me fuiſſe loco præſagij, ex vna parte, ortum Nazarenæ puellæ in ara coloribus pluſquam Apellæis expreſſum; ex altera, Te Principem in purpura religioſiſſimè ſupplicantem; adeò vt ex vtriuſque concurſu, tanquam Auroræ, & Luciferi, diem illicò nouum affuturum, ſim auſus ità præcinere.

Auroram

Auroram mea Diua refert, in murice Princeps
Luciferum, vt Chisius surgat vtrimque dies.

Fuit id, fateor priuati hominis, Chisijs omnibus addictissimi, votum; at habuisse videtur vim vaticinij; quoniam nondum sesquianno elapso, Te Purpuratorum Patrum suffragijs, ex Lucifero salutare licuit, in Vaticani fastigio Solem, Chisij siue aurei diei clarissimum iubar, auspicijs præsertim D. Virginis, quæ Aurora in sacris dicitur, Orbi vniuerso afferentem. In hoc apice nouum iter emensus Mundi bono, nequaquam passus es, Tuam illam euanescere Auroram, sicuti cadere quotidie videmus nostratem hanc, quæ dum solem parit, illicò perit; sed adesse Tibi perpetuam voluisti, ac propè dixerim sanctissimi consortem principatus; cuius initia à Deiparæ cultu duxisti; nam renunciatus Orbis Christiani summus Hierarcha die Mercurij, nuptialem lucis lætitiam celebrasti, consueta à carnibus abstinentia, quam ex instituto Carmelitarum, in honorem Deiparæ eo die pia Fidelium turba seruare solet, per sacrum schema humeris & pectori impositum, quasi per tesseram seruitutis, cultum Virginis peculiarem professa. Præterea cum delati regni possessionem caperes in Lateranensi Basilica, plaudentem Tibi circumquaque Romam, excipiendam censuisti liberali profusione numismatum, quibus impressa erat Magnæ Dei Parentis effigies, cum Epigraphe: ECCE VIRGO CONCIPIET; quasi velles, populo significari; Te eius Reginæ patrocinio fretum, Ecclesiæ moderationem suscipere, eaque magistra, vt fecerunt olim Apostoli, rerum gerendarum formam accepturum: id maximè habere in votis; vt, quemadmodum illa sine integritatis dispendio concepit, & peperit; ità nulla humanæ infirmitatis labe contracta, filiorum millia gigneres Deo. Ad hæc, quod ante consilij ceperas, constantissimè retinens,

bina

bina in Vrbe templa, Virgini magnæ dicata; vbi Chisiæ pietatis, & magnificentiæ, clarissima monumenta visuntur, in splendidiorem formam redigere statuisti; alterum quidem via Flaminia, à Paschali secundo summo Pontifice, ipsius Virginis admonitu, olim extructum, post loci expiationem, quem funestare Neronis cineres credebantur; mox à Gregorio nono, aduersus grassantem Romæ pestilentiam, communitum sanctissimæ Matris icone, extracta de Lateranensi Sacrario, quam depinxisse S. Lucas fertur; denique à Sixto quarto magnificentiùs instauratum, populi frequentia & nomine celeberrimum: alterum verò non longè ab agonali foro, Diuæ item Virgini, arbitræ pacis sacrum, quod idem Sixtus ædificandum curauit, ex voto, pro pace inter Christianos Principes impetranda, nuncupato; atque vt eò transferret ex vicina porticu Marianam imaginem, ab aleatoribus, lapidum coniectu, ad prodigiosum vsque cruorem, vulneratam. Hisce iam diu Reginæ Cælitum sacris ædibus, à ruinæ periculo vindicandis, atque aduersus vetustatis vitia muniendis, firmandisque Tuum ergà Mariam splendet obsequium, ad cuius mensuram ducitur ornatus ille, quem in vtroque templo moliris summum: cum probè scias; Matrem quoque Beatissimam ad imitationem Filij, ex regij Vatis oraculo, decorem diligere domus suæ. At construuntur illa ex lapidibus, & muta sunt ædificia, æuo tandem cessura. Templum certè nobilius, firmius, & superis gratius, est hominis animus, quò Deus ipse ter maximus, Vindex humani generis Iesus Christus, Augusta Mater, & Cælites cum iucunditate diuertunt, vt humana vota sibi instar thuris exhibita, & puri sacrificia cordis excipiant. Hic auri argentique supellex, hic gemmarum nitor, hic pretiosæ vestis nitidissimus apparatus non deest, quæ omnia nonnisi virtutum numero, ac magnitu-

dine

dine continentur; vt, vbi ardentior est, & maior Numinis amor; vbi ex operibus fides viuacior; vbi spes in Deum firmior; vbi sincerior mentis tranquillitas; vbi, motuum internorum melius ducta temperies; vbi, spectata magis externorum sensuum moderatio; vbi, mores, verba, gestus à regula ne minimùm quidem exorbitant; ibi templi diuitias, ibi thesauros, ibi pompas dicamus esse maiores. Marianarum ædium molitio, & ornatus, quales abs Te hactenus Roma spectauit, eò pluris fieri debent, quò maiorem coniunctionem habent cum ædificio alterius templi, quod Mariæ statuisti intus in animo sub aspectum Dei, non minus quam alia foris, ob oculos hominum. Certè in Pontificatu summo, vident omnes, talem iniuisse Te viuendi rationem, vnde dignoscere cuicumque licet; quantum ergà Deiparam studium profitearis, cui in intimo corde, tanquam in ara, quotidianum præstas pij cultus obsequium, & animum Orbis vniuersi capacem, in sacrum templum permutas, virtutum apparatu ditissimum; cuius templi arcana religio, & sanctitas ex ipsa fronte se prodit: vnde dicere non immeritò possumus: hic Cælites coluntur; hic honoratur Dei parens; hic habitat Deus. Igitur supremo ità in solio sedes, Iesu Christi personam in terris gerens; vt Virgini Deiparæ debeamus, non solum quòd Pontifex; sed etiam quòd talis sis Pontifex, qui tum foris illi templa splendidè moliaris; tum intus de Te ipso religiosè templum efficias; cuius etiam exemplo, atque consensu, Romanus paulò ante Populus, ad auertendam ab Vrbe luem, (id quod cecidit è sententia) eidem, vt suæ non semel Liberatrici, templum pariter vouerit. Quoscumque Tu radios instar Solis, in Orbem Christianum vniuersum effundis, illos esse dixerim ex Maria, tam piè abs Te iam pridem, & nunc ipsum maximè culta. Vnde nonnemo,

omine

omine feliciter ducto, cum singula Tui nominis elementa, aliter ingeniosè locaret: ALEXANDER SEPTIMVS inquit, litteris ijsdem anagrammate puro transpositis, id omninò reddit, ac sonat: TV SPLENDES EX MARIA. Huiusce splendoris, ego quoque suprà meritum particeps, extrà natiuas mihi tenebras, in Tuo iussus agere famulatu; in Aula vndecumque sancta, apud Te Sanctissimum, ære Tuo viuens, ædium Marianarum exemplo; quas domi forisque statuis; cepi Marianam historiam, ab ortu Deiparæ, ad nostra vsque tempora, in annos singulos distributam, cum varijs subinde successibus rerum humanarum conferre; opus, vt sperare licet, futurum multis ex argumento pergratum; ex difficultate scriptionis summa, dignum aliqua venia, si punctum omne non tulerit; ex auctore, qui multis nominibus Tuus est, omninò debitum Tibi. Partem igitur eius primam ad Tuos pedes delatam, instar tributi nunc offero, oblaturus etiam cæteras, si voto prosequendæ deinceps, ad nostrum æuum historiæ Deus annuerit: obsecro tantùm ne dedigneris humillimum auctoris obsequium, qui otio diuinitùs concesso non abusus, in Dei vnius gloriam, & magnæ Matris honorem, suos labores, apud Te, ac per Te, natos, Tibi etiam, voluntate maiori, quam dono, sistit, & dicat. Viue diu ad publicam felicitatem.

AD

AD LECTOREM.



E alloquor, in ipso operis vestibulo, Lector humanissime; non tam, vt ad legendum inuitem; quam, vt sponte lecturum, paucis præmuniam. Opportunus occurro, ne fortè mei consilij inscium, in admirationem abripiat, speciosus annalium titulus, vbi prosequor historiam non gentis, non ordinis, non principatus, aut dynastiæ cuiuspiam, plura capita, & plurima singulorum euenta comprehendentis, sed vnius tantum personæ, quantumuis maximæ, dignitate, titulis, rebus. Maria, inquis, Augustissima, Dei mater, semper Virgo, nunquam satis laudata, benè seponitur in argumentum historiæ; at quomodo ex illa sola, quæ certis limitibus clauditur, plenior annalium moles extabit? Res ipsa, vel me tacente, respondet. Mariam, diuinæ dexteræ præstantissimum opus, cæteris, quæ condita sunt, siue in cælo, siue in terra prælatam, quis non videt, tantam habere coniunctionem cum Deo, cuius est mater, & cum vniuersitate iustorum, quorum est Regina, vt vel sola vrbibus, prouincijs, populis, orbi terrarum, humano generi vniuerso possit æquiparari, rerum admirabilium magnitudine, & numero, quas in ea nulla hactenus ætas desiderauit? imò, si sæcula remetiaris ante Christum natum exacta, tot dixeris illius protypos, symbola, & oracula præcessisse, quot ingentem ab ipso mundi exordio conficere possent historiam. Itaque Marianis annalibus viam ego facturus, apparatum præmitto, quoad extollendam Deiparæ dignitatem attingitur, quicquid in veteri Instrumento, illius ortum, vitam, & prærogatiuas designat, expositis nobilitate generis, parentum serie, conceptu, & cognatione. In annorum verò supputationem ingressus ab eiusdem exortu; sequor plerunique Chronologiam communem, si demas pauca quædam, de primis Iesu Christi, & Virginis annis; demora vtriusque in Aegypto, atque alterius baptismo; vbi Iacobi Salliani, & Christophori Castrij sententia, pluribus confirmata rationum momentis, suprà cæteras placuit. Præterea velim scias; nonnulla, quæ quoto acciderint anno non liquet, illi potissimum à me addici, quem siue coniecturæ, siue rationes, siue auctorum testimonia suaserunt; & sæpe, proxima circà illum tempora designari. Denique duxi futurum è re tua, neque alienum ab historia Mariana, si quoscumque Sanctorum ad Deiparam Virginem, cognationis & sanguinis iure spectantes, suo ornem elogio, vbi obitum narrasse contigerit; si tum res ab ijsdem benè gestas, tum aliorum insigniora facta, qui se Mariæ clientes sunt professi, obiter suis locis commemorem; si cum rebus per annos singulos de Virgine prænarraris, desumptos subinde ex profana historia successus conseram, atque ex horum oppositione illas magis illustrem; si cum anni aliquid eiusdem D. Virginis peculiare non habent, aliud opportunè substituam, quod omnibus sit commune, ne quis in continuata annorum serie hiatus appareat, aut defectus. Fateor etiam ingenuè, distribuenda in annos singulos hac historia, & Marianis rebus in bono lumine collocandis, profecisse me plurimùm alienis laboribus, præsertim insignium Chronologorum, Cæsaris Cardinalis Baronij, Iacobi Salliani, & Augustini Tornielli, qui sacros Ecclesiæ Annales; Antonij Balinghemi, & Georgij Coluenerij, qui Beatissimæ Virginis Ephemeridas; Theophili Raynaudi, qui Diptycha Mariana conscripserunt; Hippolyti Maraccij, qui pluribus libris diligenter ac piè, è singulis ferè Sanctorum ordinibus, clientum Marianorum syllabos, laudesque contexuit; & reliquorum qui hactenus de eodem argumento chronica, historias, disputationes, aliaque similia monumenta typis mandarunt. Quoniam verò ex D. Virginis vita, paucis exceptis, quæ per sacros Euangelistas, diuinus nobis Spiritus vltrò communicauit, pleraque sunt incerta; hæc ego ità in medium affero, vt si vim aliquam à sacris litteris, ac Sanctorum testimonijs possint accipere, atque haud dubijs siue maiorum documentis, siue coniecturis confirmari, singula ad examen vocem, & vbi mihi non satisfacio, erudito Lectori diiudicanda relinquam. Si quæ verò priuatæ populorum, vt appellant, traditiones occurrunt; satis habeo illas referre, ne quid à me desideret eorum fides, plurimum habens momenti, ad diuinum in ijsdem cultum fouendum. Reliquum est, vt professus vltrò candidè, ac sincerè inscitiam meam, dum Deum habeo auspicem ac ducem suscepti laboris, & Virginem Matrem magistram, abs te illud exorem, vt si quid peccatum deprehenderis, facilè condones, & corrigas. Vale.

GOSVVI.

GOSVVINVS NICKEL SOCIETATIS IESV
Præpositus Generalis.

CVM Annalium Marianorum partem primam à P. IOANNE BAPTISTA CANCELLOTTO nostræ Societatis Sacerdote conscriptam aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet, ita videbitur; cuius rei gratia has literas manu nostra conscriptas, sigilloque nostro munitas damus Romæ XVIII. Februarij M. DC. LIX.

Gosvvinus Nickel.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

O. Caraffa Archiep. Patrac. Vicesgerens.

IVssu Reuerendissimi Patris Fr. Raymundi Capisucchi Sac. Pal. Apostolici Magistri hanc primam partem Annalium Deiparæ Auctore P. IOANNE BAPTISTA CANCELLOTTO Societ. Iesu SS. Domini Nostri ALEXANDRI VII. à Confessionibus summa cum voluptate perlegi. Opus est pium, curiosum, accuratum, styli elegantia, rerumque varietate conspicuum. Nihil in eo Orthodoxæ fidei dissonum, nihil quod bonis moribus repugne. Quare vt in lucem prodeat, typisque mandetur dignissimum censeo. Romæ in Monasterio S.Bernardi ad Thermas die VII. Aprilis, M. DC. LIX.

D. Ioannes Bona Abbas generalis Congr. S. Bernardi & Sac. Congr. Indicis Consultor.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capisucchus, Sacri & Apostolici Palatij Magister, Ordinis Prædicatorum.

ANNA-

APPARATVS
AD ANNALES
MARIANOS.



VAE Virgo sine iacturâ virginalis integritatis, solâ Numinis superuenientе virtute, Verbum æternæ mentis partum, vtero concepit humanâ carne vestitum, Deumque nobis peperit, hominem factum; eam nunc in cælo gloriosè regnantem, vtriusque Mundi Dominam, & generis humani Patronam; MARIAM, inquam, regiâ Dauidis è stirpe prognatam, quæ post exactas Synagogæ veteris vmbras, instar Auroræ terris illuxit, suo candore diem Ecclesiæ clarissimum auspicata, dare aggredimur in lucem historiæ; vt mille clientibus, filijsque, ab hoc exilio lacrymarum, eius opem, ac patrocinium implorantibus, spectaculo pariter, & exemplo sit. At inspiciendis, vulgandisque Principis Diuæ successibus, par est imitari eos, qui populorum primordia, progressusque litteris mandant, ad antiquitatis memoriam, posterorum bono iugiter retinendam: neque verò iustæ reprehensionis, aut censuræ sum reus, dum annorum serie singillatim decursâ, id in vnâ tantùm muliere scribendum suscipio, quod alij in exortu, casuque Regnorum, in multiplici, & variâ prouinciarum fortunâ, in hominum genere vniuerso moliuntur. Nam eâ in Virgine, tot animi, corporisque dotes Dei manus effinxit; tot naturæ decora, tot diuinæ gratiæ ornamenta congessit, quot Orbis terrarum vix caperet, si vel explicaretur in paginam, aut verteretur in librum: imò vnico, & præstantissimo opere, quod Deus prælatum cæteris omnibus, in parandâ sibi Matre sepofuit, contineri diceres, sparsarum in singulis mundi partibus perfectionum epitomen; vnde affirmare meritò liceret,

Procœmium.

Operis Propositio.

Argumentum præcipuum annalium, Virgo Deipara.

rerum vniuersitati parem esse Mariam, eamdemque tum vitæ meritis, ac triumphi gloriâ illustrem; tum collatis in homines beneficijs memorandam, seligi posse in maioris historiæ argumentum, in quo religiosi Scriptoris (qualem me fore profiteor) vnicè desudet industria. Præterea quoscumque mortalium ad Cælitum immortalitatem euexit Christianæ professio fidei, operibus comprobata; ij salutem suam, & beatæ sortem hæreditatis post Christum, Virgini Deiparæ debent: idcircò præter ingentia dona, de cælo gratis accepta, quæ ipsamet in sui constitutione complectitur, stellarum numero paria, ducit quoque secum innumerabilem cateruam Sanctorum, quorum alijs in cælo regnantibus præest; alios etiamnum compede mortalitatis implicitos, in exilio ac peregrinatione sustentat. Quamobrem licet vnica sit, nobis tamen instar numerosi theatri se prodit, ex quo singulis non modò sæculis, sed annis etiam, noua subinde, ac mira spectata sunt. Omnia certè tempora, quotquot hucusque fluxerunt, aut in posterum ad interitum fluent, sicuti non recesserunt vnquam, neque recedent à Dei nutu, visibilem hanc machinam dirigentis; ità Virginem Augustissimam Dei parentem, tanquam præsidem, ac moderatricem sequuntur, diuinitus datam, cuius nulla hactenus imperium ætas exclusit. Illam igitur meritò *sæculorum omnium negotium* appellauit D. Bernardus, [a] non modò quòd apud Deum omnia mortalium negotia peragenda susceperit; verum etiam quòd excellentiâ rerum à se gestarum, & virtutum suarum multitudine, atque præstantiâ, negotium sæculis omnibus exhibuerit, nunquam satis seu linguâ, seu calamo recensendum. Si verò insigniorum Dynastarum principatus, partâ domi, forisque gloriâ nobiles, postquam semel desierunt, nouam ab Historicis lucem accipiunt; in quorum monumentis superstites, ac si viuerent, placidè subeunt legentium animos, & fiunt vniuersæ posteritati præsentes: si rerum suarum Scriptore non caruit Hebræorum Synagoga, quæ Dei filium ad redimendos homines missum in terras, figuris, ac protypis ipsum significantibus, proximè anteiuit: si denique Ecclesia Christi sponsa, plurium iam calamo subest; cum referri quotidie videat in annales, incrementa sanctissimi Principatus; qui post humanæ redemptionis mysterium, cepit institui: cur parem non meditemur historiam in Dei Matre, quam posthaberi non decet nec ancillæ, nec sponsæ? Alij quidem in eâ contexendâ, præter veteres, nostro hoc æuo desudauere Scriptores; insuper Mariana

a Bernard. serm. 2. de Pentec.

Quantum conueniant Deiparæ Virgini annales.

euenta

Benedictus Genonus. euenta in breue Chronicon, aut breuius Chronologiæ vestigium non nemo digessit; at promere ex ijsdem pleniores annales, quales in Ecclesiasticâ Historiâ protulit tantâ cum laude Cæsar Cardinalis Baronius, nulli hactenus venit in mentem. Propterea hunc ego laborem vltrò suscepi, magno quidem animo, sed viribus perexiguis, vnâ tantùm alacer ad onus ferendum fiduciâ, quòd Virginem Augustissimam, cui calamum, & mentem addixi, adiutricem in tanto opere, & obscurum per iter ducem mihi spero futuram. eius igitur ope suppliciter imploratâ, sic ordior.

II. Si velimus initio, vt Historici solent, attingere vetustatem originis, vnde ad suæ apicem dignitatis Deipara prodijt, tantâ cum affluentiâ gratiarum, quanta nulli hominum, Angelorum nulli dicitur contigisse: redeundum nobis erit non ad cognationem modò Dauidicam, aut ad incunabula mundi, sed ipsum etiam æternitatis in sinum, vbi in vnâ dumtaxat, simplici, indiuiduâque naturâ, sacrosanctam diuinarum Personarum Triadem distingui credimus, & fatemur: cum enim omnium opifex, ac rector Deus, ante institutam temporum seriem, & iacta Orbis terrarum fundamenta, in suæ perfectionis infinitate subsisteret, idem hospes & hospitium sui; tunc enimuerò clarè seipsum intuitus, Verbum expressit infinitum, æternum, immensum, summæ speculum bonitatis; rerum, quotquot fieri possunt, vel futuræ sunt, incomprehensum exemplar; eoque ineffabili mẽtis partu, filium progenuit æqualem sibi, & eiusdem cum Patre substantiæ; quem filium vt vidit, amauit ipse, & amatus ab illo vicissim est; vnde diuinus vtrimque Spiritus, mutuus amborum amor, idem cum Genitore, Natoque Deus, idem conditor, ac Dominus omnium, tertiàque Trinitatis adorandæ Persona processit. Verùm in hoc interiori Senatu, trium Personarum, vniusque Numinis, quoniam æterno consilio decretum est; vt condito, ornatoque mundo, ad reparandam generis humani ruinam, immortalis Dei filius, homo fieret obnoxius morti, diuinumque Verbum carnem sumeret, cruciatibus subeundis idoneam; mox verò natum in terris, agendam susciperet hominum causam, & pro sontibus insons occumberet: idcircò tantæ prolis conceptui, destinata est eodem consilio, atque selecta, ex amplissimo mortalium cætu Mater, quæ sine viri consortio, factum, illibatâ virginitate, partum emitteret; vt propterea dixerit Augustinus: [a] *Virginem Matrem, quam elegerat, creauit; de qua crearetur, elegit*. Quamobrem nemini

Origo Deiparæ.

Ex Dominicæ Incarnationis decreto.

Eiusdem diuinæ Matris electio.

a August. lib. de pecc. merit. c. 35.

dubium esse potest, quin æterna Sapientia, sub carnis velamine ad homines descensura, construendam sibi domum, Deo dignam, multò ante prouiderit, ac delinearit ex sese: imò dicere cum D. Bernardo [a] iam licet; ad temporariam natiuitatem, ab eâ talem fuisse paratam, conditamque Matrem; qualem fore nouerat suæ Maiestati decoram, & sibi maximè placituram. At etiam Augustissimus ille Triadis sacrosanctæ consessus, qui cuncta legibus dirigit, & iusta decernit, in Mariam Virginem ferebatur pariter totus, tantique in partem operis veniebat: nam quæ Dei Filio destinabatur in Matrem, eam sibi æternus Pater seligebat in Sponsam; & Spiritus Sanctus in templum suum dedicare statuebat. Eò igitur ad ornatum, atque splendorem, deriuata diuinitus fuisse iam tum, oportuit, aurea cælestium gratiarum flumina, conferri solita in amicissimos Dei, illumque præterea sanctitatis gradum, in quo vna ex Adami semine mulier, futura esset Angelis maior, longoque interuallo singulis Sanctorum ordinibus anteferenda. Itaque in mente diuinâ omnium effectrice, in quâ rerum innumeræ notiones existunt, expressum pariter ante omnia tempora fuit exemplar, operis vndecumque perfecti, eius nempe Virginis, quæ Vnigenito Dei ad humanæ salutis procurationem mittendo, designabatur Parens, & per ornamenta virtutum, in vehiculum, ac diuersorium Numinis parabatur. Propterea ipsâ sibi moliente domum Sapientiâ, inerat molitioni tanta soliditas; vt nusquam vitium, lapsumque metueret; integritas, & pulcritudo tanta, vt nulli subesset maculæ, nec sordibus quibuscumque culparum foret vnquam labefactanda: sanctitas enim illi vel maxima, alterumque Trisagion, à Cælitibus debebatur; quoniam iure materno proximè accedebat ad eum, cui ter Sancti titulus iugi præconio, in cælo pariter, terrâque tribuitur.

a *Bern. Hom. 2 super Missus est.*

Elogia sacra Deiparæ.

III. Vetus illud de Sapientiâ diuinâ Salomonis elogium, quo eam ex æternitate genitam, ipsique rerum authori coæuam prædicat, meritò ad commendandam Virginem Deiparam, ante omnia tempora electā, vsurpare solet Ecclesia [b]; quòd omnium molitor Deus, antequam Orbem conderet, Mariam mente conceperit, atque præsentem sibi sit contemplatus, instar mundi nobilioris, quem teste [c] Bernardo, *in iustitiâ, & sanctitate fundauit*, vt propterea Augustinus [d] eiusdem molitionem appellare non dubitarit, *Opus æterni consilij*, quo vterus Virginis destinabatur iam tum, in sacrarium diuinitatis.

Prou. 8. 23.

b *in Festo Concept. B. Mariæ.*

c *Bern. ser. de B. Virg.*

d *August. serm. de Anaunt.*

IV. Ac-

Apocal. 12.1.

IV. Accommodari præterea poteſt in rem præſentem, quod Ioannes Apoſtolus de Eccleſiæ triumphis & gloriâ, in ſacro mentis exceſſu ſibi oſtenſum commemorat. Cur enim negemus, in delectu quoque diuinæ Matris, apparuiſſe de cælo *Signum Magnum*, in quo tantæ Maieſtatis veſtigium, cum Bernardo [a] agnoſceremus, Mulierem nimirum Sole circumueſtitam, ſtellis coronatam duodecim, Lunæ tanquam ſubiectæ baſi ſuperſtantem, ac trophæo inſignem ſtrati ante pedes Draconis? nam cum Dei bonitas æterno Verbo in carne contrahendo, parentem Virginem deſignaſſet, eam illicò ad ſummum gratiæ, gloriæque faſtigium, vltrà Angelorum, hominumque promerita directam, ſuæ lucis amictu ſplendidiſſimo conueſtiuit; tum plurimis dotibus, ac priuilegijs cumulatam, quæ dignitatem Deiparæ ſequebantur, impoſitus capiti inſtar coronæ, duodenarius ſtellarum numerus indicauit; & regiæ perſonæ poteſtas addita, rebus conditis quibuſcumque præpoſuit. Iuſſa eſt habere infrà ſe, atque adeò calcare pedibus Lunam, vulgare inconſtantiæ ſymbolum, notamque ſtultitiæ; cum cæteroqui tantum ipſa firmitatis, tantum decoris haberet in animo; vt ad humanæ vitæ tempeſtates, nec agitari fluctuando poſſet, neque ad culpæ contagia vllis, aut labeculis infici, aut vmbris decolorari. Quin etiam inuictæ Bellatrici in occiſo Dracone, expulſi criminis gloria debebatur, quod crimen ab angue Ditis afflatum, luem intulit mundo.

Mulier S. Io: viſa in Apocal.

a Bernar. ſerm. ſuper Signum Magnum.

V. Rurſus eamdem ſub inuolucro Regiæ Sedis, ſplendidum aſſurgentis in ſolium, à Ioanne deſcribi, cenſet Bernardus [b]; cum, veluti reducto cæleſtis theatri ſipario, Apoſtolus planè lynceus: *Ecce,* [c] inquit, *ſedes in cælo poſita, & ſuprà ſedem ſedens.* vnde laus præcipua Virgini ex eo tribuitur; quòd deſignatione diuinâ, antequam mundus exiſteret, ſepoſita ſit æterni Regis in ſedem, eique non ſolùm proxima, ſed intima facta ſit, vt principem in cælo, terrâque locum obtineret, vltrà ſupremos Beatorum mentium ordines prouehenda. Eam profectò ſedem vidiſſe ſe, ait Ioannes, poſitu, & formâ ſpectabilem, cultu magnificam, iride coronatam, regio cinctam, vndiq. ſeniorum conſeſſu, vitreo mari circumiacente ſplendidam, reſonantem in voces, excandeſcentem in fulgura, in tonitrua reboantem; oculatiſſimis quatuor animalium excubijs tutam, maieſtate denique, & aſpectu ſedentis venerandam. Id ſpectaculum, quod in desertâ ſolitudine Ægæi maris, perſpicaces ſanctæ illius Aquilæ oculos, mentemque detinuit

b Bern. ſerm. de B. Maria 1.2.
c Apoc. 4. & 5.

Sedes cæleſtis S. Ioan. in Apoc. viſa.

tinuit, quamuis aliò sciam, ab alijs per interpretationem deduci; possum nihilominus, D.Bernardo subscribens, detorquere ad ipsam Deiparæ dignitatem, in cælo ante temporum lapsus, mundique cunabula præfinitam, quæ indolem requirebat humanâ maiorem, naturæ præstantissimas dotes, diuinæ gratiæ dona quamplurima, integritatem animi, corporisque summam, aurum ardentissimæ charitatis, virtutum omnium, instar gemmarum, comprehensionem pulcherrimam, Christianæ iustitiæ principatum, sanctitatem nulli, nisi Deo secundam, sempiternæ demum beatitudinis gloriam tantam, quantam cælestium spirituum nemo, nemo Sanctorum, exceptâ Dei Matre, foret vnquam consequuturus. Hic sanè operis egregij apparatus in mente diuinâ præcessit, cum in Virgine Deus æternum sibi solium adornaret. Hoc autem præter internas opes, ab Augustisimo sessore collatas, mirum quantum sub patrocinio Numinis, summique Regis clementiâ, tanquam sub Iridis complexu præluxit! tum à regijs progenitoribus, senatu perhonorifico circumsedentibus, præcincta est; sanctorum omnium copiosæ, lucidæque myriades, instar crystallini maris, iacuere sub pedibus, tempestatibus procul. Ipsa verò sedes animata est; & vocibus congeminatis apud Deum, hominum causas suscipit perorandas. Eadem in perduelles fulgurat, in Tartara minaciter tonat. Ad illam feruntur, cum priscorum Vatum oracula, tum maximè quatuor sacri Scriptores, à quibus per totidem animalia mysticè designatis, historiam accepimus Euangelicæ veritatis. Eam denique totam addixit sibi *Rex Regum, & Dominus dominantium* Deus, cui sedes sunt propriæ, ornata virtutibus corda iustorum.

Decretum diuinum de Matre, eiusque in rebus conditis significationes

VI. Cùm ergò constitutum apud Superos esset, vt Dei filius ad naturam diuinam, quam habebat ex Patre, assumeret humanam ex Matre, fieretque mirabilis vtriusque coniunctio, in vnâ Verbi Personâ; decretum ibidem fuit; vt Genitrix tanto digna conceptu, partuque, non tam inueniretur in terris, quàm peculiari prouidentiâ daretur ex cælo, Ecclesiam in se vniuersam, sanctorumque perfectionem omnem, veluti microcosmo complectens, ideoque Abyssus, siue miraculorum, vt loquitur [a] Damascenus; siue luminum, vt Bernardus [b]; siue humilitatis, vt Ildephonsus [c]. Verùm antequam rerum vniuersitas creatarum existeret, præstantissimi operis exemplar, nondum visibili theatro commissum, adhuc in Opificis mente latebat, vnique Deo spectaculum erat

a Damasc. serm. 1. de Nat. Mariæ.
b Bernard. serm. super signũ Magnum.
c Ilde. ser. de partu Virg.

erat. mox hominum genere condito, vbi florere terra, circumagi siderum orbes, sæcula fluere, annique ceperunt; radij quidam lucis prodierunt ex eo primùm, sparsimque per nubes erumpere visi sunt, clarioris aduentum luminis nunciantes. Nam sicuti nostræ vindex libertatis Christus, in Orbem terrarum ad scelera expianda venturus, priusquam ex Virgine nasceretur, prodromos ante se plures dimisit, quorum præcursorijs passibus, Gigas ipse sanctissimus, ad currendam exiturus viam, voluit præsignari: ità Iesu Christi Mater, quæ veram cum eo nobis salutem peperit, adesse hominibus quodammodo cepit ab initio mundi; ex apparatu præuio figurarum, ac symbolis aliquam ipsius speciem præferentibus, nota multò ante quàm nata. Quare coniectu radiorum anticipato, pluribus semet sæculis ipsa præcessit, primùm quidem per eas significationes, & notas, quarum vsu Deiparam in sacris litteris Spiritus Sanctus expressit; deinde verò per vatum oracula, à quibus non sine afflatu Numinis prænunciata fuit; denique in longo ordine Mulierum insigniorum, quas tanquam præmissas eiusdem imagines, Iudæorum populus iure suspexit. Quæ dotes vnicuique sunt propriæ, eas non secus ac lineas, aut colores, collegit in vnum digitus Dei, vt ex perfectioribus illarum partibus, suam sibi Matrem formaret, quâcumque vel minimâ vmbrarum labe detractâ, atque absolutum in eâ proponeret diuinæ bonitatis simulacrum, omni sæculorum memoriâ celebrandum, [a] *lucis æternæ candorem, & speculum sine maculâ.*

Marginalia: quas & Deipara sicut Christus habuit. — In figuris. — In Vatum Oraculis. — Et in sacris Instrumenti veteris mulieribus. — [a] Sap. 7. 16.

VII. Itaque ad Mariam ætates hominum, ac tempora quæcumque feruntur, & quicquid negotiorum in orbe præsertim Christiano peragitur, post Christum illam virtutis auspicem, & magistram agnoscit: ab eâ lux animorum exoritur, populorum salus, & prospera generis humani fortuna; adeoque ingens, & copiosum annalium, historiæque scriptoribus argumentum; cuius expositionem aggredientibus nobis, spectanda triplex occurrit annorum ratio, eorum in primis, qui ab Orbe condito, ad conceptam vsque Deiparam numerantur; mox aliorum, qui complexi sunt res ab eâ præclarè gestas, singulis sanctissimæ vitæ partibus; reliquorum præterea omnium, quotquot à glorioso eiusdem in cælum assumptæ triumpho, hactenus sunt elapsi, quibus diuinæ proxima Maiestati Regina, suscepto militantis Ecclesiæ patrocinio, se ex beatâ Cælitum patriâ, mortalium Præsidem, Tartarique domitricem non vnâ significatione monstrauit. Du-

Marginalia: Diuisio triũ temporum ad annales.

cto igitur ex mundi primordijs operis nostri principio, longissimi spatium temporis, suprà quatuor annorum chiliadas, cursim attingimus, obiter indicantes; quæcumque ante Christum natum, proludere quodammodo futuræ illius parenti visa sunt, siue ex præcinentium Prophetarum oraculis; siue ex figuris, ac typis adumbrantibus veritatem. Interim hæc esto iusti, quod meditamur, operis præparatio; hic aditus ad Marianam historiam, deinceps post conceptum & ortum Virginis, in annos singulos digerendam.

VIII. Hæc sedes, quam in arcano suæ mentis recessu diuina Sapientia sibi præmoliebatur, a *Vas admirabile, & opus excelsi* Angelos Deo reuelante non latuit; statim atque cælestis aulæ proceres nobilissimi, mortalis expertes concretionis, à diuinâ manu sunt editi. Tunc enim in viâ constitutis ad æternæ vitæ beatitudinem consequendam, diuinitus apertum esse mysterium suscipiendæ à Dei Filio mortalitatis, plures Theologi docuerunt. Ex quâ ostensione factum præterea volunt; vt Angelorum plurimi fidei memores supremo Principi debitæ, vltrò se Christo subiecerint: alij verò in superbiam, aut inuidentiam abrepti, obsequium homini spondere noluerint. Quamobrem consequens fuit eorumdem Theologorum opinio; Angelos omnes tum primùm de sacramento edoctos æterni Verbi, quod proponebatur in carne venturum, adeòque tum Angelorum, tum hominum Princeps, & Caput, ad Virginem quoque tanto partui destinatam aliquatenus respexisse, bonos quidem vnà cum Rege Reginam sponte deuenerantes, malos verò amborum principatum auersantes, indignantesque. Itaque cum illi naturali tantùm beatitudine fruerentur, suæ ipsorum conditioni nobilissimæ accomodatâ, necdum ad alteram peruenissent, Deum clarè videndo, quæ vera beatitudo suprà naturam erat, & cuius gratiâ conditi fuerant; hæc ijs promittebatur; qui in famulatu Numinis perstitissent, ab eo minimò rebellantes, quòd scirent in carne mortali ad homines descensurum. Absconditum ergo tanti sacramenti perficiendi decretum, aperuit & Angelis Deus, vt per eius fidem ad capessendum æternæ salutis præmium proueherentur; sic vtique cognoscentes, tum admirabilem diuinæ naturæ cum humanâ nexum, futurum in vnâ Verbi personâ; tum etiam Deo dignam Mulierem, parituram in terris sine patre filium, quem æternus Pater in cælo sine matre genuerat. At non Angelis modò *viatoribus*, vt appellant, sed multò magis ad gratiæ statum in patriâ confirmatis,

Deipa-

Angelis in via reuelatur Deipara.

a *Ecclesiast. cap. 15. 4.*

Deiparæ mysterium innotuisse dicendum est; quoniam illis futurorum notiones intueri datur in Verbo, tanquam in speculo exprimente quascumque rerum ideas, idque ad mensuram luminis, quo sunt diuinitus illustrati, ad Deum videndum. Inter cætera verò, quæ Beatæ Mentes ibi pro co statu iucundissimè contemplabantur, Dei Filius erat, humanitate vestitus; eiusque pariter integerrima Parens, quam vti supremam cælestium Spirituum Dominam, seiungere à veneratione, cultuque Filij, Principis omnium, ac Domini, non licebat. Tunc ergò plenius, vberiusque quàm prius, beatis Angelis ante diuinum solium nouenos in choros distributis, datum est nosse in Deo Virginei partus miraculum, vnàque reducto veluti lucis inaccessæ sipario, retectum sibi præstantissimum intemeratæ Matris exemplar, magnum vtique signum, amictæ clarissimo sole mulieris, sideribus coronatæ, calcantis lunam, & de cæso Dracone feliciter triumphantis. Eadem reuelata Angelis in patria.

IX. Rursus vbi ad imperium diuinæ vocis fundata est moles aspectabilis mundi; atque hominum genere condito, in parentibus primis, humana respublica cepit institui; initio, vt ait Sapiens,[a] viarum Domini, antequam existeret Dei parens, ostensa fuit in imaginum signis, futuram eius præstantiam exprimentibus, atque in editis de eâdem vaticinijs, siue à sacris Vatibus ad Hebræos, siue à Sibyllis ad gentes: nulla enim mundi ætas spectaculo caruit Deiparæ, saltem adumbratæ per typos, aut per sacras oraculorum ambages. Spectarunt eam quodammodo primi sex dies, quibus orbem vix natum excepit infantia; cum nimirum cæli, terræque molitio prior rudem corporum, & indigestam complexa congeriem, agente Deo, paulatim ordinem accepit partium, & splendidiorem ornatum; nam lux, rerum creatarum, quæ sub oculos cadunt, nobilissima, diuinæ omnipotentiæ primogenita, imago prima Deiparæ fuit; hæc enim instar lucis, mundi reparationem præcessit, sicuti suo illa exortu, rerum visibilium molitioni facem dicitur prætulisse; vtraque principium, & aurora diei, caduci, ac temporalis prior; stabilis, æternique posterior. Bina verò luminaria, maius, & minus diurnò, nocturnoque cælo præposita, Christum pariter, & Mariam notabant, hanc lunæ, illum solis gerentes vicem in cœtu iustorum, qui spiritualis est mundus; alterum homines aspectu beantem in patriâ, alteram in vitæ tenebris vagos, & exules patrocinio subleuantem. At singularem pectoris, animique cultum, quem in Dei Matre suspicimus, ex omnium consen-

a Prou. 8. 22.

Præostensa mortalibus per figuras & vaticinia.

Figuræ ex operibus sex dierum.

ex luce

ex luna.

sione virtutum, expressiore typo adumbrabat hortus ille voluptatis amænissimus, diuina manu consitus ad orientalem plagam, plenus vtiq. delitijs locus, humani generis parentibus ad habitationem, & vitam concessus: quippe Dei filius, Adamus alter, innocentiâ, & sanctitate præstantissimus omnium, in vtero Virginis, vt Patrum plerique scripserunt, Paradisum sibi constituit animatum; ex quo sacrosanctæ humanitatis frugiferam arborem, tanquam vitæ lignum, mortalibus ad escam vltrò præberet. Verum eò loci nullus ad fallendum aditus Serpenti patebat; ideoque innocens hospitium, terrestri Paradiso longè felicius, non brutarum animantium seditiones vllas, non sensuum rebellionem, non vxorias illecebras, non culpæ contagia metuebat; cum præterea hîc, hominum damnatione sublatâ, non ex pecudum pellibus, sed ex Agni purissimi sanguine opportuna nostræ nuditati spolia pararentur.

Ex Paradiso voluptatis.

X. Hæc nimirum ex operibus sex dierum, qui mundo fuere natales, & primi, ad significandam Deiparæ gloriam, plurimum, vti notauimus, habuere momenti. Verum ab eo temporum exordio consequentes ætates, vsque ad sextam, cui plenitudo temporum, nostrique Liberatoris aduentus debebatur, in varietate signorum, eodem subinde spectaculo gauisæ sunt. Rem satis opinor notam, atque à sacris Doctoribus, præsertim à SS. Bonauenturâ, Bernardo, ac Ruperto fusè pertractatam, obiter hîc ego, & cursim attingam, ad potiora festinans. Antequam serpentis astu prima mulier induceretur in fraudem, traheretque secum virum suum, in societatem criminis, & ruinam posteritatis; *Fons, qui ascendebat de terra, irrigans eius superficiem vniuersam*, referri aptissimè ad Christum poterat, de terrâ virgine prodeuntem, atque instar fontis irrigui circùm effusum, ad eam suprà naturæ vires, solâ virtute Numinis fæcundandam. Lapsis autem ex primæuo innocentiæ statu, generis humani parentibus, cum ex vitiatâ radice pullulare cepit inter mortales iniquitas, quousque viam suam omnis caro corrumperet, inter offusas humanæ nequitiæ tenebras, noua quoque Marianæ lucis symbola, non secus ac ipsius Christi, iustitiæ solis, potuerunt agnosci. Ex Horto voluptatis post vtriusque Parentis noxas æternùm clauso, atque Angelicæ custodiæ commisso, ne cui vitale lignum furto pateret, Paradisum in Mariâ disce, omnibus, præterquam vni Verbo, conclusum; pro vitalis arboris fructu, Deo vitæ authore plenum, atque ab Harpyiâ Erebi quacumque, iugibus Angelorum excubijs tutum.

Figuræ Virginis ex alijs rebus.

Gen. 2. 6.

ex terra Paradisi.

ex horto voluptatis post culpam clauso.

XI. Post-

XI. Postquam verò primam Mundus ætatem exegit, quâ ingressi sunt Filij Dei ad filias hominum (vt ait in sacrâ genesi Moses) illæque genuerunt, siue ex duplici gente Caini, & Sethi in vnum populum impudicè permixtâ, exarsit hominum vbique libido, eamque scelerum vltrix diuina iustitia, perpetuis quadraginta dierum imbribus, terrarumque omnium eluuione censuit restinguendam; vnde sospite tantùm integerrimi Noæ progenie, deletum est genus humanum anno post Orbem conditum millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto. Cùm commune naufragium homines perdidisset, & aquarum vis omnem terræ pulcritudinem, omnem ornatum ademisset, obruto in Oceani modum fluctibus mundo, calamitati superfuit arca, Dei monitu instar ingentis nauigij à Noë constructa, in quâ ipsemet, eiusque cum vxoribus liberi mortem effugerunt; & brutæ animantes è singulis generibus aliquot, sunt ad sobolem asseruatæ. Atqui in hac operosâ mole suprà tumentes fluctus elatâ, adumbrari visum est peculiare præsidium, quod iustorum paucitati apud Virginem Deiparam futurum erat; quoniam eius in gremio, tanquam in arcâ sanctiore, salus naufragis parabatur, tutumque aut in vitæ tempestatibus, aut in culparum eluuione perfugium. Huius porrò operis compositio, tanto hominum bono destinata, diuinum petebat Spiritum architectum & fabrum: neque enim aliunde erat, quàm è cælo ducenda; quo pacto Noëticæ arcæ forma, atque præscriptio à Deo fuit, vt paucis generationis humanæ reliquijs, naufragio infelici subductis, receptaculum foret. & conseruatio, in spem posteritatis. Pluribus ea nominibus Beatam Virginem designabat; sed præcipuè quòd ità innataret aquis, vt lumen quidem desuper per fenestram vitream de cælo reciperet; sordes verò de terrâ nullas, nullas vndas admitteret. Similis, atque adeò maior laus, in magnam Dei parentem cadebat, quæ ipsum exceptura cum esset vtero fontem sanctitatis Christum, erat vtique in diuersorium, tanto dignum hospite, conformanda, luminibus peruia cælestium gratiarum, & clausa omninò vel minimis quibusque labeculis terrenarum cupiditatum. An perfectio Mariani cordis, & interna animi quies, clariùs poterat, expressiùsque signari, quàm tum per admirabilem illam partium consensionem, in arcâ prædictâ ad artis miraculum existentem; tum per summam brutarum animantium concordiam, quas intus clausas ad dissensionem, atque dissidium ferebat, ingenita cuique naturæ vis: ibi enim

Gen. 6. 4.

Ex arca Noæ

B 2 indo-

indomitæ belluæ, intractabiles, atque impatientes iugi, imò ad nocendum expeditæ, feritate depositâ pugnare desierant; & quò, vel contrà natiuam immanitatem prius accesserant Noë vocante; ibidem iam cicures non hominem oppugnare consueuerant, non inter semetipsas odia, atque inimicitias exercere; sed (vt quondam apud innocentem Adamum fecerant) concordibus viribus, sine vllo rebellionis periculo in pace versari. At verò, quam diuina Sapientia in Maria matre sibi domum ædificare decreuerat, arcâ Noëticâ significatam, quies manebat nobilior, & pax ab intestino bello secura: nam destinauerat illi supremus artifex, non seditiosam, aut refractariam, sed obsequentem rationis imperio appetitionum turbam; quæ in alijs rebelles effectæ, brutarum animantium instar, à primæuâ Adami culpâ defectionem, & bella didicerunt: affectionum in Mariâ sanctissimi motus omnes, ex normâ virtutis; externorum sensuum facultates, in vsu ne minimum quidem recedentes à regulâ; animi denique præcipua sedes, non Noæ Orbis restitutori, sed Christo Dei filio, humanæque libertatis assertori instruebatur. Itaque terram, ad expiationem criminum, inundantibus aquis, arca, quæ sine vllo naufragij metu supernatabat, mysticâ significatione non caruit; imò tanquam typus prænotauit non obscurè Deiparam, Christianorum ad superos nauigantium cymbam, imperuiam fluctibus, indomitam scopulis, & procellis inuictam; cui, ne quid ad veteris arcæ similitudinem desit, superueniens candidissima diuini Spiritus columba de cælo, pro virentis oliuæ ramusculo, ipsum defert pacis authorem, eoque plenam adesse mortalibus iubet, animorum vulnera, effuso veræ salutis oleo, sanaturam.

XII. Pluuijs deinde cessantibus, & liberâ cataclysmo terrâ, egressus cum filijs è salutari nauigio Noës, illicò debitas Deo grates exoluit, & altari constructo, victimas obtulit; pro quo grati animi obsequio, redditum è cælo vicissim est, haud dubium placati Numinis signum; [a] arcus nimirum in nubibus aduerso sole, multifariàm coloratus. Hunc Deus se daturum promisit, vt esset argumentum fœderis cum hominibus constituti, & quædam veluti tessera diuinæ clementiæ, non vltrà permissuræ, vt per aquas humana mortalitas deleatur. Atq; si rem allegoricè libeat interpretari, noua videbitur linea duci ad exprimendma Dei Matrem; quæ non secus ac ille cælestis arcus, post sumptam diuinitus in lege veteri, de hominum sceleribus, aquâ, & igne vindictam, promissa est in signum fæ-

Deipara prænotata post cataclysmum.

Ex arcu in nubibus fœderis signo.

a Gen. 9. 13

deris

deris cælum inter ac terram, atque ad alterius pacem cum alterâ ritè firmandam. Iure igitur adumbrata censetur Iridis arcu per nubes curuato, qui conuersis ad nos vtrinque cornibus, quodammodo sagittam expectet, pariter submittendam à nobis, & per ardentia vota ad Superos dirigendam: nam nonnisi per Mariæ brachia ad Deum extensa, tanquam arcum, cælum nobis orantibus expugnare licebit, & emisso feliciter precum iaculo, cor supremi Numinis demereri; vt propterea D. Bernardi [a] monitum fuerit ad Marianum clientem. *Aduocatum habere vis ad Deum? ad Mariam recurre. Exaudiet vtique Matrem filius.* Illam profectò instar Iridis, pacem afferentis, atque eluuionem teterrimam exiccantis, affuturam Ecclesiæ nemo negauerit, quicumque iuratos fidei, ac Religionis hostes eius ope nouerit prosternendos, abolendam criminum tempestatem, & conciliandum homini Deum; cum præsertim Regius eandem Psaltes [b] *varietate circumdatam*, & D. Bonauentura [c] *discolorem virtutibus* prædicarit.

a Bernar. serm. in Nat. B. Mar.

b Psal. 44.

c Bonau. in Lau. B. Vir.

XIII. Alteram Virginis Deiparæ notam, atque imaginem agnoscere licet in scalâ illâ celeberrimâ, quam patris iussu peregrinus in Mesopotamiam Iacobus, vt sacra narrat Historia, [d] per somnium vidit ab imâ terrâ, vbi quieti se dederat, ad cælum vsque sublatam, Deo proximè subiectam desuper incumbenti; ascendentibus, ac descendentibus Angelis peruiam; totque refertam mysterijs planè, quot gradibus. Hoc rerum apparatu prænotatum fuisse diuini Verbi sacramentum humanam assumentis carnem, censuit D. Ambrosius: quoniam innixus scalæ fastigio Deus, Iesu Christi Pater est, diuinitate spectatâ; Iacobus verò subter placidè consopitus, in eiusdem progenitoribus numeratur, si de carne sit sermo. At quæ intercedit vtrique scala, sic inter se extrema componit, vt admirabili geminæ naturæ nexu, nunquam soluendo, Deum cum homine iungat, cælumque cum terrâ, atque ad mutua commercia Cælites vltrò, citròque discurrentes admittat. Verum affirmare libet cum Damasceno; [e] ostensâ dormienti scalâ præsignatam à Deo fuisse Genitricem in terris suam, ex quâ immortalis ipse mortalitatem suscipere, & Verbum caro fieri decreuisset. Hâc enim, veluti sequestrâ, asserendo in libertatem homini pretium parabatur, vtique ex vtero Virginis, in ipsâ Crucis mensâ numerandum. Tum verò destinatum in terras Numen, vti piaculum cælestis iræ, nonnisi per Mariam descendere festinabat ad opus redemptionis

ex scala Iacobi.

d Genes. 28. 12.

e Damasc. orat. 1. de Dormit. B. V.

tionis implendum · Cælitum quoque acies ad humanæ salutis ministeria descensuræ per eandem erant; & mortales innocentiâ vitæ in Angelos permutati, ad superos ascensuri. quamobrem hâc de re meritò Religiosus Poëta conclusit Virginem allocutus.

Per te descendunt volucres cum Principe Mentes
In terram; atque hominum fertur ad astra genus.

Ex Rubo Mosis. XIV. De Rubo autem toties decantato, quem ouium Pastor in monte Moses vidit, corripi quidem flammâ, non absumi, quid attinet dicere? omnium enim ferè Sanctorum Patrum consensu fertur in eiusmodi symbolo fuisse ad homines præmissa Deipara; in quâ, non secus ac olim in rubo Deus, postea Verbum æternum corporatum apparuit. Illa conflagrantis plantæ viriditas incombusta, integerrimæ Matris virginitati respondet; quæ, superueniente cælitus diuini Spiritus igne concepit, ac peperit incorrupta; & nacta est ab incendio non integritatem modò, sed fæcunditatem vtique virginalem. Terra hæc Virginis matris, magis quàm altera veteris Rubi, Deo teste, sancta est, ideòque neminem ad se proximè accedere patitur, qui pedibus calceamenta, & puluerem non detraxerit; ab oneribus & sordibus mundi vacuas omninò reddens, ac liberas animi affectiones: vsque adeò prodigiosi lucem incendij, & diuina in sanctiore Rubo mysteria peruestigare aliter, & scrutari Moses quicumque non præsumat. *Exod. 3. 3.*

Ex Arca fœderis. XV. Sed nusquam expressiùs, quàm in Arcâ fœderis apud Iudæos Dei Mater innotuit, ad continendum vtero legislatorem nonnisi Dei digito constituta, vt altera fertur eiusdem monitu ad custodiam legis compacta. Ideò quò pretiosior inerat illi thesaurus diuinitatis, eò sanctior est habenda. Ad exponendam vnius dignitatem, atque præstantiam, confert inter se pereleganter vtranque D. Ambrosius. [a] *Arcam quid nisi sanctam Mariam dixerimus? siquidem Arca intrinsecùs portabat testamenti tabulas; Maria autem gestabat hæredem: illa intrà semet legem, hæc Euangelium retinebat: illa Dei vocem habebat, hæc Verbum; verumtamen Arca intus forisque auri nitore radiabat; sed & S. Maria intus forisque splendore virginitatis fulgebat; illa terreno ornabatur auro, ista cælesti.* Itaque ingens ille rerum apparatus, quo arca fœderis erat constructa; locus vbi religiosè pariter, ac magnificè seruabatur; eius nobilissima materies è lignis Setim, minimè obnoxijs corruptioni, Angelorum par ad latera excubantium *Exo. 25. 10* *a Ambros. serm. 25. de cõi. confess. non Pont. to. 5.*

tium

tium,& reliqua,quæ facrum pignus ornabant adeuntium votis expofitum, proludere proculdubio videbantur operi eximio, quod in Ecclefiæ Sanctuarium Deus, inftar alterius Arcæ, erat illaturus: nouam quippe indicabant, & quidem animatam diuinitatis fedem,immunem à lapfu, atque expertem peccati, in adyta Chriftianæ Reipublicæ introducendam: huic pro aureis laminis fore virtutes,pretiofa animi ornamenta, pro tabulis legis, diuina in moribus mandata feruanda;pro operculo Deum propitiante, ipfammet futuram mortalibus fupremi Numinis conciliatricem; poteftatibus inferis, earumque fequacibus metuendam; ad viuos denique,vt Reginam,longo Angelorum fatellitio proceffuram. Igitur hæc in præftantifsimo typo anticipata Deiparæ gloria tandiu viguit, quamdiu Arca fœderis venerationem apud Hebræos, cultumque retinuit; cuius quidem hiftoriam è facris litteris fi recolere libeat totam, ferè nihil occurret, quod fiue ad humanam Iefu Chrifti naturam, fiue ad eius auguftifsimam Matrem detorquere non poffis: nam vtraque templo debita, imò adytis templi,fuo fibi iure veteris Arcæ religionem afcifcit: ambæ mortalibus,iter per vitæ defertum agentibus, addunt vltrò fe comites, atque vti duces præeunt ad promiffam cæli regionem, nec tam mœnia Hierichuntina, quàm impiorum ciuitates infurgentes temerè in Dei regnum euertunt, fi vel nominentur tantùm; coram ijs exultant cum Dauide Sanctorum myriades, & choros pariter ducunt: Tartarorum exercitus tanquam *ad ordinatam caftrorum aciem* profligantur & fiqui fcelere fontes accedunt,fupplicijs,ac morte mulctantur. Denique Chriftus & Maria Arcæ diuinitatis quòcumque inferuntur, eò cæleftium thefauros gratiarum important, per fluenta Iordanis, imò per horrendos ærumnarum fluctus, inoffenfo veftigio tranfeuntes. Reliqua quæ Arcam fœderis, ad prænotandam Deiparam fpectaffe, argumento funt, pafsim apud facros [a] Doctores occurrent.

Ex vellere Gadeonis.

Vellus omittere Gadeonis hic nequeo, quod areâ, vbi fuerat conftitutum, circumquaque ficcâ, rore cælefti folum maduit. In eo cum [b] Ambrofio & [c] Bernardo, integerrimæ Virginis ad illapfum diuini Spiritus grauidæ, fpeciem haud obfcuram agnofco; quoniam illa Dominum ità concepit, vt toto quidem hauriret corpore labentem imbrem, facri verò violationem clauftri pateretur nullam; mollis vtique ad obfequium, folida ad fanctimoniam. Mira hæc,& folitaria roris fufceptio vni contigit Virgini, de cuius fructu, tanquam

a *Lege Petrum Antonium Spinellum in Maria Deipara cap. 5.*
b *Ambrof. ferm. 9. edit 9 art. 1. de Natiuit.*

de

de vellere abundè consulitur lapsi hominis nuditati; liceat semel cum [a] Bernardo locum concludere, & dicere; suscipiente Dei filio humanam naturam, vellus de carne tonsum, sed sine vulnere carnis; in areâ apparuisse mortalitatis, cum nimirum caro de carne Virginis est assumpta, absque detrimento virginitatis, & stillante cælo, tota ei se plenitudo diuinitatis infudit.

a Ber. serm. 2. super Missus est.

XVI. Generis huiusce symbolis, sanctissimæ Virginis præstantiam, Deique Matris augustissimam dignitatem in sacris litteris frequenter legimus adumbratam; vt nimirum multò ante quàm prodiret in lucem, in specie sui aliquâ sibimet illa præiret, atque orbitatem, noctemque mundi, spe saltem affuturi luminis solaretur. Occurret in Arcâ fœderis conditum aureum vas, vbi manna seruabatur, cibus olim de cælo peregrinis per desertum Israëlitis appositus; quod vtique vas, ex interpretatione Sanctorum Patrum, expresio Deiparæ fuit, nonnisi in Sanctuario collocandæ, suoque vtero virginali cælestem panem hominibus asseruaturæ. Eòdem collimabat ferculum regium, siue vehiculum, de lignis Libani sumptuosè compactum, columnisque fultum argenteis, in quo Salomon splendidâ magnificentiâ gestabatur; illud enim sicuti Rex opulentiâ simul, ac sapientiâ maximus sibi construxerat; ità Mariam peculiariter in vsum suum sapientia Dei condidit, & maior Salomone Christus. Intactam ex partu Virginem designabant alijs alia temporibus; mons, apud Danielis oracula, visus Assyriorum Regi per somnium, ex quo monte lapis fertur excisus, auctusque in ingentem molem; post editam statuæ multiformis ruinam; Lex olim in tabulis scripta lapideis, non humano graphio, sed digito Dei; Aaronis virga, quæ suo recisa de stipite, in signum summi Sacerdotij, suprà naturæ vires subitos germinauit in flores; Sanctuarij apud Ezechielem porta, ad orientem conuersa Solem, per quam nulli viro transitum fore, clarè ad sacrum Vatem prolocutus est Deus; est ostensa demum Eliæ nubecula, ex quâ vestigium hominis appareret. Referunt hæc omnia ad Mariam Deiparam Patres, quorum planè sententiâ constat; in sacrâ Instrumenti veteris paginâ, siue historiam illa contineat rerum gestarum, siue edita à Prophetis oracula, tantam significatam fuisse Matrem, inanimatis huiusmodi typis ferè sexcentis, vt numeroso symbolorum apparatu Nazarenæ puellæ, humano generi salutem pariturae, proluderetur. Notarum seriem adeò copiosam recognoscendam per

ex Vase mannæ. — Exo. 16. 33

Ex ferculo Salomonis. — Cant. 3. 7.

ex Monte Danielis. — Dan. 2.

ex lege scripta. — Exo. 31. 18. & 34. 1.

ex Virga Aaronis. — Num. 17. 8.

ex Porta Ezechielis. — Ezech. 44.

Ex Eliæ nube — 3. Reg. 18.

per otium apud sacrarum interpretes litterarum, vltrò nos Lectori relinquimus, quoniam ad grauiora vocamur.

XVII. Verum eiusdem Virginis dignitatem, animi dotes eximias, Orbi terrarum admirationi pariter, & saluti futuras, per animata exemplaria, sumptosque hominum de genere, typos contigit etiam prænotari. Neque enim in Iudæorum populo defuit ordo nobilium fæminarum, ex quibus per ætates ferè singulas, subinde posset ea imago formari, ad præfigurandam, anticipato linearum ductu, diuinæ Matris personam, quâ ratione Christus Dei filius, vt suo sanguine hominem redimeret, mittendus in terras, præmitti plurimos voluit insignes viros, à quibus indicaretur. Nam generis humani parens Adamus, ex terrâ Virgine conditus, diuinæ tantùm dexteræ partus, ipsum Christum referebat à Virgine matre, sine mortali patre progenitum; seruantem ab eluuione scelerum generis eiusdem reliquias Noëmus expressit: existentis in vtero Saluatoris imaginem præsetulit Iacobus, sua prælia exorsus ab vtero; lætissimum eiusdem ortum, nascens adumbrauit Isaacus, allatâ parentibus cum risu lætitiâ; puero in vrbe Bethlemo à Regibus adorato, prælusit Daniel, regijs quoque muneribus, ac thure cultus; ab Herodianâ puerorum clade exulem in Ægypto, Moses prænotauit, per infantum cædem à Pharaone quæsitus ad necem, & peculiari Numinis prouidentiâ seruatus; duodennem à maternâ cognatione digressum, vt obediret Patri, Abrahami peregrinatio præsignauit; exaltatum in Iordane, Iosues; in deserto commorantem, & feliciter cum hoste congressum, Dauid; triumphantem Hierosolymæ Salomon; venditum à fratribus, & insontem inter sontes ascriptum, Iosephus; flagris percussum, Ieremias; fraterno scelere occisum Abel; triduano sepulcro mandatum, atque ab eo rediuiuum, Ionas; effractis inferorum portis victorem, Sampson; denique ascendentem in cælum, & mox diuino Spiritu replentem Apostolos, Elias præmonstrauit assumptus ad superos, demissoque ad discipulum pallio memorandus. Vsque adeò Verbum æternum ad mortales in carne venturum, expediuit ante se prodromos, nunciosque complures, vnde ad singulas ineundæ vitæ partes, repræsentaretur orbi terrarum. Mariam verò tanti partus matrem diuinitus designatam, par quoque pompa, par ordo præcessit nobilium figurarum, quas claræ ex Hebræorum gente mulieres, face veluti præuiâ, prætulerunt, sicut per viros vndecumque clarissimos adumbra-

Animati Deiparæ Typi, Heroides Hebræorum.

Maria Deipara à mulieribus, vt Christus à viris in sacra scriptura figuratur.

tum multò ante Mesiam fuisse cognouimus. Earum porrò fæminarum historiam, quâ tantùm parte ad Deiparam illa pertinet, obiter attingere, cursimque debemus, qui Marianos molimur annales, illisque sternimus viam.

Eua Deiparæ typus.

XVIII. In Euâ mortalium parente primâ, sub ipsum mundi nascentis initium, agnoscere licuit tanquam graphicè descriptam diuinæ Matris imaginem; nam condita ex Adami dormientis latere mulier, in ortu magna, imò prius adulta, quàm parua, sicuti conditoris omnipotentiam commendabat, ita significationem continebat in se alterius mulieris longè præstantioris, quam, vt ingens naturæ, gratiæque miraculum, Reginam, patronamque Deus erat mundo daturus.

Vtriusque conuenientia.

Vtriusque similitudinem exposuere sacri Doctores, qui conferentes Euæ Mariam, ambas in sexu muliebri principes esse dixerunt, alteram ordine temporum, alteram dignitate; illam viuentium matrem, hanc electorum; Deipara hominibus illuminandis, instar Auroræ destinata, in Eua præluxit, ostendique ab eo velut exemplo cepit, primâ mundi ætate, cui parentum crimen, in comestione vetiti pomi, tenebras & noctem offudit. Constat profectò geminas illas matres in multis conuenisse; vt enim ad vitam exijt ex viri latere prior; ità ex aperto per lanceam Christi pectore ad summam dignitatem, fertur vnà cum Ecclesia prodijsse posterior; ambæ miraculo natæ sunt, & sine originis noxâ productæ; celeberrimum Mariæ conceptum anticipato rationis vsu mirabilem, & maturè illustratum sancti Spiritus lumine, tunc Eua signabat, cùm in ortu non adulta solùm, sed sancta lucem aspexit: cùm verò Abelem filium enixa, iustorum antesignanum, eum in ætatis flore ab impio fratre vidit, ingemuitque occisum, Virgini Beatissimæ proludebat, authorem iustitiæ, & Sanctorum Principem Iesum Christum, Deum & hominem parienti, & mox per Synagogæ rebellantis inuidiam cruci affixum, dolore ac lacrymis prosequenti; cum denique Eua iustum pariter Sethum, alterum filium, à Deo accepit, Abelis interfecti loco, vt suam solaretur orbitatem, referri quoque poterat ad Mariam, Euangelistæ Ioannis matrem, adoptione constitutam, cum Iesus ab hoc mundo transiret ad superos.

Vtriusque discrepantia.

At etiam ambæ inter se non modicè discrepabant, cum non dignitate solùm, sed animi quoque præclarissimis dotibus, primæ anteiret secunda, in cuius exortum auspicatissimum mundo futurum, iustorum desideria collimabant, auersantium, atque dolentium prioris matris damna. Etenim hæc

An-

Angelo tenebrarum suadenti, contra quàm Deus iusserat, exitialis pomi gustatum, credula nimium aures præbuit, suâque pariter illecebrâ virum in eandem fraudem induxit, vnde infectâ radice genus humanum vitiatum est, & posteritatem omnem virus afflauit. Sed fore sperabatur, vt adesset antidotus, ab alterâ muliere damnum reparaturâ, quæ nimirum Angelo quoque credens, vera nuncianti, Dei Verbum vtero concipere deberet, atque hominibus parere corporatum. In hanc ipsam rem, vt discrepantiam explicet vtriusque, accommodato non illepidè sensu, D. Bernardus [a] detorquet illud ex Regio Psalte [b]: *Dies diei eructat verbum; & nox nocti indicat scientiam. dies*, inquit, *diei*, Angelus Virgini concipiendum vtero Verbum annunciat, dies Angelus ex beatitate, quâ fruitur; dies Virgo ex integritate, quam seruat: *nox verò nocti*, mulieri serpens, lignum scientiæ demonstrat; serpens nox, propter malitiam, mulier nox, propter ignorantiam; Virgo erat Eua, cum aures Dæmoni præbuit, dictorum audiens fuit, in generationis humanæ perniciem: at remedium grassantis morbi, à sanctissimo Mariæ semper Virginis assensu suppetebat; vt quicquid altera credendo deliquerat, altera nonnisi credendo deleret; imò quoscumque prima per inobedientiam, mortis fecerat reos, obedientia alterius, restitueret in libertatem. Eliciebat ex oculis lacrymas præsens generis humani calamitas, quòd per fæminam infeliciter corruisset: at solatium esse poterat sapientibus, exitum ingruentis mali per fæminam pariter affuturum, permutandam fide perfidiam; pro cæno vitiorum, cordium reuocandam esse munditiem; merita substituenda peccatis; regnaturam in hominibus culparum loco iustitiam; & pro materni criminis, paternique contagio latè diffuso, à nouâ matre ad filios, salutis plenitudinem inuehendam; hanc denique stantem firmiter sub arbore Crucis, illique medullitus inhærentem, Euæ sub veteri terrestris paradisi ligno turpiter lapsæ, salutare auxilium allaturam. Tantum discriminis reperitur inter geminas hasce viuentium matres, vt altera viribus destituta opem ab alterâ, & leuamentum expectet, præoccupato maturè consilio; quod plura post sæcula protulit oratoriè Sanctus Bernardus [c], cum nimirùm internuncij Gabrielis ad Virginem Deiparam legationem exponens, Euam hortaretur, vt si sumere vellet de stygio veteratore vindictam, suamque fraudem angui regerere, confugeret ad Mariam: nam, *curre*, inquit, *Eua ad Mariam, filia pro matre respondeat*;

[a] Bernard. ser. 5. inter paruos.
[b] Psal. 18.
[c] Bernard. Homil. 2. sup. Missus est.

ipsa matris opprobrium auferat; ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per fæminam; iam non erigitur nisi per fæminam. Et sanè visa est Eua, sponte ad hoc salubre monitum implendum processisse, cum pristinum facinus execrata, contractam [a] animo labem, pænitentiâ, & lacrymis expiauit; imò in peccati pænam, partuum dolores, vitæque ærumnas diu, instar amari calicis patienter exorbuit, neque piæ defuit liberorum educationi; ex quâ generationis nomine intellectâ, scribens ad Timotheum [b] Apostolus Paulus, salutem illi denunciat in hæc verba: *Saluabitur per generationem filiorum*; quæ de Euá interpretatus est Epiphanius [c]. Piam verò pænitentis matronæ solertiam, in liberis ad sanctitatem informandis, consecutus deinceps fuit vberrimus fructus, qui primùm Iesu Christo Dei filio, mox etiam eius matri, referri debet acceptus.

a S. *Iren. l. 3. cap. 35.*

b *1. Timo. 2.*

c *Epiph. Hæres. 46.*

Sara Deiparæ Typus.

XIX. Post Euam, Sara Abrahami coniux, splendore vitæ, & claris virtutum luminibus, ætatem illustrauit Patriarcharum; mulier nunquam satis laudata, tum ob heroicæ præstantiam fortitudinis, quâ patrij soli, cælique commoda susceptæ peregrinationi posthabuit, & probrum sterilitatis ad nonagesimum vsque annum tolerauit; tum præcipuè quòd ex multiplici capite, simulacrum fuit Mariæ Deiparæ anticipatum. Occurrit primùm nominis vtriusque similitudo, nam Saræ pariter, & Mariæ vocabula, Dominam sonant, alterum hebræo sermone, alterum Syro, si Hieronymo [d] interpreti credimus. Vtraque haberi potuit, ac dici credentium mater, prior ex viro suo Abrahamo, posterior ex filio Iesu Christo, ambobus eorundem credentium patribus nuncupatis; ideòque commendata ab Apostolo Paulo [e] Saræ fides, adumbrauit Mariæ fidem, per quam cunctas hæreses interemptas fuisse canit Ecclesia. Sicut autem Abrahamus ob comitem suæ peregrinationis Saram, apud Reges gratiam inuenit; ità quicumque peregrinamur in terrâ mortales, à cælesti Rege benignè suscipimur, si Maria sit comes. Ambæ diuino munere fæcunditatem acceperunt, altera quidem in senio, altera verò in perpetuâ virginitate. Neque solùm in conceptu matres, sed etiam in partu sibi respondent; cum expectatam vtraque multo tempore prolem, multis precibus expetitam, vnicamque genuerit, risumque per illam, & gaudium Sara in Abrahami domum, Maria in orbem terrarum vniuersum induxerit. Expende præterea viarum spatia, quæ ab vtrâque peregrinando confecta leguntur; inuicem sibi respon-

d *Hieron. in Matth.*

e *Hebr. 11. 11.*

Saræ conuenientia cum Maria.

respondere comperies: migrat enim cum Abrahamo coniuge Sara ex Chaldæâ in Mesopotamiam, in Chananitidem, in Ægyptum, & exinde rursus in alias terras; aptissimus Mariæ nostræ typus, ex oppido Nazaretho festinantis ad Iudçæ montana, & mox in Ægyptum digressæ, & inde reducis in Galilæam, semper vtique comite viæ Iosepho sanctissimo coniuge. Neque illud responsu, & similitudine vacat, quòd Sara in profectione ad locum, vbi deinde Hierosolyma condita fuit, parùm abfuit, quin filium amitteret, ab ipso patre, Dei iussu immolandum; cum suum amiserit quoque in eâdem profectione Maria, duodecimo ætatis anno, & post triduum læta receperit; rursumque anno trigesimo quarto, eundem ingemuerit, sibi per immolationem ablatum, & mox per anastasim gloriosam ingenti cum gaudio recuperarit; quid plura? Diuam Virginem Sara in moribus, tanquam in imagine, præfert; cum in hac S.Petrus[a] animi demissionem, & obedientiam commendet, sanctisque mulieribus adnumeret; sicut illam ex ore Elisabethæ commendauit Spiritus Dei vocans *in mulieribus benedictam.*[b] Denique ambæ, vt in vitâ, sic & in morte conueniunt; quoniam Sara præclaro cum funere à principe Patriarcharum elata, Mariam designat à primis Ecclesiæ Patribus sepulcro mandatam. Alterius exequijs filius Isaacus interfuit; alterius funeri Iesus, qui matrem in cælum ad beatam immortalitatem assumpsit.

a 1. Pet. 3. 5.

b Luc. 1. 42.

XX. Saram excepit proximè Rebecca nurus, in quâ decor cum officiosissimâ charitate, animi demissio cum diuitijs, sterilitas cum fæcunditate certauit. Hæc destinata diuinitus Isaaci coniugio, cum opulentæ familiæ filia foret, suique aui gloria; & vltrò gessit ancillæ partes, & maximarum princeps familiarum euasit. Ipsos viginti annos sterilis fuit, & duas vnico partu gentes, duosque populos est enixa, ad minorem natu cælesti beneficentiâ, ac primigeniâ dignitate per industriam deriuatâ. Dilectæ Deo prolis parentem, cum plura laudum decora cohonestant, tum præcipuè nullum videtur esse splendidius, quàm similitudine vitæ, facem Dei genitrici prætulisse; paribus vtrinque corporis dotibus, & miro virtutum consensu. Ecquis neget conuenire inter se plurimùm geminas matres, alteram oriturae ab Isaaco sobolis, cui benedixit Deus, alteram filiorum, ad quos regni cælestis hæreditas pertineret? illa quidem inaures, armillas, & pretiosa monilia accepit à paranympho, cum est Isaaco desponsa: hæc verò locupletata est amplissimis dè cælo thesauris, cum Deo cessit in spon-

Rebecca Deiparæ Typus.

Vtriusque conuenientia.



ſponſam. Perpende officioſam Rebeccæ charitatem, ex quâ parati ſibi coniugij nuncium à ſeruo Abrahami accipere meruit; cùm enim viro ſibi hactenus ignoto occurriſſet, rogata potum perhumaniter præbuit; bibenti famulata eſt; mox hydriâ in canales effuſâ, vltrò reccurrens ad puteum, hauſtam iterum aquam, Abrahami camelis à ſeruo adductis, bibendam obiecit. Reuerſa denique domum illicò puella, acceptum de ſuo coniugio nuncium ad domeſticos protulit. Sed hic expreſſam videre licet Beatæ Mariæ in genus humanum charitatem, ſanctioribus officijs plenam: hæc enim rogata largos diuinæ gratiæ imbres liberaliter ad iuſtos omnes deriuat; præterea vel non rogata, timorem Domini, inſtar ſalubris vndæ, vltrò ſontibus exhibet, vt bibant, & reſipiſcant. Eadem ſuſcipendæ prolis nuncium cum cælitus accepiſſet, illicò ad cognatam Eliſabetham itinere montano diuertit, vt ſalutationem & famulatum afferret. Quid ſibi voluit illud Rebeccæ in familiâ locuplete ſeruitium, niſi ad virtutem alludere Nazarenæ ex Regum progenie Virginis, de ſe adeò ſubmiſsè ſentienris, vt nihil aſſumeret ſuprà conditionem ancillæ? Exoptatus Abrahami & Iſaaci Patriarcharum votis partus, longam Rebeccæ ſterilitatem excepit, in ſignificationem, vt ait Chryſoſtomus [a] Virginis pariturae ad conſonas iuſtorum omnium ab orbe condito preces; & vnico vtriuſque partu, magnus Dei populo Pater eſt editus. Duos vtero infantes continebat Rebecca, ibi tectis oculis, & cæco inuicem Marte, depræliantes, duorumque populorum progenitores futuros; mox natis, adultiſque fauſtam apprecationem à Patre alteri deſtinatam vt primogenito, interuertit, ac tranſtulit ad minorem natu; quem etiam iræ fraternæ ſubduxit, miſitque in Meſopotamiam, ſobole & diuitijs augendum. Neque hæc figurâ caruerunt ad Virginem Deiparam ſpectante: nam ſuo ipſa in vtero, tanquam in campo, Dei filium habuit, iam tum cum hoſte congreſſum, imò *poſitum in ſignum cui contradiceretur*, depræliari quodammodo ſenſit, & vincere. Inſuper hæreditariam gratiæ, gloriæque felicitatem, & opulentiam, quam Deus Iſacidarum genti parauerat, vltrò curauit transferendam in Chriſtianos natu minores, quos ab inſectantibus circumquaque Iudæis primùm eripuit; mox ex gentibus in ſacram militiam aſcriptos mirum in modum amplificauit, & auxit. Rebeccæ pudor tunc maximè ſeſe prodidit, cum occurrens puella ſponſo, faciem ſibi pallio texit, atque ad aperiendam pudicam mentem

[Marginal notes: Rebeccæ charitas. — & Mariæ Deiparæ. — [a] Chryſ. Ho. 49 in Gen. — Reliquæ inter Mariam, & Rebeccam conuenientiæ. — Luc. 2. 35.]

tem, frontem operuit: Maria verò vel ab Angelo salutata, turbatur; atque ad suas laudes auditas vultum rubore suffundit; altera purum initura connubium, omen accepit ab aquis, per hydriam haustis; altera ab imbribus cælestium gratiarum, mente collectis, suæ cum Deo desponsationis capit initium. In sacris litteris mirum de vtriusque morte silentium; dum neutri post mortem gloria deest, nec triumphus in cælo, vni certè longè maior, quàm alteri.

XXI. At in idem munus nostræ Virginis designandæ, post Rebeccam ordine temporum dimissa est Rachel, eius ex Labano fratre neptis; cuius eximia species, id vnum maximè præstitit, vt amor, qui cæteris imperare consueuit, vltrò seruiret. Hæc primùm, si nudo spectetur in nomine, Diuo Hieronymo [a] teste, pro accentuum & litterarum varietate, varios quoque vnius vocabuli significatus commutat, atque aut ouem sonat, aut videntem principia, aut sceleris visum, aut arcana Numinis intuentem: sed per singulas hasce apud Hebræos sui nominis notiones respicere peculiariter videtur Mariam, Agni nimirum illius matrem, quem ad tollenda mundi peccata de cælo delapsum prædicauit Ioannes; [b] cum præterea sciamus eandem tantæ prolis parentem, præ cunctis mortalibus maximâ imbutam fide, humanæ salutis cognouisse principia, idque potissimùm, *per quod facta sunt omnia*, factum hominem; neque sceleris visus in ipsam non cadit, quæ cum filius moreretur, assistens Cruci, diuinam cædem, perpetratum nempe à Iudæo scelus, præ omnibus vidit, ac doluit. Ea denique cum Beatis videns in cælo Deum, non lumine gloriæ, aut ratione videndi, non claritate, non gaudio, ab vllo vnquam Electorum victa, aut vincenda. Verùm non in nomine solùm expressam luculenter inuenies à Rachele Deiparam, sed luculentiùs adumbratam in vita deprehendas, si laudatissimæ matronæ mores, si casus expendas, eosque ad sanctissimam Virginem, referre coneris. Decôra quidem fuit Racheli facies, formæque præstantia; at vmbram extitisse meritò dixeris Marianæ pulcritudinis; in quâ Areopagita Dionysius speciem diuinæ Maiestatis agnouit. Multarum gentium pater, progenitorque Iacobus, Rachelem pulcherrimam adeò dilexit, vt eâ potiundâ multorum annorum laborem, breuissimum duxerit, vnde Iesu Christi (cui numerosior, & sanctior proles) amor innuitur ergà Mariam, quam sibi Deus, ab ipsâ æternitate Matrem optauit, vniuersas mulieres veris animi diuitijs, supergressam.

Dum

Rachel Deiparæ Typus

Etymologiæ Rachelis, ad Deiparam detortæ.

Rachelis & Deiparæ cōuenientia.

[a] Hieron. in nom. Hebr.

[b] Ioa. 1. 29.

Dum Rachel à Iosepho filio inter quietem, sub Lunæ ſpecie conſpecta eſt, alteri proludebat, quæ dicitur in ſacris litteris *pulcra vt Luna* expers omninò labis, & macularum. Quòd vero duos filios enixa ſit, Ioſephum, & Beniaminum, alterum lætitiæ, doloris alterum, illum *Saluatorem mundi* dictum, hunc *dexteræ filium*: & quòd exterminandæ ſtudioſa infidelitatis, impios patri Deos, diuinitatis nempe fures, piè furata ſit; quàm expreſsè Mariam notabit, duorum matrem filiorum, Chriſti Ieſu, veri *Saluatoris mundi*, & Ioannis Euangeliſtæ, illius quidem cum ſummâ lætitiâ geniti, iſtius verò cum ſummo dolore adoptati; cunctorum denique ſcelerum in orbe terrarum domitricem; cum eius opem maximè ſenſerint, quicumque ad inanium ſimulacrorum cultum exterminandum, atque hæreticorum errores redarguendos diuinitus miſſi ſunt. Neque in obitu & funere Rachel multùm à noſtrâ Virgine diſcrepat, quoniam expiraſſe illam quidem legimus in manibus dilectiſsimi coniugis, cuius inter lacrymas, non ſine laudibus, humi mandata eſt, glorioſo ſanè ſepulcro, vnde lapillis peregrinantium pietate collectis, aiunt, conciliatum fuiſſe non ſemel facilem mulieribus partum. At appoſitus inde Mariæ morienti typus acceſsit; hæc enim migrauit è vitâ in complexu dilectiſsimi filij, oſtenſione ſui, de cælo matrem conſolantis, ex contactu denique ſanctiſsimi corporis, gloria miraculorum ſepulcro non defuit. Habes ſummam Rachelis cum Mariâ Deiparâ conuenientiam, quarum altera primùm in Ioſepho, altera mox in Ieſu Chriſto edidit mundo Saluatorem.

Maria Moſis Soror Deiparæ Typus.

XXII. Sed illa maximorum Heroum ſoror, Aaronis & Moſis, in hoc ordine mulierum, quibus ſuam Deus matrem voluit adumbrari, poſt Rachelem numeratur, quam etiam ſequuta eſt poſterioribus ſæculis, famæ, rerumque geſtarum ſplendore præclara. Hæc inditum ſibi Mariæ nomen, peruetuſtum ſanè, atque Hebræum, accepit prima; ex Hebræis nempe parentibus nata. Tunc puellares annos exceſſerat, eratque iam grandis natu, cùm Hebræa gens ſub Aegyptio Rege captiua, immane iugum excuteret, fugeretque per mare rubrum, Dei iuſſu, Moſiſque ductu, copias inſequentes Aegyptiorum; quo tempore percelebris apud ſuos mulier, eadenque vates nobilis, & præcentrix, Iſraelitis victoribus pæana cecinit; obrutoque maris fluctibus Pharaone, ad tympani ſonitum, hoſtium domitori Deo publicè gratias decantauit, ſuæque ſimul genti gratulata eſt, quòd recedentes ad

latera,

latera, firmiterque stantes Erythræi maris undæ, siccum iter incolumi præbuissent. Eam sapientiâ insignem, vt Clemens inquit Alexandrinus,[a] tanquam principem, & chori ducem, secutæ sunt cum tympanis reliquæ mulieres Hebræorum, diuinas pariter laudes modulantes. Verùm hac imagine iam tum prælusit Deus, vt delinearet, adumbraretque nobis Mariam alteram virtute præstantissimam, & nulli secundam, quam ipsemet præ cæteris mulieribus exornauit; felicitatis auspicem mundo futuram, Iesu Christi summi Sacerdotis, & Legislatoris, sororem simul, & matrem, vt notauit[b] Ambrosius; illa quidem in veteri lege inter vates adnumeratur: hanc verò, nouâ ineunte, Prophetarum Prophetidem nobilissimam, imò eorum vaticinium Patres, non ineleganter appellant; illa tympano vsa, hymnum Eucharisticon Deo cecinit, qui suum populum in libertatem asseruisset, eademque ducto mulierum choro, tanquam magistra præiuit. Sed quæ vnquam peritior, atque in diuinis laudibus modulandis exercitatior hàc vnâ nostrâ fuit tympanistriâ (sic illam appellat Augustinus)[c] eo præsertim tempore, quo generis humani liberatione inchoatâ, cum ad euertendum Satanæ regnum promissus Emanuel iam coram adesset, diuino afflata spiritu, dulcissimum Deo carmen, in ædibus Zachariæ gratulabunda cecinit, & pijs omnibus, vbique gentium, ad finem vsque mundi decantandum reliquit? Vetus denique Maria, sine viro, sine liberis, virgo (vt Ambrosius censet) describitur, exercitum quoque fœmineum fœmina circumducens; ad eam vtique vnam designandam, Deique veteri populo præmonstrandam, quæ mulierum, & maximè Virginum omnium, princeps esse debebat. Exhibere libet ipsa in hanc sententiam sacri Doctoris verba:[d] *Multas fœminas scriptura diuina in lucem euexit, palmam tamen publicæ salutis solis virginibus dedit; in veteri testamento, terra ac mari clausum Hebræorum populum, virgo per maria pedes duxit; in Euangelio authorem mundi, & redemptorem virgo generauit.* Vnde[e] Gregorius quoque Nyssenus, ratiocinando conficit; eam ipsam Mosis sororem, & Virginem, & vatem, Mariæ Deiparæ facem prætulisse. Vtraque præterea legislatoris sui curauit infantiam; peregrinationum socia fuit, & curarum particeps, ad solamen gemituum, atque onerum leuamentum. Præiuit altera Israëlitis ex Aegypto profugis, vt nimirum sine matre in deserto non essent, Mosem instar Patris habentes: altera parentem se mitissimam exhibet, ducemque ijs,

Vtriusque Mariæ conuenientia.

a Clem. Alex. lib. 4. Strom.

b Ambr. in cap. 1. Luc. & epist. 81.

c Aug. ser. 17. de nat. Domini.

d Amb in Exhortat. ad Virg.

e Nyss. de virgin. c. 6.

D qui

qui ex Aegypti vanitate conuersi, per religiosæ vitæ deserta, Christum sequentes, magnis itineribus ad promissam viuentium terram contendunt. Vsque adeò Mosis germana soror, cum Mariâ nostrâ consentit.

Juditha Deiparæ Typus.

XXIII. Post annum verò ab orbe condito termillesimum quadringentesimum, Regum, & Prophetarum ætate floruit sanctissima Matrona Juditha, quæ egregiam pariter Deiparæ imaginem præsetulit, orta Ezechiæ Regis anno sexto, & mortua Iosiæ vigesimo quarto. Hæc suo æuo formæ prodigium, fuit etiam ad miraculum casta, atque ità pudicitiam precibus, ieiunijs, omnique corporis afflictatione coluit; vt cùm ætate floreret, careret liberis, diuitijs abundaret, & gloriâ, ipsos septuaginta quinque annos cælebs, atque intaminata permanserit; præclarissimi facti dux fæmina, cæso Holoferne, & concusso Assyriorum imperio memoranda; quare in eius laudibus antiqui Patres sæpe versati, titulis amplissimis prosequuntur Heroinam ex gente Hebræorum, talemque describunt, qualis exprimere possit, ac mysticè adumbrare Mariam Dei genitricem. Illa confusionem fecisse legitur, in domo Regis Assyriorum, vt dicebat [a] seruus regiæ domus dolore pariter, ac rubore suffusus, quòd muliercula vnius manus, potentissimum principem, totius terrorem Orientis, singulari certamine, ipsius gladio, ac sine suo vulnere, quasi ludibunda obtruncasset; & quòd pudicitiam, è medijs impudicorum lustris, ereptam, cum spolijs opimis triumphantem reuocasset ad suos. Nostra verò Juditha, Hebræa pariter genere, in orbe terrarum, cuius imperium, homine victo, stygius affectauerat serpens, potestates tenebrarum omnes permiscuit, atque confudit. Istam quoque, ne quid vltrà desit, in secretiore conclaui ieiunijs, sanctisque precibus vacantem, diuinumque Numen populo suo conciliantem, cælestis internuncius Gabriel reperit, salutauitque.

a Iudith. cap. 14.

Esther Deiparæ typus.

XXIV. Neque hâc eâdem cum Dei genitrice conuenientiâ à Judithâ discrepat Esther, Hebraici sanguinis puella, quæ sub annum mundi sexcentesimum suprà termillesimum floruit; atque in se, velut in speculo quodam, anticipatam sanctissimæ Virginis imaginem, studiosis quibuscumque sacrarum litterarum contemplandam obiecit. Ea enim ex captiuâ, vxor barbari Regis effecta, Artaxersis nempe, vt aliqui putant, cognomento Longimani (qui & Assuerus) genti diuinitus data videtur; quo tempore suprema clades imminebat; ac satis aptè nocturno, sed illustri viso, [b] significata

b Esther. 10.

ficata est Mardochæo patruo, per fonticulum, qui porrò in amplum excresceret fluuium, ac demum in lucem, solemque verteretur; discussâ videlicet eorum temporum caligine; cum verò ex vinculis,& captiuitate locum obtinuit illa Vasthis Reginæ, ab Assuero repudiatæ, animaduersum est facilè, quid portenderit somnium. Verum hæc ipsa, aliaque de Esthere narrantur, quæ referre tanquam vmbras ad Virginis Deiparæ mysteria, sine vllâ difficultate possimus: hæc enim in templo Domini pueritiæ transegit annos, occulta atque ignota; vt altera nemini cognita, apud Mardochæum patruum à tenerâ ætate vixit, atque educata est. Vtrique animi demissio summa, quam altera quidem, ex humili fortunâ,secum transtulit ad regiam dignitatem; altera verò non priuata modò, sed Regina, ac Dei mater modestè, constanterque retinuit. Vt Esther parata diuinitus fuisse videtur, ad auertendam à Iudæorum gente funestam, ac miserabilem calamitatem, atque à regij honoris spe, Amanum deijciendum: sic data est Maria populo Christiano patrona, inter mundi procellas naufragis, faustissimum sidus, & contrito Satanæ capite, Erebi victrix. Vasthi Reginæ,quam arrogantia deiecit è solio, opponitur Esther, quam in regiâ collocauit sede pietas, atque modestia. Maria obedientiæ exemplar absolutissimum, ad reparandum humanum genus Euæ sufficitur, quæ prima inobedientiæ vexillum erexit. Esther omnium pulcherrima, Assuero præ omnibus placuit, atque in eius nuptijs Rex instruxit splendidè, magnificèque conuiuium, populo tributa laxauit, & dona liberaliter est elargitus; clarum Mariæ Deiparæ symbolum, ab ipso conceptu sanctæ, multòque deinde sanctioris, cum Dei filium, hominem factum, vtero virginali concepit. Ea, quâ valuit Esther apud Assuerum, gratia, non modò ad regium diadema obtinendum; sed etiam ad flectendum, quò vellet Regis animum, & quicquid petijsset impetrandum, erat symbolum alterius gratiæ, qua Maria pollet apud Deum; illa enim constituta cæli, terræque Regina, flectit ad vota mortalium diuinam bonitatem, omnium aduocata, & mater. Antiquam seueritatem, quâ se ostendebat Deus inter fulgura, ac tonitrua, timentibus ad consternationem vsque Israelitis, noua Esther adeò continuit, mutauitque interuentu suo, vt è solio Regem eduxerit, sibique infantulum viderit in sinu ludentem, crebris amplexibus pendentem è collo, & cælestis imperij sceptrum tradentem in manus. Mortis sententiam

Mariæ Deiparæ, atque Estheris cõuenientia.

in Iudæos latam reuocare vetus Esther potuit, atque iteratam cædem, in eorum inimicos conuertere; quare eius beneficium Synagoga quotannis celebrare consueuit, gloriosa ob tam nobilem Heroinam. At Maria Esther altera, quâ maximè gloriatur Ecclesia Dei, genus humanum æternæ morti damnatum, conciliauit Deo per filium suum, *ac terribilis vt castrorum acies ordinata*, [a] contrà fidei hostes victorias numerat centies congeminatas. [a] *Cant. 6.*

XXV. Ex choro Sanctarum Heröidum olim apud Hebræos illustrium, hasce potissimum seligere placuit, in quarum conditione, ac vitâ varijs subinde temporibus, prænotatam agnosceremus imaginem Deiparæ, cui maximè proludebant. Animaduerterunt & alij, singulas fuisse veluti nubes luce perfusas, à Virgine, quæ dicitur *Electa vt Sol*, [b] & splendorem mutuatas ab eiusmodi Sole Parelias, exemplar in se diuinæ Matris singulis ætatibus ostentantes. Expressit omnes graphicè, contulitque pariter cum archetypo [c] Sallianus noster. Aliæ quoque præcesserunt claræ ex Hebræorum gente mulieres, quarum singulæ, etsi tantum conuenientiæ cum Dei matre non habuerunt, quantum illæ: certè conferre aliquid potuit, ad eiusdem rude simulacrum effingendum. Fæcundissimam vnico tantùm edito pignore Virginem, non æquauit Liæ fæcunditas tot liberis progignendis; accedat nihilominus hæc inde lineola. Seponatur Axæ, victori Othonieli desponsæ, insignis sapientia; Deboræ in iudicando prudentia; in transfigendo Ducis armati capite fortitudo Iahelis; modesta Ruthæ à patrijs finibus peregrinatio; magnus in subeundâ morte Iephtidis animus; Annæ Samuelem filium Deo offerentis pietas; Eloquentia Abigailis; Abisagæ pudicitia; castimonia Susannæ, atque in Deum fiducia; & Machabæorum matris constantissimum pectus; totidem pariter linearum ductus habebimus, quæ ad efformandam Dei genitricem pro suâ quæque parte concurrunt. Itaque iure dicemus, illas etiam mulieres, per ætates mundi varias, certam, & peculiarem tantæ Virgini faculam prætulisse.

[b] *Ibid.*

[c] *in annalibus Eccle. vet. Test.*

Alijminores Deiparæ typi, Heroides ex veteri testamento variæ.

XXVI. Sed parum erat, figuris tantùm, ac symbolis præmonstrari humano generi noxarum tenebris obnoxio, futuram Deiparæ dignitatem, ad quam maturè prænoscendam, maiori lumine opus erat: Hoc autem, quæ Dei clementia fuit, Adamo hominum progenitori non defuit; postquam primæuâ spoliatus innocentiâ, sui censor, & iudex per

Deipara reuelata Adamo primo Parenti.

pæniten-

pænitentiam euasit, & lacrymis obliterauit veterem culpam, patefacto ad salutem aditu, & paratã vulneri medicinâ. tunc enim, vt docent Theologi, [a] cælesti monitu didicit; venturum in carne Dei filium, humanique sceleris maculas suo sanguine deleturum; nec ignorauit Virginem, quæ diuinum terris pignus sine viri consortio parere, atque educare deberet. Eam certè hominum patri reuelari maturè par erat, per quam afflictæ mortalium posteritati foret abundè consulendum sanctissimo partu; vt nimirum vitæ præsentis exilium solaretur; & vltrò pænitentiam criminis prosecutus, tum suas, tum filiorum abstergeret lacrymas felicissimo nuncio. Et verò mysterium æterni Verbi humanam assumentis naturam, & virginem beatissimi ventris terram, tanto fructui ferendo destinatam, Deo monstrante cum cognouisset Adamus pænitens; communicasse creditur vtrunque arcanum liberis suis, & præcipuè Setho, quem post cædem innocentis Abelis, ab vxore susceperat, vtique datum à Deo, vt occisi fratris locum impleret, & numerosam duceret iustorum progeniem, solâ in Iesum Christum venturum fide, libertati, ac saluti reddendam. Is igitur ab Adamo parente diuinis, humanisque litteris probè instructus, parem diligentiam in liberis, & nepotibus instituendis adhibuit; vt quorumcumque notitiam acceperat ab illo viuente, tanquam accensam facem, in manus ipse traderet posterorum. Exinde fructus amplissimus huic labori respondit, cum Sethi gens religionis, ac pietatis amans, alumnos habuit, excolendo magis animo, quàm corpori intentos, ideoque nobili *Filiorum Dei* titulo in sacrâ historiâ nuncupatos. Ex eâ familiâ Iudeæ stirpis principes, & progenitores, longo successionum ordine prodierunt, qui Enoso præeunte, Sethi primogenito, certos supplicandi ritus ad veri Numinis cultum vsurparunt, ijs fidei lumine cognitus, adoratusque Messias, quem affuturum de cælo sperabant, humanæ libertatis assertorem, insinuauit pariter suæ matris præstantiam. Quòd si apud Iosephum [b] antiquitatis Iudaicæ scriptorem, legitur Sethus, vt erudiendæ posteritati consuleret, duas excitasse columnas, lapideam alteram, alteram latericiam, in quibus ad futurorum hominum disciplinam, litterarum characteres inscripsit: ac tum inuentas à se, tum traditas à maioribus artes delineauit, humanæ reipublicæ bono reseruandas. Videbat sanè vir prudens; se multò magis è posterorum vtilitate facturum; si quæcunque de sanctioribus arcanis ad æter-

nam

Et per eum Setho filio

Pia Sethi cura in cōmunicandis posteritati, quæ ab Adamo didicisset.

[a] *In reuelat. B. Birgittæ serm. Angel. c. 4.*

[b] *Ioseph lib. 1. Antiq. Iudaic. cap. 3.*

nam salutem pertinentibus; de Iesu Christo, vnigenito Dei, ad homines redimendos venturo; deque eius matre Mariâ ab Adamo parente didicerat; ea in filios, ac nepotes, itâ curaret euulganda; vt altiùs singulorum mentibus manerent impressa. Atqui res magno Patriarchæ cessit ex voto; nam in amplissimâ suâ progenie ad sanctitatem excultâ, floruit maximè pietas, atque religio, cum assiduâ recordatione sacrorum arcanorum, quæ sibi à parente tradita didicisset. Quare superesse dubitatio nemini potest; quin sæpe commemorauerit, ineffabile mysterium diuini Verbi, humanam assumentis naturam, partumque sanctissimum ex Virgine prodeuntem: neque verò credendum est, vbi certis ritibus, & cæremonijs nomen Domini inuocari cepit, diuque consueuit religiosè vsurpari; ibi mansisse obscurum, indictumque nomen matris: cum præsertim virginei partus arcanum (quo genus humanum erigendum à veteri prolapsione credebatur) reuelatum diuinitus Adamo primùm, vt diximus, in notitiam deinceps posterorum venisset.

XXVII. Stirps ergò Sethi commemoratione gratissimâ fruebatur, institutionis paternæ tenax; quo tempore Caini quidem gens plurimis obstricta criminibus, æternæ luci clauserat oculos: illa verò per calcatas à parente vias incedens, Deique memor, ad cognoscenda, recolendáque diuina mysteria, lumen obtinuit, hausitque de cælo. Quamobrem sanctioris in Iudæâ populi propagatores, habere promeruit plures, quibus beneficium idem cælestis luminis, à maioribus in ipsis transfusi, sacrosanctum aperuit de hominum liberatione decretum, quo Deus amplissimum genus, in parentibus lapsum, restituere statuisset; ideoque nec notitia defuit Virginis matris, suo partu tale, tantumque remedium ægro daturæ. Sicut enim Adamus, & Eua, parentes primi, [a] compensatis per lacrymas primæuæ culpæ damnis, cognouerunt ostensione, & magisterio Numinis, Virginem suo de sanguine processuram, quæ reddere hominibus deberet maius bonum, quàm ipsi perdidissent: sic ij, ad quos deinceps peruenit in posteris, paternarum virtutum hæreditas, idem non ignorauere mysterium, sibi à patribus traditum. Horum è numero Sethi liberi, nepotesq. fuerunt; Enosus cuius in ore primùm certis adhibitis precandi formulis, diuinum nomen insonuit; Enochus immortalitatis candidatus; & post emensum fideliter virtutis stadium, ex hominum cætu, atque oculis raptus; Mathusales in longissimæ vitæ

Sethi progenies sancta.

Enosus

Enochus

Mathusales

a S. Vinc. Ferr. serm. de Concep. Virg.

vitæ decursu, patrum iustitiam castè sectatus; Lamechus integritate morum, rerumque multarum cognitione spectabilis, & Noë præsertim filio memorandus; ipse demum Noës, sacrorum particeps arcanorum, & summus diuinæ voluntatis interpres. Sanctis hisce viris, inter tenebras degentibus corruptæ mortalitatis, illuxit accepta diuinitus fides in Iesum Christum Dei filium, quem in carne venturum certò didicerant, ac sperabant; eiusque Solis eminus, & per nubes tantùm inspecti, tanquam radius, latere Saluatoris mater non potuit; imò fortasse nec latuit, eius augustissimum nomen, quod ex ipso diuinitatis ærario euolutum appellat S. Bernardus. [a]

Lamechus

Noës.

a Bern. tom. 2. ser. 2. de Natiu. Virg.

XXVIII. Noæ temporibus, suprema illa contigit humani generis clades per cataclysmum; vnde ipsemet cum filijs superstes, nauigio euasit, quod Dei monitu fabricauerat, cæteris hominibus eluuionis vi circumquàque deletis. Mox aperto redditus cælo, sapiens, ac pius senex, ad progeniem suam, vnicam mundi spem, iterum crebros habere sermones cepit, vt antè consueuerat, de diuinis mysterijs, ijsque præsertim, quæ ad Virginis partum, æternumque Verbum in carne venturum spectabant. Resonabat identidem in eius ore Christi nomen, ad quem tanquam ad mundi Seruatorem, dirigenda suorum corda curabat. Ab eiusmodi sermonibus abesse non poterat commemoratio diuinæ Matris, quæ tantam diuinitus prolem paritura, veniebat in partem humanæ salutis; & venerationem à credentibus primam, post exhibitum Christo obsequium, sibi conciliabat. Ea summi boni spes, solitudinem id temporis solata plurimum est, tum Noæ patris, tum liberorum; quos ille monitis, & exemplis, instituere ad pietatem solebat: cum cæteròqui ad vitam sustentandam, agros cultoribus destitutos, & passim cadauerum ossibus albescentes, colere, atque exercere iterum fuisset aggressus. Deinde Semus filiorum Noæ maximus natu, quod oraculum, de aduentu Saluatoris, & Virgine matre, acceperat à parente, ætate confecto, dierum pleno, ac meritorum; id ad posteros suos piè, fideliterque transmisit; à quo enim in nuditate Noës, fuerat auersâ facie, superiniectu pallij pudenter contectus, illi benè precatus est, suæque scientiæ, virtutisque thesauros, nouam velut hæreditatem addixit; è contrario Chami progeniem execratus, alterius nempe filij, qui non sine irrisione, fratribus patrem ostenderat, indecorè nudatum. Ad Semum tanquam ad propagatorem spectat popu-

Noæ cura post cataclysmum in sua progenie erudienda.

Semus patrem imitatur.

lus

lus Hebræorum, Deo apprimè dilectus; ethnica verò superstitio, ex Chamo impiorum progenitore duxit originem. Iaphetus tertius filius, qui cum fratre Semo consenserat in officium reuerentiæ, ac pietatis ergà parentem, partem quoque laudis adeptus est.

& Iaphetus

XXIX. Interim cum propagaretur iterum, toto terrarum orbe genus humanum, quod à tribus hisce Noæ liberis, in varias regiones dispersis, post cataclysmum reuixerat; à Semo per Heberum, aliosque, originem traxit Abrahamus, nobilis ille gentium parens, & Religionis antesignanus, qui à Deo euocatus anno post mundum conditum circiter bis millesimo, peregrinari cepit, domo, terrâque natali relictâ; vt fugiens inanium simulacrorum cultores, veram in Deum fidem, procul ab infidelitatis & superstitionis lue seruaret. Præterea in Iesum Christum credidit, quem Deum & hominem cognorat de suâ progenie exoriturum ad salutem mortalium. Hâc ipsâ fide imbuendum maturè curauit Isaacum filium, vt per eum instruerentur nepotes, atque admirabile donum ad totam latè prosapiam pertineret. Deinde Iacobus, & filij, & quotquot sequutæ sunt meliores ex eâ stirpe tribus, insistentes pariter eisdem vestigijs, ad promissam peruenerunt felicitatem nonnisi per Christum, cuius nomen inscriptum frontibus duodecim millium, ex singulis tribubus electorum ad gloriam, in beato excessu, Sanctus Apostolus [a] Ioannes, vidit; cum [b] Augustino teste, necesse fuerit per fidem Verbi diuini in carne venturi, leuari iugo peccati, atque in libertatem restitui filiorum Dei, veteres iustos, quibus prænunciabatur mysterium assumendæ à diuinâ naturâ mortalitatis in solâ Verbi personâ. Atqui spes tanta, quæ subortam à parentum lapsu calamitatem maxime solabatur, non Christi dumtaxat liberatoris, sed etiam Virginis matris gratissimam memoriam excitabat: neque enim recordatio beatæ sortis, quæ in filij aduentu sperabatur, occultare Matrem poterat, vnde proditurum erat in lucem, desideratum cunctis gentibus caput, atque illius origo felicitatis. Itaque siue ante vsu receptum ab Abrahamo circumcidendæ carnis ritum; siue postquam seuocatus ab hominum fæce, vir eximiâ fide, ac sanctitate, seipsum cum prole vniuersâ obtulit, propriâ illâ inurendum notâ, & per hoc veluti signum fœderis, Deo Iudaicum populum conciliauit; prima illa mundi tempora, & sibi inuicem succedentes Patriarcharum ætates ad Solem Christum, *desiderium* [c] nempe *collium æter-*

Deipara Abrahamo reuelata.

a *Apoc.c.7.*
b *August. epist.89.*

Deipara reuelata Patriarchis post Abramum.

c *Ierem.49 26.*

æternorum, atq. ad Mariam Solis, ac diei Auroram, aßiduâ votorum congeminatione respexerunt; vt proinde sancti illi Iudææ gentis Principes, & propagatores, Regem alterum, alteram Reginam Patriarcharum [a] salutent, atque in suis ad Mariam precibus, Ecclesia publicè hoc titulo illam imploret.

a in Litaniis.

XXX. At sacris Vatibus, diuino spiritu afflatis, & futura prædicentibus, ostensa est sub eadem ferè sæcula Deiparæ gloria, de quâ præcipua quædam eorum ad Hebræos oracula, recensenda nobis hoc loco sunt. Præiuit omnibus ipsemet Deus, qui sub ipsum initium mundi nascentis, futura suæ Matris decora præcinuit primus, cum ob mulierem dolosè deceptam, serpentem corripiens, inimicitias illi indixit à sexu muliebri, perpetuum certamen inter vtriusque progeniem fore prædixit, & de capite draconis obtrito, victoriam addixit alteri triumphalem. In hæc enim verba (teste Mose) [b], supremus Iudex callidi veteratoris condemnationem expedijt, & victricem Virgini Deiparæ lauream præsagiuit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Oraculum hoc æternæ veritatis ore prolatum, SS. Patres, sacrarum interpretes litterarum, sensu omnes vnanimi referunt ad Mariam, & asserunt eo fuisse denunciatum bellum, imminens humano generi à potestatibus tenebrarum, atque indicatam victoriam, à Virgine beatißimâ reportandam virtute sacri pignoris, quod in Erebi totius exitium, editura in lucem erat. Pro hac oraculi interpretatione Doctores, à Petro Canisio [c] recensentur, agente aduersus Hæreticos, Deiparæ in Ecclesiâ cultum temerè, impudenterque carpentes. Illud profectò victricis Diuæ præconium, magni faciendum est, non solum ob authoritatem loquentis, qui Deus erat; sed etiam quòd eo virginearum laudum summa proposita, rationem contineat mundi veneno purgandi per Mariam. Scimus enim ad vetitum exitialis pomi gustatum, defecisse natiuam primi hominis innocentiam, illumque cum muliere noxæ sociâ, à beatis hortis diuino exclusum edicto, priorem exilio fortunam, & iugo miserrimo libertatem permutasse: vnde ad posteros parentum labe transfusâ, genus vniuersum vitiatum est adeò, vt aquâ primum, & igne cælitus immißis, deinde insontis Dei, ex Virgine corporati cæde, expiari debuerit.

Oracula Prophetarum de Deipara.

Gen. 3. 15.

Et primum Dei ipsius.

c Canis. Comment. to. 2. lib. 5. cap. 9.

XXXI. Postquam verò hæc Deus ipse, testis fidelis, & verax, in Deiparæ commendationem præfatus est, alia subin-

de sequuta sunt de eâdem sacrorum Vatum oracula; quæ pronunciata quidem ab hominibus, Deo etiam authori tribuuntur. Regio primum Psaltæ Dauidi locum hic damus, cui ex cælestibus arcanis plurima patuerunt. Is insigni victoriâ clarus; quâ exarmatus adolescens Gigantem confecit, militiæ monstrum; ad Iudææ regnum diuinitus sibi delatum ascendit: vbi cum ædificandi templi votum concepisset, facilè intellexit, hanc se voluntatem implere non posse; sed operis exequutionem Salomoni filio reseruandam. Itaque Psalmum trigesimum primum suprà centesimum composuisse creditur; quem extructâ tandem templi mole Salomon publicè decantandum proponeret, tanquam suum. Declarat in eo consilium Author, votumque susceptum excitandi Hierosolymæ templi; addit preces, tum ad opus feliciter absoluendum, curandumque, tum etiam ad confirmationem regni, simulque amplissimas promissiones sibi à Deo factas commemorat, inter quas fuit illa præcipua: [a] *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* His verbis innuere videtur Vates Regius, obstrictum sibi iureiurando Deum, & implendam omninò promissionem, quâ futurum ille prædixerat, vt Venter Virginis de Dauidicâ stirpe, Iessæa nempe puella, filium pareret, in parentum solio regnaturum; quamobrem S. Augustinus [b] interpres, Mariæ vterum intelligit, prognatæ ex Dauidis prosapiâ, dictumque putat, *de fructu ventris, quia de fœmina natus est Christus, quò vir non accessit.* Atque in eandem sententiam Tertullianus: [c] *Venter,* inquit, *iste non est ipsius Dauidis, qui pariturus non erat, sed nec vxoris eius. Aliquem ergò de genere eius ostendit, cuius ventris, futurus esset fructus, caro Christi, quæ ex vtero Mariæ floruit; ideoque & fructum ventris tantùm nominauit.* Atque hoc vnum de Mariâ Deiparâ tanti Vatis oraculum, & quidem ad litteram intellectum, instar multorum sit.

Dauidis Oraculum.

a *Psal.* 131.

b *Augin eum Psal.*

c *Tertull. in eadem verba Psal*

XXXII. Altero loco nominare proximè Salomonem placet, Dauidis filium, Regum omnium præstantissimum, siue spectemus sapientiæ magnitudinem diuinitus acceptæ, siue immensas opes, ac vim auri, atque argenti, cæteraque regni decora. Is præter celeberrimum sacræ Sponsæ Epithalamium, *Cantica Canticorum* inscriptum, quod totum ad Dei Matrem, Sponsam nempe Sancti Spiritus, apprimè dilectam, Rupertus, alijque accomodant; præter Æternæ Sapientiæ delineatam effigiem encomio pereleganti, quod appositè detor-

Salomonis oraculum.

detorquent ad Deiparam Patres, certisque diebus Ecclesia, ad eam celebrandam, publico ritu adhibere consueuit; is, inquam, pacificus Rex de Mariæ nostræ partu in Prouerbijs prolocutus creditur à Lyrano, cum dixit; Tria sibi esse intellectu difficilia, & quartum omninò ignotum: *Viam* nempe *Aquilæ in cælo; viam colubri super petram; viam nauis in medio mari; viam viri in adolescentulam*. Ità legit hunc locum Lyranus, alijque cum illo consentiunt, non cum vulgatâ diuinæ Scripturæ editione, vbi difficillima cognitu dicitur, *Via viri in adolescientia*, & per Septuaginta interpretes retinetur hæc lectio. At prior illa in rem nostram magis placet, vt Hebraico exemplari magis conformis, quod habet: *Via viri in Halma*, adolescentulâ nimirum, absconditâ, & incognitâ viro, sicut docet Diuus [a] Hieronymus eius linguæ peritissimus. Probant quoque huiusmodi lectionem in sacro textu, nonnulli inter Iudæos magistri, præsertim Haccadus apud Galatinum [b], qui Antonino Romano Consuli, loci interpretationem exquirenti, integerrimam Beatæ Matris virginitatem significari respondit. Non igitur incongruè dicere possumus: partus virginei prodigium à Sapiente intellectum, ità quidem; vt sicut aquila in aëre, coluber in saxo, nauis in pelago nullum planè vestigium relinquunt, postquam transierunt; eâdem ratione, Vir ille Christus, cum in Virginis vterum ingredietur, & cum egredietur, nullum viæ signum in corpore integro sit exhibiturus: *quod sanè prodigium*, Hieronymus [c] ait, *vsus nescit, ignorat ratio, mens non concipit humana, pauet cælum, stupet terra, creatura etiam cælestis miratur*. Præterea Salomoni visa est mirabilis via aquilæ in cælo, cum Christus vt aquila in cælum ascendit, iter nulli antea peruium primus aperiens, visa est etiam mirabilis, via serpentis in petrâ, cum ille idem per serpentem Mosis [d] præsignatus, è clausâ sepulcri speluncâ rediuiuus, intacto prorsus lapide prodijt. Insuper admirationis partem attulit via nauis in mari, cum iactatus pœnarum fluctibus, per laborum æstus, per sanguinis procellas sospes euasit ad portum. Sed quarta adhuc via, visa est omnem excedere humanæ intelligentiæ captum, via nempe viri in Virgine, ad cuius vterum Dei filius, virorum maximus, ingressus est, nullo vestigio superstite conceptus, aut natus. Plura denique à sapientissimo Rege scripta, [e] aut decantata, quæ siue sub nuptialium amorum cortice, siue sub aliarum rerum inuolucris ad Deiparam piè, ac lepidè conferuntur, crebrò apud sacros Scriptores occurrent.

Prou. 30. 18

a Hier. comm. in Isai. cap. 7.
b Galat. lib. 7. de arca. Sac. Scrip.
c Hieron. serm. de Assumpt.
d Num. 21. 9.
e In lib. Sapient. & Cant. & alijs.

Expositio oraculi

XXXIII. At Esaias rerum quidem gerendarum vates, qui tamen ità munus exequitur, vt quasi gestarum testis videatur; non vnum de Virgine Dei genitrice ad Hebræos fudit oraculum, nobilissimus planè vates, siue natum consideremus ex regiâ stirpe, siue perelegan ter & floridè nunc suam gentem minus piam, nunc exteros stylo exagitantem. Eius authoritas ex eo maximè constat, quod noster olim Assertor, magni nempe Parentis Sapientia; in suorum ciuium conuentu,[a] allatum ad se Esaiæ libellum interpretando comprobauit; quid quòd suorum veritatem oraculorum sanguine confirmatam voluit, cum ab impio Rege Manasse, cuius erat affinis, est neci traditus, atque à vertice ad medium, crudelissimè serrâ dissectus? Illud in hac cæde mirum, quòd inter acerbissimos cruciatus sitienti fontem diuinitus aperuisse terra, ac rorem obtulisse fertur, antequam sacrum cruorem ebiberet. Insigne vaticinium, quod edidit Esaias apud Acham Regem, est sanè instar multorum, & quia ad Deiparam spectat prætermitti non debet. Achas Ioathani filius, paternæ religionis oblitus, inanium simulacrorum cultui se dederat: mox verò finitimorum armis oppressus, ad vanam Deorum opem confugit; atqui cum impium faceret superstitio, eius insonuit auribus maximum diuinæ pietatis oraculum; nam Esaiâ vate monente, vt ingens aliquod prodigium, & singulare à Deo peteret, negauit id se facturum, veritus ne cederet in veri Numinis gloriam; datum nihilominus prodigium est, maximè omnium admirabile; quoniam nunciauit illicò Regi Vates, futurum vt insignis Virgo conciperet, pareretque diuinam prolem, neque eiusmodi conceptus, & partus pudicitiæ florem vllatenus violaret. In hæc verba oraculum[b] prodijt: *Dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*. Locum illustrat satis fusè Canisius,[c] eoque aduersus Iudæos diuinæ matris illibatam virginitatem tuetur egregiè. Tempus editi vaticinij notat Ioannes[d] Baptista Mascuius, aitque cum raptu Virginum Sabinarum concurrisse, quas Romulo authore Romani euocatas ad publicos ludos, aggressi sunt, ac vi, suam sibi quisque vsurpauit. Fædum illud indignumque spectaculum, quod populos ad arma commouit, raptarum virginum turpitudinem exhibebat, dum Esaiæ Vatis nuncius, futuram Virginem prædicabat, cuius conceptu, partuque ex pudicitiæ flore detrahendum foret omninò nihil. Nec satis magno Vati fuit, de eâ semel oraculum

Esaiæ oraculum.

Expositio insignis oraculi.

a Luc. 4. 17.

b Esai. cap. 7. 14.
c Canis. lib. 2. De Maria Deip. c. 6.
d Masc. Euseb. tom. 1. De Prophetis sub Acha

culum promere: audita sunt iterum ex eius cortinâ, diuinæ Parentis encomia; cum nimirum prædixit, virgam [a] egressuram ex Iessæâ radice, & illicò aperiendam in florem; per virgam quidem Dei matrem, per florem verò, Christum intelligente Hieronymo.[b] Mitto reliqua, quæ in hanc sententiam repetit sæpe, dum sacra Liberatoris nostri mysteria quasi coram constituit, adeò vt meritò Vates Euangelicus audiat, & nominetur.

a cap.11.1.

b Hier. In Isa. & epist.22.

Alia Esaiæ de B. Virgine oracula.

XXXIV. Sequitur proximè Ieremias, qui Rege Iudæorum Iosiâ vaticinari cepit, ab omni vitæ labe purissimus, atque etiam ab originariâ expiatus ante quam nasceretur; ideòque obstrictum sceleribus populum liberè arguit, nil veritus aduersariorum odia, à quibus in cænosum lacum iniectus est. Corripuit maxime Sedeciæ Regis perfidiam, à quo mulctatus est carcere, quòd cladem suorum, & Babylonici Regis aduentum denunciasset. Exul in Ægypto vnà cum Iudæis, sparso cælestis doctrinæ semine, mentes barbarorum excoluit, ibique tandem obijt, suorum manu impiè appetitus lapidibus, quòd Hierosolymitarum excidium, vrbemque in aceruum lapidum redigendam minatus esset. Denique mortuus armauit suos in impiorum cædem, detulitque per visum Iudæ Machabæo, fortissimo Duci, gladium, quo illam exequeretur; acceptus verò ex eius tumulo puluis aspidum curandis morsibus profuisse fertur, prodigio certè satis idoneo, postquam surdis auribus populum, obduratumque perfidiâ sacris vaticinijs excantasset; Habuit vates hic sanctissimus cum Deiparâ vitæ similitudinem, quòd immunes à labe duxerit annos; imò ab ipso matris vtero Sanctus[c] idcircò per celebri oraculo eius præstantiam, decusque præcinuisse censetur in hæc[d] verba: *Nouum creauit Dominus super terram: fæmina circumdabit virum*; quibus res noua, & inaudita proponitur; *Mulier nempe potens vtero suo claudere virum, qui ætate & corporis mole, licet minimus lateat; tamen ab ipso conceptu vir est, sapientiâ, gratiâ, rationis vsu perfectus. Vir nouus, homo Deus, ex nouâ matre, quia virgine; nouo modo sinè viro; nouâ generatione procreatus. Insitati spectaculi, prodigijque theatrum erit, vterus Virginis, quam sibi peculiarem in sexu fæmineo seposuit Deus; in hac præpotens ipse perficiet, quod nulla vnquam viderunt secula, ætas nulla, nullus annus audiuit. Sic de Mariâ Deiparâ* Ieremias diuino magisterio, *in ipsâ pueritiâ ad loquendum instructus.*

Ieremiæ oraculum.

c Ierem. cap.1.5.

d Hier. c. 31.22.

Expositio oraculi.

XXXV, Quid

Danielis oraculum.

XXXV. Quid autem de Daniele pariter, & Ezechiele dicemus? quod est ex vatibus maximis alterum par. Illos Virgo nostra non latuit, licet subobscurè, vti suprà meminimus, indicata. Daniel certè, cuius virtus iam inde ab adolescentiâ se prodidit, cum à procacium senum calumnijs Susannam liberauit; varijs Regibus, inter quos versatus est, multa prædixit mira, sinistros casus sine metu denuncians. Insuper maiora oracula edere aggressus, venturi Liberatoris tempora præfiniuit, cuius aduentum in terras, mortemque præcinens, faustissimum explicuit sæculum per septenos annorum orbes repetitos. Is [a] Deiparam præmonstrauit, vt Patres existimant, cum nocturna Regi Assyriorum visa, & inusitata spectra, quæ se obiecerant interpretatus; ostensæ per somnium statuæ aureum caput, pectus argenteum, ventrem æreum, ferreas tibias, luteos pedes, ad totidem imperia significanda traduxit; nam obiectus illicò præcipitis statuæ casus, montem quoque indicauit, vnde ad eam conterendam, vltrò sine vllius manu abscissus, ac deiectus est lapis. Hinc vmbratiles illas formas in lucem protulit vates, ac prænotari dixit principatus in terrarum orbem vniuersum quatuor, sibi inuicem successuros, Chaldeorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, quos principatus vnius conterere lapis Christus debebat; lapis, ex Virgine matre, tanquam ex monte discissus, natus vtique sine virili complexu, magnum denique attollendus in montem, ad stabilitatem, & magnitudinem imperij designandam. *Christus* (inquit [b] Hieronymus) *lapis prædicatur abscissus de monte sine manibus, significante Propheta; Virginem nascituram de Virgine; manus quippe accipiuntur pro opere nuptiarum.*

a Daniel cap. 2. 34.

Abscissus de monte sine manibus lapis.

b Hier. epist. 22.

Ezechielis oraculum.

XXXVI. At verò Babylonicæ seruitutis vinculis adstrictus Ezechiel, mentem solutam habuit, ac liberè peruolitantem, qua obiectas sibi admirabiles omninò rerum formas, intuitus est diuino afflatus Numine; quamuis inter captiuos degeret, animo tamen Hierosolymam petit, templumque circumspectat, vbi orientalem Sanctuarij portam contemplatus, illud audiuit à Domino, quod ipse instar oraculi in cæteros euulgaret: *Porta* [c] *hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam.* Consensus Ecclesiæ, & Patrum in his verbis agnoscit præclarum de Deiparâ vaticinium, de quâ D. [d] Hieronymus: *Hæc est* (inquit) *porta orientalis semper clausa, & lucida, operiens in se, vel ex se proferens Sancta Sanctorum, per*

c Ezechiel. cap. 44.

d Hieron. in Ezechiel.

quam

quam Sol iustitiæ, vt Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech, ingreditur, & egreditur: quatenus enim clausa erat, eiusdem perpetuam virginitatem indicabat. Cæterum cum Ezechiel superstitionibus, quæ in templum irrepserant, diuinam intentaret iram, super lapides tractus, effracto capite impiè necatus est, vt veritatem oraculorum ipsis etiam vulneribus confirmaret.

Expositio oraculi.

XXXVII. Neque hîc omittere possum, quod postremum occurrit, antequam classem hanc sacrorum Vatum, Deiparam præcinentium prætereo; non modò per Sanctos, sed etiam per sontes viros, Deum Hebræis prænunciasse futura, quâ ratione datas Ethnicis fuisse ad vaticinia Sibyllas, infrà docebimus. Quare minus habebat excusationis hominum peruicacia, si nihilò meliores ad crebra monita facti, diuinas voces ad se omni ex parte allatas, aure vel fastidiente, vel contemnente respuerent. Ex Vatum improborum numero Balaas [a] fuit à Rege Moabitarum conductus, vt Israëlitas execraretur, sed ab Angelo increpitus per asinam, quâ vehebatur, humanâ voce loquutam, fertur execrationem paratam, conuertisse in faustam apprecationem, & cum Israëli victorias, tum præcipuè Moabitis clades prænunciasse. Hoc ille vaticinio Virginem quoque Deiparam comprehendit, si non expressè & clarè, vt aliqui existimant, saltem implicitè & abscondite, vt omnes locum interpretantur, qui intellectum volunt Iesum Christum Mariæ filium, instar orientis stellæ lucem daturum, à stellâ Regibus commonstrandum, atque vt virgam ex Israele prognatam, clades Moabitis allaturum. *Orietur*, vates ait, *stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & percutiet Duces Moab.* Si vtrunque titulum præcipuè referamus ad Christum mundi lucem, ac Tartari domitorem; Mater ipsa, cui Liberatorem amantissimum mortales debent, partem vtrique suam appellationis huiusce promeretur; nisi potius velimus cum Bernardo [b] sentire, ac dicere palam: *Maria est nobilis stella ex Iacob, cuius radius vniuersum orbem illuminat; radius sideri claritatem non minuit, nec virgini filius integritatem.* Neque negabimus, ad exitium hostium, illam ex Israele consurgere, tanquam virgam; quæ vt legitima Iacobi hæres, cum Dracone luctabitur, hostemque fortissimum supplantabit.

Balaæ vaticinium.

a Num. 24. 17.

Expositio vaticinij.

b Bernard. Hom. 2. super Missus est.

XXXVIII. At in Hebræorum populo satis hucusque vidimus præsignatam, quam *Vaticinium Prophetarum* aptissimè Hieronymus [c] vocat; & Andreas [d] Cretensis *diuinorum oracu-*

c Hieron. Michea 6.

d And. Cret. Enc. 2. de dormit. Deiparæ.

Deipara Ethnicis præostensa.

oraculorum summam. Voluit pariter Deus tantam lucem in medijs Gentium tenebris præostendi, atque ad cæcas Ethnicorum mentes, aliquid luminis ab illâ præmitti. Sicuti verò tum genus humanum vniuersum, ex Hebræis, Ethnicisque constabat; itá ambobus populis significata est Mariæ Deiparæ dignitas, alteris quidem per sacros Vates, vt vidimus; alteris verò per Sibyllarum oracula, de quibus nunc obiter nonnulla dicemus.

Idololatriæ initium.

XXXIX. Postquam initum fuit, temerarium ab impiorum natione consilium, de turri ad cælum vsque tollendâ, siue inundationis perfugio, siue audaciæ monumento; Nembrothus ex Chami progenie, superbi conatus author, turbatum repente facinus vidit, subitâ confusione linguarum; mox condito Assyriorum principatu, ex Ægypti latebris prodijt idolorum superstitio, insanusque Deorum cultus; hinc serpere latiùs cùm lues cepisset, magnam hominum partem infecit adeò, vt iam Erebi monstris vbique templa paterent, aræ non cælo, sed orco thura submitterent, & portenta pro Numinibus haberentur. Ne autem lux veritatis omninò ab animis exularet, ex ipso Ethnicorum numero excitati sunt à Deo repente vates, qui vel nescij, qualia enunciarent oracula, fidei Christianæ prædicerent futura mysteria. His accenseri potest, vtique nominandum in primis celeberrimum illud mulierum genus, quarum insigne cùm virginitas fuerit, cessit ijs virginitatis in præmium diuinatio, vt ait S. Hieronimus, [a] ideoque Æoles in Græciâ, quasi diuina consilia, Sibyllas dixerunt, & vates Deo plenas Diodorus Siculus, alijque nominarunt. De earum numero, patriâ, nominibus, & oraculis inter authores non conuenit, alijs aliter sentientibus, in re, tum ex longinquitate temporis, tum ex admixtione fabularum, nimis obscurâ. Sunt qui oraculorum similitudine decepti, vnam dumtaxat Sibyllam agnoscant; cui pro varijs vaticiniorum locis, multiplex contigerit appellatio. Nonnulli duas numerant, aut paulò plures. Verum iam est ferè communis opinio, quam confirmat, ex Marco Varrone, Lactantius, [b] vnâque S. Hieronymus; [c] eiusmodi vates, atque poëtrias virgines, fuisse decem, ex totidem ciuitatibus oriundas; quarum Romanis authoritas, olim tanti videretur esse momenti, vt relata in libros oracula, sanctè ac religiosè asseruarentur; imò ijs inconsultis, nihil aggredi pro Republicâ speciosum, & graue liceret. Inter cætera quæ prædixerunt, plura de Christo Seruatore, eiusque Matre virgine legebantur;

Sibyllæ apud Ethnicos vaticinatæ.

Variæ de Sibyllis opiniones.

a *Hier. lib. 1. aduers. Iouin.*

b *Varro apud Lactan. lib. 1. c. 6. diuin. Institut.*

c *Hieron. contrà Iouin. lib. 1.*

tur, vtriusque verò descriptionem, & laudes carmina continebant; quas laudes percurrenti singula ex Græco textu vaticinia, noscere non erit admodum difficile, sicuti nec easdem in vnum collectas, latinè proponere, atque obiter cum suis authoribus recensere. Sibylla Persica, siue Chaldæa, quæ à pluribus ponitur Sibyllarum prima, magni Numinis in terris natalem vaticinata est ante multa sæcula, illique *castam Virginem* parentem fore prædixit. Sibylla Libyca, quam aliqui Elisam vocant, idem Numen præcinuit *Reginæ mundi* gremio reclinandum. Delphica meminit eximij Vatis, qui *Virginea conceptus ab aluo* sine viri contactu, proditurus esset in lucem. Samia *Matrem venturi Regis inuiolatam* vocauit, *excepturam humano sinu diuinum pignus, editis de eo prius per Hebræos Vates oraculis*. Hellespontica *eximio condecoratam honore, munere suo, & cælesti Numine dignam* prædicauit. Phrygia *prolem* cecinit *ab ipso Deo Virginis demittendam in corpus, almaque Matri ab Angelo nunciandam*. Tiburtina, siue Albunea, cuius simulacrum in Anienis gurgite inuentum ferunt, librum manu tenens, *Sanctam Puellam* appellauit, *à conceptu Nazareno, partuque Bethleemitico, & Matrem cælo dignissimam, ob filium sacro vbere nutriendum*. Erythræa *Deum* dixit *initurum terras, vltima mundi ætate, deque Virgine Hebrææ stirpis nasciturum, ad ærumnas, pœnasque mortalium subeundas*. Hanc ipsam Sibyllam, docet Damascenus,[a] inter cætera, apertè tradidisse Mariæ nomen, cum *nouam lucem exortam de Maria Virginis aluo* salutare visa est. Eius carmina, à Romanis tanti sunt habita, vt inferenda in Capitolium illi censuerint; quòd ijs Deus præcineretur de Erebo triumphator, ac victor. Ferunt enim, eiusmodi arce restitutâ, C. Curionem Consulem retulisse ad Senatum; vti Legati, ad rubri maris accolas mitterentur, qui Erythææ *Sibyllæ* carmina diligenter conquirerent, Romamque deportarent; vbi inter aurea spolia, & victrices laureas collocata sunt. Cymmeria ab Erythræâ non discrepat in vaticinijs, prænuncians *Virginis lacte, nutriendum æterna militia Regem; atque ad eum vltrò colendum in sinu tantæ Matris, venturos cum muneribus ex Arabia sapientes, stella duce*. A Sibyllâ denique Cumæâ, eâque celeberrimâ, tradunt fuisse pluribus oraculorum libris consignatum, non vnum Christianæ Religionis arcanum, & præcipuè clarissimum de Virgine Deiparâ vaticinium. Illam dicunt, ignotâ facie anum ad Tarquinium cognomento Superbum, Romæ re-

Marginal notes: Per eas præostensa Deipara. — Oraculum Sibyllæ Persicæ, siue Chaldææ. — Libycæ. — Delphicæ. — Samiæ. — Hellesponticæ. — Phrygiæ. — Tiburtinæ, siue Albuneæ. — Erythrææ. — Cymmeriæ. — Cumææ.

[a] Hom. de iis qui in Fide migrarunt.

gnantem, nouem protulisse libros, emendosque multis aureorum millibus indicasse. Quamobrem cum irrideretur, tanquam affectâ iam ætate desipiens, confestim tres in proximum ignem coniecit. Deinde Regem iterum percunctata est: num sex reliquos eodem pretio velit emere. At effusiùs ridente Tarquinio, tres alios libros pari ratione comburit. Postremò dum ad emendos reliquos nihilò minore summâ sedulò inuitat, demiratus Rex aniculæ siue pertinaciam, siue constantiam, libros qui supererant, ex constituto mercatur: cumque illa post hæc subitò discessisset [a], credita est Sibyllarum vna; adhibitique Duumuiri, qui eos libros diligenter inspicerent, & custodirent: quare tantâ deinde apud omnes veneratione ijdem fuerunt, vt, cum vnum M. Attilius temerè vulgasset, iussu Regis, bubulo corio sit insutus, & in mare proiectus. Asseruati sub templo Capitolini Iouis in arcâ lapideâ, non aliter adiri, inspicique consueuere, quàm aut cum in ciuitatem seditio, aut clades aliqua, prodigiumue inexpiabile incidisset. Ex hisce libris præclarissimum ferebatur oraculum: *Toto tandem Orbe composito per commune pacis fœdus Regem nouum terris affuturum; Deum nempe humana carne vestitum, oriturum ex Matre Virgine, eademque pulcherrima; ætatem auream, & aurea sæcula reuocanda.* Mirum quantum noui Regis promissio Romanos commouit, alijs pro Cæsare Dictatore, pro Vespasiano Imperatore alijs vaticinium interpretantibus, alijs in spem erectis regni consequendi, quod ad se ambitiosè trahebant; alijs ignoto sub Principe meliora sæcula præstolantibus. At verò Poëtarum Princeps Virgilius, integrum oraculum ex Cumææ Sibyllæ carminibus desumptum, in [b] Bucolicis elegantissimè reddidit. quod [c] Augustinus, veteresque nonnulli, de Christo, & Virgine nostrâ intelligendum esse contendunt; licet aliqui ad Saloninum, Asinij Pollionis filium, & Erigonem, respexisse Poëtam velint. Cæterum res ipsa loquitur; Sibyllæ vaticinium Virgilianâ illâ Eclogâ contineri. Neque dubium esse potest, quin idem Poëta in illud sæculum, quo natus est, sub Augusto Christus, inciderit; atque idcircò pacem toto Orbe celebrem lætus aspexerit; ideoque non tam Pollioni ob natum filium, sed vniuersæ potius Reipublicæ gratulatus sit, ex aduentu fælicitatis, oraculo Sibyllino promissæ. Et Eusebius [d] quidem Cæsariensis, huc refert Virgilij locum; & Eclogam tanquam de Christo sonantem, Græcè conuertit, summis laudibus Poëtam prosecutus, quòd Virginem significarit, afflatu diuino fætam. tum in

De huius Sibyllæ libris narratio.

Oraculum ijs libris contentum.

Cumææ Sibyllæ oraculum à Virgilio de Christo intellectũ

[a] *Sabellius.*

[b] *Virg. Ecl. 4.*

[c] *August. orat. con. Iudæos &c.*

[d] *Euseb. in vit. Constant. lib. 4.*

in eâ oratione, quam ad Sanctorum cætum, habuit Constantinus Imperator, itâ Virgilianos recitat versus, vt Christi aduentum, atque ortum ex Virgine notari affirmet,

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas;
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo;
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

Cui loco subscribit quoque Poëta non ignobilis [a] Sanazarius, succinitque in eandem sententiam.

a Sanaz. lib. 3. de partu Vir.

Magna per exactos renouantur sæcula cursus.
Scilicet hæc Virgo est; hæc sunt Saturnia regna.

XL. Sic Ethnicæ mulieres solâ virginitatis laude præstantes, cælestem Heroinam, Virginum Ducem, spectasse mentis oculo visæ sunt, antequam terris nata puella, aspici coram ab vllo posset: sic etiam eius elogia texere maturè ceperunt, cuius eximias dotes, post seculorum orbes euolutos, futuras, nonnisi instinctu, afflatuque Numinis diuinabant; dicentes palam; aut scripto consignantes; illustri eam loco, regijsque progenitoribus proditurام in lucem; formâ corporis, animi virtute, conditione vitæ, suprà quoscunque mortalium fore spectandam, Cælitum, hominumque Reginam constituendam. Itaque antelucanum veluti iubar, priusquam totum in oriente se proderet, spectatum eminus sola nosse potuit (vt ait D. Hieronymus) & cæteris euulgare virginitas; decuitque pariter, aurorâ solis parente iam proximâ; obnoxias superstitionum tenebris gentes excitari. Et verò ad sonos fatidicarum mulierum, somnum complures ex Deorum cultoribus excusserunt. Constat enim è Sanctorum Historijs, Marcellianum, Secundianum, & Verianum [b] ex consideratione oraculi Sibyllini in carmine Virgiliano perlecti, eiurato idolorum cultu, Christiana sacra suscepisse, veramque fidem, & Religionem professos, fuso etiam sanguine lauream promeruisse martyrij. Quamobrem Imperatores [c] Iesu, & Mariæ nomen execrati, vt veterem tuerentur Ethnicorum insaniam, oraculorum eiusmodi lectionem, quæ illi aduersabantur, intentatâ etiam capitis pænâ vetuerunt, ne Sibyllina carmina, tanquam maleficarum incantamenta, vt ipsi dictitabant, populum de mente deducerent; atque insinuato rerum Christianarum amore, eiurare cogerent Deorum turbam, & patrios ritus deserere.

b Apud Laurentiũ Surium 9. Augusti.

c S. Iustini M. in orat. pro Christian.

XLI. Neque solum indicio Sibyllarum, Mariæ lux Gentibus, vt dictum est, multò ante quàm nasceretur, innotuit:

Ethnici Vates, Deiparæ prænuncij.

 notuit:

noruit: sed aliorum etiam Vatum, ipsorumque Dæmonum testimonio prænunciatam fuisse comperimus; nam præter Trismegistum [a] Mercurium, & Hydaspen Medorum Regem, quorum de filio Dei pronunciata, valdè consona Christianis mysterijs habebantur, ac proinde ad coarguendos Ethnicorum errores peridonea, constat; Druidas Gallorum sapientissimos Sacerdotes, sub terrâ altè defossâ, procubuisse supplices ad aram, quam inscij, quantæ rei proluderent, apud Carnutes, vbi degebant; *Virgini pariturę*, positâ etiam inscriptione, dicarant. Addunt aliqui, [b] eorundem Sacerdotum consilio, præter aram, simulacrum quoque Virginis, puerum in sinu gestantis, ibidem fuisse collocatum, vt nimirum Carnutes honorem, ac venerationem tantæ Matri exhiberent, quam vel ignorantes colere cogerentur; quemadmodum Athenienses, *Ignoto Deo*, arâ item excitatâ, atque inscriptâ fecisse leguntur. Præterea nouæ suppetunt coniecturæ, ad euincendum; extitisse de gentium numero vates alios, diuinitus illius arcani commonefactos, quo parabatur iam tum ab æterno Verbo suæ immensitatis in carne contractio, mortalibus saluti futura. Ægyptij Sacerdotes, à Ieremiâ quondam apud ipsos exule, fortasse edocti, vt censent [c] Dorotheus, & Epiphanius, [d] prænunciare consueuerunt popularibus suis, simulacrorum demolitionem, quorum ipsi cultum impensè fouerent; eamque futuram asserebant, cum Virgo sine virili complexu infantem enixa, in præsepi locaret, atque in Ægyptum se peregrina reciperet. Vaticinium indigenæ quamuis minimè caperent, rati nihilominus magnum mysterium, acceperunt à maioribus, ac transmiserunt ad posteros; apud quos solemne diù fuit, stratam in lectulo Virginem, vnâque puerum præsepi impositum suppliciter venerari. Dubitari verò posset, an ex ijs vatibus, quibus prouidere animo talia datum est, vllus olim acceperit, illapsum de cælo fidei donum, quo illicò in Iesum Christum crederet, exoriturum de Virgine. Atqui vt id probabiliter affirmare possimus, peruetus facit historia detecti quondam in Thraciâ ab agricolâ fodiente sepulcri, cum orientalis imperij clauum tenerent Irene Augusta, eiusque filius Constantinus: nam apud sepulcrum cadauer inuentæ laminæ inscriptio legebatur in hæc verba: *Christus nascetur ex Virgine. Credo in eum.* Rem narrat ex Theophane Cardinalis Baronius, [e] aliorum quoque scriptorum testimonio comprobatam. Antiqui cuiuspiam vatis fuisse sepulcrum dicebatur; & opi-

Druidæ Galli.

a S. Aug. l. 13. cont. Faust. Manich.

b Cassaneus in Catal. gloriæ mũdi p. 12. consi 20. Nicolaus Nancelius Parecbasi de Natiu. Christi c. 11

c Doroth. in Synop. d Epipha. In vita Ierem.

e Baron. Annal. tom. 9. an. 780.

& opinio latè percrebuit, diuini Verbi carnem assumpturi notitiam, cælitus ab eo viuente susceptam, iam à mortuo tacitâ fidei professione vulgari.. An eiusdem generis est vaticinium illud insigne, quod Honorio Tertio summo Pontifice, Federico Secundo Imperatore, & Ferdinando Castellæ Rege, erutum Toleti, refert ex Martino Polono Rodericus Sanctius?[a] testatur hic; excisâ fortè ad vineam amplificandam rupe, inuentum fuisse librum, Hebraicè, Græcè, Latinèue conscriptum, vbi inter cætera, peruetustum legebatur oraculum, de Filio Dei ex Mariâ Virgine nascituro. Simile de eâdem testimonium, instar vaticinij, editum constat ab Albumazare [b] Ethnicorum Astrologo, in quod testimonium Ægyptij, atque Chaldæi eâ in arte præstantissimi, teste Canisio,[c] conuenerunt. Notat Albumazar ortum Deiparæ cum dixit; primâ in facie signi Virginis, orituram Puellam immaculatam, corpore decoram, vultu venustam, habitu modestam, puero in Iudæâ nutriendo, *quem nos*, inquit author, *Græcè Christum vocamus*. Recitat bonâ fide locum ex opere peruetusto Dionysius [d] Carthusianus.

a Rod. Sãc. par. 1. hist. Hisp. c. 40.

b Album. lib. 6. Introductorij maioris.

c Canis. lib. 1. Mar. cap. 7.

XLII. Neque mirum est, si tantæ Matris excellentiam in populis inueteratâ superstitione corruptis modò fœminæ, modò viri longè antè prædixerint; quando vel mali Dæmones, mendacij patres, anticipato præconio, eandem designare coacti sunt; cum enim, vt Cedrenus [e] refert, Argonautæ, ingens Græcis fabularum argumentum, Hellesponti Principem, nauigationi in Colchidem institutæ resistentem, interemissent, vrbemque primariam Cizicum, eiusdem cum Domino nominis, expugnassent: ad expiandum regiæ cædis crimen, magnificæ, ac sumptuosæ molis templum ad Thermas Pythias extruendum curarunt, de cuius dedicatione consultum Apollinis oraculum, respondisse ferunt; illud *Mariæ semper Virgini, Deum hominibus pariture deberi. At Heroës veritatis ignari*, Rheæ Deorum in fabulis matri solemniter addixerunt, quod deinde post Christum natum, Imperatore Zenone, cessit in Deiparæ cultum, vt suo loco dicetur. *Simile omninò responsum de Athenarum arce, vbi Mineruа colebatur, redditum fuisse legimus Iasoni Argonautarum Duci ab oraculo Apollinis Delphico; quod enunciasse palam sciscitanti fertur; fore aliquando, vt eâ in æde coleretur Augustissima Virgo, Maria nomine, ex quâ Dei Verbum ab interitu alienum, mortalitatem suscepisset. Prædictionem suo tempore comprobauit euentus; eâque visus est*

d Dionys. Carth. lib. 1. de laud. Virg. art. 30.

e Cedre in Compend.

Responsa Dæmonum de Deipara.

Apollinis oraculum ad Thermas Pythias.

Responsum Apollinis Delphici de Athenarum arce.

S. Pro-

S. Procopius [a] ex Ethnico Christianus, & Martyr, ad fidem quam profitebatur Flauiano Iudici generosè constanterque probandam, quo congressu Athleta Christi sapientissimus, desumptâ ex ipsis aduersariorum magistris authoritate, Deum vnum asseruit, confirmauitque ex Trismegisto Mercurio, Verbi peregrinationem in carne, ex testimonio Sibyllarum, Virginis Deiparæ nomen, & dignitatem ex Delphicâ, de quâ loquimur, Phœbi cortinâ. At cæci Deorum cultores, Virginem ab oraculo indicatam, credidere Mineruam, Sapientiæ apud illos Deam, & præsidem Athenarum: ideoque arcem Græciæ celeberrimam, dicatam voluerunt huic vni, cuius in tutelâ & patrocinio locum diu fore censebant.

a Metaph. apud Surium 8. Iul.

XLIII. Sed fabulæ veritati cesserunt; nec illis vti iam licet, in re seriâ, & verâ; habet enim stultitiæ speciem, petere â nocte lumina, vbi proponitur illustrandus clarissimus dies. Displicet sanè, aliquos laudibus Deiparæ captandis, confugere ad Poëtarum commenta; ac stomachum mouent, quoties efferunt illi per syncrisin Deas fictitias; quæ nonnisi sordes, aut tenebras secum adducunt, nec possunt Dei Matrem vllatenus adumbrare, vt vani panegyristæ mentiuntur. Insignes verò mulieres, ab humanâ historiâ commendatæ, licèt causa non desit, cur celebrentur; componi tamen cum Heroinâ nostrâ non possunt; in quam, Deo dante, virtutes omnes, & cælestia charismata confluxerunt. Diodoro [b], & Iustino [c] testibus, Semiramidem Assyriorum Reginam, proxima post cataclysmum ætas suspexit; quæ virili mulier animo, imperio nobilis, tum conditis, tum expugnatis vrbibus memoranda, nec adumbrare quidem hac parte valet, nedum æquare Augustissimam bellatricem, quæ generis humani bono, Tartarorum potestates perditum iuit, cæli, terræque imperio decoranda; militantis Ecclesiæ post Christum futura mater; & Hierosolymæ triumphanti præses designata. Ex Mandane Medorum Regis filiâ (si vera narrat Herodotus [d]) visa patri per somnium vitem parere, quæ Asiam omnem protensis circumquaque palmitibus obumbraret, ansam accipiunt aliqui commendandæ Deiparæ, cuius ab vtero prodijturus, non Cyrus, sed Christus, in similitudinem vitis, non Asiæ modò, sed humano generi vniuerso liberator, & vindex debebatur. at non ideò par est, vtranque committi. Si denique seorsim spectentur præclara facinora, & ornamenta illustrium fœminarum, â Scriptoribus decantata; nullus inde præsumat, ducere

b Diod. Sic. lib. 3.
c Iustin. lib. 1.
d Herod. lib. 1.

veluti

veluti lineas, ad proponendum exemplar diuinæ Matris, quæ animi dotibus, rebus gestis, & dignitate, longè plurimùm suprà omnes attollitur; cum Elisabetha eius cognata, sancto plena Spiritu vocauerit *in mulieribus benedictam*.

XLIV. Verùm quæ Virgo promissa olim est, & prænotata multò ante quàm nasceretur, magno figurarum, & oraculorum apparatu, & quidem in vtroque populo, Hebræo nimirum, Ethnicoque, ea debuit in mundum introduci viâ splendidâ, atque magnificâ. quare eius genealogia exponenda nunc est, ex vniuersâ progenitorum serie, vnde in lucem prodijt claris natalibus augusta Puella. Rem totam ob oculos ponet sacra Matthæi, [a] & Lucæ [b] Euangelistarum historia, quos diuinus impulit Spiritus ad ità diligentem eius expositioni nauandam operam, vt omnem Scriptorum omnium huius generis curiositatem, nedum exactionem, superauerint. Quis enim vnquam Historicus, res ab aliquo gestas memoriæ tradendas aggressus, eius prosapiam ab anno retrò bis millesimo, quod Matthæus fecit, aut quod Lucas, à Mundi exordio repetierit? Eò vtriusque consilium spectasse, fateor; quòd interesset plurimùm Iudaicæ gentis, atque adeò humani generis vniuersi, Dei Verbum humanâ carne vestitum agnoscere. Attamen idem labor tendebat quoque ad aperiendam hominibus Matris originem, ex quâ solâ sine viri consortio tanta proles extiterat. Et quidem licet in isto argumento ità versati sint Matthæus, & Lucas, vt Iesu Christi genealogiam edere vterque professus, seriem denique totam redigat in Iosephum, nihilò sanè magis ad Christi genus, quàm Vitricum ad Priuigni, pertinentem: cum tamen Mariæ Deiparæ, & Iosephi sponsi, eadem esset tribus, atque vna cognatio, Hebræis notissima; cum inquam sine vllâ controuersiâ ducerentur ex Dauidis posteris ambo, seu fratrum duorum filij, seu certè patruus & neptis, in eosdem auos, ac proauos conueniebant. Id vnum animaduertamus, necesse est; à sacris Historicis duobus, in hac expositione, scalam quandam illi, quam Iacobus vidit, similem nobis exhiberi, per quam à Deo ad Christum, atque à Christo ad Deum ipsum, contrario vicissim motu, vt olim Angeli, ascendant, descendantque Patriarchæ, quorum series vtrinque texitur; ascendentium quidem à Lucâ, per ordinem retrogradum sursum nitente; descendentium verò à Matthæo, quasi per secundum amnem defluente. Difficultas in vtrisque simul conciliandis est maxima; in eo potissimum sita, quòd vnius huius arboris genea-

a Matth. 1. b Luc. 3.

Deiparæ Virginis Genealogia

Eadem quæ Christi.

Quomodo texatur à duobus Euãgelistis.

Difficultas in ea exponenda.

genealogicæ ità in diuersum abeunt rami, vt in stemma vnum difficillimè coituri videantur. Locum adeò implexum in quo magna hactenus ingenia desudarunt, nos magnorum virorum vestigijs insistentes, tractabimus eo consilio, vt prosapiam Mariæ Deiparæ, cuius annalibus nunc proludimus, ex ipsâ Iesu Christi genealogiâ discamus. In hâc texendâ, duplex ille Maiorum syllabus, quem conscripsere Matthæus, & Lucas, vnam habet Harmoniam, in quatuor interualla distributam, primum ab Adamo ad Abrahamum pertinens, est Lucæ solius: reliqua tria, totidem denarum, & quaternarum generationum classibus apud Matthæum respondent.

Deiparæ genealogia, ex Euangelio S. Matthæi.

XLV. Exploremus itaque iam Procerum seriem à Matthæo indicatam, per quam Verbum diuinum ex Virgine caro factum, venit in terras, vt habitaret in nobis: nam quæ Dei Filio, inter mortales apparenti, sterni semita visa est; eadem ad Matrem quoque pertinuit, ex quâ ille solâ carnem sumpsit. Omissis ergò Patribus, qui cataclysmum antecesserunt, commemoratis à Lucâ; Matthæus orditur ab Abrahamo, cuius vnàque Dauidis Filium Christum, & Mariam Filiam, omnes appellant; quoniam diuinæ sobolis, partusque virginei promissio, facta legitur vtrique parenti; ac proinde initio sacræ Historiæ Euangelista, Christum ex ambobus verè propagatum ostendens, videtur tum liberare quodammodo voluisse Dei fidem, aut liberatam demonstrare; tum etiam conciliatâ suæ narrationi authoritate, probare Iesum, de quo agitur, verum esse Messiam; propterea quòd huic, ex Abrahamo, & Dauide geniti competeret appellatio. Alteri primùm credentium patri, ad repræsentandam longinquam spem, promisit Dominus certam, & nunquam interrumpendam successorum seriem; per quos, quasi suos ille vicarios, sensim cominus accederet, ad Messiæ tempora, & oraculorum euenta; donec per Mariam conspectu desideratissimæ prolis iucundissimo bearetur. Item in hac prærogatiuâ nullum habuit Abrahamus socium præter Dauidem; cui instauratæ pariter promissiones sunt, orituri ex ipso Messiæ, & perpetuæ inter homines successionis, filiorum, ac nepotum, ipsum repræsentantium; quoad promissus ille generis humani vindex, reuerà ex Virgine nasceretur. Atque hæc fortasse causa videri potest, cur posteri Dauidis omnes, quantumuis tempore valdè disiuncti, eius filij dicantur, non Salomonis, aut alterius minus mediati progenitoris; quoniam Dauidi in suos poste-

Cur Iesus Christus dicatur filius Abrahami, & Dauidis.

Non autem Salomonis; aut alterius, minus mediati.

ros, ius est à Deo peculiare concessum, vt perpetuâ serie vicarium sibi successorem, hæredem eximiorum suorum iurium relinqueret; qui consequentibus deinceps vsque ad Messiam temporibus, ipsum & Abrahamum legitimè repræsentaret adeò, vt in eius personâ quasi viuerent ambo Patres, visuri tandem Christum ipsum, oculis alicuius, qui seriem clauderet: atque id præcipuè obtinuisse videntur per Mariam, quæ ex vtroque ducens originem, Christum Virgo peperit; & per Iosephum eius sponsum, proximèque agnatum, qui Patris loco sanctissimam prolem aluit. Vnde animaduertere etiam licet, Matrem Virginem, cuius partes in Messiæ conceptu, ortuque fuere præcipuæ, & quasi viriles, ab hac successione ac serie non excludi. Sed ipsa tandem capita, quæ Matthæi syllabo continentur, videamus.

XLVI. Abrahamum in hoc ordine fides maximè commendat, atque religio; cuius ipse prætulit signum, postquam diuino audiuit oraculo, sibi fore progeniem, æquè numerosam ac stellas cæli, suosque posteros magister optimus, ità Dei cultum edocuit, vt solis instar, præire omnibus clarissimo lumine visus sit, ijs quæ dixit, egitque sacræ historiæ diuinitus consignatis. Iussus à Deo procul à patriâ, & cognatione suâ peregrinari, in Chananitidem venit, suis promissam posteris terram; vbi se diuinâ beneficentiâ felicem in prole, principem populorum, gentiumque maximarum caput futurum intellexit. Mox ob annonæ inopiam in Aegyptum profectus, raptam sibi à Pharaone Rege vxorem, ope statim diuinâ maximis cum muneribus recepit intactam [a], & repente, ex paupere diues, inde discessit. Lothum præterea fratris filium, peregrinationis comitem, Sodomis captiuum abductum, cæso hoste liberauit; Melchisedecho Sacerdoti decumis pro victoriâ persolutis. Centum annos iam natus, cum sibi, ac suis Dei iussu præputia circumcidisset [b], è Sarâ coniuge sterili, diuinitus promissum genuit filium [c], cui ex risu matris, Isaaci nomen est inditum. In hoc mirè enituit Parentis fides, qui imperante Deo [d], spem stirpis filium immolaturus, gladium vtiqueparauit, & pyram; sed cum impositam aræ victimam appeteret ferro, cohibere dexteram, & parcere filio iussus est cælitus. Piam obediendi voluntatem remuneratus est Deus numerosâ instar siderum sobole, atque adeò promisso Christo.

Abrahamus, quem primo loco recenset Matthæus.

Res præcipuæ ab Abrahamo gestæ.

a Gen. 19. 19.

b Gen. 17. 23.

c Gen. 21. 6

d Gen. 22.

XLVII. Isaacus ergò superstes, ex Rebeccâ vxore sterili, infantes [e] geminos Esaum & Iacobum, vno sustulit partu;

Isaacus, eiusque res gestæ.

e Gen. 25.

G Dei

Dei certè donum, paternis precibus, & lacrymis impetratum; at laboriosum matri, quæ deprælïantes in vtero pueros diu est passa. Admirabilis in Isaaco pietas, & obedientia nil degenerans à paternâ, cum animo æquo, pacatoque vinciri se in victimam, atque aræ imponi permisit. Idem affectâ ætate iam senior, atque oculis in mortem caligantibus [a], Iacobo minori filio, quem fraudulenter hædinis indutum pellibus Rebecca submiserat, non sine diuino consilio alterum maiorem natu posthabuit, illique principatum inter fratres, atque omnia meliora precatus; huic ad calamitatis, luctusque solatium, pauca, & minima reseruauit. a Gen. 27.

Iacobus, & quæ de eo narrat Sacra Historia.

XLVIII. Itaque Iacobus adolescere cepit in spem felicitatis maximæ consequendæ; & primùm Mesopotamiam petens, in quiete Dei speciem vidit, è summâ [b] scala numerosam sibi prolem, ipsumque Christum pollicentis. Mox apud Labanum [c] auunculum greges sibi copiosè parauit labore, atque solertiâ. Ex Liâ, Rachele, [d] alijsque vxoribus Patriarchas progenuit, duodecim tribuum authores. Ad necem à fratre quæsitus, vt eius odium ac furorem frangeret, domum, parentes, & natale solum relinquere coactus, longam peregrinationem instituit. Virginis filiæ violationem [e] tulit, eiusque ad vltionem fratribus in Sichimitarum cæde grassantibus, ab indigenis exitium metuit, peregrinus ipse cum suis. mortuam [f] in puerperio charissimam coniugem desiderauit. ex fœdo [g] primogeniti crimine paternum ipsum torum maculantis, in tantum dolorem exarsit, vt vel morti proximus, cum animam ageret, dirâ facinus execratione perstrinxerit. Iosephi, ex Rachele filij, cruentâ [h] tunicâ oblatâ, cum à bestijs crederet laceratum; luctu ac mærore inconsolabili propè consumptus est. Ingruentibus vndique domesticis, & externis incommodis, prouidens animo diuturnum suæ gentis, molestissimumque seruitium, in Aegypto futurum, egregiè fortunam est eluctatus; qui prius nocturnâ cum Angelo luctâ victor, vnum ex Cælitibus antagonistam habuerat, imò etiam agonothetam ipsum Deum. At quantus irrepsit animo dolor, cum acerbâ & præcoci morte præreptos ingemuit duos ex Iudâ filios; quorum vitâ, non modò spes nominis in familiâ nitebatur; sed, quod caput erat, ipsius Numinis per posteros nasciturі! Adde multò magis lacrymabilem seni fuisse, pristinoque dolori tanquam auctarium accessisse, incestam Thamaris & Iudæ coniunctionem, vnde nihilominus propaganda progenies erat, ex quâ Virgo Mater, Deique filius nasci debebant.

b Gen. 28. 12.
c Gen. 30.
d Gen. 29.
e Gen. 34.
f Gen. 35. 19.
g Gen. 35. 22. 49. 3.
h Gen. 36.
i Gen. 32. 26.

XLIX. Iu-

XLIX. Iudas ergò, vt institutam seriem prosequamur, quartus ex Liâ Iacobi filius, si natalium ordo spectetur; si dignitas, fratrum omnium facilè princeps; cum inscio parente filiam Chananæi cuiusdam duxisset vxorem, infaustum coniugium expertus est: nam liberis tribus ex eâ susceptis, primogenitum, cui nupserat Thamar, illicò morte præreptum amisit. Mox alter fratri sine prole defuncto in easdem nuptias succedere iussus, cum in fraudem matrimonij, scelus detestabile admisisset, ne liberi nascerentur; morte quoque Deo vindici pœnas dedit. Tertius qui supererat, Thamaris viduæ coniugio destinatus quidem à patre, sed dilatus ad tempus est, vt adolesceret magis, fieretque ferendo iugo maturior. Hîc accidit, vt ex desiderio prolis Thamar, viduitatis veste depositâ, & capite ad faciem obuelato, ne posset dignosci, in mediâ viâ vulgati se mulierem corporis simularet; & certam mox pacta mercedem, acceptoque pignore, nurus cum socero Iudâ concumberet. Ex hac coniunctione incestâ, enixa mater gemellos est; quorum alter in partu cum manum emisisset, eam obstetrix coccino censuit alligandam; vt ab vtero primus egrediens iure primigenio frueretur: sed retrahente statim puero brachium, alter relictum sibi liberum exitum occupauit; & natus est primus, dictusque Pharezus. Interim damnauit Iudas facinus, cum à se admissum agnouit; atque illud qualecumque fuit, accedente pænitentiâ, expiatum fuisse credibile est, vt à Iacobo patre moriente, laudationem suprà cæteros fratres meritò consequeretur.

Iudas, eiusq; successus.

1 Genes. 38

L. At verò hîc percontari de nobis lector posset, cur Iudæ fratres ad hanc seriem Christi, & Mariæ progenitorum non pertinentes, ab Euangelistâ memorentur; & rursus, in designando Pharezo eius filio, mentio Zaræ fiat, alterius gemelli, qui ad contextæ genealogiæ negotium nihil facit; denique quorsum amborum mater Thamar, quæ concepit ex incesto concubitu, præter morem nominetur, sicuti factum pariter legimus tribus alijs, meretrici Iericunthinæ Rahabæ, aduenæ Moabitidi Ruthæ, & adulteræ vxori quondam Vriæ, Boozi, Obedi, ac Salomonis matribus; quarum expressa designatio cum filiorum recensione coniungitur. Quod quæritur primum de Iudæ fratribus, non est mirum si memorentur: quoniam & si non fuerunt illi Messiæ progenitores; voluit nihilominus Deus, ex eorum posteris electum coalescere populum, vno Israëlis nomine; cuius populi vniuersi laus futura erat, ortus Iesu Christi ex vnâ ipsius Tribu. De Zarâ autem,

Cur Iudæ fratres in hac genealogia nominentur.

Item cur mentio Zaræ fiat, quatuorque mulierum.

Dissoluitur prior quæstio.

tem, si ratio quæratur historica, non allegorica tantùm, de quâ passim interpretes, difficultas est maior. Verosimile videri putat Petrus Possinus[a], atque est in ea suspicione; indicare voluisse Matthæum; quod ex traditione, aut reuelatione forsan acceperat: è Zaræ filiâ postmodum Pharezo nuptâ, natum Esronem, mixtoque fratris vtriusque genere, Zaram Christi progenitoribus fuisse adnumeratum; cum nuptiæ inter patruum, & fratris filiam, tolerari, & frequentari in totâ Abrahami stirpe consueuerint; & Pharezus præterea, emendare in familiâ, ac vitare voluerit, Iudæ parentis culpam; quâ erratum in paternis thalamis nouerat, contrà præscriptiones auitas, de vxoribus ex proximâ consanguinitate petendis. Hinc etiam petita ratio tertiam quæstionem dissoluet. Ideò enim quatuor illas mulieres, Thamarem, Rahabam, Rutham, Bethsibeam, præter morem designatas, in syllabo progenitorum Christi, censet laudatus author, quòd in ijs obseruata non est, Deo certis de causis dispensante, lex in vniuersum Abrahamidis, sacri iuris hæredibus, dicta; ne alieni generis vxores acciperent.

Altera. Tertia.

a Dialla. Bico Theogenealogi. co. Int. 2. c. 13. num. 4.

LI. Iudæ Tribus, cui regnum destinauerat Deus, primatum inter reliquas, suo iure promeruit, spectanda imperij insignibus, & luce armorum, spolijs onusta barbaricis, aulæque diuitijs opulenta; non ante depositura sceptrum, quàm illud Regi cederet Deo. Meritò collata est cum leone[b], quoniam ex eâ diuinus Agnus editus est, leoninis planè viribus, ab vtero Virginis Matris, ingentem ascensurus ad prædam. Eiusce Tribus propagator Pharezus extitit, primus Iudæ ex Thamare filius; à quo Esron est genitus; & rursus hoc Aramus parente prognatus, Aminadabum eiusdem Tribus Principem dedit; quem testibus Hebraicæ linguæ magistris, aiunt per fluctus Erythræi maris ad latera diuinitus recedentes, fugientibus Aegyptum Israëlitis præiuisse, primumque omnium, apertam in profundo semitam, generose calcasse. Aminadabo Naasson filius in principatu successit, hæres muneris, genijque paterni. Natus deinde ex Naassone Salmon, ipse quoque Princeps, & Patrum insistens vestigijs, progeniem amplificauit; postquam iunxit cum Rahabâ coniugium, muliere Ierichuntinâ, quam scortum alij, alij cauponariam fuisse testantur. Hæc auitæ superstitionis obuoluta tenebris, cum diuino monitu cognouisset; imminere suæ patriæ ab Israëlitis excidium, quo aliæ impiorum vrbes ceciderant; missos à Iosue[c] ad lustrandam regionem duumuiros, clam excepit hospitio,

Tribus Iudæ, eiusque dignitas. Ex eâ Tribu Pharezus. Esron. Aramus. Aminadabus. Naasson. Salmon. Rahabæ maritus.

b Gen. 49. 9

c Iosue 2. 1.

pitio,

pitio, operuitque stipulâ peramanter & piè. Hinc verò salutem [a] consequuta est, nam in vrbis excidio cum Iudæorum gladius sæuiret in ciues; signo, quod condixerat, coccinei funiculi dato, incolumis euasit à clade. Eiuratâ deinde suæ gentis superstitione, transiens ad veri Numinis cultum, nupsit Salmoni principi, tanquam de Hebræo populo, in occultandis hospitibus benemerita; & quæ duumuiros fæno texerat, per eius progeniem, Virgo puerpera in mundum prodijt, tectusque carne mortali Deus, paruulus in stipulâ vagijt. Itaque Rahaba, quò temporariæ vitæ, ac sempiternæ consuleret, Hebræos sibi victores beneficio conciliauit, & cognitione veri Numinis, quod etiam per posterôs terris edidit, caliginem anteactæ vitæ discussit.

a Ibid. 6. 17. 23.

Eiusdem Rahabæ laus.

LII. De Salmonis cum Rahabâ coniugio, habuit Iudæ Tribus Boozum, Bethlemi natum, quo tempore per Iudices, Hebræorum populus regebatur. Boozus à fortitudine, quâ præditus vixit, nomen traxit; fuitque sacræ paginæ testimonio, diues, ac potens, neque degener à splendore natalium. Ætate iam grauis duxit vxorem Rutham Moabitidem, cuius habemus historiam [b] diuinâ scripturâ consignatam. Fuerat illa prius, apud Echimelechum Bethlemo profectum in terram Moabitarum, alteri ex duobus eius filijs desponsa; & ergà Noëmin socrum obseruantissima: cum enim orbata viro, & liberis socrus, redire in terram suam meditaretur, Rutha nurus, vltrò sequi redeuntem voluit, parentum domo, ipsâque patriâ relictâ, & Deorum superstitione. Animi demissione insignis fuit, quæ suadente socru, Boozo in virum quæsito, ancillæ more seruiuit, sequuta in eiusdem agro messorum vestigia; ad spicas, quæ deciderent, colligendas; & mox ipsi in areâ dormienti ad pedes accubuit, pallioque se tegi tanquam consanguineam, permodeste postulauit, quod erat nuptiales ambire tædas. At Boozus fortitudinis tenax, thalami consortem puellam noluit, nisi prius alter coniunctior, ex sacrarum legum præscripto, propinquitatis cederet iuri; id quod impetratum est facilè. Interim loci solitudo, tempusque nocturnum, & impunitas illecebræ, nec animi robur infringere, nec expugnare castimoniam potuerunt. Itaque religiosas Boozi cum Ruthâ nuptias, tum sponsæ pietas, tum viri constantia commendarunt: & inde est Virginis Deiparæ, & Iesu Christi prosapia propagata.

b Ex libro Ruth.

Boozus ex Rahabâ.

Rutha vxor Boozi.

Eius laus.

LIII. In hac serie, quam ducimus Christi & Mariæ progenitorum, non vulgaris notæ Scriptores, Boozum vnicum,

quem

quem sacra ponit historia, distinguendum censent in ternos, omninò cognomines; quorum primus quidem alterum; hic verò tertium, certo temporum interuallo genuerint; cum enim ab oppidi Ierichuntis expugnatione postquam nupsit Rahaba Salmoni, ad regnum vsque Dauidis expletum, annos decurrisse constet ferè quadringentos, & quadraginta; non fit illis admodum simile vero; quatuor, nec plurium generatione virorum, Boozi, Obedi, Iessæ, & Dauidis, tantum temporis exhauriri potuisse; nisi filios à nonagenarijs, atque adeò prouectioribus genitos fuisse, dicamus. At verò inconueniens, atque illicitum existimatur, aliquid temerè detrahere, vel addere sacris libris; imò ne suppleri quidem posse videtur, nisi alius canonicus liber, supplementum alterius suggerat; ideò reprehendi non solet, qui suspicetur; in libris Esdræ,[a] vbi texitur eius genealogiâ, aliquot esse generationes omissas: quoniam habet pro se testimonium libri Paralipomenon,[b] cuius prioris partis sexto capite, inter Sadocum, & Sellum, apud Esdram continuatos, alij quinque interseruntur; sic etiam in hac ipsâ serie Christi progenitorum, quos Matthæus[c] recenset, præteritos inter Ioramum & Oziam fuisse tres Reges, sine reprehensione dicemus, quoniam id constantissima memoria, sacris Regum,[d] & Paralipomenon libris[e] accuratè perscripta, fateri nos cogit. Nihil autem tale faciemus in ijs, quæ à varijs scriptoribus canonicis diuerso tempore concorditer enarrantur, nullo vspiam varietatis apparente signo, vti de vnico Boozo scriptum à Matthæo pariter, & Lucâ comperies, qui Maiorum Christi syllabum, à Salmone ad Dauidem, totidem planè capitum numero comprehendunt; imò alter eorum dum Boozum memorat genitum ex Rahabâ, singularem vni personæ notam apponit. Præterea, ne rem ab alijs accuratò tractatam vrgere vltra tendemus; nihil est, quod nos multiplicare cogat, tria hæc eiusdem nominis, & cognationis capita; cum reipsâ constet, primâ mundi ætate; vixisse multos homines, suprà annos nongentos; & suprà ducentos, trecentosque genuisse: & cum improbabile rursus non sit; heroicis temporibus, in terrâ Israelitide, vndecumque fæcundâ; ante annos fere ter mille, aliquos viuendo sesquisæculum expleuisse, & post nonagesimum, aut centesimum ætatis annum suscepisse liberos, ex coniuge iuniore; neque eius rei plura desunt exempla, propioribus æuo nostro sæculis, vt confirmant eruditissimi viri Serarius, & Bonfrerius,[f] vbi sacram Ruthæ historiam interpretantur.

Ergò

Quæstio de tribus Boozis.

Reijciuntur qui ternos faciunt Boozos.

Lyranus Catharin. Cornel Iāsen. episc. Gand. Salianus.

a Esd. lib. 1 cap. 7.

b Paralip. lib. 1. cap. 6

c Matth. 1

d Reg. l. 4.

e Paralip. lib. 1. c. 3. v. 11.

f Serar. In cap. 4. lib. Ruth.

Ergò simile quippiam accidisse potuit Boozo, Obedo, Iessæ; vt priori vnius multiplicatione reiectâ, Matthæi testimonium sartum tectumque seruemus.

LIV. Obedus ex Boozo, & Ruthâ natus, ingentem, vt diximus, populo lætitiam attulit, & Noëmin vetulam, Ruthæ socrum, incredibili hilaritate perfudit; ideòque inter mulierum gratulantium plausus, susceptum illa puerum sinu fouit, & gerulæ fungebatur officio. Aiunt à seruitute, & operâ, Obedo nomen impositum; siue quòd notaret populi seruitutem; siue quòd Noëmin in spem erexerat, subsidij in extremâ senectute parandi. Postquam is ad maturam peruenit ætatem, filium habuit, cui Iessæ, vel Isai nomen; eum nempe virum, quem numerosæ prolis parentem, & maximè gloriosum omnes agnoscunt; quoniam per huius ille progeniem, non modo vidit in suis posteris regnum Israëlis diuinitus stabilitum, sed etiam magnam Virginem, Deique filium terris dedit.

Obedus; eiusque laus.

Iesse.

LV. Itaque Dauid, patre Iesse prognatus, adolescens in agro, pascendis gregibus regiæ vitæ tyrocinium posuit; pastorale pedum permutaturus in sceptrum, vltimus fratrum ab ouili, in Regiam transijt, Dei iussu inungendus in Regem. Cum puer esset, visus est vir, assuetus iam tum per ludum sternere leones, & vrsos, vt gigantum internecioni proluderet. Rex constitutus [a], mansuetudine fuit ergà inimicos eximiâ, quâ infensum sibi Saulem perpetuò vicit. Hostibus, qui Dei populum scindebant in partes, feliciter debellatis, Hierosolymæ arcem vi cepit, munitamque Dauidis vrbem dixit; vbi Deo, & sibi, sedem domiciliumque molitus, incredibili apparatu, ac lætitiâ, sacrum Tabernaculum, & Arcam fœderis statuit. Sed oculorum neglectâ custodiâ, mentis & morum integritatem repente corrupit, prius in adulterij scelus, mox in homicidium lapsus, ad imbecillitatis humanæ documentum. Inde geminum flagitium reprehendente Nathâ Prophetâ, se reum agnouit, lacrymisque animi maculas eluit; neque tamen vinus vacauit à pœna; nam post oblatum vxori Vriæ stuprum; virumque innocentem neci traditum, ipsemet ab Absalone filio, regno pulsus, in vxoribus suis id probri accepit, quod coniugi intulerat alienæ. Conciliato autem sibi Numine per demissionem, & pœnitentiam, ab Absalone acie victo, regnum recepit. Susceptum denique ex Bethsabeâ coniuge, puerum Salomonem, non sine diuino consilio, regni reliquit hæredem, cum ante cæle-

Dauid eiusque res gestæ.

a Reg. l. 2. Ioseph. l. 1.

sti

sti monitu didicisset; amplificatâ per filios stirpe regiâ, semet expectati Liberatoris, matrisque Virginis patrem peculiari titulo nuncupandum. Atque hîc primam geneseon tessaradecadem absoluit Euangelista.

Salomon, eiusque res gestæ.

LVI. Ergo Salomon ad Hebræorum regnum euectus, proximè Dauidi parenti successit, Rex à Saule tertius, acceptâ diuinitus Sapientiâ, & bonorum omnium affluentiâ memorandus. [a] Destinatum à Dauide templum magnificentissimè exædificauit, instruxitque, annorum propè tribus millibus post orbem conditum euolutis; cuius templi tum molem, exhaustæ propemodum orbis terrarum opes, tum dedicationem plurimæ victimarum chiliades immolatæ, spectabiliorem fecerunt. Egregiam Sapientiæ famam, regnique decora spectatissima, non modò mirati sunt, sed donis etiam coluerunt externi Reges, & præcipuè commemorata, in sacris litteris, Saba Regina (Nicaulam Iosephus [b] appellat) quæ è felicis Arabiæ finibus profecta ad Salomonem fertur. Hæc studio videndi, alloquendique Regis exarsit; iter difficile, ac longum suscepit, relictis cum imperij sede grauissimis regni curis, atque obstupescere penitus visa est; cum sedentem illum in aureo eburneoque solio aspexit; cum iura dantem audiuit coram; cum regiæ amplitudinem domus, aulicorum splendorem, ac nobilitatem, augustissimi delubri formam, opes, sanctitatem, stata sacrificia, ritus, hierurgias, propè à sensibus abstracta spectauit, cum denique exclamando detulit tantæ dignitati debitum, sapientiæque præconium. Sed res nimium secundæ maiestatem hanc plusquam regiam perdiderunt; nam tandem otij & bonorum abundantia talem virum sui dissimillimum fecit, sapientiam in amentiam vertente luxurie; adeò vt Rex [c] cæteroqui sapientissimus, muliercularum suasu, semet ad Deorum cultum abiecerit, aris quidem, ac templis dicatis. Cum regni clauo sapienter tractando vacauit, perpetuam Palæstinæ pacem, rerumque omnium peperit copiam: sed cum amando, sapere desijt; iratus illi Deus, per vatem præsignificauit fore, vt regnum distraheretur. Vaticinium comprobauit euentus, vbi Salomon cessit è vitâ.

Eiusdem insigne præconium.

Exitus incertus.

a Reg lib. 3

b Ioseph. lib. 8.

c Reg lib. 3

Roboas, eiusque res gestæ.

LVII. Nam Roboas eius filius regni labantis hæres relictus, illicò euertit imperium stultitiâ suâ; cum enim à populo rogaretur, vt, de oneribus à patre impositis remitteret; iusta postulantem reiecit, iniqua iuniorum sequutus consilia, contrà monita seniorum. Hinc in populo exorta seditio

autho-

[a] 3. Reg. c. 12. authore Ieroboâ, cui cum reliquæ Tribus [a] regnum deserrent; Iudæa tantùm & Beniaminia remanserunt in fide, ac Roboæ paruerunt, stirpique Dauidicæ. Sic duo ex vno regna facta, alterum Iudæ seu Hierosolymæ; alterum Israëlis, siue Samariæ dictum est; vtrunque sibi inuicem perpetuis bellis infestum. Ieroboas impiorum Regum antesignanus, qui Samariæ post illum regnarunt, cultor extitit idolorum, eumque Roboas [b] Hierosolymæ æmulatus, auitâ religione contemptâ, aras, statuas, lucos in collibus instituit, vbi ritus execrandi ad multos annos hæserunt. Roboæ tandem mortuo, filius Abias in regno successit, qui vt paternæ impietatis labem elueret, religionis causâ Ieroboæ [c] intulit bellum: at circumuentus hostilibus copijs; cum Dei fidem supplex implorasset, sacerdotalium tubarum clangore, & Iudæi clamore exercitus, perculit Israëlitas adeò, vt effusâ fugâ palantes cæderet, atque ad quinquaginta millia neci daret. Regni demum exacto triennio, excedens è vitâ Asæ filio sceptrum reliquit. Is pietatis amans Hierosolymam expiauit [d], fœdissimis simulacris exustis, temploque ad religionis magnificentiam adornato; hostium quidem victor, cum votis diuinam opem expetijt, cum verò ad humanam confugit, neque Hananum Prophetam passus est Dei verbis obiurgantem, imò conijci in vincula iussit, haud dubiâ Numinis irâ, cuius opem neglexerat, pedibus æger, interijt.

Regna Iudæ, & Israëlis.

[b] 3. Reg. c. 14.

Abias, eiusq; res gestæ.

[c] 3. Reg. Paralib. 2.

Asa, eiusque res gestæ.

[d] Ibid.

LVIII. Regnauit post illum filius Iosaphatus [e], à Dauide sextus, pietate alter Dauid, qui cum lucos succidisset, & colles expiasset, suæ ditionis homines erudiendos curauit, per asseclarum primores, vnà cum sacerdotibus oppidatim dimissos; quare hostes sibi finitimos conciliauit adeò, vt missis vltrò muneribus, sponte fierent vectigales. Societatem inijt cum Achabo Samariæ Rege, iunxitque pariter affinitatem: mox initâ in Syros pugnâ, cecidisset vtique, nisi cæleste auxilium implorasset; nam Dei tectus præsidio, auersis aliò hostibus, euasit incolumis. Achabus belli socius, alieno vestitu prælium aggressus, sagittâ transfixus occubuit. Iterum à Syris, ac Moabitis, Iosaphatus bello appetitus, ieiunio & supplicatione propitium sibi Numen reddit; & hostibus occurrens, cum pueris symphoniacis, diuinas laudes concinentibus; illos repente mutuis sese inuicem vulneribus conficientes videt. Denique moriens Ioramum filium hæredem regni, iurisque reliquit.

[e] Ibidem.

Iosaphatus, eiusque elogium.

LIX. Hic autem Iudææ Rex, à Dauide septimus, &

Ioramus, eiusque res gestæ.

Achabi Regis gener, socerum magis impium, quam pium partem est imitatus, atque in scelera consensit cum Athaliâ vxore, dignâ quidem filiâ natalibus suis, & vtroque parente Achabo, ac Iezabele, vt [a] enim solus, atque securus regnaret, fratres omnes de medio sustulit; sed breui Deum [b] sceleris sensit vltorem, subitam populorum seditionem, ac rebellionem passus; à Philistæorum, atque Arabum exercitu, Iudææ depopulationem, vrbis Hierosolymæ domusque regiæ direptionem; & filiorum omnium captiuitatem, vno dempto Ochoziâ natu minimo. Tandem insanabili alui morbo, per quem vel intestina egereret, miserrimè consumptus est, elatusque sine exequiarum, & regij sepulcri pompâ.

a Reg. lib. 4.

b Ioseph. lib. 9.

* Ochozias, à S. Matthæo omissus.

LX. Superstes ex illo solus Ochozias [c] potitus est Hierosolymæ regno, impius vtique non ex paternâ tantum Iorami disciplinâ, sed ex maternâ etiam Athaliæ. Illum vix vno regni anno elapso, Iehus Samariæ Rex, Elisei iussu consecratus, appellatusque palam ab exercitu, vt Achabi stirpem funditus deleret, interfecit, Iezabele eius auiâ, ex alto fenestræ fastigio præcipitatâ, & canibus, vt deuoraretur, obiectâ. Athalia verò Ochoziæ mater, vt Hierosolymæ dominatum occuparet, nefarijs religionibus in vrbem, templumque inductis, stirpem regiam interficiendam curauit. Sed Ioiadas Pontifex Ochoziæ affinis, Ioam eius filium septennem à cæde seruatum, atque in templo ipso altum, educatumque, exercitu ac populo acclamante in regiâ collocauit sede, Athaliâ interemptâ, & Hierosolymâ expiatâ. Ergò Ioas [d] Iudæorum Rex constitutus, Ioiadâ superstite, ac magistro bonus fuit; templum ab Athaliâ spoliatum, direptumque, collectitiâ pecuniâ instaurauit, ornauitque: cum verò Ioiadas è viuis excessit, ab eius disciplinâ degenerans, Principum adulationibus se deprauandum permisit, & nefariam Deorum religionem sequutus est. Quare eo Rege, Iudæa regio à non magnâ Syrorum manu vastata est; regni primores ad vnum occisi; Rex ipse captiuus primùm, auro omni, tum sacro, tum prophano sese redemit; deinde à suis necatus est; regnumque ad Amasiam eius filium successionis iure peruenit. Hic autem ad omnem Idumæam circumquaque debellandam [e], Israëlitarum centum millibus conductis, cum Dei verbis à Prophetâ moneretur, vti diuinâ magis ope, quam militum multitudine fretus, mitteret stipendiarios; illicò monitis paruit; iniroque cum hostibus prælio, victoriam ac prædam ingentem reportauit. Sed sua victorem perdidit præda, in quâ Deorum simulacra cum inue-

c Reg. lib. 4.

* Ioas à S. Matthæo omissus.

d Reg. lib. 4

* Amasias à S. Matthæo omissus.

e Ibidem.

inuenisset, colere ac venerari demens cepit, & surdis respuens auribus, obiurgantis Prophetæ vocem; ab Ioa Rege Samariæ, quem temerè lacessierat, amisso exercitu captus est; atque etiam post dirutos Hierosolymæ muros, templumque direptum, interemptus à suis.

LXI. Hosce tres Reges Ochoziam, Ioam, Amasiam, prætermissos esse à Matthæo constat in serie progenitorum Christi, ac Deiparæ, licet ratione natalium ab illâ non sint exclusi. Dicitur enim Ioramus genuisse Oziam, qui tamen non proximè tanquam à patre filius, sed tribus intermedijs, proauo, auo, patre tanquam ex abauo, abnepos genitus intelligi debet; id autem non per errorem, aut incuriam, sed studiosè, nec sine diuino nutu, ab Euangelistâ factum censent cum S. Hieronymo interpretes sacri. At non omnes conueniunt, in inuestigando tam alti silentij consilio; alijque aliam causam afferunt, cur ij sint in Iudææ Regum recensione præteriti, quos è sacris libris[a] regnasse inter cæteros constat, atque in catalogo Christi progenitorum contineri. Dicunt aliqui, fuisse obliuione mulctatos, in pænam grauissimorum scelerum, initæque cum Achabi domo Deo inuisi affinitatis. Sed eorum nullus inter Iudææ Reges pessimus fuit; cum Salomon, Achas, Amon, alijque idololatriæ sceleribus perditi, multò deteriores sint habiti, qui nihilominus in genealogiâ Saluatoris locum tuentur apud Matthæum; & initum cum Achabi domo connubium, maximè ad Ioramum pertinuit, qui vxorem habuit Athaliam ipsius Achabi filiam, nec tamen est expunctus. Quæ verò ad nodum soluendum afferunt Abulensis, & Maldonatus, tantorum virorum pace dictum sit, difficultate non carent; nam alter illam trium nominum suppressionem, ad mysterium refert numeri quatuordenarij, quod anxiè sequutus Euangelista, tres Reges in secundâ tessaradecade redundantes deleuit: & alter silentij causam accersit à comminatione Eliæ, Achabo intentatâ[b]; *inducam super te malum, & demetam posteriora tua:* vbi denunciat Deus sacri vatis ore, se omnem posteritatem Achabi penitus deleturum. Atqui illud in primis numeri memorati mysterium, tanti non est, vt destruere debeat sacræ historiæ fidem: deinde quî potest seuerissimæ sententiæ interpretatio tam clemens admitti; vt posteriora demetere, & funditus delere, nil aliud sit, quàm tanto post tempore, nomina eorum in publicâ recensione fuisse suppressa. Omnium maximè mihi videntur rem acu tetigisse, qui scribunt[c]; ideò expandendâ Christi genea-

Cur Matthæus in serie progenitorum Christi, ac Deiparæ, hos tres omiserit.

Prior ratio.

Altera.

Tertia verior.

a Ex lib. Reg.

b Reg. lib 3 cap. 2. v. 21

c Possini in Tract. de Genealog. Chr.

H 2

genealogiâ, Ochoziam, Ioam, Amasiam prætermissos à Matthæo fuisse; quia in sacris Templi Tabularijs, vbi Tribuum ac familiarum omnium, præsertim Dauidicæ, ac Regiæ, diligentissimè descripta stemmata seruabantur, tres isti Reges fuerant suis locis deleti, eâ fortasse de causâ, quòd in sacra omnium pessimè deliquissent, ideoque eradendam scelestorum principum è sacris libris memoriam, diuino instinctu Pontifices iudicassent, expuncto primùm per Ioiadam Ochoziæ nomine, qui suis sceleribus, atque Athaliæ matris, erat infamis; deinde per alios, Ioæ pariter, & Amasiæ, eiusdem originis & farinæ Regum.

Ozias eiusq; res gestæ.

LXII. Amasiæ Ozias [a] filius, ac successor fuit, Rex Hierosolymæ duodecimus, Deoque charus ob singularem Religionem; alio nomine Azarias dictus, domuit Philisthæos, Arabas vicit, & Moabitas stipediarios fecit, aliasque gentes sui nominis terrore concussit. Vrbes multas exædificauit; turres in solitudine, & publicas munitiones extruxit. Sed felix hostium victor superbiâ tandem est victus; quoniam suæ nimium felicitati confisus, Sacerdotale munus inuasit; illudque palàm exercuit, ausus thus ad aram in templo adolere. Sed vltore sceleris Deo, leprâ statim percussus in fronte, eijcitur à Sacerdotibus, submotusque ex hominum cætu, Ioathæ filio sceptrum, regnique administrationem reliquit. Ioathas [b] verò Rex parentis pietatem, non audaciam imitatus, Ammonitis debellatis tributum imposuit. Acham [c] filium, in hanc ipsam seriem illatum, regni fecit hæredem. Verùm hic parenti dissimillimus ab auitâ religione abhorruit, aris ac statuis Baali positis. attamen de Virgine Deiparâ præclarum oraculum, quod suprà commemorauimus, accepit ab Esaiâ; neque obduratam animi peruicaciam idcircò fregit. Itaque ab externis Regibus non vnâ clade vexatus, per insignem dementiam Deos sibi Damascenos placandos censuit, impiâ victimarum immolatione. Acham parentem proximè Ezechias [d] excepit, dissimili genio, ac vitâ filius; cuius singularis pietas à paternis Hierosolymam superstitionibus expiauit, ornato rursus templo, ac cæremonijs restitutis. Eam vrbem cum Sennacheribus [e] Assyriorum Rex obsideret, prædicaretque Hierosolymitanos, à Deo suo liberari non posse, soluendam breui obsidionem vaticinatus est Esaias. Ipse verò Ezechias oraculum impleri vidit contrucidatis in sequenti nocte ab Angelo Assyriorum millibus centum octoginta quinque; quare hostium metu liberatus, grauem in morbum inci-

Ioathas.

Achas.

Ezechias.

a Reg lib. 4

b Ibidem.

c Ibidem.

d Ibidem.

e Ioseph. l. 10.

incidit, quo morbo cum proximam mortem ab Esaiâ denunciatam sentiret, supplex cum lacrymis ad Deum confugit, atque impetratæ valetudinis signum, vmbram decem in horologio lineas regredientem accepit, annis quindecim ad vitam additis. Eo mortuo Manasses [a] filius oppositis planè moribus in Iudæâ regnauit. Aras enim Baali restituit, quas pater abstulerat: liberos igni censuit expiandos; somnijs, augurijsque operam dedit; magicas artes exercuit; innocentium sanguinem fudit; ipsumque Esaiam à Deo nuncium, vatemque sanctissimum ligneâ serrâ dissectum neci dedit. Mox Assyriorum armis oppressus, regnoque spoliatus abducitur Babylonem captiuus, vbi ærumnis quasi expergefactus, scelerum veniam suppliciter à Numine postulauit. Quare diuinitus restitutus in regnum, nuncio superstitioni remisso, vitæque ratione mutatâ, Deum ad mortem vsque coluit piè, sanctèque. Amon [b] deinde eius filius sceptro potitus, cum ex patre primos illos tantum furores imitaretur, atque adeò superaret; domi à famulis trucidatus interijt, anno sui regni secundo.

a Ibidem. b Ibidem.

Manasses. Amon.

LXIII. Iosias [c] Amone progenitus illi successit, vixitque ad regium planè virtutis exemplar; ideò dignus, quem ante trecentos, & amplius annos vaticinia designarint, verus vtique Christi typus, cuius progenitoribus adnumeratur. Is à puero Religionem amplexus, Dei cultum Hierosolymæ reddidit, abrogatis insanis ritibus, expiato, refectoque templo; & popularibus suis ad auitam pietatem reuocatis. Insignem prij Regis virtutem perdidit obfirmata pugnandi voluntas, quâ temerè Ægyptiorum Regi, in Assyrios exercitum ducenti, infestis armis, contrà Dei nutum, ipsiusque regni monitum occurrit: vnde grauiter in prælio saucius, paucis diebus cessit è vitâ, non sine totius populi luctu, & Ieremiæ vatis threnodiâ. Plures Iosiæ superstites liberi, vnus post alium sunt hæreditario iure consequuti, vel vi, regnandi facultatem. Secundò genitus Ioachas, quem alio nomine Sellum appellant, per populi seditionem, cum iniuriâ fratris, regnum affectauit: sed operâ Nechaonis Ægyptiorum Regis in seruitutem abductus, spe, quam conceperat, excidit, vix tribus exactis mensibus, atque in Ægypto exul occubuit ne numeratus quidem inter Reges. Tum verò Ioacimus maior natu, sceptrum capessiuit, tenuitque ad annos vndecim, impietate fratri simillimus, dissimillimus patri. Verùm direptâ à Chaldæorum Rege Hierosolymâ, quem mœnibus cum exercitu imprudens acceperat, ab eo iussus est occidi, ac proijci extrà vrbem sine honore

c Ibidem.

Iosias, eiusq; elogium.

Iosiæ filij.

* Ioacimus à S. Matthæo omissus.

honore sepulcri, Hebræorum millibus Babylonem ad seruiendum emandatis. Hic ipse Ioacimus expunctus pariter Sacerdotum iudicio è sacris tabulis, & Regum albo, vt factum tribus Regibus, paulò ante docuimus, prætermissus idcircò creditur à Matthæo. Expunctionis eiusce, atque erasæ de sacris libris memoriæ causam fuisse crediderim, impietatem Ioacimi summam, nefario sacrilegio demonstratam, quo volumen à Ieremiâ [a] sacerdote ac prophetâ dictatum, à Barucho iussu eiusdem exceptum, ac promulgatum, scelestus Rex visum, auditum, & contumeliosissimè spretum, ausus est scalpello scribæ conscindere, & flammis mandatum spectare dum absumeretur. Neque deerant grauiora ad hanc pœnam infligendam crimina, Vriæ prophetæ ex Ægypto reuocati, iniustissima, & crudelissima cædes, ab eodem Rege perpetrata; & deprehensæ post mortem in eius cadauere execrandæ notæ, quæ addictam malo Dæmoni seruitutem, per iniustum eius stigma indicabant. At Iechonias Ioacimi filius, genitus à Iosiâ dicitur, tanquam ab auo nepos, vno intermedio, cum is in auitam successit hæreditatem; quod contigit, post Ioacimi mortem, sub ipsum transmigrationis Babylonicæ apparatum, cui post regnum trimestre miser ipse initium dedit, à Chaldæo in vinculis Babylonem pertractus, vnà cum decem millibus captiuorum, atque exul à patriâ, barbarorum odio redactus in ordinem. Eius loco regnauit Hierosolymæ ex Chaldæi Regis permissu Sedecias, qui fuit Iudææ Regum postremus, Iosiæ & ipse filius; sed vndecimo regni anno, quòd [b] à Rege Babylonis defecisset, orbatus filijs, atque oculis est, ne fortè templi ac Hierosolymæ spectaret incendium, & ciues Babylonem traductos, postquam regnatum in Iudæâ fuisset, annos circiter quingentos à stirpe Dauidicâ. Cum verò dicit Matthæus, Iechoniam & fratres eius à Iosiâ genitos, videtur eos omnes voluisse indicatos, quotquot imminente Babylonicâ transmigratione regnarunt, vt dictum est. Atque hæc est altera classis denarum & quaternarum generationum, quarum meminit Euangelista. Interim Iechonias Babylonicâ captiuitate detentus (alio nomine Ioachinum vocant) sicuti vnicum fuit, inter calamitates, Iudæorum nationi solatium, quòd promissum Abrahamo, ac Dauidi Messiam, ex illius posteris nasciturum sperabant; ità mors filiorum præpropera, si quos habuit, & ipse quoque liberis orbus decedens, summo populum dolore affecit, atque vt vana sperantem ludibrijs obiecit exterorum. Et sanè mortuum esse sine liberis, probat terribilis illa

Marginalia:
a *Ierem. c. 36. v. 23.*
Iechonias, eiusque successus.
Misera regni Iudæorum conditio.
b *Ioseph. lib. 10.*
Definit in Iechonia Salomonidarũ Stirps.

Ierem. 22. v. 30. illa comminatio facta per Ieremiam? *Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem*, & infrà: *nec enim erit de semine eius vir qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltrà in Iuda*. Quod oraculum impletum oportuit, deficiente Salomonidarum stirpe, ad interitum Iechoniæ, qui vnicus eius surculus in viuis remanserat; ideoque substitutum, ac deuolutum est hæreditarium ius ad alterum Dauidici stemmatis ramum, Nathanis nempe posterorum, qui alter fuit Dauidis ex Bethsabeâ filius, vt illi re ipsâ, ex hac etiam parte continuâ serie ad Christi ortum pertingentes, fidem Dei ergà Dauidem liberarent. Itaque cum expressè dicitur à Matthæo, genitus post Babylonicam migrationem à Iechoniâ Salathiel, non significatur physica generatio, sed legitima Salathielis successio in iura Iechoniæ, quoniam tum solus ille supererat, è stirpe Dauidicâ, licet ab eâ descenderet non per Salomonidas, sed per Nathanidas. Nam gignendi verbum ex vsu Hebræorum in genealogijs describendis, importat quidem naturalem procreationem, sed coniunctam cum propagatione iuris hæreditarij, cuius transmissio spectatur potissimum ab ijs, qui familiarum origines quærunt, expanduntque. Si quando autem ista separantur, & fortè propagatio iuris illius, non descendit naturali ordine à patre ad filium, sed ad collateralem deflectit aliquem; tunc retinent nihilominus Hebræi idem gignendi verbum, ordinem successionis dumtaxat significans, non physicam procreationem. Exemplum habemus haud dubium, in Sedeciâ Iosiæ filio, & postremo Iudæorum Rege; cuius precarius principatus, captam Hierosolymam, excisum incensumque templum, populi captiuitatem, & reliquam malorum Iliadem tulit. Hic Iechoniæ patruus in Regum [a] historiâ ponitur, & tamen in genealogico Paralipomenon [b] libro, filius dicitur, quia ei successit. Hunc locum egregiè confirmatum permultis habes apud [c] Posinum, cuius nos diligentiâ, & authoritate deprehendimus, ex duabus & quadraginta generationibus, quas in triplicem tessaradecadem Matthæus distribuit, plures esse non à naturali exortu, sed à legitimâ in ius successione desumptas, licet omnes efferantur eodem gignendi vocabulo: sicuti morem esse apud Hebræos diximus; & clarè constat in Oziâ, qui genitus fertur à Ioramo eius proauo, atque in Salathiele Neri Nathanidæ filio, si naturam spectes, & Iechoniæ Salamonidæ, si ordinem successionis. Interim admirandi causa nulla supererit; si dicatur Matthæus, hebraicè Hebræis Euangelicam scribens historiam,

Ius hæreditarium deuoluitur ad posteros Nathanis, alterius Dauidis filij.

a 4. Reg. c. 24. v. 15.
b Lib. 1. Paral. c. 3. v. 16.
c Opere suprà laudato.

ſtoriam, iure ac more Hebræorum, Tabulas genealogicas expandentium; ipſum gignendi verbum, vt diximus, licentiùs vſurpaſſe.

Salathiel deſcendens à Dauide per Nathanem.

LXIV. Ergò Salathiel ex Nathanis ſerie, Iachoniæ Salomonidarum vltimo, ſucceſſor ad ius hæreditarium inſtitutus, poſt Babylonicam migrationem, in nouo, minuſque felici Iudæorum ſtatu, ſeriem ſucceſſionum continuat ad Chriſtum, & Deiparam pertinentium; eiuſque pariter filij ac nepotes, Abrahamum & Dauidem, vnde erant, deinceps repræſentantes, interuallo ſexcentorum circiter annorum, lineam duxerunt, ad exortum vſque mundi Liberatorem. At genealogicus Paralipomenon liber, dum ex Hebræo textu ſcribit: [a] *Filij Iechoniæ Aſir, Salathiel filius eius*: ità quidem, vt hic ſit filius Aſiris, & Aſir Iechoniæ, hoc eſt, ambo legitimi tantùm ſucceſsionis hæredes, nobis non contradicit. Nam contingere potuit; mortuo apud Babylonem ſine liberis Iechoniâ, nulloque prorſus ſuperſtite è Salomonidarum ſtirpe, perueniſſe ſucceſsionem ad proximum Dauidici ſtemmatis ramum, qui Nathanis poſteros continebat: cum verò genus ab hoc rectâ ſerie duceret Salathiel filius Neri iam mortui, non continuò eum accepiſſe hæreditatem, Aſire patruo viuente, patris ſui fratre; hunc autem breui ſine liberis decedentem, Salathieli ius hæreditarium reliquiſſe, id quod accidit etiam Sedeciæ, vt dictum eſt.

a *lib.1.Par. c.3.v.17.*

Zorobabel, eiuſque res geſtæ.

LXV. At ille in Iudaico populo princeps magnum à Zorobabele filio ſplendorem accepit, optimo ac laudatiſsimo inter Iudæos duce, cuius appellationem meritò ſortitus eſt, ſiue quia author fuit exædificandi delubri, ac reſtituendæ Religionis; ſiue quia reduxit in patriam extorres diu ſuos: nam ſtatim atque Babylone potitus eſt Cyrus Perſarum Rex, cum intellexiſſet mirum Eſaiæ [b] vatis oraculum, quo non ſubobſcurè ſed apertè, expreſſo Cyri nomine, ante annos ducentos, & ampliùs declarabatur futurus vindex Hebraicæ libertatis, attonitus dicto, & redeundi facultatem dedit, & extruendi templi. Quamobrem ea natio excuſſo tandem diutinæ ſeruitutis iugo, poſt annos ſeptuaginta, Hieroſolymam Zorobabele duce repetijt, amiſſamque libertatem recuperauit, templo ad Dei cultum, & ſacris reſtitutis. Hunc cenſent aliqui eundem cum illo, qui ſcribitur libro Paralipomenon [c] ſuprà laudato, ortus de Phadaiâ, quod ſuſpicari veroſimiliter malunt, quàm duos Zorobabeles agnoſcere, Salathielis alterum, alterum Phadaiæ, filios: cur enim noſter hic in ſacris litteris celeberrimus,

b *Eſai. cap 45.*

c *Paral.li. c.3. v.19.*

mus, nusquam nisi adiuncto Salathielis parentis nomine memoratus, eo libro genealogico, vbi vel obscurissima capita recensentur, omissus dicatur? an fieri fortè non potuit, vt Phadaia Salathielis primogenitus fuerit, Zorobabelis frater, aliquandiu patri superstes in possessione hæreditatis, quam postea sine liberis moriens minori natu fratri Zorobabeli transmiserit; qui propterea ortus ex eo, eiusque dicatur filius, vt Sedecias Iechoniæ; quia illi suo iure successit?

LXVI. At verò sicut in Salathiele huius parente, duo collecti sunt stirpis Dauidicæ rami; ità in ipso Zorobabele rursus diuiduntur, atque alterum suo ordine Matthæus, suo alterum Lucas prosequitur. Sed licet ille Abiudem Zorobabeli filium dederit, hic Resam; nihil tamen, aut inuicem repugnans, aut falsum scripsisse putandi sunt; quoniam vtrunque Zorobabel genuit, sui generis propagatorem. Verùm primogenitus Abiudes, nascendi prærogatiuâ secum traxit in florentem numerosamque familiam, hæreditaria iura, ad felicitatem promissam diuinitus Abrahamo, & Dauidi; habuitque filium & successorem Eliacimum: rursus ab hoc Azor est editus; atque ex eâdem lineâ sibi inuicem iure natalium successerunt, Azori Sadochus, Achimus Sadocho, Achimo Eliudes, Eleazar Eliudi, Eleazari Mathanus, Mathano Iacobus, de quibus, præter sola nomina, nihil comperies in sacris litteris, quod faciat ad hanc recensionem generis illustrandam.

Abiudes. Eliacimus. Azor. Sadochus. Achimus. Eliudes. Elezar. Mathanus. Iacobus.

LXVII. In Iacobo, qui sine liberis decessit, Abiudis progenies desijt; ideoque hæres mortuo fuit, Iosephus filius Helis, genus rectâ serie ducentis ex Resâ, secundo Zorobabelis filio; quem Iosephum, Mariæ semper Virginis Sponsum, genitum à Iacobo scribit in genealogiâ Matthæus, tertium à Christo, computatâ Mariâ; genitum, inquam, eo quem declarauimus sensu, cum esset de Salathielis patre sermo. Et quoniam perdifficilis sanè locus est, in quo versamur; ex eo non recedamus, nisi prius ad mentem eruditorum, singula in bono lumine collocentur. Cum Euangelistæ Matthæus & Lucas, ille à Iacobo genitum Iosephum asserat, hic Helis filium fuisse affirmet; necesse omninò videtur, ad sacros Historicos conciliandos, dicere: ex istis duobus patrem alterum naturalem, alterum legitimum, atque adoptiuum extitisse. Vtri verò patris appellatio ex naturâ competat, vtri ex lege, id enimuerò inuestigandum, ac definiendum est. Rem prior decidit apud [a] Eusebium Iulius Africanus [b], chronologus peranti-quus, qui tertio à fundatâ salute sæculo floruit. Dicit hic, sibi

Iosephus Deiparæ Sponsus.

Quomodo concilientur Euangelistæ ex Iulij Africani sententia

a Euse. Eccles. hist. lib. 1. cap. 7. b Iul. Afr. epist. fragm. ad Aristid.

ſibi teſtimonio Iudæorum, qui Chriſti conſanguinitatem iactabant, compertum eſſe, mulierem vnam (Eſtha vocabatur) nuptam Mathani Salomonidæ, & Melchio Nathanidæ, alteri poſt alterum, collegiſſe exerrantes diu Dauidici ſtemmatis ramos; atque ex Mathane peperiſſe Iacobum, ex Melchio Helim. His autem duobus, ex eodem tantùm vtero fratribus, diuerſam fuiſſe in matrimonio ſortem; Helim ſine liberis deceſſiſſe, & Iacobo, qui lege iubente fratris viduam ſibi coniugem adſciuerat, natum eſſe Ioſephum, eius quidem naturâ filium; ſed Heli imputatum ex lege. Sic Iudæorum traditioni plurimum tribuens, nodum ſoluit Africanus, quem ſpecioſo antiquitatis titulo commendatum, plerique Patrum ſequuti ſunt, non tamen vſque eò, vt citrà dubitationem teſtimonium eius admiſerint, quod nimirum petebatur ex Iudæis, mendacij plerunque ſuſpectis, vbi de Chriſto loquuntur. Imò non ignobilis author [a] in hanc ſententiam inclinat; Patres grauioribus curis intentos, reliquiſſe quæſtionem non omninò expeditam, & adhuc ſub iudice litem; ne occaſio deſit poſterorum ingenijs vltrà quærendi. Nobis interim præ cæteris audiendus eſſe videtur Ambroſius; qui proditum fuiſſe aſſerit à Matthæo, Ioſephi patrem, non naturâ, ſed adoptione Iacobum, & à Lucâ verum & naturalem Helim; contrà id quod ſcriptum reliquit Africanus: cum aliunde ductâ ratiocinatione poſſit oſtendi; texere Matthæum Chriſti genealogiam, per ſeriem quidem progenitorum; ſed qui in hæreditate cernendâ ſibi inuicem legitimi fuerint ſucceſſores; licet phyſica, aut proxima non interceſſerit generatio; qualem fateamur neceſſe eſt; non interceſsiſſe Ioramo, & Oziæ; Ioſiæ & Iechoniæ; & rurſus Iechoniæ, & Salathieli, vt ſuprà docuimus. Item, quod ratiocinationi vim addit, animaduerſum eſt: Ezechiam, qui ponitur à Matthæo, Achæ filius, & in regno ſucceſſor, gigni ab illo propriè non potuiſſe. Quoniam Ioathami filius Achas, vt Regum [b] narrat hiſtoria, anno ſuæ vitæ vigeſimo regnare cepit, ſtatim à patris morte; & ſedecim regnum annis tenuit; ſexto ac trigeſimo ætatis mortuus. Cum verò dicatur [c] ibidem, Ezechias annos natus viginti quinque regnum iniuiſſe, ſi demas hunc numerum de ſex illis ac triginta, quibus vixit Achas, admittere cogeris; ex decenni etiamnum puerulo, conceptum Ezechiam, quod omninò reſpuit ipſa natura: vnde optimè conficitur; non fuiſſe verum ac naturalem Achæ filium Ezechiam; ſed illo fortaſſe ſine liberis mortuo, proximum regij principis ſanguinem ritu generis, & iure recepto

Potior Ambroſij de eadem cõciliatione ſententia.

Confirmatur Ambroſij ſẽtentia.

a *Petrus Poſſinus.*

b *L. 4. Reg. cap. 16.*

c *Lib. 4. Regũ c. 18.*

a Tractatu suprà laudato.

cepto successisse. Cæterùm Posiinus [a] ostendit; in illo Matthæi syllabo decessorum filios dici, qui sunt legitimi successores in hæreditate cernendâ, quocumque agnationis attinentes gradu. Igitur esto compertum: non omnes, quos in Christi progenitoribus Matthæus recenset, tales dictos esse naturâ; sed aliquos iure tantùm legitimæ successionis; id quod Ioseph etiam Virginis sponso contigit; cum verus cæteroqui filius Helis, imputatus tamen sit Iacobo, cui successit, vt hæres, ex cognatione paternâ proximus, ab ipsâ lege vocatus. Atque hic promissam Abrahamo & Dauidi felicitatem, Dei nempe filium ex eorùm progenie natum, videre promeruit, ab ambobus descendens; ipsumque Iesum Christum, bonorum omnium fontem, adultâ eius ætate moriens, hæredem habuit; qui tamen Iesus, hæreditarium illud ius ad diuinas promissiones, trahebat ex sese, non vtique ducebat ab alijs.

Maria Deipara.

LXVIII. Iam verò per Iosephum transeamus ad eius sponsam Mariam, Dei genitricem, semperque Virginem, cui potissimum nostra seruit historia. Matthæus illam à Christi progenitorum serie non excludens, post Iosephum, tanquam eius virum, proximè nominat: neque mirandum est; si præter morem in Christi genealogiâ locum obtinet suum mulier, quæ suprà naturæ vires peperit Virgo; & sola sine viri consortio generis humani vindicem enixa, ad hunc partum omnia contulit, vicem & vim præstans vtriusque parentis. Æquum profectò videtur, mulierum quandoque nomina, & progenitores genealogijs recenseri, modò illæ, insigne aliquod facinus ediderint solæ, neque cum viris id habuerint vllo pacto commune: ità Sancti Spiritus istinctu, Iudithæ [b] genealogia prolixè texitur in suâ historiâ; quoniam Holophernis cædes, & Bethuliæ liberatio, nullo æuo tacenda, illi soli debetur; nec partem laudis in hac victoriâ vindicauit sibi, aut vir eius Manasses, qui triennio antè è viuis excesserat; aut pater, patruusque, aut cognatorum vllus, quod sciatur; aut Sacerdotes, Magistratusque ciuitatis, quorum potius consilia deditionem, ac seruitutem meditantia, virilis mulier emendauit. Multò magis in Christi conceptu, qui toti mundo venerabilis, ac salutaris fuit, propriam sibi post Deum laudem, Mariæ mater asciuit, & quidem totam; cum Iosephus vir eius, particeps illius non fuerit; sicuti nec Manasses partem habuit in Iudithæ facinore: ideò genealogiæ honorem, & locum vtraque potuit promereri, & Deipara suprà viros præcipuum. At enim si Iesu Christi, quem ex Mariâ solâ de Spiritu sancto

Quē locum obtineat in genealogia per Matthæū expansa.

b Iudith. cap. 8.

Texitur in sacris litteris genealogia Iudithæ.

Cur Christi genealogia ducatur ad Iosephum.

conceptum firmiter credimus, recensentur progenitores; quorsum eius genealogia ducitur rectâ serie ad Iosephum, qui sponsus cum esset Virginis matris, ad Christum ex hac parte non attinebat? Hanc dubitationem mouebant Hæreticorum nonnulli, in sacrarum candore litterarum, prauo animo næuum quærentes, & ipsam figentes obelo veritatem. Imò Iulianus Cæsar Christianæ desertor Religionis, Euangelistas duos Matthæum, & Lucam, temerè impudenterque damnabat, vt in suâ historiâ sibimetipsis contrarios. Sed optimè responderunt sacri Doctores, sinceriùs veritati studentes; nec sibi sanctos Historicos contradicere, nec genealogiâ Christi texendâ, aliquid non consonum, & opportunum afferre; sed nostræ imputandum imperitiæ, nostrisque tenebris, quòd componere, & illustrare vtriusque testimonium nequeamus. Asserunt antiqui Patres, subscribentibus recentis æui scriptoribus, vnam Tribum, cognationem eandem, & familiam vnam Dauidicam, Mariæ & Iosepho fuisse, ideòque ambos referri, ad eosdem progenitores. Adde [a] illos sese inuicem ità ad consanguinitatem habuisse; vt omnes prorsus Iosephi maiores, fuerint quoque Mariæ, minus tamen proximè, vno tantum gradu; & cum in Christi genealogiâ vir Mariæ Iosephus dicitur, designari ait, virum necessitate legis, ex proximâ cognatione desumptum, qui fermè patruus, aut patruelis foret eius puellæ. Itaque Christi genesim, quæ nonnisi ex Mariâ proximè ducebatur, atque ex hoc capite matris quoque progenitores comprehendebat; ad Iosephum pariter, vt proximum suæ sponsæ agnatum, relatam oportuit; quo cùm illa in auis, proauis, atauis, cæterisque sursum versus conueniebat, gradu semper magis mediato. Equidem vix adduci possum, vt credam; Mariæ patruelem fuisse Iosephum, quod plures existimant: arcet me ab hac sententiâ, cum eius senectus, quam Patres memorant, tum illa præcipuè ratio; quòd alioquin in serie genealogicâ Iosephus respectu Mariæ, superiorem gradum non constitueret, id quod necessarium planè videtur ad Matthæi mentem, alterum alteri præponentis. Vt rem absoluamus; fatendum necessariò videtur; ortam esse B. Mariam etiam ex ipso Iosephi patre, qui inter Christi maiores ab vtroque Euangelistâ numeratur. Is autem pater cum duplex memoretur, à Matthæo quidem Iacobus, à Lucâ verò Helis, prior eatenus dictus est pater, quòd in ipso Iacobo deficiens diuinarum promissionum hæreditas, de Zorobabele per Abiudem primogenitum deducta, in Resæ minoris filij posteritatem;

Iosephus Mariæ sponsus necessitate legis ex proxima cognatione desumptus.

[a] *Possinus Tract. suprà laudato.*

cuius

cuius caput Iosephus tunc erat, legitimè propagata est. Quomodo autem B. Maria dici possit Iacobi filia, his verbis explicat Petrus Possinus [a]: *Existimo,* inquit, *Helim familiæ Dauidicæ ex Resa descendentis caput, duos reliquisse filios, Ioachimum primogenitum, alterum Iosephum. Ex his prior longa ætate in sterili coniugio transacta, tandem diuinitus in senectute Mariam genuit, Iosepho in cælibatu perdurante. Ante adultam Mariæ ætatem Ioachimus moritur. Iosephus eius frater, quamquam permanens in cælibatus proposito iam senex, lege ac consuetudine cogitur pupillæ neptis curam sumere, eamque sibi despondere. Interim moritur Iacobus, & hæreditas benedictionum ad Resæ domum transit. Et in Iosepho quidem acquiescit, sed non solo. Cum enim is nec haberet, nec speraret ex se liberos, ius istud omne posteros fratris eius mortui spectabat. Atque ità Maria, partem quoque suam creuit hæreditatis huius, aut potius solidam eam traxit: & consequenter verè dici potuit filia Iacobi, eodem modo quo Iosephus eiusdem filius dictus est à Matthæo. Unde vtrumque Iosephi patrem, naturalem Helim, & adoptiuum Iacobum, æque B. Maria in maioribus suis habuit, illum quidem titulo naturalis aui, hunc verò quasi titulo aui adoptiui; quoniam medio Iosepho (qui Patris loco pupillæ Mariæ fuit) hæreditatem benedictionum à Iacobo eodem Maria traxit.* Cæterum coniugia neptis cum patruo, vsitata comperies in Iudaico populo, lege præsertim iubente, pupillam parentibus orbam, nec fratres habentem vllos, tradi in matrimonium proximo agnato, ne domo exiret hæreditas, in quam illa sola vocabatur. Exemplum habes, ne plura congerantur, in Abrahamo Hebræorum generis authore, eiusque fratre Nachore, qui pupillas virgines ab Arane ipsorum fratre relictas, Saram & Melcham, curandas susceperunt. Id ipsum Iosepho contigisse, nullum erit incommodum suspicari, quod existimauit etiam, Ioannes Bessonus [b] eruditissimis ad Cantica Canticorum lucubrationibus; nam cum ille consenuisset in proposito seruandæ virginitatis, ex præscripto legis, iussus est à Sacerdotibus, sibi despondere Mariam, vnicam ex defuncto fratre neptem, eiusque curam sumere. Sic Deo viam parante, Messiæ ex Virgine Dauidicâ nasciturо, sub custodiâ, ac tutelâ Iosephi. At nos in Christo Mariæ semper Virginis filio, clausam videmus tertiam tessaradecadem genealogiæ à Matthæo propositæ, in quâ Mariam eandem diximus computatam.

Explicatur Iosephi cognatio.

Coniugia neptis cum patruo in Iudaico populo vsitata.

[a] Possin. tract. suprà laudato.

[b] Io: Besso. in Cant.

LXIX. Hanc Christi, ac Deiparæ progenitorum seriem S. Matthæus, Hebræis petissimum scribens, explicuit, seruato,

Christi genealogia ex Euang. S. Lucæ.

Christi Geneologia ex Euang. S. Lucæ.

seruato, vt vidimus, Hebræorum more; ad alteram nunc accedimus Gentibus à S. Luca descriptam, quam suprà innuimus, & nunc confirmamus; ab Euangelista Apostoli Gentium adiutore, & comite, in earum maximè vsum fuisse concinnatam; & sanè, cum à Matthæo editum Euangelium extaret, rationibus Iudæorum accommodatum, ipsorumque proposi-tum idiomate, quibus [a] prædicari prius oportebat; quis neget eo consilio scripsisse Lucam; vt Græcis Ethnicis, ad Christi partes accedentibus deseruiret, facilèque ab illis caperetur? idcircò verosimile non videtur; ducere in suo Euangelio voluisse Christi genealogiam ad obseruationem gentibus ignotissimam Iudaicæ legis, & legalis apud Hebræos receptæ successionis; & non potius veros, ac naturales Patres exponere, quod Ethnicorum captui magis erat oportunum. Præterea, ex modo ipso, atque contextu operis, non in Dauide, non in Abrahamo quiescientis, sed ad Adamum vsque, atque eius authorem pertingentis Deum, haud obscurè colligitur; meram attendi naturalem viam, quâ Gentium æquè, ac Iudæorum natio, eodem ex fonte ortum trahebant, nimirum ex ipso rerum omnium effectore Deo, & primo propagatore generis homine. Imò primam illam seriem Patriarcharum, vnde aucta est humana progenies, ab Adamo protoparente, vsque ad Abrahamum credentium patrem, ex industriâ exposuisse videtur Euangelista; quoniam communes ij fuere Græcis authores, & Iudæis: fortè significans, duorum populorum non æternum fore discrimen, atque diuortium, aliquando tandem à Christo generis vniuersi vindice tollendum. Denique non abs re S. Lucas exposuit Christi, & Mariæ prosapiam, per ascensum ab vltimis vtriusque progenitoribus, vsque ad Adamum hominum patrem, atque adeò ipsum Deum, Adami, vnàque rerum omnium procreatorem; sicut è contrario Matthæus descendendo eandem duxerat lineam ab Abrahamo vsque ad Iosephum Deiparæ sponsum, proximèque agnatum: cum enim alter Historicus, humanam Christi generationem exorsus, Dei filium è cælo delapsum in terras, inque vterum Virginis, per nobilissimam Auorum, atque Atauorum seriem enarrasset; par erat; vt alter è terris, vteroque Virginis, rursus in Dei sinum inferret.

Scripta ad captum Gentium.

S. Lucas veros, & naturales patres exponit.

Cur Matthæus & Lucas diuersa ratione Christi Genealogiam texãt.

[a] Act. 13. v. 46.

Progenitorum Deiparæ recensio ex Luca.

LXX. Ergò post Deum omnium authorem, suam incipit seriem Lucas, ab Adamo humani generis principe; quem è luto formatum, infusoque animatum spiritu ad nobilis-

bilissimam vitam, ille rerum opifex, condito, ornatoque
mundo præposuit. Amænissimis in hortis diuinâ manu con- *Adamus.*
sitis collocatum, à fælicitate summâ deiecit, in obedientiæ
culpa, per vetitum vnius pomi gustatum. Sed mox afflictum
erexerunt, lacrymæ ex pœnitentiâ vbertim profusæ, at-
que oriturus, ex ipsius posteris Dei filius, captiui generis libe-
rator. Ex Euâ vxore, vt noxæ, sic etiam pœnitentiæ sociâ, Se-
thum ille filium habuit, insignem pietate, Abelis loco suffe-
ctum, quem fratris perfidia ferro perdiderat. Quæ didicit à
parente Sethus, suis posteris non inuidit, ad quos ea transmi- *Sethus.*
sit duabus columnis inscripta; quare non miror, defosso in
Iosaphati valle ante annos ferè trecentos eius sepulcro (si ve-
ra narrant, ex Ioanne Geerbrando Carmelitâ, alijsque, Geor-
a Geor. Colum. Kalendario Mariano 11.15. gius Coluenerius [a] & Hadrianus Lyræus) [b] miræ magnitudi-
nis inuentum esse cadauer, cum incisis ad epigraphen He-
braicis litteris: *Ego Seth tertiogenitus filius Adæ, credo in Iesum
Christum filium Dei, & Mariam Virginem eius matrem, de meis
lumbis venturos* insigne plane testimonium tum eius fidei, &
b Hadr. Lyræus, Trisagio Mariano. pietatis, tum etiam accepti non aliunde sacri arcani, quàm
ex Adami parentis doctrinâ, ex quâ vel post mortem se pro-
fiteri voluerit, vnum ex progenitoribus Iesu Christi, & Deipa-
ræ; atque ad eorum partes vltrò accedentem per fidem. Pia
Sethi progenies extitit, in quâ suprà cæteros resplenduit Eno-
sus, meritò adnumeratus Christi maioribus, qui diuinum *Enosus*
nomen, teste Mose, [c] cepit inuocare, inuentis certis quibus-
c Gen. 4. v. 26. dam Deo supplicandi formis, & cæremonijs ad religionem,
pietatemque compositis. Ex Enoso deinde Cainanus nasci-
tur; ex Cainano, Malaleel; ex Malaleele, Iaredus. At verò *Cainanus. Malalel. Iaredus*
Iaredi filius Enochus, præclara virtutis impressit vestigia, di-
ctus in sacris litteris *ambulasse cum Deo*; [d] & ob summam Nu-
minis, quod colebat, familiaritatem, diuinitus ex hominum
d Gen. 5. v. 24. cætu, atque oculis raptus; meritò candidatus æternitatis; dila-
tæ tandiu morti obuiam iturus; vt immortalem tandem ac-
cipiat vitam, postquam ad mortales redierit, postremâ mun-
di ætate, diuini iudicij præco. Genitus ab Enocho Mathu-
sales cum annos ferè mille vixisset, æquè ac cæteri, mortem *Mathusales.*
expertus est; quo tempore suæ conditionis obliti mortales
plerique, ad nongentesimum annum vitâ productâ videban-
tur. Sequitur eandem seriem, natus ex Mathusale Lame-
chus, quem aiunt nonnulli, conseruatam ab initio de Reli- *Lamechus.*
gione, rebusque diuinis doctrinam, ex Adamo, dum vixit,
Sethoque acceptam, filijs ac nepotibus tradidisse. At Noes *Noës.*

ab eo

ab eo progenitus, tum parentem celebrem fecit, tum etiam inter Christi progenitores, maioresque Deiparæ, locum hic obtinet; vir vtique probatæ virtutis, iustus ex ætate, atque perfectus, quâ gens humana sceleribus inquinata adeò fuit, vt elui atque expiari vix potuerit perpetuis quadraginta dierum imbribus, & aquis obruto vndecunque mundo. Commune naufragium, cum familiâ, paucisque animantibus asseruatis ad sobolem, solus euasit: constructâ Dei monitu, ductuque arcâ, instar ingentis nauigij, vbi anteuertere licuit imminentem sæculi cladem, non horoscopo, sed oraculo. Noæ deinde filius Semus, annis ferè centum ante cataclysmum genitus, dedit huic ordini nomen, qui ebrium ab haustu vberius vino parentem, atque in somno indecorè nudatum cum cognouisset, irridente fratre Chamo; auersâ à spectaculo facie, piè ac pudenter pallij superiniectu contexit, ab altero adiutus fratre; sobrijque tandem patris laudem iure promeritus. Biennio autem post cataclysmum exacto, natus à Semo Arphaxadus, atque deinde ab Arphaxado Cainanus, institutam seriem prosequuntur. Sed Cainanum hunc (quem necesse est fateri, alterum esse à seniore suprà memorato) à Mose in Genesi prætermissum, plurium opinio Doctorum est, in sacram Lucæ paginam, alienâ manu per iniuriam irrepsisse; alijs contrà tuentibus illi locum, ex authoritate septuaginta Interpretum; atque ex hoc recepto, vulgatoque S. Lucæ testimonio, quod negare sit nefas. Quæstionem valdè implexam, quæ Scriptorum ingenia maximè torquet, persequi nostrum non est; auertimus libenter proram ab hoc scopulo, dum consulere licet, non solum veteres Patres, sed eruditissimos recentis memoriæ viros, locum grauiter, copiosèque tractantes, & præcipuè [a] Cornelium à Lapide, & Petrum [b] Possinum. Ergò Salæus, siue ex Arphaxado, siue ex Cainano iuniore proximè genitus, Heberum tulit, in cuius domo communis lingua permansisse fertur, ab eiusdem nomine Hebræa dicta, postquam excitatâ in cælum, Nembrotho duce, summæ altitudinis turri, repentè vna, quâ tunc omnes vtebantur, lingua; in duas & septuaginta, quot erant familiæ, diuinitus est diuisa; vt sic superbis mortalium conatibus Numen obsisteret. Reliqui ad Abrahami vsque patrem quinque numerantur, qui sibi inuicem parentes & liberi, seriem Christi ac Deiparæ progenitorum continuarunt, consignatis diuinæ scripturæ nominibus. Filius Heberi Phalegus; Phalegi Ragaus; Ragai Sarugus; Sarugi Nachor;

Semus.

Arphaxadus

Cainanus Iunior.

Salæus.

Heber.

Phalegus.

Regaus.

Sarugus.

Nachor.

Tharæus.

a Corn. in lib. Gen.

b Poss. Dialect. Theogenia-logico. Intern. 1. cap. 3.

Nachor; Nachoris Tharæus, Abrahamo potissimum filio memorandus; vbi primum clauditur interuallum, quod recensendis Christi maioribus Lucas solus peruasit, anni ferè bis millesimi, ab Orbe condito; cum post reliquos æui diuturnioris Patriarchas, Abrahamus credentium pater est natus.

LXXI. Nouam verò hoc in ordine classem ille ducit, altero temporis interuallo inchoato, à quo Matthæus, vt vidimus, Christi genealogiam expandit, & Lucas non dissentiens à Matthæo, suam quoque persequitur, serie ab Abrahamo ad Dauidem vsque productâ; vbi præter ea, quæ dicta sunt hactenus, de singulis capitibus, vtrique intercedentibus, non videtur addendum aliquid; nisi fortè ad rem præsentem illustrandam, colligi & illud clarè posse; generationes hucusque relatas à Lucâ, veras ac naturales esse; cum eas pariter sacræ Genesis, & Ruthæ historia, Sancti Spiritus instinctu descripta, tales proponat; & rursus ipsemet Lucas ostendat haud dubiè, in Obedi patre; se naturales recensere genitores, non legales; nam si Boozus ex Ruthâ, Mahalonis defuncti propinqui coniuge, Obedum genuit: ab hoc nouo coniugio, natus Boozo filius, Mahaloni imputandus erat ex lege; & tamen ab Euangelistâ, vtique naturam spectante non legem, Boozo vero genitori tribuitur per illa verba, more Græcorum, verum filium notantia; *qui fuit Booz*. Præterea licet animaduertere Lucam omnes generationum expandentem gradus, veros, ac physicos genitores semper memorantem, ac propterea Christi, & Deiparæ maiores longâ serie recensentem: cum cæteroqui Matthæus, qui certi iuris, ac successionis continuitatem demonstratum ibat, pressiùs agere videatur; & nonnullos quandoque attribuat, certis patribus filios, quos ex alijs procreatos aliunde cognouimus; admoueatque interdum abnepotibus atauos, duabus tribusque generationibus intermedijs iustâ de causâ obliteratis. Denique mihi nullum est dubium; quin, si Lucas existimasset; Reges Iudæ, Salomonem & posteros, in Christi maiorum censu memorandos; redditurus suis locis fuerit, prætermissos à Matthæo, Ochoziam, Ioam, Amasiam, Ioakimum; quoniam naturæ ordinem sequebatur.

Generationes ab Abrahamo vsque ad Dauidem expositæ suprà.

Confirmatur sententia, quæ docet; describi à Luca veras & naturales generationes.

LXXII. Tertium interuallum, à Dauide ad Salathielem, percurrit Lucas pariter cum Matthæo, sed semitâ omninò diuersâ; nam sicuti Matthæus per Salomonem Dauidis primogenitum, ac reliquos post illum Iudæ Reges, vnum Dauidi-

A Dauide ad Salathielē Matthæus & Lucas per diuersa capita tendunt, quæ infrà recensentur

Dauidici ſtemmatis ramum expandit; ità Lucas per Nathanem, minorem natu filium, eiuſdem Dauidis, & poſteros ramum alterum explicat, vbi longiorem texit capitum ſeriem, quæ numerat ad viginti, ſanè felicia, quòd in hunc cenſum vocentur. Abſtineo à recenſendis nominibus, quæ paulò poſt expoſita, cum vtriuſque genealogiæ ſynopſi lector accipiet. Vnum ſilere non poſſum, falli nonnullos, qui putant, Ioam Regem, à Ioſabetà vxore Ioiadæ Pontificis, Athaliæ[a] gladio puerulum ſubductum, non fuiſſe Ochoziæ Regis filium, Iorami nepotem, vt dictum eſt, ſed Iudæ; qui in ſerie poſterorum Nathanis, octauus ab ipſo numeratur apud Lucam; & Simeonem, qui ibidem poſt Iudam proxime recenſetur, eundem eſſe planè cum Ioâ Rege, vtroque nomine appellatum; itemque qui deinceps ad Iechoniam ſequuntur in vtrâque ſerie, nominibus diuerſos, perſonis eoſdem fuiſſe; ità vt Amaſias ſit idem cum Leui, Ozias cum Matthate, Ioathas cum Iorimo, Achas cum Eliezero, Ezechias cum Ioſe, Manaſſes cum Hero, Amon cum Elmodà, Ioſias cum Coſâ, Ioachas cum Addi, Ioakimus cum Melchi, Iechonias cum Neri. Hanc ſententiam, temerè, & improbabiliter fingentem, quæ hiſtoriæ libris Regum, & Paralipomenon perſcriptæ aduerſantur; neque cum teſtimonio S. Lucæ conſentientem, reijcere pluribus non eſt opus, ſatis ab alijs confutatam.

[a] Paral. c. 22. v. 1.

A Salathiele ad Chriſtum per Reſam, alioſque Iudæorũ Duces.

LXXIII. Quartum interuallum, quod initium ducit à Salathiele, & Zorobabele, per Euangeliſtam vtrunque memoratis, geminos arboris Dauidicæ ramos, ad diuerſa diſtractos, in iiſdem tandem componit, & ſtatim rurſus diuidit; cum filius Salathielis Zorobabel, tendat ad Chriſtum, apud Matthæum quidem per Abiudem, eiuſque poſteros; apud Lucam verò per Reſam, & reliquos eiuſdem lineæ. Neque enim hîc aſſentiri poſſum iis, qui dicunt, ab ambobus Euangeliſtis diuerſos memorari Salathieles, ac Zorobabeles, ac tantum conuenientes in nomine: quoniam cum celeberrimus ſit in Hiſtoriâ ſacrâ, & Prophetarum libris, Zorobabel Salathielis; non dubito, quin, ſi alteruter Euangeliſtarum, non ipſum, ſed alterum ei cognominem appellaſſet, conſulturus etiam fuiſſet ambiguitati Lectoris, & verbo admoniturus, alium hunc Zorobabelem eſſe, tametſi eius ſynchronum, & patre prognatum, eius patri cognomine, ſicut S. Ioannes[b] in ſuo Euangelio fecerat, Iudam proditorem commemorans; quod cum neuter fecerit; quis neget, eoſdem eſſe prorſus Salathielem, ac Zorobabelem, quos & Lucas, quos & Matthæus

[b] Io. 14. v. 22.

in

in syllabo nominat Christi, Deiparæque maiorum. Tredecim deinde Iudæorum duces, quos Cardinalis Bellarminus [a] ex Philone recenset, sibi inuicem, vt patribus filios in magistratu subinde substitutos, à Resâ deducit S. Lucas, omnes annis circiter ducentis, ac triginta nouem, principatu perfunctos. Cæterùm de ijs nihil addere possumus, præter sola nomina, quæ paulò post lectori dabimus, cum descriptam, ab vtroque Euangelistâ seriem, iterum summatim proferemus. Ex huiusmodi Ducibus, vltimus nomine Iosephus, cum annis sexaginta Iudæorum populo præfuisset, filium reliquit Iannæum, non Ducis titulo insignitum; sed quæ maior est gloria, in Christi Deiparæque progenitoribus numeratum. Melchius deinde Iannæo prognatus, eundem continuat ordinem: at exorta est de hoc inter Doctores quæstio; censentibus alijs, auum esse paternum Iosephi Deiparæ Sponsi; alij idipsum negantibus, quoniam Leuim & Matthatem vtrique intermedios legunt in textu S. Lucæ vulgato; qui cum prioribus sentiunt, nomina hæc subdititia esse suspicantur, malâ vtrique manu in alienum locum intrusa: dicunt enim, ratiocinatione ductâ ab altiore principio; SS. Augustini, Ambrosij, Hieronymi, Gregorij Nazianzeni, & Irenæi ætate; codices emendatiores Euangelij S. Lucæ, caruisse duobus illis nominibus, idque probari disertis testimonijs eorundem Patrum: nam Irenæus [b] quidem duas & septuaginta, dumtaxat, in geneologiâ per Lucam expansâ, generationes agnoscit, cum hodie quinque suprà septuaginta numerentur; vnde conficere licet, tres in istam seriem ex eo tempore admissas esse, quæ tunc non extarent; vnam quidem Cainani iunioris, vt habes apud Possinum, [c] duas verò Matthatis, & Leuis, vt cæteris authoribus paulò ante memoratis suspicandum datur; quorum loca singula profert Ioannes Cordesius [d] huius sententiæ propugnator. Sed nos receptas in sacris litteris vulgatâ lectione voces, aut sententias, non audemus censoriâ notare virgulâ. De iuniore Cainano videri fortasse potest diuersa ratio; nam qui hunc expungendum contendit, id audere se profitetur, idoneo fretum authore Mose, Hebraicâ veritate, vulgatâque editione libri Geneseos; habetque Patres, atque Doctores omnis generis, ac temporis prope innumeros, in idipsum concordi studio suffragantes. Simile verò quippiam nobis non fauet ad expungenda de Lucæ syllabo, duo illa capita Leuim, & Matthatem, quæ vnanimis consensus codicum, quotquot hodie extant, admittit; neç alla-

De Auo paterno S. Ioseph.

a Bellar. Chron. par. priore.

b Irenæ lib. 3. con. Hæreses. cap. 33.

c Poss. Tract. sup. laud.

d Cordes. Animad. ad Luc. cap. 3.

 tus

tus ex Irenæo locus facit probabiliorem Cordesij sententiam: potuit enim Sanctus Doctor duas ac septuaginta tantùm generationes numerare, non computatis vtrinque extremis; primâ & vltimâ; fortè etiam non scrupulosè, anxièque subduxit, qui alibi cum computaret [a] annos Christi, passum scripsit anno circiter vitæ quinquagesimo, sub Tiberio, contra Euangelicum testimonium S. Lucæ, [b] apertè asserentis, anno imperij Tiberij Cæsaris decimoquinto, fuisse Christum annorum quasi triginta; ac referente cæteroqui prophanâ historiâ, Tiberij principatum, vltrà secundum & vigesimum annum non processisse. Neque præterea multum mouemur, quòd Matthate & Leui, ex relato per Lucam censu delendis, Iulius Africanus præiuerit pluribus Patrum, quos refert Cordesius, [c] nam ijdem Patres, quantumuis Africani sententiam, non improbantes, restituendos reipsa censuerunt, quos ille suo loco submouerat. Sic Nazianzenus Gregorius, [d] Carmine de Christi genealogiâ, reddens eam hoc versu concludit. *Melchi, & Leui, & Matthat; Heli, Ioseph*, & [e] Augustinus à Christo ad Dauidem, quadraginta tres generationes numerandas docet, quo numero Leuim & Matthatem comprehendi, palam est. Igitur standum omninò videtur, vulgatis sacrarum litterarum exemplaribus, quæ nunc per Christianum orbem circumferuntur; vbi illa nomina, suo legimus loco, tot ætatum hactenus probata iudicio, à quo nonnisi temerè quisquam recederet. At plures generationes Lucas, quàm Matthæus numerat in tempore æquali: audio; sed in altero saltem quatuor suppressas vidimus, & contingit alioqui facillimè; vt in quibusdam familijs maior duplo sit generationum numerus, quam in alijs pari temporis spatio; siue ex inæquali ætate, qua vtrinque fieri patres ceperunt, siue ex alijs vtcunque capitibus. Sed euadamus tandem ab hisce syrtibus, vbi mora nil prodest.

[a] *Iren. lib. 3. con. Hæres. cap. 33.*
[b] *Luc. 3.*
[c] *Apud Cardes. Ibid.*
[d] *Nazian. carm. 38.*
[e] *August. l. 2. Euãg. quæst. cap. 5.*

Occurritur nouæ obiectioni.

LXXIV. Ad proauos, auosque Iosephi, Mariæ, & Christi nunc accedimus cognoscendos, ex ipsâ capitum serie, quam Lucas descripsit, veros, ac naturales patres, vt possimus, sursum versus expandens. Quoniam verò fratrem diximus Ioachimi Iosephum, qui Mariam eius filiam vnicam, orbatam parente, ac neptem suam, sibi desponderit, vt proximè agnatus, quem lex iubebat suscipere pupillæ curam; ideò Melchium Iannæo prognatum, Iosephi, & Ioachimi abauum facimus, Leuim proauum, ex Melchio genitum; auum Matthatem, filium Leuis; & patrem Helim, ex Matthate natum.

De Proauis auisque Iosephi, Mariæ, & Christi.

Hinc

Hinc obiter Lector animaduertet, cur Euangelistæ texentes Iesu Christi genealogiam, per Iosephum duxerint, Mariæ semper Virginis sponsum, & Christi ipsius, tantùm in hominum existimatione patrem: cùm enim Ioachimus Mariæ pater, esset etiam Iosephi eius sponsi frater; cum eodem in maioribus conueniebat; ac proinde apud quoscunque eiusce cognationis conscios, recenseri non poterant progenitores Iosephi, quin simul Ioachimi fratris, & Mariæ sponsæ, ac neptis ex eodem fratre, describerentur. Hanc verò de Ioachimi patre sententiam confirmare videtur in primis testimonium veteris Hebræorum magistri, cui nomen Haccanas, & pater fuit Nehumias; nam is in epistolâ scriptâ de generatione Messiæ, Mariam appellat *filiam Iehoiakim Heli, de genere Zorobabelis, ex tribu Iuda*, nos latinè inflectimus Ioachimum, quem ſ Heli filium ab authore intelligimus indicatum. Multa quoque occurrent versanti monumenta Patrum ad eiusdem sententiæ robur, & illud maximè de Pantheris nomine, quod quasi fuisse gentile maioribus B. Mariæ [a], S. Ioannes Damascenus prodidit, dum patrem & auum S. Ioachimi patris eius, sic vocatos scribit; & Epiphanius addit, patrem Iosephi Pantherem quoque dictum; vnde licet conijcere, vnum eundemque patrem Ioachimo, & Iosepho assignari, qui Helis nominatus, & Panther fuerit cognominatus. Imò hæc de Iosephi patre Panthere nuncupato fama, indicatur ex eo quòd ipse iam olim dictus est Pantheras. Hinc enim Origenes [b] iactatum conuicij loco ab impijs, & blasphemis, & nominatim à Celso Hæretico refert. Iesum non ex Spiritu sancto, sed ex quodam viro nomine Pantherâ fuisse conceptum.

Confirmatio sententiæ de Iachimi Patre, ex antiquo Hebræorum magistro.

Itemque ex nomine Pantheris, quasi gentili maioribus B. Mariæ.

a Damasc. de Fide Orthod. l. 4 cap. 15.

b Orig. lib. contra Cel. sum 1.

Verùm quia vtraque maiorum series, à Matthæo & Lucâ descripta, in Christum desinit per Mariam, vnde splendoris; honorisque plurimùm accipit: placet sola omnium nomina suo ordine in rectâ lineâ proponere, vt de singulorum capitum exitu constet, & facilè expeditèque cognoscantur sacrarum litterarum de ijsdem testimonia.



P A-

PARENTVM DEIPARAE RECENSIO.

INTERVALLVM I.

Lucæ solius,

DEVS.

Syllabus, quē texit S. Lucas

1. Adam & Eua, *Gen.* 2. 3. 4. 5.	Bonus *Eccl.* 49.	Exitus singulorum.
2. Seth. *Gen.* 4. 5.	Bonus *Gen.* 4.	
3. Enos. *Gen.* 4. 5.	Bonus.	
4. Cainam. *Gen.* 5. *Par.* 1.	Incertus.	
5. Malaleel. *Gen.* 5. *Par.* 1.	Incertus.	
6. Enoch. *Gen.* 5. *Heb.* 11-*ep.Thad.*	Bonus erit *Eccl.* 44.	
7. Mathusalem. *Gen.* 5. *Par.* 1.	Incertus.	
8. Lamech. *Gen.* 5.	Bonus *ex Chrysost.*	
9. Noë. *Gen.* 5. 6. 7. 8. 9.	Bonus *Eccl.* 44. *Pet.* 12	
10. Sem. *Gen.* 5. 6. 7. 8. 9. 10.	Bonus *Eccl.* 49.	
11. Arphaxad. *Gen.* 10. 11.	Incertus.	
12. Cainam iunior. *LXX. Int. Luc.* 3.	Incertus.	
13. Sale. *Gen.* 11.	Incertus.	
14. Heber. *Gen.* 11.	Bonus *ex Philone.*	
15. Phaleg. *Gen.* 11.	Incertus.	
16. Ragau. *Gen.* 11.	Incertus.	
17. Sarug. *Gen.* 11.	Incertus.	
18. Nachor. *Gen.* 11.	Incertus.	
19. Thare. *Gen.* 11.	Incertus *ex Script.*	

INTERVALLVM II.

Matthæi, & Lucæ, in eandem capitum seriem conuenientium.

Numerus catalogi quem persequitur Lucas.

20. Abraham à *Gen.* 11. *ad* 15.	Bonus.	1	Numerus catalogi inchoati à Matth. Test. dec. 1
21. Isaac. *Gen.* 21. *ad* 35.	Bonus.	2	
22. Iacob. *Gen.* 25. *ad* 49.	Bonus.	3	
23. Iudas. *Gen.* 29. 35. 37. 38. 49.	Incertus *ex Scrip.*	4	
24. Phares. *Gen.* 38. *Ruth.* 4.	Incertus.	5	
25. Efron. *Ruth.* 4.	Incertus.	6	
26. Aram. *Ruth.* 4.	Incertus.	7	
27. Aminadab. *Exod.* 6. *Ruth.* 4.	Incertus.	8	
28. Naasson. *Ruth.* 4. *Num.* 7. 17.	Incertus.	9	
29. Salmon. *Ruth.* 4.	Incertus.	10	
30. Booz, alijs Abesan, *Ruth.* 2. 3. 4.	Bonus *ex coniect.*	11	
31. Obed. *Ruth.* 4. 1. *Par.* 2.	Incertus.	12	

32. Iesse,

32. Iesse, aut Isai. *Ruth.4.Eccl.45.*	Bonus *ex comm.*	13
33. Dauid Rex an. 40. *1.Reg. 2. & 3.*	Bonus.	14

INTERVALLVM III.

Matthæi, & Lucæ, diuersos expandentium Arboris Dauidicæ ramos.

DAVID.

Inter Catalogus.	34. Nathan. *2. Reg. cap. 5.*	Exitus Incertus.	Salomon regn. an. 40. *3. Reg. c. 2. ad 11.*	Incertus. *Ibidem.*	1	Matth. Test. dec. 2.
			Roboam an. 17. *Reg. 3. cap. 11. ad 14.*	Malus. *Ibidem.*	2	
	35. Mathata.	Incertus.				
	36. Menna.	Incertus.	Abia an. 3. *Reg. 3. cap. 14. & 15.*	Malus. *Ibidem.*	3	
	37. Melca.	Incertus.	Asa anno 41. *Reg. 3. cap. 15.*	Incertus. *Ibidem.*	4	
	38. Elikim.	Incertus.				
			Iosaphat an. 25. *Reg. 3. cap. 22.*	Bonus. *Ibidem.*	5	
	39. Iona.	Incertus.				
	40. Ioseph.	Incertus.	Ioram an. 8. *Reg. 4. cap. 8.*	Malus. *Ibidem.*	6	
	41. Iuda.	Incertus.	Ochozias an. 1. *Reg. 4. cap. 8.*	Malus. *Ibidem.*	*	
	42. Simeon.	Incertus.				
			Ioas an. 40. *Reg. 4. cap 11.*	Malus. *Reg. 4. 12.*	*	
	43. Leui.	Incertus.				
	44. Mathah.	Incertus.	Amasias an. 29. *Reg. 4. cap. 12.*	Malus. *Reg. 4. 14.*	*	
	45. Iorim.	Incertus.	Ozias seu Azarias an. 52. *Reg. 4. cap. 15.*	Incertus. *Ibidem.*	7	
	46. Eliezer.	Incertus.				
	47. Iesu.	Incertus.	Ioathan an. 16. *Reg. 4. cap. 15.*	Bonus. *Ibidem.*	8	
			Achaz an. 16. *Reg. 4. cap. 15.*	Malus. *R. 4. 16.*	9	
	48. Her.	Incertus.				
	49. Elmodan.	Incertus.	Ezechias an. 29. *Reg. 4. cap. 18.*	Bonus. *Ibidem.*	10	
			Manasses an. 55. *Reg. 4. cap. 20.*	Bonus. *R. 4. 21.*	11	
	50. Cosan.	Incertus.				
			Amon an. 2. *Reg. 4. cap. 21.*	Malus. *Ibidem.*	12	
	51. Addi.	Incertus.	Iosias an. 31. *Reg. 4. cap. 21.*	Bonus. *R. 4. 22.*	13	
	52. Melchi.	Incertus.				
			Ioachim an. 11. *Reg. 4. cap. 23. & 24.*	Malus. *Ibidem.*	*	
				53. Neri.		

53. Neri. Incertus. Iechonias. Malus. 14
m.3.R.4.c.24. *Ib.*

INTERVALLVM IV.

In Salath. & Zorobab. coniunguntur Matth., & Luc. Mox in diuersas alterius lineas diuiduntur.

Lucæ catal. 54. Salathiel Dux Iuda. 1. *Par. c.* 3. Bonus *com.* 1 M
55. Zorobabel Dux Iuda. 1. *Esd. c.* 2. 3. 4. Bonus *ib.* 2 Test. 3.

ZOROBABEL.

Duces ex Philone & Bellar.

56. Resa dux an. 46.	Incertus.	Abiud.	Incertus.	3
57. Ioanna dux. an. 40.	Incertus.	Eliacim.	Incertus.	4
58. Iudas dux. an. 14.	Incertus.			
59. Ioseph dux. an. 7.	Incertus.	Azor.	Incertus.	5
60. Semei dux. an. 11.	Incertus.			
61. Mathatias dux. an. 12.	Incertus.			
62. Mathat dux. an. 9.	Incertus.	Sadoch.	Incertus.	6
63. Hagge dux. an. 10.	Incertus.			
64. Helsi dux. an. 8.	Incertus.	Achim.	Incertus.	7
65. Nahum dux. an. 7.	Incertus.			
66. Amos dux. an. 14.	Incertus.			
67. Mathatias dux. an. 10.	Incertus.	Eliud.	Incertus.	8
68. Ioseph dux an. 60.	Incertus.			
69. Ianne SS. Iosephi, & Ioachimi Tritauus.	Incertus.	Eleazar.	Incertus.	9
70. Melchi eor. Abauus.	Incertus.			
71. Leui Proauus.	Incertus.	Mathan.	Incertus.	10
72. Matthat Auus.	Incertus.			
73. Heli Pater SS. Ios. & Ioach.	Incertus.	Iacob Pat. ado: S. Ios.	Incert.	11

Matth. & Luc. 74. Iosephus naturâ filius Heli, dicitur genitus à Iacobo, quia iure sanguinis illi sine liberis defuncto, hæres ac successor legitimus fuit; Mariæ Deiparæ Sponsus, proximèque agnatus. 12

75. MARIA DEIPARA semper Virgo Iosephi sponsa, & neptis ex fratre, eosdem cum illo progenitores habet in rectâ lineâ. 13

76. IESVS CHRISTVS Dei filius ex MARIA natus de Spiritu Sancto, ab iisdem descendit progenitoribus secundum carnem, à quibus sanctissima Mater, & Iosephus, eius in hominum existimatione pater, originem ducunt. 14

LXXV.

LXXV. Expoſitis hiſce ex vtroque Euangeliſtâ veluti tabulis, perſpecta facilè cuilibet eſſe poteſt Mariæ nobilitas; quæ in eo potiſſimum ſita videtur, vt ad Auos, & Proauos clariſſimi ſanguinis, ſuum referat genus; eorumq; ſtemmata, titulos, principatus, imagines, longo ordine in ſuâ familiâ numeret; item liquidò conſtabit, quâm impiè mentiantur Hæretici; Mariam ex Abrahamo prognatam, ab Adamo nequaquam dèſcendere, quod affirmat Paracelſus; eandemque non ad Iudæ Tribum, quod Eccleſia Catholica profitetur; ſed ad Leuiticam pertinere, quod Fauſtus Manichæus, fideique deſertor Iulianus Cæſar commenti ſunt. Omnia Marianæ nobilitatis decora, vno veluti faſce collecta proponit S. Bernardus [a]; *quòd ex Regibus orta Virgo, quòd generoſa è ſtirpe David; quòd generationi illi, ob ſingulare priuilegium ſanctitatis diuinitus noſcitur eſſe conceſſa; quòd longè ante eiſdem Patribus cælitus repromiſſa; quòd myſticis præfigurata miraculis; quòd oraculis prænunciata propheticis*. Vnde diuinis affatim gratiarum theſauris diues, ſanctitate morum præſtans, parentum honeſtate, magnorumque titulorum acceſſione, ſingularis apparuit. Neque verò vllius eſt momenti, quod authore Celſo philoſopho Epicuræo, ab Hæreticis eiuſdem farinæ pluribus opponitur, aſſerentibus; Mariam humili ſtirpe, & fabri lignarij coniugem eſſe, vix ſuæ viciniæ notam, non fortunis, non dignitate pollentem. Etenim (quod in Celſum optimè retorquet Origenes [b]) ſæpe liberis, ac nepotibus contigit, rerum in hominibus vices alternante fortunâ, non æquè florere diuitijs cum maioribus ſuis, imò parentum gloriam, atque ſplendorem auiti generis, cum tenui cenſu, & obſcuriore vitâ permutare. Quæ res eò maius homini decus parere ſolet, quò expreſſius, contempti honoris, & amatæ ſubmiſſionis ſpecimen exhibet. Itaque qui regiâ dignitate vltrò ſe abdicant, & auorum titulos ſuâ voluntate reijciunt; non amittunt illi nobilitatem, ſed augent; quoniam opulentiæ paupertatem anteferunt, vt pietati, & religioni ſubſeruiant; vnde verior nobilitas, maiorque promanat. Ipſemet vitæ magiſter optimus Ieſus Chriſtus, qui delatum ſibi à Iudæorum turbis [c] Regis honorem fugit, & Paulo [d] teſte cum Deus eſſet, *ſerui formam accepit*; non idcircò Rex & Dominus audire deſijt, quin potius ſui nominis gloriam, reddidit ampliorem. Ergò non eſt, cur Mariam ignobilem, & obſcuram vocent Hæretici; quandoquidem Regum filia, atque à magnis Ducibus orta, ſtirpis ſuæ decus, & nobiliſſimi ſanguinis prærogatiuas contempſit, maluitque obiectæ vitæ vm-

Matris Dei Mariæ ſumma nobilitas.

Ex nobilitatis, gloriæq; contemptu nobilitas.

a Bernard. ſerm. ſuper Signum Magnum.

b Orig. l. 1. & 2.

c Io. 6. 16.
d Philipp. 2. 7.

tæ vmbram, quàm ſplendidiſsimam lucem maiorum.

Filij nobilitas in Mariã redundat.

LXXVI. Neque ſolum Parentum nobilitas, ſed filij quoque decora in Mariam redundant; claram quidem (vt Petri Damiani [a] verbis vtar) Proauorum ſplendore; at in prole ipsâ, quam genuit, longè clariſsimam, Regum nempe filiam, ſed Matrem Regis Regum, qui eiuſdem cum æterno Patre naturæ, Deus de Deo, ex Virgine factus eſt homo, magnus è ſacrorum Vatum oraculis & Rex, & Sacerdos. Propterea quæ illum peperit mater, ex Abrahamo originem ducens, de Iudæ quidem Tribu, regiâque Dauidis familiâ deſcendit; ſed etiam cognationem habuit cum Leuiticâ; cum eadem eſſet, ex Regibus orta, & Sacerdotum affinis; quare non fuit ſatis Euangelicæ hiſtoriæ Scriptoribus, Mariam ſponſi Ioſephi cognatam oſtendere ex Dauidico genere, ſed etiam Eliſabethæ conſanguineam prædicarunt, vt ſtirpem in ea Sacerdotalem regiæ coniunctam indicarent. Nam ſi eſt Eliſabethæ cognata, vt Lucas [b] teſtatur, vtique ſanguinis conſortio Leuiticam Tribum attingit, quòd Eliſabetha Aaronis eſſet filia, & Zachariæ Sacerdotis vxor. Cæterùm quæ ad coniunctionem duarum Tribuum Iudææ & Leuiticæ, apud Hebræos permiſſam ſpectant, ſcribit eruditè Caniſius [c], docetque in Mariâ concurrere alterius Tribus ſanguinem, & cognationem cum alterâ. Denique ſeries capitum, quam ducit S. Lucas ab Heli ad Nathanem, plures continet Iudæorum Duces, quos Philo Annij recenſuit, atque ex Philone in ſuam chronologiam tranſtulit Bellarminus; vnde Virginis Deiparæ nobilitas, hac etiam parte ſe prodit.

Maria ex tribu Iuda, cognationē habuit cum Leuitica.

Duarũ Tribuum Iudææ & Leuiticæ coniunctio.

a Pet. Dã. Serm. 3. de Maria Natiuit.

b Luc. 1.

c Caniſ. l. 1. Marial. c. 3.

LXXVII. De eius verò conſanguineis non in rectâ lineâ, ſed ad latus conſtitutis, dicere ſolum poſſumus, quod è ſacris Euangeliſtis colligere veroſimiliter potuerunt, antiquæ memoriæ Patres, & proximi noſtro æuo Scriptores. Quatuor ſunt in ſacris litteris, qui ex cognatione cum Chriſto, Hebræorum more, fratres Domini ſpecioſo titulo nominantur, & fœminæ potiſsimùm duæ, ſorores appellatæ. Recepta eſt à ſacris Doctoribus, & vulgata ſententia, fratrem fuiſſe Ioſepho germanum nomine Cleopham (alij Cleopam vocant, & Clopam) tertium fortaſſe Heli filium; quâ ſententiâ præiuit pluribus Egeſippus [d], perantiquus author, & ſecundo poſt Chriſtum natum ſæculo ſcriptor. Huic aſſentiuntur Euſebius [e] Cæſarienſis, Epiphanius [f], Theodoretus [g], Beda [h], Euthymius [i], alijque idem affirmantes apud Chriſtophorum [k] Caſtrium. Addunt præterea, Cleophæ vxorem fuiſſe Mariam, quæ cum plures

Ieſu Chriſti, & Deiparæ cõſanguinei.

Verior ſententia de fratribus Domini, & ſororibus.

d Egeſ. l. 5. comment.
e Euſ. l. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 11.
f Epiph. hæreſ. 66.
g Theodor. in epiſt. ad Gal.
h Beda in c. 6. Luc. & in c. 1. Act.
i Euth in Io: cap. 17.
k Caſtr. hiſt. Deip. c. 1. nu. 10.
l Martyrol. Rom. 25 Maij.

plures fœminas in eâdem cognatione haberet sibi cognomines, nomini additamentum adsciuit à viro, dictàque est Cleophæ ad distinctionem; licet respectu maioris natu, aut certè notioris filij, sit etiam appellata Iacobi, & sub hoc nomine Ecclesiæ fastis ascripta, vbi eius sacri corporis mentio fit Verulas translati [a], ad octauum Kalendas Iunias: cum cæteroqui ad votiuam natalis memoriam, quotannis quinto Idus Aprilis [b] recurrentem, in sacris tabulis Mariam Cleophæ compellare placuerit. Et quidem vtrique nominationi occasionem dederunt Euangelistæ, vnam eandenque Mariam, vt censemus, modò Iacobi [c], & Iosetis matrem dicentes, modò matris Domini sororem [d], & à Cleophâ indigitantes. At soror Deiparæ hæc dicta est peculiari titulo, non quòd ijsdem ambæ fuerint parentibus genitæ; sed quòd sponsæ forent duorum fratrum; vnde more apud Hebræos vsitato, sese inuicem tanquam sorores habebant, & vocitabant. Qui verò ab Euangelistis Fratres Domini nuncupantur, & quæ Sorores, his parentibus tribuuntur ab authoribus suprà laudatis, præeunte Egesippo; quoniam cum Iosepho Dei matris sponso nepotes, ac neptes forent ex fratre Cleophâ, certo vtique cognationis gradu ipsam Deiparam attingenbant, & Iesu patrueles habebantur, sicuti Iosephus existimatus est pater. Vim accipit hæc sententia à testimonio Euangelistarum, quod habetur instar oraculi è cælo redditi: cum enim apud Matthæum [e], & Marcum, fratres Domini nominentur Iacobus, Ioseph, seu Ioses, Simon, qui & Simeon, ac Iudas; ijdemque inter se fratres censeantur, & Cleophæ filij; alibi verò rursus Matthæus [f] adstantem cruci vnà cum Matre Iesu Mariam, vocet Iacobi, & Iosephi matrem; consentiente Marco; illamque dicat expressè Ioannes, Mariam Cleophæ; vtique possumus ratiocinando conficere; hos esse filios Cleophæ, & vxoris eius Mariæ. Certè de Iacobo, & Iosepho, quòd ambo huius filij fuerint, dubitare nos pagina sacra non sinit. At Iudas [g] in epistolâ Catholicâ fratrem se Iacobi vocans, suo se suffragio illis ascribit; & Simeonem vnanimiter faciunt filium Cleophæ, quicunque eius acta scripserunt. Fœminas verò eorum sorores difficilius est inuenire: constat fuisse plures ex Euangelicâ historiâ, vbi apud Matthæum Nazareni ciues appellabant numero multitudinis, eiusdem Christi sorores, deque ijs pariter; ac de fratribus dicebant, *nonne omnes apud nos sunt?* esse neutiquam potuerunt pauciores duabus, posito hoc testimonio. Si verò tot, & non plures fuerunt, vnam ex ijs non inue-

Orti sunt ex Cleopha fratre S. Iosephi & eius vxore Maria Cleophæ.

a 19. April. b Matth. 27. 56. c Marc. 15. 40. d Io. 19. e Matth. 13. 55. Marc. 6. 3. f Matth. 27. 56. Marc. 15. 40. g Titulo epist.

Sorores duæ, quarum altera Salome.

nimus in sacris litteris nominatim expressam; sed tantum, vnà cum reliquis sanctis mulieribus, quæ seu Christo ministrasse, siue de eius sepulturâ fuisse sollicitæ, siue eidem rediuiuo occurrisse leguntur. At mentio fit apud Euangelistas expressior de secundâ, cum Epiphanio, ac Theofilacto censemus esse Salomen, Zebedæi coniugem, maioris Iacobi, & Ioannis Apostolorum matrem, nostroque Seruatori vnà cum filijs sanguine coniunctissimam, & Virginis Deiparæ comitem indiuiduam. Hanc laudatorum Patrum sententiam de fratribus Domini non reddit minus veram, quod ex ipso Euangelistarum testimonio nonnulli obijciunt, Iacobum iustum fratrem Domini, appellari expresse filium Alphæi, ad distinctionem alterius Iacobi, Zebedæo patre prognati, nam eundem esse Cleopham cum Alphæo plurium opinio est, cui nos libenter accedimus, scientes; eiusmodi binomios multos, in Hebræorum republicâ reperiri, quod nullus vel mediocriter eruditus negabit. Hinc etiam obiter colligas; horum omnium, qui fratres & sorores Domini ab Euangelistis appellantur, non fuisse patrem Iosephum, siue ex aliâ coniuge mortuâ, antequam D. Virgo duceretur, vt aliqui docuerunt; siue (quæ hæresis Heluidij est, iam proscripta) ex ipsâ Virgine Deiparâ post natum Christum. Cæterum de hisce Mariæ nostræ cognatis non semel suis infrà locis sermo redibit; dum quomodo fuerint cum Christo educati; quid de singulis sacra narret historia; & quo exitu vitam absoluerint exponemus.

Alphæus idem cum Cleopha.

LXXVIII. His de consanguinitate Deiparæ prænarratis; reliquum est, vt propius ad rem nostram accedentes, videamus, quales parentes tam nobilem sui coniugij fructum proximè dederint mundo. Hos fuisse Ioachimum & Annam Patrum authoritas ex peruetustâ traditione confirmat, atque huiusmodi *beatum par*, vt loquitur Damascenus, [a] congeminatis passim laudibus sacri Scriptores exornant. Ex regiâ Dauidis stirpe prodijsse ambos, habemus omnes ferè pro comperto; nam de Ioachimo quidem, id negare non sinunt, quæ hactenus diximus de Iosephi eius fratris, Mariæque filiæ prosapiâ; cum hæc Ioachimi quoque fuerit, vtpotè ab eâdem progenitorum serie descendentis. Annam verò ductam ab eo in vxorem ex eâdem Tribu, pertinere ad Mathanen sacerdotem, falsò scribit Nicephorus [b] ex Hippolyto Portuensi, quoniam Iudæ Tribus, Dauidisque familia sacerdotalis non fuit; atque ipsum testimonium (quod S. Hippolyto Martyri, autho-

De SS. Ioachimo, & Anna Deiparæ parentibus.

a *Damasc. orat. 1. & 2. de Nat. Virg.*

b *Niceph. l. 2. c. 3.*

authoritate non minus, quàm antiquitate venerando, Nicephorus Callistus tribuit (bonâ ne, an malâ fide non liquet) referunt alij verius, ad Hippolytum alterum, nempe Thebanum, inferioris notæ scriptorem, qui annis septingentis, ac triginta Portuensi posterior vixit. Id constare asserit, Iacobus Polius, [a] Ordinis Minorum, qui Recollecti dicuntur, ex Magnâ SS. Patrum Bibliothecâ, ex Vaticanâ Romæ, & Bauarâ apud Serenissimum Ducem; cui sententiæ accedit quoque Io. Thomas à S. Cyrillo [b] Carmelita Discalceatus, in libro, quem de S. Annæ laudibus eruditè conscripsit; vbi ad eam tuendam, profert inter cæteros Henricum [c] Canisium sacrorum Canonum Ingolstadij professorem, apertè dicentem; falli Nicephorum, eoque duce neotericos plures; quando quæ sunt Hippolyti Thebani, tribuunt Hyppolyto Portuensi Episcopo, cuius authoritatem, & nomen, suprà alterum commendat antiquitas, & viri sanctitas ritè perspecta. Vera igitur de Sanctæ Annæ parentibus sententia, ex vetustâ traditione censetur, quæ patrem illi tribuit Stolanum, & matrem Emerentianam, ambos ex Dauidicâ stirpe, natosque Bethlemi in ciuitate Dauidis; quorum parentum duæ fuere filiæ, Esmeria siue Ismara maior natu, & Anna, de quâ loquimur, minor; ex priore, quæ nupta est Aprano Aaronitico, ortum duxit Elisabetha Zachariæ coniux, & Sancti Præcursoris Ioannis Baptistæ mater; ex posteriore Deipara, S. Iosephi sponsa. Eiusce traditionis meminere Carolus [d] Stengelius, Christophorus [e] Castrius, & Petrus [f] Canisius; alij verò eam confirmant testimonio Alexandrini Cyrilli, qui scripto, vt aiunt, haud ità multò pridem inuento; ortum S. Annæ commemorat, in Emerentianâ adumbratum, priscis Carmeli montis cultoribus; qui eam Virginem de ineundo coniugio dubiam, vltrò ad illud sunt hortati, cum prius diuinitus cognouissent, quales filias esset orbi datura: quare parentibus morem gerens, Stolano viro iusto nupsit; & mox à cælesti didicit nuncio, matrem se futuram Deiparæ parentis, & Auiæ promissi Redemptoris, quod refert ex alijs Georgius [g] Coluenerius: esto apud authores, qui multi sunt, narrationis eiusmodi fides. Ex hoc matrimonio natam esse Sanctam Annam sententia placet, quæ præter D. Augustinum, [h] grauissimos habet nomine, atque eruditione suffragatores, apud Iacobum Polium modò laudatum. Cæterùm Ioachimus, & Anna inito tandem coniugio, quâ tempestate regnabat in Ægypto Cleopatra, & in Perside Casopares, persanctè vixerunt, vnicam

Falsum est Annam descendere à Mathane sacerdote.

Verior sententia de S. Annæ parétibus.

S. Anna nata ex Stilano & Emerentiana.

Quo tẽpore.

a *Hist. SS. Ioachimi, & Annæ p. 2. q. 2. num. 2.*
b *Io. Th. de laud. S. Annæ cap. 5.*
c *Henric. in not. ad Chronicon Hippolyt. Theba. t. 9. p. 1. magna Biblioth. PP.*
d *Stengel. Ord. S. Bened. c. 2. vit. SS. Ioach. & Ann.*
e *Castrius Hist. Deipar. c. 1.*
f *Canis. Marial. l. 1. c. 3.*
g *Coluen. Kalend. B. V. ad 19. Nou.*
h *August. serm. 25. ad Fratres in Eremo.*

cam à Deo prolem consequuti, quæ tamen præstitit multis, cum filiam habuerint Deiparam, & per eam nepotem Deum. Item Annam ipsam vnius Ioachimi vxorem fuisse, non maritorum trium (quod præeunte Petro Lombardo sententiarum Magistro, multi docuerunt) recepta iam est apud sacros Doctores opinio, magis tum rationi, tum pietati conformis; quoniam Maria Deipara eius filia, vnigenita dicitur, vtriusque parentis: fusè hanc sententiam probat Ioannes[a] Thomas à S.Cyrillo, ad quem Lectoris studium plura cupientis remittimus.

a Io.Tho. lib.de laud. S. Annæ c. 18.

Proles post multũ tempus impetrata.

LXXIX. Verum quidem est; diu sanctos coniuges sine liberis in matrimonio vixisse; vnde ex domestico veluti probro, post vicenos coniugij sterilis annos, vulgò videbantur relicti à Deo, atque indigni humano consortio. Itaque ad maculam abolendam, adhibitæ preces, & lacrymæ diù profusæ; voluntaria insuper ieiuniorum, aliarumque pœnarum susceptio; census non multum amplus, Deo, & sacris ministris partim, partim egenis, attributus; & paria sanctorum coniugum vota, destinantium aris, ac templo, si quod suscepissent pignus. Numen tandem exorarunt, tum præsertim, cum siue è Nazarenâ sede, quæ Ioachimo, siue è Bethleemiticâ, quæ Annæ nataljs erat, Hierosolymam ascendissent religionis ergò; huc enim aliquando ad Encæniorum festum celebrandum Nouembri mense profecti, probrosam à Sacerdotibus tulere repulsam, quòd liberis iam diu carerent: quamobrem solitudinem vltrò captantes, Anna quidem in hortum suum, Ioachimus verò in montem pascendis ouibus addictum secesserunt, vt liberius Deo vacarent, precibusque seorsim congeminatis, voti compotes fierent. Annuens ergò postulatis Deus, misso cælesti nuncio Ioachimum admonuit; indecoræ sterilitatis adesse finem, eiusque coniugem Annam illicò parituram; vltrà naturæ vires concipiendam prolem, eamque vnicam fore, sed instar multarum; mitterent proinde curam, abstergerent lacrymas, seque recipiendo dono, quod cælum parabat, ambo componerent. Hæc confirmata passim reperies, tum authoritate variorum Patrum, Germani[b] Constantinopolitani, Andrææ[c] Cretensis, Damasceni,[d] Nysseni;[e] tum etiam historiâ de ortu Virginis Hieronymo[f] ascriptâ, quem librum, ex Hebræo, & Græco sermone, in Latinum conuersum, ab eodem Sancto Doctore, atque à nonnullis reiectum, tuentur Petrus[g] Canisius, Christophorus[h] Castrius, Hadrianus[i] Lyræus:

Ei asdẽ prolis conceptæ historia.

b Germ. Con. orat. de Præsen. c Andr. Cret. 1. de Assumpt. d Damasc. 4. Fidei c. 4. 15. e Nyssen. orat. de Nat. Dom. f S.Hier. t. 9. g Canis. lib. 1. Marial. c. 4. h Cast Catal. Auth. i Lyræus Trisag. Mariæ.

LXXX. Ne-

LXXX. Neque mirum est, steriles & infæcundos parêtes, Deiparæ Sanctorum maximæ contigisse; quando author naturæ Deus, suos promere thesauros de sterilitate consueuit. Ex inani quondam, & vacuâ terrâ, fecunditas prodijt nunquam effœta; pulcherrimam & fertilissimam rerum vniuersitatem, moles peperit corporum, nonnisi rudis, & indigesta. Quin illustriores etiam viros, mediâ sterilitate in lucem editos, orbis terrarum quandoque suspexit, Adamum ex luto compactum, atque Isaacum, Sampsonem, Samuelem, Ioannem Baptistam, quæ capita ; de sterili singula matre progenitos; natum denique nonnisi de Virgine Deum. Idem contigit in conceptu Deiparæ, *vt nimirum* teste [a] Chrysologo *filia esset gratiæ, & non naturæ*. Quare S. Damascenus, [b] scitè docet, sterilium, ac senum, sobolem suscipientium miraculo, viam esse stratam ad miraculum omnium maximum, quo non ità multò post, Dei Filius erat ex incorruptâ Virgine carnem accepturus. Itemque Chrysostomus [c] plurium antiquorum, ex parentibus infæcundis conceptum, refert ad consilium Dei, aditum iam tum aperientis ad fidem, quâ Christi ex Virgine nasciturі mysterium credi oportebat. Aliæ quoque sunt SS. Ioachimi & Annæ laudes, quas cælestibus annalibus consignatas, legere in hac vitâ non possumus, legendas vtique per totam æternitatem in Verbi diuini libro, Beatis cæli mentibus, semper aperto; quas verò eorundem Parentum dotes excogitarunt minoris notæ Scriptores, quòd nempe sancti ab vtero fuerint, quòd abundarint diuitijs, quòd absque vsu coniugij, aut saltem in mentis raptu, vel osculo tantùm genuerint; quòd in momento, adeòque excluso astrorum concursu, & sine præscriptis à naturâ tegumentis fœtum ediderint, tanquam doctrinæ furfures, meritò reijcit, atque secernit Theophilus [d] Raynaudus in Diptychis Marianis. Sed ad historiam redeamus.

Cur nata Deipara è parentibus sterilibus.

a Chrysol. serm. 91.
b Damasc. de dorm. Deip.
c Chrysost. hom. 49. Genes.
d Theoph. Ray. Dypt. par. 1. pun. 1.

LXXXI. Concessum cælitùs sibi donum, sancti senes à cælesti nuncio didicerunt, quem fuisse Gabrielem Archangelum, sentit B. Birgitta [e]; & ratio postulabat, curæ illi potissimùm demandandæ, circà Deiparæ natalem, ac vitam, Verbique diuini mysterium, in carne venturi, vt suo loco dicemus. Itaque egressi de latebris, ac sibi inuicem occurrentes, visa prænarrant; actisque pariter diuinæ clementiæ, pro singulari beneficio gratijs, promissionis euentum expectabant. Neque eos expectatio fefellit; quoniam non multò post Anna concepit:

e Birg. orat. 1. ad Virg.

pit, beatissimæ prolis mater effecta: vnde instauratio, & salus generis humani pendebat.

De ijs quæ proximè antecesserunt conceptum Deiparæ.

LXXXII. Tempora, quæ proximè antecesserunt admirabilem hunc sacrosanctæ Puellæ conceptum, ex vtroque parente sterili, sese nobis obijciunt in prophanâ præsertim historiâ, vbi rerum euentus nonnulli, magnis Deiparæ natalibus, aut prætulisse facem, aut saltem diffugientes sub lucis exortum tenebras indicasse sunt visi. Tum Lunæ secundum Romanos cursum inuentum, ac digestum esse, tradit Eusebius [a], vt spectabilior deinceps illa prodiret, in occursum fortasse Virginis matris, cuius calcanda pedibus erat. Tum præterea repertum aiunt [b], in Anienis gurgite, Sibyllæ Tiburtinæ, Albuneæ dictæ simulacrum; cuius perinsigne vaticinium de nostræ salutis vindice, eiusque genitrice sanctissimâ, suprà notauimus. Ea effigies librum manu præferebat, quasi enatare, atque emergere quodammodo videretur ad proxima vaticiniorum euenta. Sub idem ferè tempus Agrippa Consul Pantheon, commune dijs omnibus delubrum Romæ dedicauit, quod certè in eorum dedecus, & cladem cessit, cum nempe ità collectos, vera postmodum Religio inuasit, & perculit, ac si vna esset ibi omnium ceruix, quam cælestis ira vnico ictu demeteret. Ex eo tempore templum eiusmodi destinabat Deus in sedem augustissimam Virginis matris, omniumque Sanctorum, deiectis inanium Deorum simulacris, cuius permutationis vel omen, vel pignus iam tunc præcesit, cum lapidea illa Numinum signa, fulminibus icta, vni veroque Numini pœnas dederunt. Quin etiam eodem diuinæ Matris imminente conceptu, Roma ingenti motu contremuisse, ac nutasse repente dicitur, tanquam à se falsorum Numinum superstitionem excuteret; eademque inundante Tyberi, eluere quodammodo insani cultus maculas visa est. Et illud mirum planè prodigium, non longè ab hoc ipso tempore ibidem accidisse commemorant, quod ad se rapuit mortalium animos rei nouitate perculsos. Fertur [c] enim Mineruæ signum, quod Orientem solem spectabat, illicò mouente exteriùs nullo, in alteram partem conuersum, intendisse faciem Occidenti; ac si in Mineruâ sapientiæ apud Ethnicos præside, & virgine, omnis veterum sapientum hebesceret acies, vel ingenij, vel virtutis, ad exortum clarissimi, purissimique sideris; quod conceptum in vtero Annæ matris, mali Dæmones saxum mouentes metuebant.

Inuentus, ac digestus Lunæ cursus.

Sibyllæ Tiburtinæ simulacrum.

Pantheō dedicatum.

Romę terræmotus ingēs, ac Tyberis inundatio.

Prodigium in Mineruæ statua.

a Euseb. in Chronico.

b Philip. Berg.

c Philip. Berg.

LXXXIII. Quid verò de hoc ipso conceptu maximè prædi-

prædicandum sit, satis, opinor, res ipsa demonstrat; abesse illum ab originariæ noxæ maculâ, à quâ nullus hominum transit immunis, post primæuum Adami parentis lapsum, sine hac labe in omnes homines à Parente transfusâ conceptam diuino munere esse Mariam, sanctitas debita Dei matri nos admonet, *cum* Cypriano [a] teste *plurimùm à cæteris mortalibus differens, natura communicaret, non culpa*. Excipi sanè à communi regulâ decuit eam, cui constat, vel suprà præscriptam omnibus legem, multa, & magna ab ipso Deo liberaliter fuisse collata, additamque pulcritudinem animo, nullâ ex parte deficientem; vt nimirum qui descensum è cælesti solio meditabatur in terras, domum se vno dignam fundaret. Illius infelicis arboris vmbra, quæ primos infecit Parentes, vnàque eorum posteritatem, non peruenit ad Virginem super illapso Numine felicius obumbrandam. Superis imperatura fieri non debuit Orci mancipium, aut cedere in prædam inferis, cæli Dominum paritura. Non agam hîc pluribus, vbi in eandem sententiam scripsere plurimi, accedente populorum consensu. Tantùm dicere semel liceat cum Poetâ Mariæ Deiparæ studiosissimo, per subitum mentis œstrum sic canente.

Deiparæ cõceptus immunis ab originaria labe.

a Cyprian. serm. de Nat. Christi.

Anonymi.

Dicet Iessæam primæuo crimine prolem,
Communique ream nascentum lege teneri;
Qui putet obscurum Solem, cui Cynthia surgat
Decolor, & puro vitiatum lumen Eõo,
Qui niuibus candorem adimat, gemmisque nitorem,
Et cum nocte diem velo confundat eodem.
Pupula par cælo, Solymis prælata puellis
Conciperis meliore satu, dum labis auitæ
Nescia, calcatis ad vitæ limina noxis
Pergis ouans, Stygiosque premis secura dracones.

Itâ est, vtero sterili concepta longæuæ matris, Deo potissimum rem suam agente, sanctitatem hausit simul & vitam: geminoque prodigio vtriusque parentis in senio fæcunditatem, sequuta est pignoris nondum editi præfestinata maturitas. Infanti diuina lux oboritur ante quàm Solis; atque inter materna viscera, anticipato rationis vsu in cælum sua dirigit vota; vt cordis aditu Stygijs prædonibus maturè præcluso, intactam ab ijs mentem exhibeat Deo, quem simul ac viuere incipit, feliciter ambit, & prensat. Quàm singulari, quàm eximio diuinæ gratiæ priuilegio, præuenta tunc fuerit, ac præmunita; intelligere hinc potissimum licet, quòd tum contrà primigeniam labem, & quamcunque noxam vel leuissimam agendo

Idem cõceptus Sanctus.

aut omittendo contrahi solitam, imò ad omnes appetentis animæ motus, imperium habuit certum; tum etiam illi à Deo, vt futuræ matri collatum est donum, cæteris vt ministris. Quapropter quò magis mater dignitate seruis antecellit, eò maiora matri, quàm seruis conceduntur. Verè igitur exclamat Idiota [a]: *Tota pulcra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto: & macula peccati cuiuscunque non est in te, nec vnquam fuit; sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum; & cælestium donorum.* Eandem Laurentius Iustinianus [b] fuisse dicit, *ab ipso sui conceptu in benedictionibus præuentam dulcedinis, a damnationis alienam chirographo, extraneam ab omni labe peccati.* Vnde prima diuinæ gratiæ ad Virginem conceptam accessio, animique pulcritudo iam tum infusa, minores in eâ facultates adeò mentis imperio subdidit, & hanc ipsam Deo; vt intrinsecùs pateretur omninò nihil, à quo subire labem posset, aut reddi minus decora.

a *Idio. lib. contem. de V. M. c. 2.*

b *Laurent. Iust. serm. de Annunt. Mariæ.*

Inuestigatur annus conceptæ Deiparæ

LXXXIV. Inter prima & maxima dexteræ diuinæ miracula conceptus eiusmodi numeratur; & videri non immeritò potuit, molitio altera nobilioris mundi, quem Marianum appellant, propter vniuersitatem cælestium gratiarum in eo mirabiliter comprehensam, verumque sanctitatis Microcosmon, in Puellæ vnius animo delineatum. Itaque cum Historici consueuerint tempus designare euentuum insigniorum, quos narrant, decet profectò, annum notare, quo contigit conceptus ille mirabilis; siue ineunda sit ab Orbe condito supputatio; siue ab alijs labentium temporum epochis; vnde varia eorum initia ducere, & cursus quodammodo retinere veteres numerando ceperunt. Ad annum inueniendum conceptæ Deiparæ, necessaria omninò est alterius anni notitia, quo Liberator humani generis Christus, ab eâ in lucem est editus. Verum de hoc ipso anno fundatæ salutis, cum antiquis disputant nostri æui Scriptores, atque inter se varias scinduntur in partes, fiuntque verè, quot capita, tot sententiæ. Ecclesiarum tabulæ peruetustæ, imò Ecclesia [c] ipsa Catholica, ex duorum & septuaginta Interpretum calculo, quem in Chronico Eusebius expressit, tempora numerantes ab origine mundi ad ortum Iesu Christi decursa, quinas annorum chiliadas, & sæcula ferè bina distinguunt, quem numerum in Romano Martyrologio descriptum habes, magis quidem more maiorum, atque ex dictorum Interpretum instituto, quàm secundùm Hebraicam veritatem, vt optimè Cardinalis Baronius [d] adnotauit. Sex millia iam elapsa suo æuo numerabant

Quæritur ex anno Christi nati.

Variæ de eo anno opiniones.

c *Martyrologiū Rom. 25. Dec.*

d *Barō. in not. ad Martyrol.*

rabant SS. Hieronymus [a] & Augustinus [b]. Nicephori [c] aliorumque supputatio ad annum quinquies millesimum, & quingentesimum ducitur. At Neoterici curiosiùs veritatem scrutantes, sibi videntur, ex vulgatâ parœmiâ, configere cornicum oculos; sed nihil tandem afferunt in hac controuersiâ quod sit exploratum & certum;& fateantur necesse est, se quoque ignorare arcanum, quod antiquitas ignorauit. Pererius [d] à Baronio [e] laudatus, quaternis annorum millibus, itemque duobus annis, ac viginti definit spatium illud, quod à mundo condito, ad Christum natum extrahitur: [f] Augustinus Torniellus, & Iacobus [g] Sallianus accuratissimi annalium veteris Instrumenti Scriptores totidem millia numerant, & praeterea addunt, duos alter annos, alter vnum suprà quinquaginta: adhuc plures ad septem & octoginta [h] Christophorus Castrius. Recedit ab his in suâ Chronologiâ [i] Gordonus, numeratisque quatuor millibus, vnum tantum censet addendum. Aliter supputat [k] Bellarminus Cardinalis; anticipans Christi natalem; quem ponit anno mundi ter millesimo nongentesimo octogesimo quarto. Hanc viam pariter ineuntes alij, suprà tres illas chiliadas, & nouem sæcula, nati Iesu Christi annum arbitrantur fuisse, Petrus [l] Canisius sexagesimum secundum; Cornelius [m] à Lapide & Heruactus [n] quinquagesimum, hic sextum, ille primum. Vsque adeò vel nullos vel paucos inuenies, quibus sit eadem omninò sententia. Franciscus denique Suarius in re maximè dubiâ sibi asserendum ratus, quod propius ad veritatem accedat; accuratâ anteacti temporis in sex ætates distributione, expensisque difficultatibus, quæ in quintâ præsertim occurrunt, nodum non aliter expedit, quam fatendo; non constare sibi de certo numero annorum; sed quaternis circiter millibus comprehensum videri tempus illud, quod ab ortu mundi ad Christum vsque perducitur; itâ quidem vt sub annum ferè quater millesimum Orbis conditi ille sit natus ex Virgine: cæterum cum neque è sacris litteris, vbi nihil exprimitur, neque ex prophanis historijs plerunque sibi contrarijs, certius aliquid suppetat, definiri non posse, quot, an vltrà, an infrà huiusmodi numerum annis, contigerit nostri Vindicis ortus.

Verior de eodem sententia.

LXXXV. Vt verò redeamus ad Virginem; de anno quo est concepta, & nata, hinc facilè fieri poterit coniectura; cum enim è S. Euodij Antiocheni proximè post Petrum Antistitis testimonio, quod affert Nicephorus [o], habeamus; genitum esse Dei filium, agente Virgine Matre ætatis annum

Deducitur annus conceptæ Virg.

[a] *Hieron. Com. in epistola ad Titum.*
[b] *Aug. l. 12. de Ciuit. c. 10.*
[c] *Niceph. l. 1. hist. 10.*
[d] *Perer. in Dan. l. 11. cap. 9.*
[e] *Baron. in Appar. ad Annal.*
[f] *Torniel.*
Sallianus in Annal. sacris veteris Testam.
[g] *Castrius Hist. Deip. cap. 7.*
[h] *Gord. chr.*
[i] *Bellarm. Chronol.*
[k] *Canis. Marial. l. 1 cap. 11.*
[l] *Cornel. in Pentateu.*
[m] *Heru. in Chronol.*
[n] *Suar. t. 1. in 3. par. d. 6.*
[o] *Niceph. hist. c. 3.*

quintum suprà decimum: hoc vtique temporis spatio, ortus Deiparæ, Iesu Christi natalem antecessit, ità vt annorum millibus ferè quaternis ab orbe condito (quod de Filio suprà docuimus) mater quoque, suo partu sanctissimo, annis quatuordecim, ac tribus mensibus maior, verè dici possit fuisse concepta: definire autem huius epochæ peculiarem ac certum annum, in tantâ eorum, qui supputant, discrepantiâ nemo præsumat, licet hac in re infinitum propè laborem, atque immensam diligentiam probauerit nuperus author, qui ad omnes temporum calculos quæstionem expendit. De mense ac die sacrosancti conceptus, nos Ecclesiastica traditio dubitare non sinit, quæ ad sextum Idus Decembres, votiuam eius memoriam quotannis celebrandam, hyeme ineunte proponit; vt ad efformandum Iessæ virgæ præclarissimum germen, non modò matris Annæ sterilitas, sed ipsa quoque anni senectus horridior, floruisse videatur. 8. Decem.

Qua olympiade cócepta sit Virgo.

Institutio, & ratio Olympiadum.

LXXXVI. Alijs præterea notis, de quibus minor sit controuersia, consignari annum decet conceptæ Deiparæ, & primùm quidem more Græcorum per Olympiadas, quatuor annorum spatium continentes, atque hoc ipsum nomen ex gymnicis ludis sortitas, quos ludos antiquitus institutos fuisse ferunt ab Hercule, ad vrbem Olympiam in Eleâ Græciæ regione sitam, atque adeò ad celeberrimum Olympici Iouis fanum, inibi extructum; sed mox successu temporum intermissos; vt Pausanias testatur, constans est fama, Iphitum Elæorum Regem post plura sæcula renouasse; vnde factum est, vt quinto quoque anno deinceps celebrati, Olympiadas dederint, metiendi temporis certissimam, & accuratissimam notam, de quâ sibi meritò Græca historia gratulatur. Quãdo nam illæ inceperint, non vna eademque est Authorum sententia, nos Torniello & Salliano subscribimus, qui in suis annalibus, sub primum Ioathami Iudææ Regis annum, earum initium ponunt; ideòque cum Christus Olympiade centesimâ nonagesimâ quartâ, anno secundo vel tertio, natus legatur communiore sententiâ; eius sanctissimam Matrem, de quâ est sermo, centesimâ nonagesimâ ferè exeunte conceptam, nouemque exactis mensibus natam oportebit. At verò nouæ Olympiadis initium duci mos erat ab institutâ ludorum gymnade, qui euoluto, ad æstiui solstitij reditum, quarti anni Olympici curriculo repeti consueuerunt; id quod animaduertere potissimum debet, occurrentium inuicem sibi, diuersorum temporum calculator; ne sua eum supputatio fallat.

LXXXVII.

LXXXVII. Pergamus eundem Virginis nostræ conceptum notare annis tum Romæ conditæ, tum Principatuum Romani & Iudaici; atque eo consignando aliquid etiam ex Latinis & Hebræis mutuemur. Vt autem in re incertâ sententiam proferamus non dissimilem veræ; redeamus pariter necesse est, sicuti modò fecimus, ad annos Christi, & quid dicendum de Matre sit, colligamus ex Filio, quem plurium calculis probata sententia natum asserit anno post Romam conditam vno, aut altero, suprà septingentesimum quinquagesimum: ità censent Torniellus & Sallianus, ità Christophorus Castrius, ità Cardinalis Baronius, & Romanum Martyrologium: quo tempore rem Romanam Augustus Cæsar moderabatur, & Iudaicam Rex Herodes; alter quidem Iulio Cæsare interfecto, in imperij spem euocatus, annum iam secundum, & quadragesimum in Vrbe regnabat, postquam primum inierat Consulatum, & mox cum Lepido & Antonio Triumuiratum: alter verò à Romanis precariò regni titulum adeptus, & per cruentam exinde victoriam, Hierosolymæ sceptrique possessione potitus, sicuti Tyrannum potius, quam Regem agebat, ità quotum regni annum tum numeraret, non facilè quisquam expediet.

Christus, & Deipara nati sub ijsdem Principibus Romanis, & Iudaicis.

LXXXVIII. Certior est de Augusti annis apud Historicos supputatio, cuius cognitio ad sacros annales, quos molimur, conferre plurimum potest. Is admodum adolescens Iulij Cæsaris, Idibus Martijs interempti, institutus hæres, altero post eam cædem anno, Hirtio & Pansa Consulibus in bello desideratis, primum inuasit consulatum; mox cum Lepido, Antonioque Triumuir, annis ferè duodecim Reipublicæ præfuit. Debellatis præterea Collegis, & maximè ad Actium Antonio, solus per annos quatuor & quadraginta gessit imperium, donec septuagenario maior Nolæ interijt anno Vrbis conditæ septingentesimo sexagesimo septimo: ex quâ supputatione illud euincitur, inter primum Augusti, ac tertium decimum consulatum, quo ferè ineunte natus est Christus, annos intercessisse vnum & quadraginta cum paucis mensibus, adeoque clausis Romæ Iani portis, ac toto terrarum orbe pacato, expectatum tot antea sæculis Virginis partum contigisse, cum ipsemet Augustus principatus annum ageret secundum & quadragesimum non quidem ab auunculi Cæsaris nece, sed à Consulatu primùm per vim extorto, aut etiam à Triumuiratu post interuallum temporis ferè trimestre instituto; itemque nonum, & vigesimum à Monarchiâ,

Anni Augusti Cæsaris ex authoribus Romanæ historiæ.

quam

quam post Actiacam victoriam inchoarat. Ità ex veterum Scriptorum testimonio, atque ex rei Romanæ Historiographis confirmat satis accuratè Christophorus [a] Castrius. Hic adde; æræ Hispanæ, quæ ad Augustum maximè pertinet, tum fuisse nonum ac trigesimum annum, Ea temporum supputatio, in Augusti gratiam, instituta præsertim ab Hispanis est; cum ille post Iulij Cæsaris necem, ferè quadriennium rei Romanæ aut Consul, aut Triumuir præfuisset: cumque constituta sub eius dominatu in partitione terrarum Hispania, imperium experiretur, sibi admodum salutare. Etenim ab eo tempore Hispani, vt consignarent rerum gestarum annos, scribere in publicis monumentis, priuatisque etiam tabulis consueuerant: Annus [b] Erat Augusti primus, alter, tertius, & sic deinceps. At primarum vocum anteriores notæ A, ER, A. à Tabellionibus, vti fit, inter scribendum contractæ, hanc epocham dederunt, cui Æræ Hispanæ nomen est inditum; atque eius vsus octo ac triginta solidis annis natum Christum præcessit, vt notat Petauius [c].

Quoto anno Æræ Hispanæ natus Christus.

Eius Æræ ratio.

LXXXIX. Difficilior est annorum calculus, quibus Herodes in Iudæâ regnauit; & quò certius est, impium Regem nascente Christo adhuc fuisse inter viuos; eò incertius nobis relinquitur, ad quotum sui principatus annum tum peruenisset. Vt nodum soluamus, in quo plurimi laborarunt, notemus necesse est Herodis ætatem, ac temporum seriem, quibus in regnum intrusus, principatum inijt, absoluitque cum vitâ. Reges primùm Hebræorum à Dauide vsque ad Sedeciam, ex Iudæ tribu, Hierosolymæ sine interruptione, ad annos triginta circiter suprà quingentos imperitarunt: mox Babylonicâ per Cyrum captiuitate solutâ, quæ annos tenuerat septuaginta, alij Ducum titulo Principes, ex Dauidicâ stirpe prognati, gubernacula acceperunt; quæ imperandi forma à Zorobabele inchoata, ad annos ferè quingentos durauit; donec Ioannis Hyrcani filius Aristobulus, & nepos Simonis, qui Iudæ Machabæi germanus fuit, regia insignia recepit, Olympiade centesimâ sexagesimâ quartâ. Post Aristobulum Iannæus eius frater, qui & Alexander est appellatus, constabiliuit sibi regnum, ab altero vix anni vnius spatio gestum. Sed tandem moriens, illud vxori Alexandræ reliquit, non filijs, quos ex eâ susceperat, Hyrcano maiori natu, & Aristobulo minori. Alexandra Hyrcanum in sacerdotio, quod pater patruusque tenuerant, substituit; atque ità nouennio regnum administrauit. Eâ mortuâ hæres institutus Hyrcanus, ad Pontificatus

Aetas & regnũ Herodis.

Regum Iudæorum historiæ vsque ad Herodem synopsis.

a Cast. Hist. ... parat. c. ...

b Sepulue. da lib. de correct. an.

c Petauius Ration. Temp. par. 2. l. 3. c. 14.

tificatus insulas regiam coronam adiunxit; sed tribus mensibus nondum expletis, cedere coactus est Aristobulo fratri, à quo armis fuerat lacessitus. Exinde Pompeius Hierosolymâ expugnatâ Romanis Hebræos tributarios fecit, atque Aristobulo, qui principatum ante tres annos inuaserat, Romam perducto, Sacerdotium regnumque Hyrcano restituit, & procurationem prouinciæ Antipatro Idumæo tradidit, cuius filius Herodes admodum iuuenis, ibi tum aderat, atque in spem crescebat dominatus occupandi; paternis præsertim instructus artibus, & Galilææ præpositus Hyrcano Rege fauente. Interim Antigonus, Aristobuli filius, Parthorum viribus, ad quos confugerat fretus, cum extincti patris iniurias vlcisci, tum præcipuè amissam recipere sibi coronam nitebatur; quo prælio tandem victor, Herodem qui patri mortuo in procuratione successerat, fugere coëgit, & Hyrcanum patruum pontificatu deiectum, auribus mutilatum, & captiuum in vinculis, ad Parthos amandauit; ipse à Barbaris in regnum euectus, hostis à populo Romano declaratur, & per Senatus consultum Rex Iudæorum Herodes renunciatur anno Vrbis conditæ septingentesimo decimo quarto. Sed tunc Romanorum beneficio, Regis quidem accepit titulum, non regni possessionem; quam Antigonus communitâ sibi Hierosolymâ, adhuc ad tres annos retinuit, donec Marci Antonij iussu, per Sosium Syriæ Præsidem, cum ipsâ vrbe captus, in vincula coniectus, extremoque supplicio affectus est, & liber ab æmulo Herodes, iuncto cum Hyrcani filiâ Mariamne coniugio, potiri regno securior cepit, in id tantùm intentus, vt regiæ stirpis Assamonæorum reliquias internecione deleret. Et quidem paulatim omnes sustulit; inter quas Hyrcanum è Parthorum finibus fraudulenter euocatum, timore perculsus ne quid ab illo pateretur, neci ingratissimus dedit, paulò ante bellum Actiacum, quo Augustus Cæsar victis Antonio, & Cleopatrâ Romanum imperium solus obtinuit. Quòd verò sequutus in eo discrimine fuisset Antonij partes aduersus Cæsarem, ad victorem vltrò veniam petiturus accessit, atque etiam ab eodem regni confirmationem impetraturus; quoniam cum sciret, omnia Antonij acta esse ab Augusto rescissa, cogitabat se pariter excidisse de regno, cuius possessionem eiusdem Antonij armis fuerat consequutus. Itaque post victoriam illam Actiacam exacto biennio, Romam Cæsar cum triumpho reuersus, regiam Herodi dignitatem senatus consulto sanxit; & honorem aut restituit, aut confirmauit.

Hebræi tributarij Romanis effecti per Pompeiũ

Herodes in Iudæa sub patre illam procurante.

Idem declaratus Romæ Rex Iudæorum.

Regni possessor, post triennium ab accepto titulo.

XC. His

Quoto anno Herodis Regis natus Christus.

XC. His obiter prænarratis, facilè inueniemus, quoto Herodiani regni anno natus sit Christus, si certum constituamus eius initium, quod Scriptorum discrepantia, dum alij aliud asserunt, incertissimum reddit. Sed ponamus in primis tanquam indubitatum è sacro Euangelistæ Matthæi testimonio, Herodem adhuc fuisse inter viuos Christo nascente; tum deinde ex probatis authoribus, nondum excessisse limites iuuentutis, cum Antipater eius parens, Iudæam moderaretur; regnasse annos septem ac triginta, & fermè septuagenarium obijsse; denique Hyrcani regnum (quod Eusebius [a], alijque ante Herodianum proximè ponunt) vsque ad annum quartum suprà trigesimum, saltem titulo ac iure tenus, perdurasse; atque Archelaum Herodis filium, & hæredem, post patrem nouennio principatum tenuisse. Hinc aio, me regnantis in Iudæâ Herodis annos ex chronico Eusebij numerare, eorumque initium desumere, non à suscepto Regis titulo, aut ab initâ regni possessione, vt alij fecerunt, sed ab Hyrcani captiuitate, quando Iudæa caruit Rege legitimo ex regiâ Assamonæorum progenie; nam eo superstite, qui ab Alexandrâ Reginâ summus primùm Iudæorum Sacerdos renunciatus; deinde suo primogeniti iure matri in regno successerat, licet miserâ aduersæ fortunæ procellâ circumactus clauum amiserit, haberi aut nominari alius pro Rege non debuit. Hanc ipsam quam sequimur numerationem annorum in Herodis principatu, admissam fuisse ab antiquis Patribus docebimus infrà. Interim rem in se perobscuram, maximèque molestam, itâ expediri posse censemus; si Herodis Regis annos, quos quærimus, numerare cum Eusebio incipiamus, post annum trigesimum quartum Hyrcani, quo tempore posthabitâ regij sanguinis prærogatiuâ, Ananelus alienigena Pontificatum accepit. Hanc verò sententiam eruditè confirmat in Historiâ Deiparæ Christophorus Castrius [b], probatque Octauiani Augusti in Romanos imperium, quod à primo eius consulatu duxit initium, decem tantùm annis Herodis regno anteire, itâ vt qui huic secundus suprà trigesimum, in sua tyrannide annus decurrebat, illi secundus item, & quadragesimus foret; quo nimirum Christum esse natum, communis est & vera sententia. Nobis igitur ex hac supputatione sit fixum; pertinere Iesu Christi natalem ad annum modò commemoratum Herodiani regni secundum ac trigesimum, & Herodem ipsum superuixisse quinquennio, quod suo loco dicemus; sic enim (vt constans est omnium propè Scriptorum

Anni Herodis regni numerãtur ducto initio ab Hyrcani captiuitate.

a Euseb. i. Chronico.

b Castrius Hist. Deip. cap. 7.

rum

rum assertio) regnasse absolutè comperies annos septem ac triginta, qui nempe numerari consueuerint post trigesimum quartum Hyrcani, non prius; triennio circiter ante bellum Actiacum.

XCI. Iam verò ignorari non potest, quidnam de Virginis Deiparæ conceptu, ortuque dicendum hac in re consequenter sit: Cum enim constet, sub iisdem illam Magistratibus conceptam, & natam esse; sub quibus sanctissimus eius filius humani generis Liberator, in lucem venit, Augusto nempe Cæsare, & Herode Iudæorum Rege: & cum præterea annis non amplius quatuordecim, paucisque mensibus, altera alterum præcesserit, vt Euodij authoritate posuimus; ad designandum vtriusque principatus annum, quo beatissimam prolem concepit, atque enixa est Anna parens; ex annis quos ambo Principes in ortu Christi numerabant, quatuordecim demas oportet, tresque menses; atque ita Virginem Deiparam dices septimo conceptam, & octauo natam, Augusti quidem Cæsaris suprà vigesimum, Herodis verò suprà decimum, qui Æræ Hispanæ, ad Augustum quoque pertinentis, vt diximus, suprà eundem vigesimum quartus erat, & quintus. Insuper hi anni respondent sexto fermè & septimo suprà septingentesimum, atque trigesimum Vrbis conditæ, in quos etiam conceptus, & ortus eiusdem Virginis cadunt, eorumque prior apud Eusebium [a] memorabilis legitur horribili terræmotu in Insulâ Cypro Veneri dicatâ, vbi corruisse aiunt multas vrbium partes, in primisque Paphi, quæ studiosiùs Venerem colebat: contremiscere nimirum, atque collabi funditus videbatur impudicitiæ regnum, ad magnæ Virginis aduentum; confractis infamis Deæ, & incesti Cupidinis vbique signis; delubris passim, arisque subuersis: diceres D. Virginem sine labe conceptam, iam tum vlciscendæ libidini prolusisse. Eodem anno Romæ [b] natus est Augusto Cæsari, Lucius ex filiâ nepos, tanto quidem cum gaudio; vt illicò declaratus hæres ab auo sit; diei celebritate, quæ Honori, & Virtuti quarto Kalendas [c] Iunias dedicata erat, ad ipsius natalem translatâ; datis præterea sæcularibus ludis, in auspicium quoddam felicioris ætatis ineundæ. Sed in Virgine conceptâ, multò verius, & augustius Honori, ac Virtuti theatrum aperuit Deus; cum illud vni sibi in habitaculum destinauit, atque instaurandi sæculi voluit esse principium.

Augusti Cæs. & Herodis Regis annus, quo concepta, & nata Deipara.

Deipara concipitur anno q. sequenti nascitur.

An. Aug 27. Herodis 17. Æra Hisp. 24 V. C. 736.

a Euseb. in Chronico.

b Salianus ad annum 4037. in Censori. de die nat. cap. 17. & Dion. l. 53.

c 29. Maij

XCII. Sed adhuc superest, vt Virginis magnæ conceptum, ortumque ad epocham præstantissimam reuocemus;

Hebdomades Danielis

ad eam videlicet temporum notam, quæ septuaginta non dierum, sed annorum hebdomadas complectitur, à Daniele Propheta diuinitus edocto, designatas; certumque interuallum notantes, quod ad cælestis Victimæ in arâ Crucis pro salute humani generis immolandæ sacramentum superesset, ab initio quopiam, quod subobscurè innuitur, ductâ mensurâ: vbi quærendum nobis est, quotânam hebdomadâ ex ijs, concepta sit, ac nata Deipara. Vt suum quæstio responsum habeat, nec abs re, aperire paucis necesse est, ostensum cælitus sacro Vati mysterium. Iudæorum populus Babylone captiuus, annum agebat septuagesimum, quo soluendam esse captiuitatem Vates prædixerant, cum subita Balthasaris Regis cædes, ex ostento prodigiosæ manus in pariete scribentis, per Danielem prænunciata, ad alios transtulit Chaldæorum imperium. Medus itaque Darius regnabat, & Babylone, vbi Persarum Rex Cyrus substiterat, migrarat in Mediam, illuc pariter Daniele perducto, tanquam eximio diuinarum rerum præcone. Ibi cum ageret Daniel, de sui populi liberatione anxius, Deum impensè rogabat; vt quam fore promiserat post annos captiuitatis septuaginta, eo spatio iam ferè decurso, ne differret. Intenta, atque assidua Vatis sanctissimi deprecatio impetrauit à Deo non exitum modo captiuitatis, ad tempus antea constitutum, sed Gabrielis quoque Archangeli nuncium de Christi Liberatoris aduentu. Astitit enim oranti Gabriel, nunciauitque intrà hebdomadas septuaginta, siue septuagesimo nondum expleto septennio, Christum affuturum populo, cui facta est olim de Saluatore mundi promissio, itemque insontem pro sontibus suâ morte satisfacturum; eius autem periodi initium esse sumendum, ex eo tempore; quo Princeps Persarum, in cuius potestate erunt Iudæi, vrbem Hierosolymam iterum ædificari permittet. *Ab exitu,*[a] inquit, *sermonis, vt ædificetur Hierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & sexaginta duæ erunt; & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporis; & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est:* vbi eiusmodi periodus septuaginta septenarijs definita, ex grauissimorum [b] scriptorum sententiâ, Iulij Africani, Theodoreti, Ruperti, Bedæ, aliorumq. complurium, numeranda est non à solutâ per Cyrum Iudæorum captiuitate; non ab anno Darij Hystaspidæ secundo, quo rursum Iudæorum plurimi Hierosolymam cum Zorobabele migrarunt; sed à vigesimo Artaxerxis, cognomento Longimani, Regis Persarum, à Cyro sexti;

In Quotam ex ijs cōceptus & ortus Deiparæ inciderit.

Exponitur earundem mysterium.

a Dan. 9. v. 25.

b Apud Iacobū Gordonū opere Chronol. tom. 1. cap. 15. ad period. 7.

qui

qui nimirum eo anno Hierosolymitanæ ciuitatis instaurandæ decretum edidit, Neemiâ in Iudæam misso. Id enim maximè consonat Gabrielis nuncio, notanti tum *sermonis exitum*, hoc est, legem aliquam promulgandam de Hierosolymâ ædificandâ; tum etiam *in angustia temporis*, dierum nempe duorum & quinquaginta, absoluendum opus. Concurrit is annus cum vltimo Olympiadis octogesimæ tertiæ, & cum octauo suprà trecentesimum Vrbis conditæ; à quo vsque ad ducentesimam primam Olympiadem exeuntem, itemque Romæ fundatæ septingentesimum octogesimum primum annum, quando per Ioannis baptismum in Iordane Christus innotuit; atque ad proximè insequentis Olympiadis annum tertium, Romæque octogesimum quartum suprà septingentesimum, quando in arâ Crucis pro salute mortalium Dei filius est immolatus, elapsas iam fuisse deprehendes nouem ac sexaginta annorum hebdomadas, & rursum post illas septuagesimâ decurrente sacrum vaticinium Danielis impletum.

XCIII. Hinc igitur recedendo ad primum Iesu Christi annum, eius quidem secundùm carnem natiuitas, distans à morte per totum sanctissimæ vitæ curriculum, quod annis tribus ac triginta, adeoque quatuor dictarum hebdomadum, & aliquot insuper annorum interuallo definitum est, incidisse vtique dicetur, in quintam & sexagesimam Danielis hebdomadem, nondum expletam, vt habemus in Romano Martyrologio: [a] Virginis verò Matris (quam duplici hebdomade, siue annis quatuordecim antecedere diximus) cum conceptus, tum ortus, in sexagesimam tertiam pariter decurrentem reijcietur, & quidem in annum eius quartum conceptus; in quintum ortus. Si verò supputes ab initio institutarum hebdomadum hunc fuisse octauum & nonum suprà quadringentesimum trigesimum comperies, vt [b] Christophorus Castrius subduxit. Atque hæc ideò dicta sint, vt ad epocham reliquarum omnium non certissimam modò, sed nobilissimam, quam ignorari non decet, euentum toti orbi maximè memorabilem conceptæ, natæque Deiparæ reuocaremus, quod factum à nobis expositione præuiâ perobscuri mysterij, nemo iure poterit improbare.

Designatur Hebdomada Danielis, qua concepta est, & nata D. Virgo.

[a] *Martyr. 25. Decemb.*

[b] *Castr. hist. Deip. cap. 2.*

XCIV. Potuissemus etiam ad alios plures numerandi modos, annum hunc conceptu Virginis, ortuque insignem excutere, simulque enunciare, vt celeberrimis in rebus fieri solet, quotus ille fuerit post Noëticum cataclysmum; quotus à promissione Abrahæ; ab exitu Iudaici populi de Ægypto

Aliæ annorũ Epochæ.

quotus;quotus ab initio regni Dauidici;à condito per Salomonem templo; à Babylonicâ Hebræorum captiuitate; ab alterâ templi molitione. Sed ne inutilis enumeratio nobis,& Lectori n orosa contingeret;quid in singulis hisce epochis dicendum occurrat, peti posse iudicauimus ex accuratissimis Tabulis Augustini [a] Tornielli,ex eruditis Annalibus Iacobi [b] Salliani; atq.ex notis,quas ad Deiparæ historiam addidit [c] Christophorus Castrius,ideoq. nos, illis prætermissis, in itinere pergimus.

a August. Torn. Ann. Sac.t.2.
b Iac.Sallian.t.6.
c Castr.c.2

XCV. De loco autem, quem illustrauit admirandus ille S.Annæ partus, aliqui immeritò dubitarunt: neque audiendum censeo [d] Christianum Druthmarum, non [e] Theophylactum, non veterem Rabbinum adductum à [f] Galatino; qui natam esse Bethlemi Deiparam voluerunt; non Abulensi [g] subscribo, qui Sephorum Galilææ ciuitatem, (S.Hieronymus [h] Diocæsaream vocat) à partus eiusce prærogatiuâ non excludit; non denique Adricomium [i] sequor, non Sebastianum [k] Barradam, non alios, qui pro Hierosolyma pugnant, eamque volunt Deiparæ natalibus fuisse insignitam, atque ex loci vicinitate, virtutem sanandi languidos, ad probaticam pertinuisse piscinam; non inquam allatæ ab ijs coniecturæ, non testimonia, quæ latè recensent, vlla me mouent, vt hac in re definienda pro Hierosolymâ sentiam; quoniam oppidum in Galilæâ Nazarethum, id iam pridem iuris obtinuit, & nullo ferè contradicente natalis Deiparæ patria dicitur; quòd eam fuisse Ioachimo habitationis sedem, veterum plerique consentiant; item nec ratio apparet vlla, cur S.Anna, quæ nimirum vtero senectutis infecundo infantem paritura, abscondisse se non modico tempore videri potest, vt legitur de Elisabethâ, ad partum in vrbem amplissimam Hierosolymam vltrò migrarit, atque antiquæ commorationis Nazarenam sedem mutare tam serò voluerit. In hanc ipsam sententiam de Virginis patriâ authores plurimi veniunt, quos recitat sequiturque Benzonius, [l] ac nominatim Hippolytus apud Nicephorum, [m] & liber de ortu Deiparæ S.Hieronymo adscriptus; atque ex recentioribus Christophorus [n] Castrius. Sed nullum testimonium afferri potest illo præclarius, quod è sacrosanctâ domo Lauretanâ desumitur; cum enim opinio firma iam sit, pleno Christiani populi illuc confluentis consensu comprobata; ibi natam esse, educatamque Deiparam; atque ex alterâ parte constet, Nazareno auulsam de solo domunculam & Cælitum aduectam manibus, in Dalmatiâ primùm; mox etiam in Piceno constitisse; ideò sedem Virginis

D. Virgo Nazarethi concepta & nata.

d Druth in c.1. Matth.
e Theophyl. in c.2. Luc.
f Gal. lib.7 c.12.
g Abul. in c.2. Matth. q.91.
h Hier. lib. de loc. Heb.
i Adric. in descrip. Terra Sancta num. 37.
k Barr. t. 1. lib. 5. c. 5. in fine.
l Benz. in Psal. 86. c. 1.
m Niceph. l.3. c.3.
n Castr. hist. Deip. c.2.

natalem

natalem Nazarethi fuisse, negari non potest sine notâ temeritatis. Ad assertionis eiusmodi robur, ac vim, accedit delatum è cœlo ipsiusmet Deiparæ, de quâ agitur, celeberrimum testimonium: nam cum sacrum illud, quod nunc Laureti colitur domicilium, è Galilæâ per ingentes terrarum, marisque tractus, amplius vicies centenis passuum millibus ad Illyricos fines, Angelorum ministerio translatum, stetisset primùm inter duo Dalmatiæ oppida Tersactum, & Flumen; Alexandro Antistiti Tersactensi, antiquæ probitatis viro, apparuisse noctu fertur Dei parens, atque hæc de ædiculâ ibi ab incolis tum primùm visâ nunciasse. *Bono animo esto fili: En vocata adsum, præsentem tibi opem, optataque rei notitiam ferens; sic igitur habeto, sacram ædem vestris nuper illatam finibus, illam ipsam esse domum, vbi ego olim genita, vbi fermè educata sum.* Ità in Lauretanæ Virginis historiâ [a] Horatius Tursellinus. Quamobrem, siqua prius erat de natali solo Deiparæ dubitatio, euulgato tam insigni testimonio, quod vim habet cælestis oraculi, tota prorsus euanuit, & Nazarethum sine vllâ controuersiâ hanc laudem asciscit sibi.

Ex testimonio ipsius Virginis.

a Tursell. Hist. Laur. lib. 1. c. 3.

XCVI. Hæc omnia apparatu censuimus præmittenda, viam præmolientes Marianis Annalibus; cum enim de Mariâ Dei genitrice, quam decurrentia ab Orbe condito sæcula peroptarunt, potissimus nobis sermo futurus sit; explorandum certè præludij loco fuit, quibus in illam votis anteactæ retrò ætates collimarint, & quanta nobilissimum partum pompa, tum sanguinis, tum signorum præcesserit. Quam verò Virginem dignitate Numinis primogenitam, hactenus vidimus illapso cælitus lumine Angelis, hominibusque præostensam; adumbrata symbolis, protypis expressam, nunciatam oraculis, & longo nobilium auorum sanguine, tanquam viâ regiâ perductam ad nos: ad eam iam nascentem conuersi, opus cui huc vsque solùm prolusimus, tandem aggredimur; quin imò illustrati Auroræ cælestis lumine, quod spectamus, & sequimur; dilapsâ vmbrarum obscuritate; in lucem singulorum deinceps annorum Marianam historiam distribuemus. Sed præstat in ipso operis vestibulo gradum sistere, donec à Virgine, cui laboramus, id vnum precibus impetremus; vt scriptorem suum, nonnisi probata ac vera consignare litteris cupientem, ipsamet, quæ magistra Religionis & veritatis est, doceat per secretiores afflatus; addat ingenio mediocri vires; eruditionem, quæ modica est, augeat; elocutionem regat; atq. ad diuinam dumtaxat gloriam, sinat nostram hoc qualecunque studium velificari.

Ad annaliũ opus aggressio.

Imploratio auxilij à D. Virgine, quæ est operis argumentum.

XCVII.

XCVII. Itâ prorſus optare me profiteor prouolutus in genua coram Maieſtate Tuâ ò MARIA cæli, terraque Regina, ò meorum & pars, & ſpes magna laborum. Id abs Te pronus expoſco, vt adiuues imbecillitatem ſcribentis; cuius inſtructa calamo manus, à Te vnâ vult regi ò Magiſtra Sanctorum, ò Sapientiæ Sedes. Pergere Te duce iam liceat per oſtenſum ab alijs callem veritatis. Tu clariſſimi diei Aurora cum ſis, excute à me noctem inſcitiæ, & affer æternum Solem IESVM, ventris Tui fructum, cui placere maxime cupio, ſcribendo pariter, & viuendo.



ANNALES MARIANI.

Annus B. Virginis 1. Ante Christum 15. Augusti Imp. 28.

SVIS vndecunque tenebris obuolutus Orbis terrarum, vitiato iam pridem humano generi, & ruenti passim in scelera, noctem non horridam modò, sed execrandam, crescere in dies hactenus viderat, atque à lapsu primorum parentum, qui contigit sub initium mundi, serpere latius luem, in animos hominum, mentesque transfusam, donec sereniore sub cælo præsens illuxit annus, optatissimo Dei Matris natali nobilitatus, quem idcircò ponimus annalium primum, atque annorum Epocham statuimus deinceps numerandorum. Quis enim neget hoc anno rerum faciem renouatam, cum regiâ de stirpe nata est Augusta Puella, quæ *quasi Aurora consurgens* [a], cælo terræque nunciasse visa est; adesse proximè solem iustitiæ Christum, inueteratis vmbrarum horroribus finem sacrosancto sui ventris fructu impositura.

D. Virginis Dei matris natiuitas.

a Cant. 6. 9.

II. Cum ergò ex quo Anna conceperat, nouem menses effluxissent, præscriptum à naturâ spatium formandis in vtero matris infantibus; editum in lucem est à genitrice sterili sanctissimum pignus, quod, vti vidimus, omnium ætatum votis expetitum, tandem exoriens, vniuerso mundo lætitiam attulit, quam sacra quotannis recolit, ac decantat Ecclesia. Et fuit sanè ab hac infante natâ occasio lætandi potior, & causa communior, quàm ab ortu S. Ioannis Baptistæ Præcursoris, ad parandam Dei filio inter homines viam, cælitus destinati; quæ proles nascendo (sicut internuncius è Cælitibus Gabriel [b] Zachariæ patri ante natalem exposuit) amplam gaudendi materiem præbuit multis; fuit, inquam, auspicatior, & lætior

Lætitia in eo natali.

b Luc. 1.

lætior nostræ Virginis ortus; quoniam non vnius tantùm cognationis, aut oppidi, prouinciæque gentem affecit, sed totum planè lætitiâ mundum impleuit: imò limites quoscunque transgrediens, eam suprà cælum maximè, atque infrà terram extendit. Primùm quidem sanctissimam & indiuiduam diuinarum Triadem personarum, vnius naturæ Deum, omnium conditorem, ac dominum Mariæ natalis ad singulare gaudium inuitauit; quòd Pater æternus natam sibi præstantissimam filiam vidit in terris, suarum manuum opus, suæque speculum maiestatis; quòd diuinus cum Patre filius datam sibi matrem agnouit, fructum sui sanguinis præcipuum, & verè *primogenitam Redemptoris*, vt cum S. Bernardino [a] Senensi loquar; quòd præterea Spiritus Sanctus thalamum in Mariâ sibi vni paratum accepit, auro gemmisque diuitem, sed virtutum. At verò administræ diuinitatis, cæli beatæ Mentes vniuersæ, solio supremi Regis adstantes, in huius quoque lætitiæ partem venere post Deum, ad suæ Reginæ cunas, exhibito certatim obsequio conuolantes, quæ nimirum nascentis dignitatem reueritæ, festiuos edidisse plausus, pacemque mortalibus concinuisse feruntur, teste potissimum B. Birgittâ [b].

Prima Sanctissimæ Trinitatis.

Altera Angelorum.

a S. Bern. t. 2. conc. 51 art. 3. cap. 3

b Birg. ser. Angel. c. 7

III. Quantum verò exultasse dicemus in eâdem natiuitate primos Iudaici populi Patres, à quibus continuatâ serie successionum, natio prodijt Hebræorum? qualia sacrorum Vatum extitisse tripudia? cum vtrisque sub terrâ degentibus, & præstolantibus liberationem è Limbi carcere (sinum Abrahami vocant) nunciatus à Cælitibus est ortus illius Virginis optatissimus, quam alteri quidem, vt suæ stirpis germen, congeminatis expetierant votis; alteri verò ad posteros siue typis, ac symbolis expresserant, siue oraculis præcinuerant. At genus humanum toto terrarum Orbe diffusum, suâ maximè debuit sorte lætari, quam natæ Deiparæ beneficio meliorem fieri, atque innouari vidit: cum ea proles non minus augusta, quàm sancta, de Regum ac Sacerdotum sanguine, lucis instar procederet, solem animis allatura; atque indicto tenebris exilio, nouum promitteret Orbi diem, quo illucescente, captiua mortalitas, in spem libertatis respiraret.

Tertia Patriarcharum, & Prophetarum.

Quarta humani generis vniuersi.

IV. Verùm potioris gaudij ratio in sanctos diuinæ huius Puellæ parentes Ioachimum & Annam vertebatur, quibus tanto pignore auctis, vetus infæcundæ senectutis probrum cessabat, & filiorum Dei libertas, in reliquos mortales deriuanda, domi nascebatur. Ijs collatum cælitus præclarissimum donum, per quod vera felicitas ingrediebatur in mundum, abstersit

Quinta SS. Ioachimi, & Annæ Parentum.

abstersit aliquando tandem seniles lacrymas, & contractam ex diuturna sterilitate tristitiam inhibuit: vt proinde meritò dixerit Damascenus [a] *Ioachim, & Anna tanquam spirituales montes dulcedinem stillarunt.*

a *Damasc. orat. 1. de Natiu.*

V. De communi hac, tantâque lætitiâ sacri Scriptores sua certatim encomia protulerunt; eandemque constat repeti deinceps consueuisse singulis annis, diei recurrente memoria; adeò vt votiua celebritas instituta tandem sit nascentis Deiparæ, Christiano ritu quotannis pariter recolenda, sicuti suo loco dicemus. Certè non immeritò Diuus Anselmus [b], *magna quadam & mira diuinorum signorum indicia* præcurrisse conijcit, ad notandum diem sæculis memorabilem vniuersis; quæ signa si quis quærat, dicam vtique adnumerari his iure posse, parentum sterilitatem in senectute fæcundam; prolis in ipsâmet infantiâ, atque adeò intrà maternum vterum sanctitatem; ac sapientiam maximè præcocem; partum ieiunijs, precibus, alijsque pietatis operibus impetratum. Quin imò non deest, Scriptoris alicuius siue coniectura, siue suspicio de Sabbatici, vt vocant, fluminis in Palæstinâ miraculo, quasi huc referendo. Author enim est Plinius [c]; fluuium eiusmodi, senis per hebdomadam diebus, aquis abundare: at septimo, qui Sabbato respondet, exiccari. Quas fluendi, & quiescendi vices aliter suo æuo contigisse narrat, Iudaicarum antiquitatum scriptor Iosephus [d]: quoniam aluei siccitatem, aquarumque defectum, ad sex priores dies refert; plenioris verò fluuij improuisum exortum septimo adscribit; atque vt fidem miraculo faciat, fuisse ait ab Imperatore Tito conspectum. Hæc testimonia Plinij, & Iosephi sibi inuicem aduersantia, examinanda nobis hoc loco non sunt; constat enim pluribus non probari, à quibus numerantur inter apocrypha. Sistamus in eo tantùm, quod adumbrari narratione potest, qualiscumque tandem ea sit. Dicet quispiam, ad veritatem, si non historicam, certè mysticam; per aquarum ad sex ipsos dies exuberantiam cursumque, intelligenda esse diuina sex dierum opera, in condendo, ornandoque mundo patrata; deinde verò per exiccatum in septimo fluminis alueum, Dei ab vniuerso opere quietem: quin etiam ortâ iam Virgine, mutatas in aquis vices, vnàque significationem; alueum enim sex diebus aquarum inopiâ laborantem, ad longos respicere cælestium gratiarum defectus, in quibus humanum genus parentum noxa constituit: exilientes verò ad diem septimum aquas, plenoque fluentes gurgite, erumpentis è cælo plenioris fluuij

b *Ansel. de Virg. excell. cap. 2.*

c *Plinius l. 31. Nat. hist. cap. 2.*

d *Ioseph. l. 7. de bel. Iud. c. 24.*

Diuinorum signorum indicia ex Anselmo.

Sabbatici fluuij in Iudæa prodigium.

Ad Deiparæ laudem detortum.

ris fluuij typum esse; quem ex diuinâ clementiâ deriuauit in terras Mariæ natiuitas. Quòd si vera est Christophori Castrij [a] sententia, asserentis eam die Sabbato natam esse: hinc duci saltem ratio posse videbatur; cur deinceps riuus ille proponi deberet, non vt priùs aquis redundans ad sex dies, atque in septimo penitus illis carens; sed in hoc vno copiosiùs fluens, in reliquis exiccatus: quoniam in terris nata Deipara, inania pridem tempora, & vacua sabbata, de quibus [b] Iobus olim sanctissimus querebatur, cælestium gratiarum imbribus tandem impleuit: Verùm prodigiosas illas Iudaici fluminis vices, non ideò memorauimus, quòd veras fuisse credamus, relinquentes nimirùm earum fidem penes authores, quorum vel vterque, vel alteruter accusatur mendacij: sed quòd ad Virginis ortum, humano generi salutarem significandum, possint non incongruè detorqueri.

a Castrij hist. Deip. c. 2. nu. 8.

b Iob. c. 7. v. 3.

Natiuitas Deiparæ.

VI. Nascitur Deipara, vt in Ecclesiasticis monumentis traditum accipimus à maioribus, sexto Idus [c] Septembris, ità sacri Græcorum, Romanorumque fasti; ità Adonis ac Bedæ Martyrologia. Et quidem mensis ipse maximè apud Hebræos festiuus, benè comitatur natalis eiusce lætitiam. Tubarum in eo mense clangores, Tisri Neomenia, & solemnioris expiationis per sacrificia celebritas concurrebant: eundem Scenopegiæ solemnia, siue Tabernaculorum dies ortũ cohonestabant: eodem feriæ dedicationis templi, siue Encænia recurrebant; collectio fiebat pecuniarum, in templi vsus; festum cætus, legis exhibitæ repetita memoria, Godoliæ ieiunium, aliaque celebrabantur. Septimus itaque mensis magna ex parte festiuus obtigit Mariæ nascenti, nec abs re; quoniam ab eâ ducunt initium festi in Ecclesiâ dies, quos Iesus Christus eius filius, & Sanctorum ab illo myriades suis laboribus, & sanguine consecrarunt. Præterea mysterio non vacat, quòd inter cæteras anni tempestates, Autumnum Deus præscripserit Virginis Matris natali; cum enim ab ortu ipso perfecta, instar maturi fructus, plenæque vindemiæ in lucem venerit, frugiferæ tempestati vndecunque consentit, adeò vt benè de illâ dixerit [d] Damascenus: *Vinea vberrima ex Anna pullulauit*.

c 8. Sept.

Cur nata in Autumno.

d Damasc. orat. 1. de Nat. Virg.

Qua hora diei nata.

VII. De horâ, quâ nata est, nihil afferre possumus, quod sit omninò compertum, licet aliqui eiusmodi decus auroræ tribuerint, obsecundantes nimirum ipsi mysterio Virginis natæ, quæ vt Christi iustorum antesignani mater, Solis iustitiæ Aurora in sacris litteris appellatur: neque verò asser-

tionem illi suam rationum momentis confirmant; dum id aiunt fuisse cælitus reuelatum, sanctis viris per pias preces arcanam rei veritatem è cælo quærentibus; nam Gulielmus Durandus,[a] cuius maximè testimonio nituntur, non asserit, significatum fuisse oraculo Cælitum, ortam in aurorâ Deiparam, sed in nocte. Quod autem proximè subdit, ternos in Ecclesiâ sanctos natales consueuisse celebrari; Ioannis vt Luciferi; Mariæ vt Auroræ; Christi vt Solis, certè non magis euincit, B. Mariam in aurorâ natam esse, quam Christum de die; & tamen mediâ illum nocte prodijsse ex vtero Virginis, docet Euangelicæ veritatis oraculum. Igitur mystica est & symbolica B. Mariæ per auroram expressio, qualem apud Scriptores passim reperies, nec esse argumento potest, eius natalem in aurorâ contigisse. Verum hanc ipsam sententiam, quam video nonnullis placuisse, ego sicuti nec probo, nec improbo; ità nec suadeo, nec dissuadeo: nam si fides habenda sit Durandi testimonio asserentis, reuelatum esse diuinitus, Deiparam noctu natam; itemque si per noctem intelligatur primum diluculum, aut illucescentis auroræ tempus, sicuti verè significari potest, quòd tunc dies adulta nondum sit; fortasse verum erit, Annam in aurorâ, vel sub auroram peperisse; cum præsertim edita eo partu Virgo, instar auroræ prodierit; ambabus spem afferentibus proximè affuturi solis, suum ambabus diem, dispari quidem cum exitu, parituris, vt ingeniosè Poëta.

a Durand. l. 7. Rationar. c. 28. n. 2.

Opinio asserens natam esse sub auroram.

Solem ambæ pariunt, Aurora & Virgo: sed ista
Solem viua parit; dum parit illa perit.

Anonymi.

VIII. De anno in quem hæc natiuitas incidit, dictum est in Apparatu satis. Hic ipse annus, ex profanâ historiâ eundem Octauianum Augustum notat, profectum in Gallias, dedicato prius Romæ Quirini templo, quod paulò ante magnificentissimè extruxerat, sex & septuaginta columnis superbum, quasi totidem exprimere diuinando voluerit annos, quos viuens expleuit. Sed hæc magnificentia, quantacunq. sit, non æquauit augustissimam ædem, quam [b] *sibi Sapientia ædificauit* in Virgine; vmbram illam vix diceres, si conferas cum hac Diuâ nascente, cui melius quàm Quirino, alijsque falsis Numinibus, templa vbique debebat, ac debet Orbis terrarum. Præterea Augustum ex Vrbe recedentem, teste [c] Dione, plura de cælo terruere prodigia, quorum causâ publicè proreditu concepta sunt vota. At eodem tempore ingressum magnæ Virginis in Orbem terrarum, lætitiâ vbique diffusâ

b Prou. 9. ver. 1.

c Dio. l. 54.

Cælites celebrarunt, & dum Caium ille ex filiâ nepotem, Lucijque paulò ante nati fratrem, triennio grandiorem, ad spem imperij adoptaret in filium; hæc magni Liberatoris Patribus in lege promissi futura parens nascebatur. Iudæam verò terram, quæ tantum pignus ex vtero cadens longæuæ matris excipiebat, mirum quantum id temporis iniquus regni possessor, opprimebat Herodes; qui totus in hoc erat, vt Romanorum gratiam vndecunque sibi colligeret, & regium titulum, aliquot ante annis acceptum, eorum, ope retineret. Marcum enim Agrippam ab Augusto socero missum in Syriam, sibi pleniori obsequio demereri conatus, singulari beneuolentiæ significatione, cum amicis & socijs in suum regnum abduxit, vt quem sciebat à Cæsare apprimè dilectum, & summâ post illum potestate pollere, hunc traheret ad suas partes, arcibus quas hactenus ædificasset, ostentatis; & populis certatim occurrentibus amictu, & cultu festiuo. At natæ tum Virgini, destinatum diuinitus erat, non Iudææ modò, sed cæli terræque regnum; imò iam Angelorum acclamationibus, vtriusque mundi Regina, vel in cunis excipiebatur, dum Herodis artes fraudibus, fallacijsq. refertæ, tendebant solum vel ad perdēdam vnà cum vitâ iniustam regni possessionem, vel ad eandem inter curas, & metus miserè retinendam.

Corporis virginei tēperamentū.

IX. Naturale corporis in Virgine temperamentum, quantæ fuerit perfectionis, ex eo deprehendere licet; quòd Dei filius ex hac puellâ carnem quandoque accepturus, id præsertim prouiderit, vt eius corpus maximè perfectum, & optimè constitutum euaderet; probat hoc pluribus [a] Dionysius Carthusianus, & ratiocinatio confirmari potest ex constitutione Christi corporeâ, præcellentissimâ & optimâ: nam proles parentibus respondere solet habitudine corporis, præsertim matri, quia ab eâ liberi plus accipiunt: quæ ratio potiorem vim habere videtur inter Christum, & Deiparam, quàm inter cæteras matres, earunque filios; quoniam materiam totam ad fætum compingendum istæ non conferunt, sicuti B. Virgo sola suppeditauit id, ex quo Christi corpus in eius ventre coaluit. Itaque necesse est, eam temperamento & habitu corporis quàm simillimam Christo fuisse, in quo constitutionem corpoream, & habitudinem humanâ in specie perfectissimam, optimamque omnes agnoscunt. Vnde coniecturam capere non leuem licet, quàm perfecta foret, sacra illa portio Mariani sanguinis, ad efformandum Christi corpus adhibita, in quo corpore diuini Verbi sacrarium extitit, opifice Spiritu Sancto.

a Dionys. lib. 1. de laud. Deip. art. 35.

Deipara tēperamento corporis quā simillima Christo.

Sancto. Quia verò temperamenti præstantiam comitatur virium sanitas, & venustas siue pulcritudo membrorum; meritò sanè Doctores, geminum illud humani corporis decus, eximium in B.Virgine fuisse passim affirmant. Priori quidem exclusum ab eâ contendunt, morbum quemcunque proprium, appellatum à Nazianzeno, [a] *tyrranidem corporis*, siue ab intestinâ partium seditione discordiam; cum enim decuerit, Mariam ab externo temporum, hostiumque conflictu tolerare non pauca; vt initam à Christo viuendi rationem præ cæteris mortalibus imitaretur: decuit etiam eâdem de causâ, interiorem omnem consensum, symmetriam, & pacem in illâ conseruari. Posteriori verò corporis dote, excelluisse Deiparam, cum ratio ipsa docet, tum præsertim Patrum authoritas persuadet, Andreæ [b] Cretensis, illam appellantis, *sculptam à Deo statuam, rectèque descriptam vini Archetypi imaginem*; & Richardi à S.Laurentio, [c] cuius iudicium maximè placet in hæc verba prolatum: *Si quis quærit de pulcritudine corporali Diuæ Virginis, congruentissimè mihi videtur posse dici, & credi, eam præ filiabus hominum speciosam, quæ speciosum forma, non solum præ filijs hominum, sed etiam præ millibus Angelorum, sua carnis substantia vestiuit, Vnigenitum Dei. Non enim conuenienter tota pulcra, & sine macula appellaretur, nisi secundum dispositionem, & figuram corporis, & colorem faciei pulcherrima, & sine macula appareret.* Cæterùm quæ apud nonnullos leguntur; de fragrantiâ insigni corporis, qualem habuisse fertur Alexander Macedo ex præferuidâ membrorum temperie, vt narrat Plutarchus; [d] de nascentis fulgore eximio, qualem sanctorum aliqui habuerunt, cum è materno prodirent vtero, vt illorum Acta testantur; itemq. de ortu Beatæ infantulæ absque vagitu, & fletu, sicut existimauit non nemo, sapientiæ magnæ Virginis conuenire; & de ipso Beatæ Annæ puerperio, quòd absque dolore contigerit; reijci facilè possunt, vt solido destituta fundamento; quin imò perperam iactantur vt vera, nullo prolato vel rationis, vel certæ authoritatis idoneo suffragio. Etenim si quid ad sanctitatem non pertinens, alicui fœminæ cum miraculo impertiuit Deus; non ideò inferre licet, æquè esse concessum Deiparæ, aut parenti: neque omnia quæ ad infantium natiuitatem mirabilia contigerunt, contigisse pariter nascenti Deiparæ dicenda sunt, nisi solidæ rationis momentum accedat, aut saltem eorum testimonium, quos constet cælesti lumine illustratos, illa scripsisse.

Sanitas in eo, & venustas.

[a] Nazian. orat. 42.

[b] Andr. Cret. orat. 2. de Assum.

[c] Richar. l. 5. de Deipa.

[d] Plutarc. in Alexandro.

Aliqua quæ tribuuntur corpori, & natali Deiparæ, cur nō admittātur.

X. Sed pergamus ad reliqua, quæ sunt huius anni. Quoto à

to à Deiparæ natalibus die, natæ Puellæ sit nomen impositum, certò affirmare non possumus; quoniam licet nouerimus, Masculis nominandis Hebræos, diem ab ortu octauum elegisse; quo ritum pariter infantis circumcidendi seruabant: attamen nondum satis compertum est; quot potissimum diebus elapsis ab eodem ortu, fæminis consueuerint nomen imponere. Mariam proximè à natiuitate fuisse nominatam, scripsit Nicephorus [a]. Alij id factum asserunt die nono, sicut in sacris commentationibus habet Iacobus [b] Canisius. Nonnulli huius sancti nominis impositionem, in decimum quintum diem reijciunt, quod ad duas hebdomadas immunda maneret puerpera, nempe à domesticis segregata, *ex ritu menstrui fluxus*, vt dicitur in Leuitico [c], ijsque decursis, proles nomen acciperet, si fæmina foret. Neque præterea desunt, qui sentiant, Mariæ non inditum fuisse nomen ante octogesimum diem, quo tum legis naturæ sacramentum adhibitum est, per oblationes aliquas, aut fidem parentum, cum Deo exhibita primùm in templo puella, vt infrà dicetur. Sunt denique Ecclesiæ quædam in Virginem religiosissimæ, quæ octauo die nominatam volunt, & piè recolunt eiusce nominationis memoriam: Equidem fateor hanc in re nondum compertâ sententiam, me censere valdè probabilem; quoniam cum certum sit, maribus apud Hebræos fuisse nomen impositum illo die, quo ad legis præscriptum circumcidebantur, atque ex aliâ parte nihil vsquam de fæminis inueniatur expressum; fortasse harum quoque nominatio ad eundem diem pertinuisse videtur, quo die, vt optimè animaduertit Theophilus Raynaudus, [d] non minus quam circà mares, Nominalia consueuerint celebrari, sacramento legis naturæ vice circumcisionis adhibito; cum præterea in Deiparâ nominandâ, piè omnia ac ritè ex vsu maiorum sint vsurpata.

Quoto à natalibus die sit nominata

Opinio in re nondũ comperta probabilis.

XI. At verò nomen ipsum sanctissimæ prolis, pij parentes dixere *Mariam* non sine peculiari Cælitum, Deique præscripto, vt habet liber de ortu Deiparæ apud Hieronymum, vnàque Fulbertus [e], alijque testantur. Itaque sacrum eiusmodi nomen, non ab hominibus excogitatum, sed authore Numine à beatis cæli mentibus delatum in terras est, quemadmodum de Augustissimo Iesu nomine dixit [f] Origenes: Etymologiam si quæris, multi abundè scripserunt; inter antiquos Richardus [g] à S. Laurentio, & S Bonauentura [h]; inter recentiores [i] Petrus Canisius, [k] Petrus Antonius Spinellus, [l] Christophorus Castrius, [m] Toletus, Delrius [n]: Ex Hebraicâ quidem

De nomine ipso Mariæ.

a *Niceph.* 1. *hist. c.* 7.
b *Iac. Can. par.* 3. §. 3.
c *Leuitic. c.* 12. *v.* 5.
d *Raynaud. Dipt. Mar. p.* 1. *pun.* 2.
e *Fulber. serm.* 1. *de Nat. Virg.*
f *Orig. hom.* 14. *in Luc.*
g *Richar. l.* 1. *cap.* 3.
h *S. Bonau. lect.* 3. *speculi.*
i *Canisius Mar. l.* 1. *c.* 1
k *Spinel. in Thro. Dei c.* 4. *ad nu.* 11
l *Castr. hist. cap.* 1.
m *Tol. in Luc. cap.* 1.
n *Delr. ... Polem.* 2.

dem radice *Myrrham seu gemmam maris*. *Mariam* interpretatur Epiphanius[a], pretiosissimum nempe partum huius mundi, de quo sic loquitur[b] Damascenus: *commouetur mundi mare; in ipso enim concha gignitur, quæ calitus ex diuinitatis fulgetra in vtero concipit*. Ex eâdem radice Philo[c] Iudæus, idem sonare ait, *Mariam*, atque *amarum mare*; ex quâ notatione allusum videtur, ad intimum animi dolorem, in morte filij â sanctissimâ parente percipiendum, vt ab eo nata puella nomenclationem accipiat, ac de se dictum agnoscat sacrum Ieremiæ[d] vatis oraculum: *Magna est velut mare contritio tua*. Præterea vulgaris est interpretatio, in quam magno Patrum consensu comprobatam, sæpe D. Bernardus[e] elabitur, & *stellam maris Mariam* ex vi vocis appellat, quoniam inter labentis sæculi fluctus, vt faustum mortalibus sidus apparuit. Si verò maris *stilla seu gutta maritima* notionem in eâdem voce amplecti cum alijs, pluuiam vtique dixeris non incongruè designatam, per quam Deipara in nos diuinarum imbres gratiarum, instar Oceani, deriuauit; neque ego hanc declarationem vocis improbare ausim, modò illa vitetur, quam de Lutheri mente prolatam, meritò suspectam habet, reijcitque Canisius[f]. Alij deducunt à lumine *Maria* vocabulum, & aiunt perinde sonare, ac *Illuminatam*, siue *Illuminantem*: alij eò inflectunt, vt significari velint *Excelsam, docentem populos, & magistram Religionis*. Quæ nomina iure suo Dei mater asciscit, amicta sole mulier, iubar circumquaque diffundens, euecta suprà Cælitum choros, & mortalibus veræ sanctitatis documenta suppeditans. At si *Maria* nomen à Syriaco fonte petamus (quam interpretationem demonstrauit[g] Hieronymus, probaruntque Patrum complures) dicemus & nos per *Mariam*, nonnisi *Dominam* designari. Singularis denique etymologia, quam affert[h] Ambrosius, prætermittenda hoc loco non est; & si non liquet, vndenam illa ducatur; quâ nimirum *diuinam* significari *Matrem* Sanctus Doctor affirmat, ita vt *Maria* idem sonet, ac *Deus ex genere meo*. Si quid autem in cortice vocis occurrat, vbi ea notatio videatur posse fundari, vt inuenire nonnemo[i] conatus est: tanti nominis impositio natæ Puellæ dignitatem ostendit, & quo cultu partum excipi doceat opportunè monet.

XII. An verò Deipara, statim ac nata est, pro cæterorum infantium more, Angelus Custos datus sit, dubitarunt nonnulli, atque in varias subinde sententias abierunt. Mayronius[k] & Pelbartus[l] negãt fuisse Angelum Virgini ad custodiam

An datus Deipara natæ Angelus custos.

a Epiph. orat. de laud Virg.
b Damasc. orat 1. de natiu. V.
c Philo de nom. Hebr.
d Ieremiæ Thr. 2. 13.
e Bernard. ser. de nat. Virginis.
f Canis. l. 1. Mar. cap. 1
g Hieron. l. de nom. Hebra.
h Ambros. l. de instit. Vir. cap. 5.
i Christ. de Cast. Hist. Deip. c. 2. n. 11.
k Mayron. Ros. 2 ver. Angeli.
l Pelbartus l. 3. Stellar. par. 2.

diam necessarium, siue vt auerterentur pericula, siue vt conferrentur lumina, aut arcana bonorum operum solatia curarentur, Deo ipso munus eiusmodi custodis explente: & Angelum illi famularem, siue ab obsequium, siue ornatum, imò etiam plures veluti stipatores aut diuinorum internuncios datos esse, cum Fulberto [a] Carnotensi. Sed communiter, veriorque sententia, ex Patrum testimonio tradit, non caruisse Angelo custode Deiparam ab ipsâ natiuitate: quia & si quæ hominibus communiter exhibent Angeli tutelares, omnia præstare non potuit Angelus Beatæ Virgini; pleraque tamen potuit, vt auertere externa mala; pro vario statu rerum facienda demonstrare; ex arbitrio diuinæ Sapientiæ illustrare mentem ad opera: vnde satis superque videtur confici posse; in suo Virginem ortu fuisse Angelo custodienti concreditam; imò hunc ex Angelorum primoribus vnum, nempe Gabrielem, designatione diuinâ extitisse, docent nunc ex Patribus Theologorum plerique; nam Gabrieli causam Virginis commissam esse prædicat [b] Ildephonsus; illum Virginis à consilijs [c] Emissenus, illum dexteræ hoc est mentis custodem designatum vocat [d] Petrus Damiani.

Verior sententia.

a Fulbert. serm. 3. de Nat.

b Ildeph. serm. 5. de Assumpt.
c Emiss. Hom. in Natiu.
d Damian. serm. 1. de Nat. Mar.
Leuit. 12.

XIII. Hoc eodem natæ Virginis anno dieque ex quo S. Anna illam pepererat, octogesimo, contigit anum puerperam ex legis præscripto solemniter expiari: nam matres per nonnullos à partu dies habebantur immundæ, adeòque semotæ à domesticorum consuetudine secum agebant solitariæ; quin imò septem diebus domi viuere omninò inclusas, & segregatas lex Mosis iubebat, si masculum peperissent; & spatio temporis duplo maiore, si fœminam; deinde verò relaxatâ tantisper solitudine, sinebat tantùm cum domesticis agere modo carentes publico, vitarent externorum commercia, adhuc tribus ac triginta diebus alteræ, alteræ sex & sexaginta. Itaque Anna pro suâ pietate obseruantissima legis, duas post partum hebdomadas, & reliquos dies vsque ad octogesimum, domi se religiosè continuit. Is autem dies vbi primum illuxit, qui in sextum atque vigesimum Nouembris incidit, pro solemni puerperarum more Hierosolymam profecta, in templo sanctissimam infantulam datam à Deo, eidem pergratum munus ad aram exhibuit; quod certè pium obsequium præstitit longæua mater, vnâque hostiam obtulit, quam ad parentis expiationem, atque ad prolem redimendam Hebræorum instituta [e] mandabant; præsertim cum filiam hanc vnicam, & primogenitam Parentes,

Annæ matris purificatio.

e Leuit. 12. 5.

post

post diuturnæ probrum sterilitatis, à diuinâ clementiâ ieiunijs ac precibus, impetrassent. Nec dubito, quin ipsa quoque puella ab incunabulis vsu prædita rationis, & sancta, hostiam in templo suam vnà cum maternâ componens, se ipsam vltrò in solius habitaculum Numinis totam obtulerit. Legem hanc lustrandæ puerperæ ab Annâ post partum perquam exactè seruatam negare quis audeat, si Virgo Deipara eius filia, licet illibato pudore, atque omninò pura genuerit, præscripto tamen expiationis ritu carere noluit, à quo cæteroqui se sciebat immunem. Cur autem ad matrem ritè lustrandam, octoginta dies in secessione seruari leges iuberent, si fœminam peperisset; quadraginta tantùm, si marem: rationem discriminis in eo ponit Durandus [a], quòd spatium temporis duplo maius ad formandum fœminæ, quàm maris corpusculum in vtero matris natura requirat.

a Durãdus in Ration. diu. off. l. 7. c. 7. nu. 7.

XIV. An verò eodem octogesimo post exortum die Maria, quia primogenita, siclis fuerit redempta; itemque an reliquæ accesserint legales cæremoniæ, explorandum est ex institutionibus Hebräicis [b] diuino monitu à Mose præscriptis, quas Ioachimus & Anna exactè seruarunt.

An fuerit siclis redẽpta.

b Leuit. 12.

Annus B. Virginis 2. Ante Christum 14. Augusti Imp. 29.

I. Sequitur alter natæ Virginis annus, qui vnà cum proximè superiori eius sacram infantiam, & sumpta materni lactis alimenta complectitur. Eo in statu cum suæ compos libertatis infans, expeditum haberet rationis vsum, mente iugiter ferebatur in Deum. Quod enim vel vtero clausa materno, iam pridem facere didicerat nondum nata (vt scriptum reliquit eximius Virginis cultor S. Bernardinus [c] Senensis) id certè diligenter exercuit, postquam in lucem est edita; soluto nimirum & libero ad diuina colloquia corde, cum lingua infantiæ vinculis teneretur.

Deiparæ hoc anno infãtia.

c S. Bern. Se. serm. de Nat. B. V.

II. Ex Romanis rebus illustrarunt hunc annum insignia liberalitatis, & munificentiæ monumenta, relicta pluribus in locis ab Augusto, quem diximus Româ anno superiori digressum: nam Galliæ, Germaniæque populis pacem concessit; Cizicenis libertatem restituit, Paphios terræmotu afflictos pecuniâ leuauit; in Galliam, Hispaniamque colonias duxit. Fuit denique ornamentum eiusdem anni præcipuum, ortus

Quantum præstet Augusti operibus.

Et natali Germanici Cæsaris.

Germanici Cæsaris, domi militiæque clarissimi, quem à Tiberio patruo, iussu Augusti in spem imperij adoptatum, Romana tradit historia. Sed neque Augusti liberalitas, neque natiuitas eximij ducis potest vllo modo conferri cum eo splendore, quem anno contulit infantia, de quâ loquimur, magnæ Virginis. Nam Augusti quidem munificentiam deformauit illicò auaritiæ nota turpissima, cum Præfectum Galliæ Licinium ab expilatione Prouinciæ, thesauris auctum, & meritò postulatum de repetundis, crimine liberum abire permisit, quòd collectas vndecunque diuitias debere se, ac donare Augusto professus esset, quasi in eius dumtaxat gratiam expilandæ prouinciæ animum adiecisset: natus verò ad imperium capessendum Germanicus Cæsar, Tiberij æmulationem, inuidiamque excitauit, quâ sibi ad fatum per veneficia immaturè obeundum, inscius viam aperuit. At in Nazarenâ puellâ, ab vberibus longæuæ matris pendente, insigniora cernuntur in dies diuinæ liberalitatis incrementa, nullam in posterum labem, nullum defectum passura; eademque deriuantur pariter ad mortales, quibus infans augustissima felicitatem, & vitam affert, de suo vtero proximè affuturam.

Noua templi Hierosolymitani molitio ab Herode.

III. In Iudæâ Herodes hoc anno, vel paulò ante in veteri templo, quod à Salomone primùm, deinde à Zorobabele fuerat extructum, nouum moliri opus cepit; siue dirutis antiquis molibus ædificium erexerit ad eam formam, quam Iosephus a describit; siue instaurauerit tantùm, ac spatia dilatarit, vt censet cum Baronio Sallianus, habens hac de re narrationem Iosephi suspectam, quicquid alij contrà profiteantur de Authoris fide; cum enim narret Historicus, *Herodem decimo octauo sui regni anno, eximium opus animo concepisse*, illud inchoatum oportet saltem decimonono, qui ex nostrâ supputatione nonus erat, & vigesimus Augusti, nataque Virginis secundus. Ex eodem Historico fama percrebuit, exterioris quidem templi partem, quæ cuicunque patebat, annis octo; interiorem verò solis Sacerdotibus peruiam, sesquianno fuisse absolutam: quin etiam toto tempore, quo sacra moles extruebatur, nunquam interdiu pluisse, noctu tantum imbribus descendentibus, ne interrumperetur ædificatio; quæ si vera sunt omnia, concurrunt cum infantiâ magnæ Virginis saltem ex parte; eo enim Herodis Regis anno, ponimus ex sententiâ valdè probabili, natam esse Deiparam, quo anno Hierosolymitani templi siue excitandi, siue instaurandi consilium initum testatur Iosephus. Itaque eius ædificij deinceps subsecuta mo-

a *Iosephus Ant. lib. 15. cap. 14.*

ta molitio, templum longè augustissimum fortasse notabat, quod eodem tempore sibi vni Deus excitabat in Virgine, nullo vnquam vitio labefactandum: atque interim crescens ad vbera matris infantula, firmius quàm Herodiana moles, ne noctu quidem in somno cessauit ab exercitatione virtutis, locupletato semper cælestibus donis animo, ornatoque in habitaculum Numinis.

Concurrit cum infantia Virginis.

Annus B. Virginis 3. Ante Christum 13. Augusti Imp. 30.

I. TErtius natæ Virginis annus, puellam exhibet suis iam vestigijs insistentem, abductam à lacte, atque in templum Hierosolymitanum à Sanctis Parentibus ex voto iam pridem concepto delatam, oblatamque. Vltrà biennium, menses duos, diesque tredecim, eam non fuisse lactentem, persuadet authoritas D. Hieronymi [a] scribentis, præterijsse lactis sugendi tempus, *cum trium annorum circulus volueretur*, inchoatus post exortum sanctissimæ Infantis. Cum verò ex eodem Hieronymo habeamus; pupam trimulam absoluto lactatu, hoc est, anno ætatis tertio decurrente potiùs, quam completo, illatam fuisse in templum in idem ferè tempus concurrit, dimissus à puellâ trimâ lactis vsus, eiusque ad Salomonium templum dedicatio, quam *Præsentationis* nomine colit Ecclesia vndecimo Kalendas Decembris [b], ideòque duos tum annos, menses totidem, ac tredecim dies natam fuisse crediderim: cum præsertim probantibus rei medicæ peritis, vsus doceat; non esse infantes diutius lacte nutriendos; ne debiles, molles, ac stolidi, humidiore illo, ac tenuiore cibo reddantur; propterea biennij spatium, aut paulò amplius plerique de Medicorum consilio lactandæ proli præscribunt. Nostræ sententiæ robur accedit ex Euodio Antiocheno, ipsi Deiparæ synchrono, cuius perantiquo testimonio maximè nitimur: cum enim asserat ille apud Nicephorum, annos vndecim sanctissimam Virginem in templo mansisse; mox proximè agnato Iosepho desponsam, ineunte ætatis anno decimoquarto; eodem insuper decurrente diuinitus fœtam, & post nouem à conceptu exactos menses peperisse, sub initium nempe anni decimiquinti; profectò videtur ex hac supputatione deduci, puellam lac sugere desijsse, statim atque ingressa est annum tertium, eodemque in templum adductam esse,

Puella abducitur à lacte.

Et ad templũ oblata.

Tempus huius oblationis.

a Hieron. lib. de orta Deipara.

b 21. Nouemb.

vt vndecim illic annis egisse verè dicatur, tredecim expletis desponsata, Deique filium enixa post inchoatum ætatis annum decimum quintum.

Nuperi Authoris senté-tia de ieiunio Mariæ infantis.

II. Antequam vltrà pergo; ex Neotericis nonnulli, duo hic suggerunt non æquè admittenda; frequentatum à Mariâ lactente ieiunium; & sine vllâ Parentum arte, lactis vsum ab ipsâ Puellâ vltrò dimissum. Primum quidem caput non ex idoneo veteris alicuius historiæ testimonio, sed ex eo tantùm Authores probant, quòd id ætatis Virgo libertate frueretur, & cælitus edocta commendationem ieiunij optimè nosset: cum etiam de Sanctis viris non vno loco legatur, seruatum à nonnullis infantibus, certorum dierum ieiunium, ad futuræ sanctitatis præsagium, vt de S. Nicolao Methodius Patriarcha, Metaphrastes [a], alijque tradidere; de S. Sisinio Petrus de Natalibus [b], & Marulus [c]; de S. Stephano Diensi Dorlandus [d], & de Ioanne Firmo Gretserus [e], qui omnes quartâ saltem, & sextâ feriâ à materno lacte crebriùs sumendo abstinuerunt. Item quod narratur de lactentis Deiparæ ieiunio, ait Franciscus Ximenius [f] Patriarcha Hierosolymitanus, fuisse cælitus reuelatum: Verùm hæc argumenta non persuadent; nec habere vim possunt, nisi authoritas antiquiorum accedat, quæ nulla profertur. Quæ autem de prodigiosis Sanctorum in ætatulâ primâ ieiunijs dicta sunt, in re nostrâ nihil euincunt; nam non esse eam amussim fidelem, ad quam exigenda sint, quæ de priuilegijs Deiparæ proferuntur, probat Theophilus [g] Raynaudus in Diptychis Marianis.

Improbatur.

a Metaphras. in Actis S. Nicol.
b Petrus de Natal. l. 3.
c Marulus lib 4. cap. 1.
d Dorlan. in Chron.
e Gretser. l. 1. de discipl. cap. 14.
f Ximen. l. 2. cap. 27.
g Raynaud. Dipt. par. 1. pu. 3 nu. 7.

III. Alterum caput, de puellâ sponte ab vberibus maternis abstractâ, & lac auersante, videri potest verosimilius, quoniam à Nicephoro [h] est proditum, authore non prorsus obscuro, qui ex vetustioribus monumentis pleraque hausit. Præterea non erat hæc infans, aliorum instar, lactis & deliciarum auida, quam nutricum studio remoueri, atque auelli à materno pectore oporteret, vt in cæteris vsuuenit, amarulento quopiam papillis indito; sed *à lacte*, inquit Nicephorus, *iam abhorruit, & mammam attingere noluit*. Itaque ab eâ sponte resilijt, quòd ad Sanctuarium inhiaret; haud inscia, sibi non amplius lactenti, ad vitæ institutionem intimum Dei templum patere. Cum ergò primùm aptam se solidiori cibo sensit, illicò abstinuisse à lacte credi facilè potest; consilioque suprà ætatem matura, pro paternâ domo Nazarenâ, sacram ædem Hierosolymitanam optasse, vt (quod prædicat de Samuele Chrysostomus [i]) *ineunte pueritia à mamma matris*, *ad Spi-*

Ablactatio eiusdem vltronea, verosimilis.

h Niceph. l. 1. c. 7
i Chrysost. hom. 1. de Fide Annæ

ad spiritualem mammam transiret.

IV. Sancti ergò Parentes Ioachimus & Anna, voti memores, quo Deo promiserant, oblaturos se templo, si quam prolem ad tollendum diuturnæ sterilitatis probrum accepissent; vnicam filiolam amborum delitias, illuc maturè destinarunt, educandam deinceps inter innuptas virgines, sanctasque viduas, quæ procul ab externorum consortio, ipsius templi gynecæis, & parthenonibus inclusæ sacrorum cultui ministrabant. Opportunitatem aggrediendi itineris censent aliqui [a] captam esse, ex recurrentibus Nouembri mense ad quintum & vigesimum diem Encæniorum solemnibus, quibus restitutum templi decorem, atque altaris à Iudâ Machabæo [b] dedicati memoriam, confluentes Hierosolymam Hebræi, more institutoque maiorum celebrabant. Illuc enim cum reliquis ex oppido Galilææ Nazaretho, aliquot dierum itinere sancti Senes profecti, trimulam prolem secum adduxerunt; & mox, vt votum implerent, in templum illatam ante Encænia ferè quatriduo, custodiendam in Dei domo Sacerdotibus tradiderunt. Inter cætera huiusce oblationis adiuncta memoratu digna, ex parte quidem Parentum occurrit alacritas, atque celeritas ad promissionem reddendam, cum patienter ferant, carituros se vnico senectutis solatio, dulcissimâ filiâ, ne desint Religioni: ex parte verò oblatæ Puellæ, sacrificium animi, corporisque virginei Deo gratissimum, ardenter ab ipsâ iam pridem expetitum toto infantiæ tempore, nedum in vtero matris, quod sanè spectaculum Cælitibus venerationi fuit, mortalibus admirationi, atque exemplo, cum castissima columba nidulo relicto, ad diuinos amplexus vltrò conuolaret. Templi Hierosolymitani celeberrimum ædificium inter mundi miracula numerandum, editiore loco adyta continebat, *Sancta Sanctorum* vocant, vbi Arca fœderis, & sacrum Propitiatorium, quasi sedes & oraculum Numinis, religiosè ac splendidè seruabatur. Erat in proximo Sanctuarium, ibique ex auro purissimo Altare thymiamatis, septilustre candelabrum, & mensa panum, quos Propositionis appellant. Vestibulum sequebatur, ac templi facies pari cultu, sumptuque; terna mox cælo patebant atria, excurrentibus circumquaque porticibus, primum quidem cum arâ & igne ad sacrificia semper ardente, solis Sacerdotibus peruium: ex reliquis verò duobus alterum popularibus vtriusque sexus mundis, vbi mulieres seorsim à viris suo septo diuisæ conueniebant; alterum Ethnicis, immundisque. Adiunctæ præ-

De ipsa puellæ oblatione per Parentes

a Christoph. Castrius.

b Machab. 1. c. 4.

Templi Hierosolymitani descriptio.

ctæ præterea templo ædes innumeræ, ad eorum habitatio-nem, qui sacris assiduè ministrabant. Huc Maria à Parentibus allata, ex loco fæminis orantibus constituto, per quindecim gradus Dauidicis carminibus nobiles, non alterius ductu, sed suprà vires ætatulæ, suis tantùm innixa vestigijs, ad superiorem templi partem ascendit, vbi Sacerdoti egresso ad portæ limen, quam Iosephus [a] Maiorem appellat, se de more solenniter exhibuit, obtulitque. Affuisse tunc stipatores Angelos, & paruulæ collætantes, censet Georgius Nicomediensis [b], dum Puellæ præproperam ad diuinum obsequium alacritatem, & venustatem virginei corporis humanâ maiorem miratus Antistes, egregiam Deo administram, & sanctarum virginum claustris hospitam destinauit. Meminit huius historiæ non ineleganti carmine Religiosus Poeta [c].

Ventum erat ad magni tectum sublime Tonantis;
Quo ducunt ter quinque gradus de marmore viuo,
Et iam porrectis curuabat prona lacertis
Serua manus, summum ad limen latura Puellam;
Cum mox virgineo conceptum pectore Numen
Adfuit, & retrahens prompta sinuata ministra
Brachia, debilibus plantis, animoque vigorem
Addidit, & suprà ætatem fiducia creuit.
Protulit audaces sublata cyclade passus
In sublime volans Virgo, turbamque relinquens:
Sicut vbi multa volitant ad littora puppes,
Ocyor illa subit portum, quæ mole minori
Labitur, & melius velis, & remige fertur.

V. Excipiendæ Puellæ sortem, non alteri Sacerdoti, quam Zachariæ Ioannis Baptistæ Patri obtigisse nonnulli suspicantur, præeunte authoritate S.Germani [d] Antistitis Constantinopolitani id asserentis; nec sanè videtur à ratione alienum, siue quòd Zacharias vxorem haberet Elisabetham sacrosanctæ Virginis consobrinam, ac propterea ad illud munus obeundum vocatus fuerit, cum alijs cognatis: vel certè quòd stirpe Aaronicâ in classes quatuor & viginti distributâ Sacerdotium per vices administrante, tum fortè suo ipse officio fungeretur, quem fuisse *de vice Abia* Euangelica testatur historia [e]; vnde etiam colligere cuicunque licet, eundem extitisse, non summum Pontificem (vt innuit Germanus, & ante ipsum Ambrosius [f]) sed de minoribus Sacerdotibus vnum, qui in ordine vicis suæ sacerdotij munus obiret. Cum præsertim aliunde constet, eo quo Deipara oblata est anno, infulas

Excipitur in templo à Zacharia patre Ioannis.

a *Iosephus lib.6.de bel. cap.6.*
b *Georgius Nicō.orat. de oblat. Deip.*
c *Baptista Mant. l.1. Parthen.*
d *S. Germ. serm. de oblat. Deip.*
e *Luc. 1.*
f *Ambr. in p.1. Luc.*

insulas gessisse summi Pontificatus apud Hebræos Simonem Boethi filium, & Regis Herodis socerum. De hac quæstione luculentiùs in nostram sententiam disserit Alphonsus Salmeron [a], ad quem, nobis ad alia properantibus, si plura velit Lector accedat.

a Salmerō tom. 3. in Euangel. tract. 33.

VI. Cæterùm historiam Virginis ad templum solemniter dedicatæ, aduersùs Magdeburgensium centurias, multiplici veterum Patrum testimonio tuetur, confirmatque Canisius [b]; & nos instar habemus oraculi de eadem Ecclesiæ Catholicæ iudicium, declaratum satis institutione festi, quod singulis annis, vndecimo Kalendas Decembris [c] recurrit; neque deest peruetusta traditio, & Græcorum consensus, vt propterea mirum sit maximèque dolendum, viros cæteroqui Catholicos, pernegantes hoc Virginis oblatæ mysterium, Hæreticis adhærere, contrà communem sensum Fidelium, ac testimonia plura Sanctorum; cum etiam optimè norint, vsitatum apud Hebræos fuisse, abstractos identidem ab incunabulis pueros, exhibere ministerijs templi, vt de Samuele factum in Silo ab Annâ matre, sacræ paginæ docent. Eius institutione festi propugnandâ præiuit Canisio Franciscus Turrianus, qui cum sub Pio Quinto Pontifice Maximo, id è sacris fastis expungendum plures censuissent, vt minus antiquum; prolatis summâ eruditione ac diligentiâ veterum Patrũ testimonijs, eius restitutionem persuasit. Quare accepisse creditur à Deiparâ religiosi studij munus, cum ipsomet festo die, quem tanto conatu defenderat, ex hac vitâ migrarit, vt scribunt Petrus Ribadeneira [d], & Philippus Alegambe. Interim quoniam exhibitâ ad sacram domum Diuâ Virgine maximè illustratur hic annus; videamus numquid ex profanâ historiâ proferatur, vnde par eidem splendor accedat.

b Canisius Mar. lib. 1. cap. 12.

c 21. Nouembris.

d Ribad. & Alegam. de Script. Soc. Iesu.

VII. Erat tum Romæ Consul cum Crasso Cn. Lentulus augur, quem Seneca [e] maximum diuitiarum exemplum appellat, cum HS. quater millies possideret, quam tamen opum summam ipse Tiberio [f] miser congessit, eâ de causâ ab auaro Imperatore ad interitum vsque vexatus. At verò maior opulentia nostræ Puellæ, cuius virtutes & merita, indeficientes thesauri numerari non possunt, ipsiusque Dei manu profusæ diuitiæ, atque illuc pariter rediture, vnà cum Virgine matre dicuntur, quæ propterea ætate illi primâ, se totam dedicat, & omnia sua. Ex rebus etiam Romanis meminit eodem anno Dio [g] excitati in foro ad Palatij radices incendij, quod porticum Pauli Aemilij triumphalem absumpsit, igne ad ædem

e Seneca l. 2. de ben. cap. 27.

f Sueton. in Tiberio cap. 49.

g Dio hist. Rom. l. 54.

Aureorum milliones decem.

Res Romanæ huius anni ad illustrandam Deiparam.

vsque

vsque Vestæ grassante; vnde sacra in proximam delata Palatij molem, atque in domo Flaminis dialis deposita sunt. Opportunè ad Virginis nostræ secessionem in templum, quò maturè se illa recepit, non quòd incendia mundi metueret; sed quòd diuino iam tum amore tota flagraret, vni Deo apud Deum seruanda. Sub idem fermè tempus videtur pariter non incongruè accidisse, vt Augusti gener [a] M. Agrippa, decretos sibi à Senatu ob rem in Ponto præclarè gestam, supplicationum, triumphique honores generosè respuerit, professus nimirum tale præmium Augusto deberi, cuius ipse auspicijs prosperè militasset, & omnibus exemplum præbens, ne deinceps Principis palmam minores Duces ambirent. Agebat verò tum religiosiùs, sanctiùsque Deipara, quæ in Deum bonorum omnium authorem suæ gloriæ incrementa reijciens, illi se ipsam à teneris annis mancipabat, ad exemplum posteritatis.

a Dio. ibid.

Annus B. Virginis 4. Ante Christum 12. Augusti Imp. 31.

I. QVartus Virginis annus, secundo eiusdem in templo commorantis, magnâ ex parte respondet. Quo in loco cum vndecim ipsos annos clausa permanserit intrà sanctarum Virginum septa, vt ex Euodio suprà posuimus, à parentibus procul, externorumque consortio, cœpit illicò ad maiorem sanctitatem instirui, vnique se Deo atque aris addixit. Illinc ergò sicuti meritò arcemur, quotquot aut profani sumus, aut minus sancti, ità nosse non licuit res ibi à Virgine singulis annis gestas, vt possint pariter ex annorum ordine recenseri: Dabit itaque veniam Lector, vt aliqua ad Virginem pro hoc tempore pertinentia, de quibus Patrum authoritas minus dubitationis reliquit, ità suscipiamus exponenda, vt pro libito sua cuique anno assignentur quæ tamen omnibus communia sint; ne grauissimæ quæstiones, & scitu dignæ, vno omnes in loco congerantur, & necubi ex defectu hient annales. Quam certè scriptoris mentem iuuabit plerunque ex profanis litteris allata in loco siue Romanorum, siue Hebræorum historia, vt Marianis vtraque annalibus ancillettur, atque ex opposito plus conferat luminis, id quod ad tempora distinguenda in Ecclesiæ annalibus opportunè factum videmus.

Deipara in templo.

Qua mente Scriptor afferat aliquid identidē ex profana historia.

II. Re.

II. Receptâ in certum templi locum Deiparâ, atque inter reliquas virgines, in illo tanquam cænobio degentes, admissâ, reuersi sunt Nazarethum Parentes; & nonnihil inquirendum nobis de eâ habitatione relinquitur. Ex Iosepho[a] sanè colligitur, præter atrij secundi partem, vt diximus, mulieribus ad orandum præscriptam, ædes fuisse templo adiunctas pro sanctis virginibus, innuptisque viduis, quæ ad sacrorum ibi ministeria viuerent, seorsim à viris; sed certiora pro hac re testimonia proferuntur è sacris litteris, & præsertim ex libris Machabæorum[b], vbi legimus ob tumultum exortum, cum Heliodorus sacrum gazophilacium expilare contenderet, virgines, quæ conclusæ erant, ad Oniam summum nempe Sacerdotem confugisse; quem locum docti interpretes ad virgines nobiles referunt, quæ extructis circà templum ædibus clausæ custodiebantur, donec nuptui traderentur. De Mose in Exodo[c] scriptum est; mulierum specula templo se deuouentium eò contulisse, vt labrum fecerit æneum; quæ mulieres excubare dicuntur *in ostio Tabernaculi*, siue vt vertunt Interpretes[d], precibus, ieiunijs, diuinoque cultui ibidem vacare; ab eo enim vsque tempore, sacra virginum militia cepit institui, quæ sæculi vanitate relictâ, in templum vltrò migrarent; vt proinde Helis[e] Sacerdotis duo filij grauissimum scelus admiserint, dum illarum pudicitiam Deo deuotam, in loco sancto petulanter ambire, atque inuadere ausi sunt. Præterea habitationem fæminis fuisse in templo concessam, probat Iosabæ in libris Regum[f] historia, quæ cum esset Ochoziæ Regis soror, atque vxor Ioiadæ Sacerdotis, Athaliâ quærente ad necem regios liberos, Ioam eiusdem Ochoziæ filium infantem, vnà cum nutrice sex annis habuit in templo absconditum, inter mulieres; ibique clam alendum, educandumque curauit, quoad interemptâ Athaliâ regnum pateret. Sed præcipuè receptum ac solenne apud Hebræos fuit, vt virginibus, viduisque custodiendis in sanctâ domo gynæcea forent, viris, nuptisque fæminis imperuia, vbi illæ officia pietatis commodè exercerent, suamque continentiam minore negotio tuerentur. In harum viduarum ordinem, censent eruditi[g], cooptatam fuisse Annam Phanuelis, quæ Lucâ[h] teste, suam in templo sedem fixerat, vt inde sibi discedendum non putaret, vitâ interim & moribus religiosa, ieiunijs ac precibus vacans, humana negligens, diuinoque cultu iugiter occupata, quæ proculdubio si mansit in templo, hoc ipso tempore Virginem nostram agnouit, eiusque veluti senior curam gessit, indolem

De virginibus in têplo agentibus.

a Iosephus lib.6. de bel. Iud. cap.6.

b Machab. lib.3. c.3.

c Exod. c. 38.

d Septuagint. Chald. Paraph. S. Hieron.

e 1. Reg. c. 2. Ioseph. l. 5. Ant. c. 11.

f Regum lib.4. c.11.

g Chrysost. ph.l.4. c.11.

h Luc. c.2.

planè diuinam in puellâ, & prudentiam mirata suprà conditionem ætatis. Ceterum de Virginibus Hierosolymæ templo deputatis, mentionem apertam facit Ambrosius [a], nec tacet Epiphanius [b], subscribentibus alijs.

a Ambr. l. 1 de Virg.
b Epiphā. in Ancorato.

Quinam fuerit in templo virginum inclusarū locus

III. Sed in definiendo sacri ædificij loco, vbi eiusmodi virgines sacrorum administræ clauderentur, non vna est Authorum sententia. Sunt qui præeunte Alexandrino Cyrillo [c], propè holocausti altare, ipsumque Aedis sanctæ vestibulum Parthenonem constituant, atque inibi disposita fuisse censeant virginum inclusarum cubicula, sicut in veteri templo, quod diuino monitu magnificè Salomon excitauit, æreis descriptum formis proposuit Villalpandus [d]. Neque constat mole rursus siue per Neemiam, siue per Herodem extructâ, locum fuisse mutatum. Alij verò aliter sentiunt, easque sacrarum Ascetriarum domunculas pertinuisse arbitrantur ad illam atrij secundi partem, quæ mulieribus tantùm ad orandum patebat, vbi virginum templo ministrantium secretum conclaue, & cellas ad vtrumque latus fuisse docent; rati nimirum, si alibi collocentur, virginibus ad consuetas preces in præscriptum locum tendentibus, necessarium fore transitum per septa virorum, quem leges vetabant. At ego in re dubiâ libentius primis subscribo; quoniam ad vitandum incommodum, quod obijcitur, satis est dicere; inclusas, cum pergerent ad orandum, non à suis limitibus pedem extulisse, sed intrà virgineum septum conuenisse certo loco ad preces, vnde in ostium Tabernaculi, vel Sanctuarium secretus foret, liberque prospectus. Quòd si adhuc expressè quæratur; vbi nam eiusmodi habitatio foret Herodis tempore, quo ponimus veterem templi molem instaurari ceptam, erit in promptu responsio, dicemusque: Herodianum opus, in exterioribus templi partibus diutius esse versatum; atque ad intimas sedes, & propiora Ædi sanctæ cubicula, nonnisi post multos annos peruenisse; aut certè propter insignem loci sanctitatem, antiquitate venerabilem, in ijs nihil esse mutatum. Itaque cum ex nostrâ supputatione, tertio ætatis anno Deipara huc fuerit à parentibus illata, dum circà extima vetustæ molis spatia, instauratio paulò ante ab Herode inchoata ferueret; dicendum est, sanctissimam Virginem, in loco iam pridem constituto, necdum immutato, vtpotè magis interno, fuisse receptam.

c Cyrill. aduer. Anthropomor. cap. 7.

d Villalpā. tom. 2. in Ezech.

Probabilis de hoc loco sententia.

IV. Quicquid demum sit, ipsum certè conclaue, in quod à Sacerdotibus est inducta, omninò seiunctum à frequentiâ, sanctas

sanctas virgines, innuptasque viduas continebat, quæ vel se templo in perpetuum deuouissent, vel vsque ad certum tempus in custodia permanerent, interim expolitæ litteris, & ad sanctitatem excultæ. Non credo explicari pro dignitate satis posse, quantum lætitiæ ex aduentu sacrosanctæ Puellæ cætus ille perceperit, pietati & religioni addictus, quàm alacriter in amplexus occurrerit regiæ alumnæ ex Dauidicâ stirpe; quàm attonitis suspexerit animis, indolis maiestatem, oris modestiàm, grauitatem incessus, & sanctitatis fructus in tenerâ ætate maturos. Pro hoc Virginis in sacram domum ingressu, opportunè referri possunt, atque adhiberi D. Chrysostomi [a] de puero Samuele præconia, qui deductus est in antiquum Tabernaculum, oblatusque ab Annâ matre, æquè ac Virgo, æquè lacrymarum filius, & votorum. Quin imò multò melius in Virginem cadunt, quæ Samueli tribuit S. Doctor. Ea nimirum est rosa, à spinis libera, in pratum deducta, vt perpetuò floreat, & nullo vnquam casu marcescat; ea potest ad ipsum vsque cælum exilire, germen minimè in eâ terrâ relictum, vbi natum est; sed inde reuulsa plantula, inque aliud solum translata, vt nouo accedente cultu, nouâ virtute, latius vberiusque progerminet. Sed absconditam intrà templi septa Virginem relinquamus, gratum vni Deo spectaculum exhibentem, precibus assiduis, atque exercitatione virtutum nunquam intermissâ; dum è contrario in Romanum theatrum publicè vanitas, mundique gloria prodit.

Quam lætus virginũ cætui aduentus D. Virginis.

a Chrysost. Hom. 3. de fide Anna.

V. Nam hoc Augustus anno, rebus Gallicis, Germanicis, Hispanicisque confectis, & Druso in Germaniâ relicto, Romam, vt ait Dio. [b], reuersus est. Intrauit noctu sine vllâ pompâ, vt populares occursus, & gratulationes vitaret, sed postridie cum ascendisset in Capitolium, & populum salutasset, laurũ detraxit fascibus, atque ad genua Iouis Capitolini deposuit. Sed nostræ laurea Virgini debebatur, cuius fuerant insigniores victoriæ; idcircò ad illam quotidie inter Cælitum plausus, nouas Deus coronas demittebat, imò in Dracone criminis authore, ipsum Iouem superstitionis patrem conterendum pedibus dabat. Cæterùm dedicata feruntur eodem anno Balbi & Marcelli theatra, ab Augusto alterum, alterum ab authore Cornelio, itemque ludi votiui à Tiberio dati, & Caius Augusti nepos octennis inter patricios pueros Troiam lusisse. Dedicationem Marcelliani theatri nobilitarunt feræ Africanæ sexcentæ depugnantes occisæ, diesque Augusti natalis IX. Kalen. Octobris [c], spectaculis varijs, epulisque celebratus.

b Dio. hist. lib. 54.

Augusti Imp. hoc anno res gestæ.

Aliaque ex Romana historia Dionis

c 23. Sept. ex Suet.

bratus. Hoc sibi rerum apparatu in Romano solo plaudebat humanæ potentiæ fastus, dum Virgo animi demissione insignis, in addictas fœminis templi Hierosolymitani exedras se recipiens, animum corpusque dedicabat spectaculo sanctiore. Idcircò reliqua id temporis ab Augusto gesta opportunius in hunc annum cadunt; vt munera, quibus Virgines Vestales ornatas ille voluit, cum Lepido olim Triumuiro, & mox Pontifici maximo, subrogatus, summum iniisset Pontificatum; hæc autem vilia omninò fuerunt, præ magnæ, veræque Virginis ornamentis à Deo collatis. Quòd verò fatidicos libros Græci, Latinique generis, suprà bis mille vndique conquisitos flammis dedit, solosque retinuit Sibyllinos, quos pariter expurgandos curauit; id factum hoc tempore dixerim non sine peculiari Numinis prouidentiâ, quoniam Virgo Deipara iam adesset, inanibus Deorum oraculis finem impositura, & felicissimis, rerum à Sibyllis prædictarum, euentis viam parans. Quæ nimirum vaticinia Augusti iussu recognita, & emaculata, Christianæ veritatis apud Ethnicos comprobandæ, Deiparæque illustrandæ habitura vim erant.

Cum Diua Virgine conferuntur.

Fatidici libri ab Augusto, côbusti, aut emendati.

Annus B. Virginis 5. Ante Christum 11. Augusti Imp. 32.

I. DEcurrente anno Virginis quinto, tertius inchoatur, ex quo illa migrauit in templum, vbi rebus piè sanctèque gestis, præcellit maximè, Deo promissa virginitas, cuius votum vel tunc omnium prima concepit, vel iam pridem conceptum, instauratâ sæpius promissione firmauit. De voti repetitione ad illud confirmandum vsurpatâ dubitare non licet, quoniam frequentissimum est ijs, qui ex vitæ institutione pietatem exercent, identidem renouare sancta vota, inductosque sibi pro Deo laqueos crebrò astringere, à quo vsu Deipara eximenda non est; quoniam in obeundis religiosis officijs constat illam vniuersitati Sanctorum prætulisse signum, & iam tum fuisse *pretiosum vas virtutum* vt ait Georgius [a] Nicomediensis. Itaque meritò sentire ac dicere possumus, sæpe iterasse & confirmasse in templo votum virginitatis, si vouerit antequam illuc è paternâ domo secederet. Votum aliquandò emissum fuisse, omnes citrà dubitationem affirmant; idque colligunt [b], ex modesto Sanctissimæ Virginis ad Internuncium Gabrielem responso: *quomodo fiet istud, quoniam*

De voto virginitatis à Deipara nûcupato.

Et sæpius repetito.

a *Georgius Nic. Orat. de Præsent.*

b *Bellar. l. de Monach. cap. 23.*

niam virum non cognosco. Videtur sanè perspicua ratiocinatio, si verborum cortex, & reliqua attributa considerentur, vti fecit in eorum interpretatione Franciscus Lucas [a]. Nunciabat enim Angelus Virgini, fore vt filium conciperet; ad quem illa nuncium, de suæ virginitatis candore sollicita, respondet illicò, se non cognoscere virum, significans, eâ formâ loquendi; non licere sibi virum cognoscere; sicuti cum aliquis dicit, se certo aliquo die non comedere carnes, hoc sensu creditur loqui, vt sibi non liceat eo die carnibus vesci. Ratio autem, cur virum cognoscere Virgini non liceret, aliunde peti non poterat, quàm ex eo quòd virginitatis seruandæ vorum iam pridem nuncupasset. Ità responsum illud Virginis, accepere Patrum complures [b], Anselmus [c], Bernardus [d], Augustinus, & Nyssenus [e] Gregorius. An hoc se voto Deipara obstrinxerit, quo tempore mansit in templo, incertum est, sunt enim qui piè admodum sentiant, ab ipso sui conceptus initio, ità se puellam addixisse Deo, vt simul illi animam & corpus consecrarit, diuinoque præuenta lumine, sanctè promiserit, Virginem se perpetuò permansuram. Certè, vt ait Angelicus [f] Doctor, admodum simile vero videtur, ante initum cum Iosepho coniugium, fuisse obstrictam voto Deiparam, quoniam tum virtutis nouam ex eo capite honestatem optimè notat; tum etiam boni tantopere Deo grati voluntate, studioque non caruit; idque cognitionis, ac desiderij habuit vel in vtero materno concepta. Quare cum esset in templo, aut conceptum antea illibatæ virginitatis votum, iteratâ sæpius conceptione firmauit; aut illud ibidem primùm emisit, sicuti sentire se profitetur in suâ Virginali Historiâ Christophorus [g] Castrius, nonnullorum Patrum authoritatem sequutus.

Emissum votum ante initum cum Iosepho coniugium.

11. Docuere præterea multi Sanctorum, Deiparam fuisse primam, quæ virginibus hoc voto præiret. Eam virginitatis sustulisse vexillum dixit [h] Ambrosius. Primam omnium proposuisse sibi Angelicam vitam ducendam, scriptum reliquit Bernardus [i]. Christum & Mariam in vtroque sexu virginitatis dedicasse principia, in eandem sententiam Hieronymus [k] affirmauit. Quæ formæ loquendi significant, nuncupatum à Deiparâ votum virginitatis, absque præuio alterius exemplo. Neque enim est dubium; quin ante illam plures cælibes ac virgines vitam exegerint, sicuti de Eliâ, Iosue, Melchisedecho, Eliseo, Ieremiâ scripsit ad Philadelphios S. Ignatius [l]. Itaque ideò B. Virgo dicitur virginei pudoris extulisse signum;

Vouit Deipara virginitatem omniū prima.

a Frā. Lu. ad c. 1. Luc.

b Anselm. l. de excell. Vir. c. 4.

c Bernard. Hom. 4. sup. Missus est.

d August. De sanc. Virginitate cap. 4.

e Nyssenus orat. de natiuit.

f S. Theolog. 3. par. q. 28. art. 4.

g Castrius c. 3. n. 17.

h Ambros. l. de instit. Vir. cap. 5.

i Bernard. serm. 4. de Assum.

k Hierony. epist. 74. ad Pammach.

l S. Ignati. ep. ad Philadelph.

ſignum; mortalium primam Angelicæ vitæ ducendæ animum intendiſſe; virginitatis dedicaſſe principia, quia adiuncto illam voto prima firmauit, non inter fæminas modò, ſed abſolutè. Laudatur idcircò maximè ab Hugone Victorino [a], quòd Hebræis operam procreandis liberis datam ſummopere commendantibus, ipſamque Dei legem perperam intellectam trahentibus in cælibatus probrum, nihilominus edocta diuinitus Puella, exarſerit amore virginitatis, eamque Deo promiſerit illibatam. Sacris verò Doctoribus ità de Virgine ſentientibus, opponunt nonnulli Ioannis Hieroſolymitani authoritatem, dicentis Deiparam ſeruandâ virginitate, Eliæ veſtigijs inſtitiſſe. Sed valeat hoc tantum ad cuſtodiam, & obſeruationem caſtitatis ex honeſtate temperantiæ; adhuc verum erit, B. Virginem primam eiuſmodi honeſtati religioſum voti ornamentum addidiſſe, ſicut optimè docet Theophilus Raynaudus [b] in volumine quod ſcripſit de Chriſto. Præterea illius Ioannis Hieroſolymitani non eſt authoritas tanta, quin facilè poſſit excuti: alter enim ab eo eſt, qui vixit temporibus Sanctorum Hieronymi & Epiphanij, imò longè poſterius floruit teſtibus [c] Bellarmino & Baronio [d].

Nec obſtat Io: Hieroſolym. authoritas.

III. Pertinet ad hunc annum noſtræ Virginis quintum, ex Romanâ [e] hiſtoriâ Patris patriæ nomen Auguſto delatum à plebe primùm, mox etiam ab vniuerſo Senatu, quod nomen Princeps tum modeſtè recuſauit, tum etiam lacrymans dixit, optare ſe illud meritò conſequi, ne à moribus appellatio diſſentiret. At longè nobiliſſimis titulis Dei Matris, Virginum ducis, mundique Reginæ, noſtram Deus ipſe iam tum Puellam dignabatur, non plauſibus expoſitam Romani theatri, ſed in templi Hieroſolymitani ſacrarijs vni cælo patentem. Cætera huius anni memoratu digna, quæ in hunc locum cadant, haberi meritò poſſunt, exorta tum Romæ, tum Hieroſolymæ tumultuum ſemina, dum ex alterâ parte adoleſceret Virgo ad componenda generis humani diſſidia. Fuit in imperio Romano haud dubia turbarum occaſio, Agrippæ ſenioris mors, quem [f] ſibi generum & hæredem Auguſtus aſciuerat, populo vndecunque gratiſſimum: quoniam eo deficiente, ſpiritus defuiſſe Cæſareæ domui viſus eſt, atque in eius locum ambitio plures vocabat. Hieroſolymæ verò Herodes, filios duos expoſuit aulicorum inuidiæ [g]; nam ſuſceptos ex Mariamne coniuge, quam calumnijs appetitam iniuſtæ dederat neci, miſit primùm Romam, vt liberalibus diſciplinis excolerentur, deinde hoc ipſo anno reuocatos adoleſcentes, metere do-

Auguſtus Pater Patriæ appellatus.

Exorta Romæ, & Hieroſolymæ tumultuum ſemina.

a *Hugo Vict. lib. de perpetua Virginitate Mariæ cap. 1.*

b *Raynaud. l. 3. sect. 3. cap. 9. de Christo.*

c *Bellar. l. de ſcripto. Eccl.*
d *Barō. an. 444. nu. 18.*
e *Suet. in Aug.*

f *Dio. hiſt. lib. 54.*

g *Ioſephus lib. 16. c. 1.*

re domi paulatim coëgit extremam calamitatem, vt annorum ac rerum series infrà monstrabit.

Annus B. Virginis 6. Ante Christum 10. Augusti Imp. 33.

I. Virginis in templo commorantis numerare pergimus annos, qui nobis sacrosanctam Puellam exhibent, sapientiâ non minus, animique virtutibus, quàm ætate ipsâ, & mole corporis adolescentem. Rerum toto hoc tempore ab eâ gestarum distributioni, quam suprà instituimus, insistentes, contemplandum anno præsenti suscipimus, eius progressum eximium in spirituali vitâ, quæ Deum maximè spectat. Exemplum certè proponimus, cum agmini Christianorum vniuerso, tum præcipuè Religiosorum Ordinum alumnis in cænobio degentibus suspiciendum, imitandumque. Illud in primis afferunt amplissima testimonia Sanctorum Patrum, qui diuinitus edocti, litteris consignarunt; qualis in templo fuerit Marianæ vitæ perfectio. Expressius cæteris [a] Damascenus, *Virginem*, ait, *in domo Domini plantatam & impinguatam spiritu, veluti oliuam fructiferam, omnium virtutum habitaculum factam esse*. Eidem [b] Chrisostomus, *vltrà omnem humanæ naturæ modum, modestiam atque temperantiam* excultam attribuit; *cum ætatis processu proficientem virtutibus*, Hieronymus [c] prædicat. Andreas [d] denique Cretensis, ad eius vitam respiciens teneris inchoatam annis, *ab omni reprehensione remotissimam* vocat; *ab hominum coniunctione, & consuetudine alienam; & assiduò in cælestium rerum contemplatione versantem*. Deinde plenior extat apud B. Birgittam [e] narratio, vt tantæ Virginis mores rectiùs cognoscantur, cum præsertim arcana, quæ sanctissimæ huic Viduæ patefecit Deus, à nullo, qui rectè sentiat, videantur posse contemni. Igitur Maria Virgo, sicut ab illa refertur, inde ab infantia Spiritu sancto plena fuit, qui cum ætatis progressu magis, magisque se prodidit; sic corpus eius & animam imbuens, vt minimas quasque vel leuium noxarum labeculas admiserit nunquam. Vt primùm autem audire de Deo Puella, ac Deum intelligere cepit, non sine metu & curâ, de obsequio quod summo deberet Numini, deque illius retinendâ beneuolentiâ haud pueriliter cogitauit. Exinde maior accessit cum ætate lux, vt Deum authorem, conditoremque suum, atque omnis vitæ specta-

D. Virginis in spirituali vita progressus.

a Damasc. lib. 4. fidei cap. 15.
b Chrisost. Hom. in Domini. Hypapant.
c Hieron. Hist. de ortu Mariæ.
d Andreas Cret. Encom. 1. de dorm. Virg.
e S. Birgit. l. 1. Reuel. c. 10. & l. 3. cap. 1.

Describitur sanctimonia D. Virginis ex Reuelatione S. Birgittæ.

ſpectatorem & iudicem intelligeret, hinc ſtatuit illum maiorem in modum amare, ac reuereri, ſemper animo ſecum reputans, ne quando, aut re, aut verbo, tantæ Maieſtati vel leuiſſimè aduerſaretur. Quum verò perfectius agnoſceret, hunc etiam peculiarem Deum Iſraëlis eſſe, qui ſepoſitum ſibi, ſelectumque populum, lege ſacrâ, multiſque donis, & miraculis præſtantibus exornaſſet, hunc ſolum Deum quærere, huic amorem omnem, ac ſeruitutem impendere decreuit; id quod tanto quidem ſtudio perfecit, vt caduca mundi bona, mortalibus plerunque iucunda, generosè reſpueret. Præterea ad eam cognitionem progreſſa, eundem Deum generis humani Vindicem fore, & aſſumptâ carne mortali naſciturum de Virgine, vt captiuitatis Tartareæ iugum hominibus demeret; addixit illi ſe totam, tantâ flagrans ergà cæleſtem Sponſum charitate, vt præter eum cogitare, aut cupere in terris vellet omninò nihil. Quapropter procul à parentum amicorumque conſpectu, ſolatium capiebat à ſolo Deo, idque maximè habebat in votis, vt præſentis Meſſiæ tempore viuere, & eius Auguſtiſſimæ parenti ancillari aliquando poſſet. Diligenti etiam ſtudio ſeceſſum, quietem, ac ſilentium coluit, vt noctes ac dies ſola verſari, diuiniſque tantùm frui alloquijs optaret, res humanas omnes, ac præſertim bona fortunæ vſque eò nihili faciens, vt de facultatibus vltrò dimittendis, nullâque re poſsidendâ votum conciperet, ſe ſuaque omnia diuinæ dedicans voluntati. Hæc ex arcanis B. Birgittæ diuinitus reuelatis in hunc locum ſtudiosè deprompſimus; vnde viſum eſt nonnullis [a] id colligi poſſe; Mariam in templo, præter votum virginitatis, voluntariæ etiam paupertati, atque obedientiæ animum adieciſſe, vt expreſſum in ſe religioſæ vitæ typum prima omnium exhiberet. Cum laudato ſanctæ huius Viduæ teſtimonio, libet alterum coniungere Mechtildis [b] Virginis item ſanctæ, quæ admirandam Deiparæ pueritiam contemplata; nullum aſſerit ante Chriſtum extitiſſe Sanctorum, qui ardentiori, quàm Maria deſiderio promiſsi Liberatoris flagrauerit, nullumque poſt ſalutem fundatam, illius æquaſſe merita, & ſanctitatem. Certè ſpiritus, carniſque colluctatio, quæ iuſtos quoſque vel inuitos exercet, & quandoque reddit in calle, ſtudioque virtutum minus expeditè currentes, Mariam ne pupugit quidem; quoniam diuinum illud mandatum [c]: *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*, ipſa præ cæteris exactè ſeruauit, nullo planè ſanctitatis opere prætermiſſo, quod in hominem mortalem cadat. Nuſquam perfectius,

a *Caniſius in Mar. l. 1. cap. 13. Spinellus in Throno Dei cap. 37 num. 11.*

b *S. Mecht. lib. de laudibus B. V.*

c *Leuit. 11. ver. 44.*

ctius, quam in Mariâ, fides vicit, palmarum ferax, & verè victoria Christianorum: vicit in eâdem charitas, quæ *legis est plenitudo*, vt Paulus [a] ait; vicit Regina virtutum iustitia; vicit sacrificium Deo gratissimum, continenter exhibitum, toto sanctissimæ vitæ decursu; cum eius cogitatio, cura, & voluntas omnis in lege Domini interdiu noctuque ità versaretur, vt corpore dormiente, animus vigilaret (sicuti loquitur D. Ambrosius [b]) nec vnquam somno interrumperet demerendi sibi Numinis studium; quod illâ felicius, vberiusque nemo produxit.

a Paul. ad Rom. 13. v. 10.

b Ambros. l. 2. de Virgin.

II. Cum ornaretur præclaris hisce victorijs Mariæ vita, quæ gratissimum de se ipsâ spectaculum inter templi septa Deo & Angelis exhibebat, cruentas in acie palmas Romani Duces de Barbaris, sorte quam dispari! reportabant: Anno enim post natam Virginem ferè sexto, â quo & quartus eiusdem in templo commorantis ducebat initium, Claudius Drusus Tiberij frater, & Augusti priuignus, ex Germaniâ Romam reuersus, Vrbanusque Prætor, teste Dione [c], renunciatus, iterum proficisci iubetur ad Germanicum bellum, in quo licet rem benè gesserit, summum tamen cum exercitu periculum adijt, in loco angusto & concauo circumsessus ab hoste, cui pugna ipsa temerè & inconsultò suscepta palmam eripuit. Eodem tempore Tiberius exercitum mouit in Dalmatas, atque Pannonios, Romani iugum imperij detrectantes, eosque bello victos edomuit, dum ex aliâ parte L. Piso rebelles in Thraciâ populos armis comprimeret, palmam vna cum Tiberio triumphalem ex re benè gestâ promeritus. Sed hæ victoriæ sine vulneribus, multoque sanguine partæ non sunt, imò laureas breuissimo temporis spatio duraturas victoribus pepererunt. Dum immortales Virgo palmas de singulis humani generis hostibus, atque adeò de se ipsâ reportaret, altera nimirum Sunamitis, Erebo terrorem incutiens, *vt acies ordinata*, chorisque castrorum, & quidem triumphalibus vndecunque referta. In Herodis [e] autem Regiâ turbæ non desunt; nam Româ reuocatos anno superiore filios, aulicis instigantibus, odisse cepit, in eam nempe curam, ac dubitationem inductus, ne in vindictam maternæ cædis, Patri necem molirentur; quippe Mariamnen eorum matrem, coniugemque suam Herodes, per summum scelus iusserat obtruncandam. Sed non illicò emerserunt è suspicionibus odia; cum aliquantò serius ad Herodem de filijs sint aulicorum delatæ calumniæ. Quamobrem interea temporis ad stabiliendam sibi

Ducum Romanorũ per hoc tempus victoriæ.

c Dio. hist. lib. 54.

Cum victorijs Deiparæ conferuntur.

d Cant. 6. vers. 3. & 7. vers. 1.

e Ios. l. 16. c. 1. & 2.

Herodis aula per id tempus cędibus, odijsque referta.

ſibi domum iunxit vtrumque coniugio, Alexandrum quidem cum Glaphyrâ Archelai Cappadocum Regis filiâ, Ariſtobulum verò cum filiâ ſororis ſuæ Salomes Berenice, ratus hac affinitate conciliandam nepotibus Amitam, atque odiorum fomitem extinguendum. At votis non reſpondit euentus, & ſpes concepta impium Regem feſellit, vt ſuo loco patebit; interim in templo Maria, cum propè in gremio Numinis adoleſceret, in viâ Domini ſine metu lapſus feliciter ambulabat.

Annus B. Virginis 7. Ante Chriſtum 9. Auguſti Imp. 34.

I. Vitam à Virgine in templo geſtam proſequimur, & nunc maximè, expoſitâ eius conſuetudine cum Deo, animæque internâ perfectione, obiter diſcutiendum occurrit: an in æde ſacrâ moram ità fecerit Virgo; vt (quod plerique Neotericorum affirmant, Euodij apud Nicephorum [a] authoritatem ſequuti, vnàque Nicomedienſem Georgium [b], & Germanum [c] Conſtantinopolitanum) in ipſis adytis iugiter hæſerit, intimâ templi parte, *Sancta Sanctorum* appellatâ, in quam Sacerdoti quidem ſummo ſemel tantùm in anno, cæteris verò nunquam ingreſſus patebat. Quibus id aſſerere placuit, ij negant ex arcano illo ſacrario vnquam egreſſam eſſe Mariam, per ipſos vndecim annos, quibus eius ibi commorationem definit Euodius. Rurſus à naturæ neceſſitatibus liberam faciunt, vt ſine vllâ intermiſſione diuinarum rerum contemplationi vacaſſe, conſequenter affirment. Quò autem minus incommodè loqui videantur, cæteroqui non audiendi, id potiſſimum notant: poſt innumeras Hebræorum clades, totidemque templi, ac Sanctuarij direptiones, ſummam illam reuerentiam, maieſtatemque loci, quæ olim apud Iudæos fuerat, defeciſſe: quin imò interdictum fuiſſe concedunt aditum in *Sancta Sanctorum* pro eo tantùm tempore, quo res diuina ſolemniter agebatur, vt apertè dicitur in libro Leuitici [c]; extrà eiuſmodi tempus, licuiſſe aiunt viris ſanctitate inſignibus, illuc ad orandum accedere, quod de S. Iacobo minore Apoſtolo, ſpectatæ probitatis Antiſtite, teſtatur apud [d] Euſebium Egeſippus, ac poſt eum [e] Epiphanius, aliique Scriptores. Itaque ductâ ratiocinatione concludunt; commorationem in eo loco minimè fuiſſe denegatam Puellæ, quam

An D. Virgo ſemper morata ſit in Sanctis Sanctorum.

a *Nicepho. l. 1. Hiſtor. cap. 7.*
b *Georg. & German. Orat. de Præſent.*
c *Leuitic. c. 16. v. 17.*
d *Euſeb. 2. hiſt. c. 21.*
e *Epiphan. Hæreſ. 78.*

læ; quam diuina manus tot mirabilibus editis, insignem præ cæteris mortalibus reddidisset. Hæc ipsa ratiocinatio non displicuit [a] Canisio, nec improbatur ab alijs.

a Canis. l. 1 Mar. c. 13.

II. At verò, quod omnium pace dixerim, mihi nullo pacto probari potest: quoniam licet prærogatiuâ, & honore sanctioris loci, foret ea Virgo dignissima, quam sibi Deus in matrem elegerat; attamen non videtur admodum simile vero, ornatam fuisse tam singulari, atque insolito priuilegio, vt libera ab ijs naturæ necessitatibus, quibus omnes sumus obnoxij, in intimo sacræ ædis secessu iugiter habitare permitteretur, cum præsertim neque Sacerdotibus templi Præfectis, neque reliquis Hebræorum sacrum innotuisset arcanum Messiæ ex illâ Virgine nascituri, vnde iusta fuisset ratio tantæ Puellæ singulari studio venerandæ, si quàm Deo grata foret, ob futurum diuini partus mysterium, fama vulgasset. Certè ab annis vsque primis, quò sanctior coram Deo extitit, eò etiam humilior in hominum oculis fuit, quicquid in vitâ singulare, atque insolitum esset studiosè deuitans, atque in communi ratione viuendi, sanctitate insignis & moribus. Quàm porrò inusitata foret, & præter susceptum vitæ institutum, iugis infantulæ trimæ secessio, & diuturna segregatio à reliquis virginibus, quæ in templo degebant? Ipsi denique Sacerdotes, vt benè Theophilus Raynaudus [b] notat, cum omnem templi gloriam impensè curarent, tantam contrà omnem morem in sacris adytis degendi licentiam, etiam quo tempore rem ibi diuinam ageret summus Antistes, quòd expressè Dei mandata vetabant, nunquam tolerassent per tot annos. Si verò concessum nihilominus asseras; saltem negare non potes; famam, quæ ex hoc de Virgine increbuisset, gloriosiorem futuram, quàm ferant illæ voces Iudæorum, Christum vilipendentium apud Matthæum [c]: *nonne mater eius dicitur Maria?* Nam quæ à primâ ætate, in tantâ veneratione apud primores gentis illius fuisset, vt ad multorum annorum hospitium, vel Puellam dignati sint sanctissimâ templi parte, vbi Arca seruabatur: nunquam tantopere euiluisset, vt eius obscuritatem in filij probrum vertere possent. Imò quò magis illum odissent, eò studiosius eiusmodi matris nomen occultassent, ne Christum ex eâ genitum esse, pateret.

Potior sententia id negās.

b Raynaud. Diptych. p. 1. pun. 3.

c Matth. c. 13. v. 55.

III. Quòd autem vsque ad vndecimum annum mansisse Virginē in *Sanctis Sanctorum* affirmat expressè Euodius, author cum alias ob causas, tum præcipuè ob antiquitatem fide dignissimus: eius testimonium facilè potest accipi de habi-

Quo sēsu dici possit D. Virgo habitasse iugiter in Sāctis Sāctorum.

habitatione in loco, sacris adytis proximè iuncto, ac proinde vnum cum illis ædificium constituente; quâ ratione dicere nunc quoque nobis liceret, Ascetrias nostras sacris parthenonibus, & gynecæis inclusas degere in templo, atque adeò in loco vbi Christus asseruatur, quia domus earum continens & adiuncta est templo, in quo sub speciebus panis est corpus Christi, etiam si sedes habitationis propria non sit ipsum templum. Cur ergò idem affirmari de templo Iudæorum non possit? cum cæteroqui sit vero simillimum, Hebræas ibi virgines, intrà septum suæ habitationis certo conuenisse ad diurnas, nocturnasque preces loco, ex quo si minus per cancellos, vti fit apud nos, at saltem ex vicinitate ac situ, qualiscumque prospectus in Sanctuarium ipsum daretur. Præterea cum ibidem Maria, longas in oratione vigilias continuaret; cum omnium sociarum adesset frequentissima, & plerumque prima accederet, vltimaque recederet: verè dici potuit, sacrum eiusmodi Eucheum pro iugi hospitio habuisse, quo etiam sensu credimus aliquos Patres fuisse loquutos.

IV. Hoc anno, Mariæ sacra adyta frequentantis quinto, fertur ex Suetonio [a] & Dione Augustus Cæsar Octauiam sororem vitâ functam publicè in sacrario laudasse. Quæ laudes potiori iure nostræ Virgini viuenti, quàm Octauiæ defunctæ debebantur; ideòque dignius pleniusque pro Mariâ ab Angelis laudationes habitæ sunt in Hierosolymitano sacrario; quàm ex ore Augusti pro Octauiâ in Romano. Eodem anno fatales Iani portas diu in bellorum & cladium effusionem apertas, claudere tandem Augustus ipse decreuerat, in spem sanciendæ, firmandæque cum hostibus pacis. Sed cum Daci suis sedibus relictis [b] vltrà Istrum frigore concretum transgressi è Pannoniâ prædas auferrent; vnàque Dalmatæ ob exactum tributum tumultuantes à Romanis deficerent; vtrique impedimento fuerunt, quominus perduceretur ad exitum salubre consilium. Ægre verò motus hosce compescuit adueniens è Galliâ cum suis copijs Augusti iussu Tiberius. At felicissimâ longè sorte Deipara, tum in templo spem mortalibus faciebat aperiendi tandem cæli, quod vetus Parentum clauserat culpa, atque inde pacis ad [c] *bonæ voluntatis homines* descensuræ, sicut ex aperto Iani templo prodire bella credebantur. Ostium illud cæleste adamantinâ occlusum serâ, assiduis precibus Virgo pulsabat, neque monstris inferorum contrà nitentibus, cæli impediebatur apertio, quæ ad humanum genus pacandum, diuinitus imminebat.

Res ab Augusto gestæ per hunc annum.

a *Suet. in Aug. c. 61. & Dio. hist. lib. 54.*

b *Ex eod. Dione.*

c *Luca 2. ver. 14.*

V. Ferè

V. Ferè sub idem tempus Rex Herodes in Iudæâ domi forisque curis detinebatur, quibus secum ipse certabat. Nam vrbem Cæsaream [a], ante duodecimum annum ædificari cœptam, splendidè ac magnificè dedicauit, inuerecundè subseruiens suæ gentis honori. In patris, matrisque memoriam geminis Oppidis nomina fecit, & alterum quidem Antipatrida, alterum verò Cypron vocauit; turrimque pariter in vrbe pulcherrimam instar Alexandrinæ Phari extruxit; quæ tamen opera; & molitiones, cum constarent expensis sanè quammaximis, in ipso Tyranno authore immoderatum animum, & vastam crescendi cupiditatem indicabant, dum ille ingrauescente iam ætate viribus & vitâ decresceret, cumque splendorem affectaret in ædificijs, quem sibi ad interitum properanti deficere sentiebat. Domesticum præterea dissidium eò iam venerat, vt duo Herodis filij, quos ille ex Mariamne susceperat, conspirarent in patrem, ad vlciscendam nempe matris necem, quam iniustè illatam ipsius Herodis iussu resciuerant. Iram filiorum in patrem, & patris in filios, Salome Herodis soror, tanquam domestica furia, odijs vtrinque disseminatis excitabat, donec Herodes, vt reprimeret duorum adolescentum ferociam, alterum filium Antipatrum augere honoribus cepit, & quamuis ex matre Doride ignobilem, regno destinauit; eâque de causâ Romam misit, tanquam Augusto in primis probandum. Hinc magis exasperata sunt odia, atque Herodianæ domus creuere dissidia, quæ tandem luctuosas pepérere Tragœdias, vt anni deinceps consecuturi monstrabũt: dum ex opposito Deipara, ab humanis curis longè semota, cælestem sibi Regem conciliaret, atque auream hominum generi pacem allatura viribus crescebat & mole corporis, magisque numero meritorum.

a Ioseph. l. 16. cap. 9.

Domesticæ & externæ Herodis curæ per id tẽpus.

Semota ab humanis curis Deipara.

Annus B. Virginis 8. Ante Christum 8. Augusti Imp. 35.

I. EX annis, quos Deipara in templo traduxit, octauum subimus, eoque cum hominibus integerrimè conuersantem spectaturi sumus, insistentes præscripto narrationum ordini. Puellam in agendo matronarum exemplar, morum pro quacumque ætate magistram, viuendi normam, & speculum actionum omninò sanctarum, proponet nobis D. Ambrosius [b], cuius verbis loqui placet. *Talis fuit Maria, vt eius*

Humana D. Virginis cõuersatio ex D. Ambrosio

b Ambros. lib. 2. de Virg.

vt eius vnius vita, omnium sit disciplina. Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens; intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere; nullum lædere, benè velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem; Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem? Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum, non gressus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; vt ipsa corporis species, simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Pergit in hanc sententiam pereleganter Ambrosius, annumeratque inter cætera ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, congeminatos ieiunio dies, obuium victum non ad voluptatem, sed ad necessitatem perceptum, omniaque virtutis officia, adeò exactè, adeoque abundanter impleta, vt ipsius proprium fuisse asserat, non tam discere, quam docere. Possem Ambrosio subnectere Patres eiusdem in Virginem voluntatis, obsequijque complures, eadem fusè pariter eruditèque testantes; sed omissis omnibus in re satis compertâ, præterire tacitus minimè debeo vnius testimonium Epiphanij, non eius qui Salaminæ Cypri Antistes præfuit, sed alterius Constantinopolitani Presbyteri, qui nimirum magno se vsum studio dicit, in Græcis authoribus perlegendis & excutiendis, vt de Mariæ vitâ non modò credibilia, sed certa & firma proferret. Hic tradit eam fuisse in rebus omnibus honestam, & grauem, pauca admodum atque ex necessitate loquentem, ad audiendum facilem, perquam affabilem, audaciâ inter agendum nullâ, nullo risu, perturbatione nullâ minus decoram, atque in primis maximè venerandam; quod testimonium Græcus Author in hæc verba proposuit, Nicephoro [a] Callixto referente: τὸ δὲ ἦθος αὐτῆς τοῦτο σεμνὸν κατὰ πάντα, ὀλιγόλαλος, ταχυπήκοος, εὐπροσήγορος, ἀπαῤῥησίαστος, πρὸς πάντα ἄνθρωπον ἀγέλαστος, ἀτάραχος, εὐπροσκύνητος. Hanc ipsam speciem verè dignam imperio, graphicè ab Epiphanio expressam profert etiam agens de Virgine Deiparâ Petrus [b] Canisius, vbi latinum interpretem græci textus, tanquam authoris mentem non rectè in omnibus assecutum opportunè castigat:

Epiphanij Presbyteri Cõstantinopolitani testimoniũ de D. Virgine.

a Niceph. l. 2. Eccles. hist. c. 23.

b Canisius Lib. 1. Marial. c. 13.

II. In annum quoque Virginis octauum ex profanâ Romano-

manorum historiâ incidisse perhibetur mors Claudij Drusi, viri vtique clarissimi, qui tum Augusti priuignus, Tiberijque frater, tum etiam alterius Claudij Imperatoris extitit pater. Is cum rem bellicam in Germaniâ strenuè fortiterque tractaret, hostem, Suetonio [a] teste, frequenter cæsum, ac penitus in intimas solitudines actum, non prius destitit insequi, quàm species barbaræ mulieris humanâ maior, victorem vltrà tendere latino sermone prohibuit, quòd iam ipsi, vt interpretatur Dio [b], operum suorum ac vitæ terminus immineret. Itaque territus prodigioso nuncio retrò ire Drusus cepit, atque in itinere ipso priusquam Rhenum attingeret, extinctus est, Augusto vitrico, ac Tiberio fratre cum Vrbe vniuersâ mærentibus. Diua interim Virgo Hierosolymæ in templo feliciter adolescit, cælestium Spirituum agmine ad eius obsequia conuolante. Quin etiam Orci victorias de mortalium genere susceptas inhibere iam incipit; sicuti Drusus à muliere suam vltrà victoriam persequi prohibitus est, si vera narrat Historicus. *Ille* quidem Claudium filium Orbi Imperatorem daturus, dignus est habitus, quem Roma morientem lugeret, mortuumque mortales honoribus prosequerentur. At huic, quòd mater destinata sit cælestis Monarchæ, debet cælum vel viuenti seruire; imò Cælites ipsi certatim adsunt, anticipatis honoribus.

a Sueton. in Claud. c. 1.

b Dio l. 55. init.

Claudij Drusi mors.

Prodigiosus de ea nûcius

III. Hoc eodem anno Antipater, Herodis, vt diximus, ex Doride filius, auram sibi popularem, & gratiam Principum Romæ captabat; patrisque per litteras odium in filios Mariamnes acuebat, vt populi beneuolentiâ, & Augusti fauore ac munere communitus, sibi regni coronam, & fratribus per ipsum patrem pararet exitium. Vide quos angues aula foueat; ad quam perniciem in Vrbe sensim regius puer adolescat: hinc institutionem Nazarenæ Puellæ illi ex opposito omninò contrariam inter templi adyta admirare, & sicut ex primâ iam suspicaris damna, neces, ruinam; itâ ex alterâ humani generis salutem expecta, nec falsa spes erit.

Antipatri in fratres insidiæ.

Annus B. Virginis 9. Ante Christum 7. Augusti Imp. 36.

I. DEcurrente nono Virginis anno, ex supputatione iam initâ incipit septimus eiusdem in templo commorantis, qui sacræ humanæque historiæ, amplam dedit,

dit, claramque materiem. Pergit primùm exhibere sanctissimam Puellam in habitatione sanctâ proficientem ætate pariter ac sapientiâ, eandemque coram Deo nouis semper meritis, ac virtutibus auctam, de quâ quærendum nunc occurrit; quo cibo enutrita fuerit, cum in æde sacrâ inter illius temporis Ascetrias versaretur. Non defuere qui dixerint, sacrosanctam alumnam Deo apprimè dilectam ex Angelorum manibus alimenta sumpsisse, nec verò consueta & communia, sed allata de cælo, qualia pro Enocho & Eliâ, inter viuos per tot sæcula ad vsque mundi finem prodigiosè asseruatis nonnulli meditantur; cuius generis cibum, ambrosiam cælestem vocant, aut immortalem, aut expertem materiæ dapem. Huius sententiæ authores afferri solent S. Germanus [a], Andreas [b] Cretensis, Georgius [c] Nicomediensis, & Cedrenus [d], quos præcipuè recenset, sequiturque Benzonius [e]. Visum profectò illis est non fuisse denegandum Virgini Augustissimæ insigne hoc priuilegium, quod non semel sanctis viris minoris meriti ac dignitatis concessum memorant sacri Scriptores, vt benè nouit, quicunque vel leuiter Ecclesiasticam libauit historiam. Nota enim sunt quæ de S. Io: Baptistâ puero per Angelum in desertis nutrito Cedrenus [f] & Nicephorus [g] prodiderunt; habemus præterea in Menæis [h] simile quippiam de S. Neophyto; apud Palladium [i] de Abbatibus Apolline & Anupho; apud Metaphrastem [k] de Simeone Stylite, & Codrato infante, atque apud S. Hieronymum [l] de Paulo Eremitarum Antesignano. Ex quibus exemplis nuperus author sententiam confirmat, a Canisio [m] non improbatam.

Quo cibo Deipara nutriretur in templo.

Refertur opinio eorũ, qui putant ambrosia pastam.

II. Equidem assentiri illis non possum, quoniam eorum de Puellæ Deiparæ cibo sententia, sibi ipsi contraria deprehenditur; neque niti admodum firmè videtur argumento, quod affertur de sanctis infantibus, per Angelos enutritis. Quippe constat eiusmodi cibationem communibus peractam cibis, quales Anachoretarum principi Paulo directus nonnisi ab Angelo coruus legitur ministrasse, & quales non semel Cælites ipsi, aut suâ manu paratos, aut certè ex aliquâ terrarum parte desumptos ad alumnulos suos in escam detulerunt. Cum verò pro Deiparâ immortales cibi fingantur; intelligi omninò non potest, quinam illi sint; imò si expertes materiæ, nullique obnoxios mutationi admittis; nonne vides hoc ipso rationem euerti nutritionis, quæ nimirum sita est in destructione cibi, eiusque conuersione in alitum, Esto, norint Angeli curare dapes, quæ optimam nutriendi vim habeant,

Refellitur ea opinio.

a S. Germ. Orat. de præs. Virg.
b And. Cre. orat. de dorm. Virg.
c Geor. Nic. orat. de oblat. Virg.
d Cedrenus Compend. hist.
e Benzon. in psal. 86. c. 22. & 40 tradit. 9.
f Cedrenus Comp. hist.
g Niceph. l. 1. cap. 14.
h Menæ. 11. Ian.
i Pallad. in Lausiaca.
k Metaph. 24. Maij. 11. Mar.
l Hieron. in vit. Paul.
m Canisius Marial. l. 1 cap. 13.

beant, & præ nostratibus cibis vegetare maximè valeant, atque reficere humana corpora: id certè præstabunt siue naturali, siue factitio alimento summæ efficacitatis, eis nequaquam ignotæ. Verumtamen fatearis necesse est, succum eiusmodi, vel edulium, vt alendæ vitæ subseruiat, debere corrumpi, atque in alitum verti, ideoque cibum esse mortalem. Neque prætereà verosimile mihi fit; Virginem in tantâ frequentiâ versantem, præsertim per totum tempus commorationis in templo ad vndecim annos protensum, cibationis diurnæ beneficium à Cælitibus accepisse, mortalem escam suppeditantibus; quoniam id priuilegium concessum legimus sanctis quibusdam, ab humanâ ope seiunctissimis, vt Ioanni Baptistæ puero, in desertis, incultisque Iudææ rupibus commoranti; neque miraculis vti solet Deus, vbi necessaria illa non sunt, aut munus accersere de cælo non decet. Alioqui fingat sibi quispiam, atque affirmet, Deiparam cibis cælestibus in vniuersâ vitâ pastam, omninò à cibis nostratibus abstinuisse, sicuti nonnulli malè feriati otiosè commenti sunt, referente ac refellente Clycthouæo [a]. Vt verò detur aliquid allatæ Sanctorum authoritati, quorum testimonijs fidem adhibendam censet Benzonius, neque Canisius audet aduersari; non negauerim aliquando saltem Virgini intrà abditum sacri templi Parthenonem enutritæ, cibum ab Angelo fuisse delatum, siue cum in diuinarum rerum contemplatione plus temporis insumpsisset, horâ diurnâ refectionis elapsâ; siue cum ieiunij legibus exactè seruatis, diuturna precatio, cui sæpe vacabat, mentem totam in Deum ferret, & simul languescere ac debilitari corpus inciperet; seu denique cum quiduis aliud actitaret, vnde & virium defatigatio, cibique illicò famendi necessitas ad eas reficiendas oriretur. Cæterum Angelorum illa ministerio, & crebris colloquutionibus frui consueuerat, quoniam cælestes Virgini Spiritus, tanquam administros & asseclas Deus ad decentem famulatum addixerat, quod nulli Fidelium dubium esse Fulbertus [b] asseruit. Itaque facilè mihi persuaserim, hoc etiam officio cibi identidem ad famelicam deferendi functos esse, sicuti Christo esurienti factum in deserto post quadragenarium ieiunium, sacra tradit historia [c]. In hanc ipsam sententiam videtur propendere Canisius [d], cuius testimonium, innixum authoritati Patrum, mihi quidem instar multorum est. Eius verba sunt: *Cedrenus, & Georgius Nicomediensis affirmant, Mariam in templo libenter mansisse, imò etiam ab Angelo sancto nutritam fuisse,*

a Clycthou. l. de dolor. Vir. c. 13.

b Fulbert. serm. 3. de Natiuit. B. Virg.

c Matth. 6.

d Canisius Marial. l. 1. cap. 13.

qui frequenter inusitatam speciem præseferens puellam inuiserit. Non video cur suspecta vel incredibilis narratio debeat existimari. Tu autem ô homo admirabilem, & nouam viuendi rationem audiens Virginis, noli dubitare: noli examinare ratione ea, quæ capere non potest cogitatio, &c. Mirum videri non debet, quod scribunt veteres, sæpe quidem Mariæ cibum Angelicum suppetiuisse. Vides vtique quid concludat eruditissimus Author; non semper, sed sæpe Virginem asserit cælesti ab Angelis dape refectam. Cæterum vixisse illam ex templi bonis, vti reliquas loci alumnas author est Epiphanius a:

a Epiphan. Presb. Constant. in vita Virg.

Anni per Augustum correctio.

III. Hoc eodem nono Virginis anno, qui sextus ac trigesimus Augusti numerabatur, emendati sunt fasti; errore sublato, quem intercalatione Pontifices committebant, pluribus iam annis elapsis à correctione Iulianâ; cuius rationem erroris è Macrobio b expositam habes in Saturnalibus. Ea nimirum anni correctio, Virgini inter Cælitum ministeria in Dei Matrem adolescenti; imò ipsi temporum conditori, paulò post ex illâ nasciturо parata videtur, quoniam venturo proximè per Virginem Domino, ad humanorum instaurationem cordium, emendata etiam tempora debebantur. Neque solum deprehensus ab Augusto intercalationis error, correctusque opportunè cecidit in hunc annum; sed etiam ab eodem Principe lustrum conditum, quo lustro censa feruntur, quadragies centum millia, & insuper ducenta triginta tria item millia, Ancyrano lapide ad memoriam posteritatis expressa: nam hæc fortunarum in Vrbe æstimatio facta per Censores, quantumuis magna, neque numero, neque pretio æquabat præclaras animi dotes, quibus Deipara affluebat adeò, vt de eâ dictum meritò sit

b Macrob. l. 1, nu. 11.

Conditũ ab eodem lustrũ

Tot tibi sunt dotes, Virgo, quot sidera cælo.

quod sanè monostichon, ex eo genere, cui Protei nomen indidit Scaliger c, multiplici collocatione, & variâ earundem vocum, tot ferè versum in facies reperitur, quot stellæ ab Astrologis in octauâ sphærâ numerantur, ideòque integer ex eo coäluit liber, ad regulam Christophori d Clauij. Opportunè ad laudem vnico versiculo Virgini traditam. Alia prætereа huius anni euenta possunt ad rem nostram commemorari, in Augusti gratiam Sextili mensi eius nomen impositum, teste Censorino e; obitus Mæcenatis, qui fuisse fertur litteratorum præsidium, eâque de causâ suum nomen ad posteros sibi similes propagasse; Mortuus denique post Mæcenatem proximè Horatius Poëta Lyricus, præ dolore, vt creditur,

c Scalig. in Poetica.

d Clauius in Sphæra. De num. & ord. element.

e Censorin. de die nata. li. cap. 22.

amissi patroni. At verò nostræ Virginis institutio, quæ id præsertim temporis maximè viguit, eò tendebat, vt nomen de cælo nouum [a], *quod est super omne nomen* accerseret; idque non inderet mensi tantùm, aut anno, sed pretiosi instar vnguenti, oleique salutaris in vniuersam terram effunderet, ad animorum medelam. Crescebat in sacro secessu, famulantibus Angelis Puella sanctissima, non litteratorum modò, sed humani generis patrocinium susceptura; & cum cælestibus delicijs assuesceret, virtutum morumque concentu, in morte Principis Lyricorum, intercipere quodammodo visa est, incestas Poëtarum lyras, quibus omninò silere iussis, aliæ sanctorum de cælo fidicinum audiendæ mox erant ad ipsius Virginis partum, & cunas nati Dei.

a *Paulus Phil. 2. v. 9.*

IV. Quod autem legitur eodem Augustus anno, demandasse Tiberio priuigno Germanici belli conficiendi prouinciam, à mortuo Druso relictam, & mox iterum Româ discedens, Aquileiæ ab Herode cum filijs fuisse conuentus, vt coram summo Principe criminationes diluerentur, adolescentibus obiectæ, quibus nimirum conspirasse in patrem accusabantur. Tutissima Virgini Deiparæ in templo quies, dum foris intendi lites pergunt, atque dissidia. Quàm dissimilis vtrinque rerum euentus? illic serium cum Deo, Cælitibusque negotium agitur; hic ridenda inter homines fabula. Mariæ templi hospitæ ministrant Angeli, feruntque primitias eius obsequij, quod tanquam Reginæ æternum in cælo præstabunt; dum inter militum plausus imperio destinatur Tiberius, quem degenerare videbis in vile mancipium voluptatis. Probat illa coram Deo virtutes suas, syncerè candidèque agendo; summæque integritatis exempla mortalibus præbet; dum Herodes, suos ex Mariamne filios, de veneficio ac parricidio coram Augusto accusat; sed quoniam orta deprehenditur ex calumnijs criminatio, Cæsare authore, recipit illos in gratiam. Mox domum reuocatos, sibi iterum reddit infensos, cum in eorum probrum, regni successorem declarat Antipatrum. Sic Herodianam aulam furijs agitatam; & Hierosolymitani templi exedras contemplare à Cælitibus in obsequium magnæ Virginis frequentatas.

Annus B. Virginis 10. Ante Christum 6. Augusti Imp. 37.

I. SEptimus suprà trigesimum Augusti annus, concurrit cum decimo natæ Deiparæ, & ex parte octauum attingit, ex quo illa in templum secessit. Eiusdem sanctissimæ Alumnæ exercitationes in Aede sanctâ pro hoc anno, à reliquis non discrepant, quas hactenus recensuimus. Commemoranda iam sunt studia mentis, opera manuum, industriæ in agendo, & exacta temporum cura seruata, ne inutiliter laberentur. Certè mens Virginis, quæ ne leuioribus quidem noxis infici poterat, suarum domina cogitationum, atque ad regulam diuinæ voluntatis, affectiones omnes flectere, ac dirigere solita, excellentiori modo quàm Adamus in paradiso, & quàm ipsi Angeli, ad beatitudinis æternæ gaudia nondum euecti, ferebatur in Deum, illique adhærebat; ideò quàm facilè intelligentiæ studijs, & bonis artibus excoli posset, sapientum nullus ignorat. Benè autem affirmauit [a] Origenes, fuisse in Mariâ legis scientiam cum sanctitate coniunctam, & quotidianâ meditatione sanctorum Vatum oraculis studuisse. Consentit [b] Augustinus, aitque diuinorum voluminum non caruisse doctrinâ illam, *quæ paritura erat plenitudinem Prophetarum*; eandem remotis arbitris contemplationi vacantem, non solam esse existimauit [c] Ambrosius, *cui nimirum*, inquit, *tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ*. Ex Anselmo [d], Cedreno [e], Epiphanioque [f] Presbytero testimonium habemus omninò consimile, didicisse Mariam in templo Hebraicas litteras, cum adhuc Ioachimus eius parens inter viuos esset; eamque peculiariter laudat Epiphanius ab ingenio ad discendum facili, & cupido, εὐμαθῆ, καὶ φιλομαθῆ, splendidis nominibus compellatam. De litterario eius profectu, summâque in sacris paginis exponendis peritià, dubitare nos neutiquam sinit, tum veterum authoritas Patrum, dicentium; Mariam ab ineunte ætate in templo versantem, intelligendi vi, ac sapientià ipsâ suprà cunctas illius æui adolescentulas fuisse, vel senioribus admirationi: tum etiam præclarissimum illud præconium [g], quo in ædibus Zachariæ, cognatâ Elisabethâ audiente, diuinam Virgo Maiestatem atque beneficentiam, non sine afflatu Numinis, laudauit, eruditè simul ac piè. Extemporalis hæc, & subita veluti cantio, ore prolata Vir-

Variæ D. Virginis in templo virtutes.

Intelligentiæ studia.

Profectus Mariæ.

a Orig. Hõ. 6. in Luc.

b S. Aug. Serm. 9. de Temp.

c S. Ambros. l. 2. de Virg.

d Ansel. in vit. Virg.

e Cedre. in Comp.

f Epiphan. in vit. Virg.

g Magnificat anima mea &c. Luc. 1.

ta Virgineo, satis superque declarat, quantum Mariæ cor saperet, & quot imbuta mens luminibus esset cælestium cognitionum. In sacro autem templi Hierosolymitani secessu, adeptam esse plurimum eruditionis Puellam, nemo negabit; quoniam inter cæteras exercitationes, ibi diuinis eam litteris addiscendis vacasse, antiquissimi Patrum testantur. Quòd si modus quæratur acquisitæ à Virgine sapientiæ; respondere cum Francisco Suario [a] non incommodè possumus; didicisse illam super omnes Theologos, & Apostolos diuina mysteria, vti futuram Ecclesiæ Magistram, tum allapsu sancti Spiritus mentem scientiæ donis diuinitus illustrantis; tum deinde per Angelos, & præcipuè per Gabrielem; per assiduam quoque lectionem, & meditationem sacræ Scripturæ; tum denique aliqua ab hominibus, si præsertim de adiunctis quibusdam mysteriorum sit sermo, aut de rerum futurarum oraculis. Lege Suarij locum, vbi fusiùs atque distinctiùs Author quæstioni satisfacit.

a Suar. t. 2. in 3. par. Disput. 19.

Quomodo Maria didicerit.

II. Neque solùm excolendæ menti per studia cognitionis vacauit id temporis Virgo; sed etiam laboribus manuum, in lanâ, lino, & serico sese diligenter exercuit, vt suprà laudati asserunt, Epiphanius, & Anselmus. Hæc enim opera, ad vitandum cum laude otium, fuere mulieribus semper in vsu, imò & per leges præscripta; ideòque ad singularem Mariæ industriam pertinere videbatur, vt statis diei horis, postquam mentem contemplando refecerat, puellare aliquod munus obiret, modò quidem lanificio vacans, modò texturæ; & phrygio interdum opere telis figurandis intenta, quæ omnia cedebant in sacræ supellectilis apparatum, templique & Sacerdotum ornamenta, vt optimè cecinit in suâ Parthenice Marianâ Baptista Mantuanus [b].

Opera manuum eiusdē Virginis.

Nunc lanam pingebat acu, nunc pensa trahebat
Serica, & immissis per licia pendula filis
Vela sacerdotum sacros texebat in vsus.

b Bap. Man. lib. 1.

Hisce manuum laboribus frequenter exercitis, consuere in eo secessu Maria didicit, diuersi generis vestes, vnde contexere suo tempore potuit, & reuerâ parauit, sicut Euthymius [c] tradit, inconsutilem Christi tunicam, non ità tamen, vt illam confecerit, cum inter templi Ascetrias versaretur; quando nondum nouerat, se Dei filium hominem factum, diuinitus parituram; de quâ etiam veste, habendum pro commento, Theophilus [d] Raynaudus existimat, quod nonnulli dixerunt; eam nimirum initio paruulam, creuisse deinceps cum Christo cre-

c Euthym. in Euang. S. Matth.

d Raynaud. Diptychor. p. 1. punc. 3. num. 12.

De tunica inconsutili Iesu Christi.

sto crescente: Cæterùm quam temporis distributionem in operibus siue manuum, siue mentis, Alcetria nostra seruarit, & quid quaque horâ facere consueuerit, difficile est inuenire; id quod aliqui exprimere conati sunt ad piorum vtilitatem, meditatione potius quadam, quàm verâ narratione. Attamen hac in re non displicet testimonium, quod habet liber de vitâ Mariæ S. Hieronymo ascriptus, ex eoque libro [a] S. Bonauentura [b], Sabellius, alijque sumpserunt: otij negotijque rationem ità Virgini constitisse, vt à primâ luce ad tertiam diei horam, rebus diuinis operam daret; inde ad meridiem externo se opere exerceret; vespertinas demum horas peratten-tâ sacrarum litterarum lectione studioque transigeret. Quicquid sit de hac temporis partitione, quam ex veterum authoritate passim Neoterici iactant; certum est, Mariam in templo ità vixisse, vt nullam diei, noctisque partem vel minimam, inutiliter labi sineret, & singulis omninò momentis Deo vacaret, neutiquam sibi, proximisque deficiens, vbi recta id charitas postulasset; quod etiam in reliquâ vitâ perquam exactè seruauit.

Operũ partitio in tẽpora.

a S. Bonau. Med. de vita Christi cap. 3.
b Sabell. l. 2. exemplo. c. 4. & 5. l. 3 cap. 4.

III. Hoc eodem anno, ex profanâ habemus historiâ initum Kal. Ianuarijs à Tiberio magistratum, acceptosque pariter triumphi honores, quorum meminit Dio.[c] Habemus quoque gladiatorium munus, Agrippæ iam ante demortui memoriæ datum ab Augusto, quod idem Historicus refert. Festos hosce apparatus, & profana humanæ gloriolæ monumenta spectauit Roma, quo tempore in vrbe Hierosolymâ Deus vnam sibi Puellam in habitaculum destinatam, ad hominum & Angelorum imperia vocabat, ac veluti Heroinam de infernis potestatibus triumphaturam, tantâ ornabat sapientiâ, quantum nulli hominum, nullique cælestium Spirituum contulisset, aut esset in posterum collaturus. Sed opportuniùs ad rem Virginis, contigisse hoc anno censent ex Iosepho [d] nonnulli [e], Dauidici expoliationem sepulcri, quod Herodes per summum scelus aperuit, spe inueniendi aliquot millia talentorum, sicuti factum didicerat ab Hircano Simonis Machabæi filio, qui argenti inde talenta iam pridem extulit, sibique ad tria millia pessimo vtique exemplo vsurpauit. At spe suâ deceptus Herodes, nihil ibi superesse pecuniarum inuenit, quas rapere pro libito posset; sed expleturus nihilominus cupiditatem suam auarissimus Princeps, vim inde magnam sustulit mundi pretiosi, atque aureorum ornamentorum. Dum autem scelere tam execrando, per milites emissarios suos, in sepulcrum

Res Romanorum huius anni.

Collatæ cum D. Virgine.

Expoliatio Dauidici sepulcri facta ab Herode.

c Dio l. 55. Hist. Rom.
d Iosepho Antiq. l. 16. cap. 7.
e Salliano & Torniel. lus.

pulcrum ille Dauidis inuaderet, & pretiosa vasa, quibus ad ornatum locus abundabat, eriperet; tunc à Deo scientiarum thesauris Virgo Nazarena Dauidis proles, pretiosiùs ornabatur, vt suprà docuimus. Ea non mortuum seruabat Iessæum Regem, sed alterum viuum editura erat in lucem, de prioris quidem stirpe prognatum, posteriorem tempore, dignitate maiorem, verè principem ac dominum progenitorum suorum. Quod verò Iosephus addit, de eodem Dauidis sepulcro, flammas in expilatores eiaculante, eosque comburente ad sceleris vltionem, licet meram fabulam iudicet Sallianus [a]; habet id nihilominus in Virgine nostrâ, respondentem sibi miraculi speciem, cum illa in templo degens ità se gesserit, vt sæpe verbo, sæpius exemplo virgines socias ad pietatem accenderit. Cæterum Herodes labi res suas in peius quotidie videns, turbis iterum ab Antipatro clanculum excitatis, eius se fidei totum commisit, geminos ex Mariamne filios Alexandrum, & Aristobulum, quibus se placatum ostenderat, acriùs auersatus; adeò vt illorum alterum in vincula coniectum facilè oppressisset, nisi interuentu Archelai Cappadocum Regis, qui captiui filij socer erat, iram temperasset. Huic rerum vicissitudini, atque Herodianæ potissimum inconstantiæ, si quis opponat constantissimum in virtute Mariæ pectus, emensumque ab eâdem feliciter, vestigio nusquam fallente, diuinæ humanæque scientiæ stadium, dicet sanè in hac cæleste Numen, in illo malum Dæmonem habitare; alteram Deo duce progredi semper in melius; alterum in deterius ruere nouis in dies furijs agitatum. Sed redeamus ad institutum.

a Sallianus An. mund. 4047.

De sepulcro Dauidis flammæ.

Inter Herodem & filios turbæ.

Annus B. Virginis 11. Ante Christum 5. Augusti Imp. 38.

I. HOc anno, quem suæ ætatis Maria vndecimum; & commorationis in templo nonum agebat, sanctissimos eius Parentes, Ioachimum, & Annam ex hac vitâ migrasse, Georgius Cedrenus [b] scriptum reliquit; qui præterea testatur, alterum octogenarium decessisse, alteram annos natam vndeoctoginta. Non multum ab hac sententiâ discrepat vrbis Constantinianæ Presbyter Epiphanius [c], qui Deiparam adhuc in templo commorantem, orbatam fuisse dicit vtroque parente. At contrà sentiunt aliqui, asseruntque Ioachimum & Annam vltrà Virginis filiæ sanctissimum puerperium

b Cedrenus Compen. histor.

c Epiphan. vit. B. Virginis.

De obitu SS. Ioachimi, & Annæ.

Variæ opiniones.

rium vitam traxisse, paruuli nepotis Iesu Christi conspectu, complexuque etiam felices, quam sententiam à plerisque improbatam, nos minimè sequimur, alteri modò commemoratæ insistentes.

II. Ponamus igitur hoc anno vtrumque senio confectum decessisse. Forent hic pro coronide, præclara amborum merita computanda; sed cum abundè dicta iam sint, addere satis erit, ad laudem sanctorum senum, inscriptum perbreue sepulcris elogium. Prior quidem Ioachimo sit laus.

S. Ioachimi Deiparæ Patris elogium.

Siste Viator.
Sepulcralis, angustusque lapis claudit
Augustæ magnitudinis virum,
Magnæ Dei Matris Parentem,
Maximique Regum Regis Iesu Christi Auum,
Stirpe Dauidicum, virtute sanctissimum,
Gloria nulli Diuorum Secundum.
Diu quidem sterilem
Sed ab vtrica tantum prole, repente fecundum, felicemque.
Obijt meritorum plenior, quàm dierum,
Senex quamuis octogenarius.
A Filia & Nepote nobilior multò,
Quàm ab Auorum serie præclarissima.
Atq. ab vnius administratione familiæ, plus dignitatis consequutus,
Quàm ab vrbium, Orbisque dominatu Reges, & Cæsares.
Non lacrymis huic parentandum, sed laudibus,
Digno planè, cui seruiat vita mortalium,
Quoniam filiam habuit, vitæ sequestram immortalis;
Ima summis, terras cælo, homines Deo conciliaturam.
Quicunque Mariæ filius audis, & cliens,
Quo loco Ioachimum habebis, qui eam genuit?

III. Annam verò tanti viri sanctissimam coniugem, quam etiam hoc anno defunctam ponimus, sic affici laudatione par est, vt excitato pariter monumento, nec illi desit sepulcralis inscriptio.

S. Annæ Deiparæ matris elogium.

Annam Ioachimo proximam
Olim sanctitate, & coniugio; nunc tumulo;
Suspice, quisquis ades; si pius.
Laudibus, & cultu ne disiungas, quos vita similitudo,
Quos dignitas, quos meritorum ratio coniunxit.
Bethlee.

Bethleemitis illa fuit,
Vt natalium Iesu Christi gloriam sortiretur:
Viro sanctissimo nupta, sed sterilis.
Deleuit sterilitatis notam partu vnico,
Melius certè, quàm alij pluribus.
Dei Matrem enixa, tantam illicò prolem obtulit cælo,
Sua coronam senectutis.
Imò & Orbi terrarum, sanctioris diei Auroram;
Et aureæ parentem ætatis.
Laus summa longæua Matris, nullo æuo tacenda;
Matrem communis omnium Parentis peperisse:
Erudijsse Apostolorum Magistram,
Imperasse Virgini, cui in homines, in Angelos,
In Dei Filium, destinabatur imperium.
Immortalibus Heroina meritis
Mortalium
Religio cultum, Fidelitas famulatum
Pietas obsequium debet.

IV. In hac, cui suscripsimus de sanctorum senum morte, sententiâ, dicendum consequenter fuit, quod etiam Christophorus Castrius [a] ductâ ratiocinatione conclusit, eos vltrà sexaginta ætatis annos sine prole vllâ vixisse, & circâ sextum & sexagesimum genitâ Deiparâ, opprobrio caruisse sterilitatis; exactis item annis viginti, ex quo contraxerant matrimonium, initum nempe ab ijs, cum sextum circiter aut octauum ætatis suprà quadragesimum expleuissent. Huius mortis nuncium, sanctissimæ puellæ, viuenti diuinæ voluntatis ad nutum, non fuisse crediderim admodum luctuosum, eò quòd illa per Angelos optimè nosset, confectos senio parentes, à corporis tandem laqueis expediri, sanctorum libertate donandos; & præterea æquo, libentique susciperet animo, quicquid de rebus humanis Deus pro suo iure decerneret. Exinde plurimum percipiebat vtilitatis, dum se orbatam parentibus, Dei vnius patrocinio tutam relinqui sciebat, in arcanâ præsertim sacri templi custodiâ; vbi non aliunde quàm de cælo implorare sibi patrem assueuerat.

a Castrius Hist. Deip. c. 3. nu. 15.

De SS. Ioachimi & Annæ ætate.

Quomodo tulerit obitum parentũ Virgo.

V. An verò per vndecim ipsos annos commorationis in templo, inde vnquam negotij causâ pedem extulerit, ambiguum est. Asserit Cedrenus [b] interdum egressam, non aliò quàm ad consanguineam Elisabetham, haud longè à templo habitantem. Sed huic testimonio non assentiuntur, qui [c] negant,

b Cedrenus Compend. Hist. apud Canis. l. 1. cap. 13.
c Christoph. de Castr. Hist. Deip. c. 6. nu. 2.

An exierit vnquam de templo per vndecim annos.

gant, Zachariam cum coniuge Elisabethâ Hierosolymæ firmum habuisse domicilium: cum potius e sacris litteris cõstet, habitasse illos in illustri ciuitate Iudæ, quæ ciuitas, nomine Hebron, erat in montanis sita, & sacerdotibus Aaronis filijs ad habitandum designata. Quare non video, cur Elisabethæ mutanda fuerit habitatio, atque diutius Hierosolymæ commorandum, vbi à nostrâ Virgine in templo inclusâ, interdum posset adiri. Equidem existimo similius vero, magisque ex decoro probandum, itâ Deiparam vndecim ipsos annos, intrà templi septa mansisse, vt nunquam inde discesserit, nisi spatio illo temporis absoluto, cum est Iosepho desponsa: atque hoc tantùm sensu reor intelligendum esse Euodium, asserentem apud Nicephorum [a]; diuinam alumnam in Sanctis Sanctorum, intimâ templi parte, semper hæsisse. a *Niceph. lib. 1. hist. cap. 7.*

Romanæ & Iudaicæ res huius anni.

VI. Hoc eodem anno, quo Sanctorum Ioachimi, & Annæ mortem posuimus, plures exhibet profana historia, Romæ apud Augustum, & Hierosolymæ apud Herodem turbas, nam in Vrbe Caius & Lucius, Imperatoris Augusti ex adoptione filij, amplissimâ abusi fortunâ, in audaciam atque ferociam eruperunt [b]: mox etiam lege reclamante in vigesimum ætatis annum sunt consules designati, quam spem mors vtrique præmatura præcidit. Hierosolymæ verò Rex Herodes, plura in suo regno à latronum excursionibus damna perpessus, in eorum vltionem exercitum mouit [c], atque in Arabiam vsque persequutus, cæsis alijs, alijsque in fugam compulsis, Augustum offendit; quòd iniussus extrà sui regni fines exercitum eduxisset. Cum sacro Virginis Deiparæ secessu confer hosce tumultus aulæ Romanæ, atque Herodianæ: dices proculdubio veram in eo animi pacem, quæ Deum sibi conciliat, confirmari, atque augeri: at verò per aulicas turbas discordiam, bella, clades oriri, ad exitium & vastitatem regnorum. Mariæ ex amissis parentibus, nulla fuit luctus materies, quoniam accedentes illos ad sedes piorum, animo prosequebatur lætissimo; Augustus ex ijs, quos adoptauerat, filijs, vberrimam sibi segetem lacrymarum parabat; nec domi à liberis, vt diximus, securus Herodes, quos viuos metuebat: nec foris à latronibus tutus, quos licet re feliciter gestâ abundè ceciderit, metuere tamen coactus est Augusti indignationem, & minas.

b *Ex Dione Ibid.*

c *Iosephus lib. 16. c. 13.*

Terræmotus in Insulâ Coo.

VII. Præterea incidit in hunc annum immanis terræmotus in Insulâ Coo, quem nimirùm quinquennio ante diuinum partum factum esse, Eusebius [d] affirmat. Constat plurima

d *Euseb. in Chronic.*

plurima in eo ædificia corruisse, inter quæ superbissimum fuit Iunonis Reginæ templum, plurimis ornatum insignibus, nobile Aesculapij delubrum, & Coa Venus, Apellis opus, inter artis miracula celeberrimum, ruinam non effugerunt. Excutere quodammodo tellus visa est incesta huiusmodi monstra; dum castissima Virgo adolesceret in Dei matrem.

Annus B. Virginis 12. Ante Christum 4. Augusti Imp. 39.

I. ANnus natæ Deiparæ duodecimus, cum decimo Hierosolymitani secessus ex parte concurrit, & (si Cedreno [a] credendum sit) indicatum Virgini diuinitus mysterium continet æterni Verbi carnem assumentis, quod post annos quatuor erat implendum. Rem ità refert ex eodem Cedreno Canisius [b]: *ad annum*, inquit, *ætatis suæ duodecimum Virgo sacra peruenerat, quum media nocte pijs precationibus incumbens, vocem diuinitus ad se perlatam audiuit: Paries filium meum*. De testimonij huius veritate minus quispiam dubitabit, sicuti non videtur dubitasse Canisius, dum secum reputet; innotuisse primùm Angelis hoc cæleste mysterium, mox etiam sanctis progenitoribus, atque propagatoribus Hebraici populi, sicut in apparatu docuimus, & sacris præterea Vatibus, à quibus de Christo venturo oracula ad eundem populum promanarunt; ideoque potiori iure eiusmodi notitiam debitam fuisse Virgini, quæ diuini Spiritus magisterio instituta, in Dei matrem crescebat. Didicerat illa quidem eodem magistro, Dei filium in carne venturum; sed nondum nouerat, se tantæ prolis matrem destinari, id quod voce de cælo factâ tunc primùm auditum est, ità vt vel omninò intellexerit Virgo se ad dignitatem Deiparæ designari; vel saltem arcanum abscondente modestiâ, suspicari de se donum cæleste potuerit. Certè hoc loco non incongruè diceremus, quod Virginis eximius cultor, sermonem ad eam dirigens, dixit Rupertus [c] Abbas: *Tu Regina cælorum persæpe cælestibus interfuisti, & inter hæc didicisti, vel assecuta es aliquid, quod latet, & latere nos debet*. Si vera est vocis inter orandum auditæ narratio, præludium fuit fælicissimi nuncij, quem clarius à Gabriele legato cælesti Virgo post paucos annos accepit; placuitque mox Mariæ de se ipsâ modicè sentienti, præostensum secretum adeò premere, vt ante ascensum in cælum Chri-

a Cedrenus in Comp. histor.

b Canisius Marial. l. 1 cap. 13.

c Rupertus lib. 3. in Cant. c. 3.

Deiparæ inter orãdum, indicatum diuinitus Incarnationis mysterium.

Vnde narratio possit probari.

Nostrum de ea iudicium.

Christi rediuiui, nemo rescierit, quod [a] Cedrenus author prioris historiæ animaduertit.

a Cedrenus in Cõp.hist.

II. Dum verò Marianis honoribus cælum proluderet, vt dictum est, terra suis alumnis specie honorum viam sternebat ad funera: quo enim anno cælestis intonuisse dicitur ad Virginem vox, significans ex eâ Dei filium nasciturum, & designans oraculi more Deiparam; hoc Augustus Romæ duodecimum inijt consulatum; quamuis honorum satur, octo ac triginta annis exactis post acceptum imperium, teste Suetonio [b]. Sed hoc importuno magistratu Caio Cæsari adolescenti potissimum seruiebat, vt nimirum maiore illum cum pompâ & gloriâ Consul in forum deduceret, nescius, heu rerum vices; quot sibi luctus crearet, quoniam Caium ipsum & Lucium fratres, quos ex Iuliâ filiâ nepotes, sibi in liberos, ac successores elegerat, imminente letho, ad sepulcrum non ad honores ducebat, continuatis proximè funeribus efferendos. Eodem anno Herodem Arabes in Iudæâ vexabant, & Augustus datis ad eum minacibus litteris, addidit misero calamitatem, quam ampliorem fecere duo Regis liberi Alexander, & Aristobulus, auctis in illum domi turbis, donec à parente neci traderentur, quam anno proximè subsequenti contigisse videbimus. Sed redeamus ad Virginem.

Roma Augustus duodecimũ Cõsul.

b Sueton. in Aug.c.26

Herodis calamitates auctæ.

Annus B. Virginis 13. Ante Christum 3. Augusti Imp. 40.

I. VNdecimus hic est annus, quem suæ in templo commorationis Virgo numerabat, decimotertio ætatis respondentem. Is etiam sacri secessus fuit, Euodio teste, postremus; ideòque cum iam appropinquaret Virginis partus, tertio ab hinc anno futurus, circà hoc imperantis Augusti tempus, censent aliqui accidisse prodigia, quæ illum præsagiebant. Inter cætera præcipuum habetur, Romæ in Tabernâ trans Tyberim Meritoriâ, addicto militibus per senectutem, aut aduersam valetudinem emeritis loco, oleum vnius diei spatio de terrâ in vberrimum fontem promanans; quo signo [c], ait Orosius, declarata est, Christi de Virgine Matre natiuitas, diuini nempe filij, qui ex nominis inrerpretatione *Vnctum Domini* sonat, atque ad sananda humani generis vulnera, instar olei creditur in terram effusus, ipso Romani imperij tempore, cui ex vtero Virginali Deipara tantum felicitatis im-

Signa præsagientia Virginis partũ.

Olei fons ex Taberna meritoria.

c Euseb. in Chronic. & Orosius l.6. cap. 20.

tis impertijt. Historiæ confirmat veritatem extructum in eodem loco, dicatumque Dei Genitrici templum à S. Callixto Pontifice, atque reperta inibi terra, adhuc oleo madida post vndecim exacta sæcula, cum sub annum orbis redempti millesimum centesimum ac trigesimum [a], Innocentio secundo summo Pontifice, sacri ædificij fundamenta instaurarentur.

a Onuphr. de sept. Eccles.

Verùm quoto Augusti Imperatoris anno olei eruptio prodigiosa contigerit, definiri omninò non potest, cum vel id Historici taceant, vel eorum inter se testimonia non cohæreant. Nos prodigium huiusmodi pertinere credimus, ad hunc annum, qui quadragesimus est Augusti, & proximus Christi Seruatoris natali, quoniam paulò ante quam Virgo conciperet, manasse par erat olei fontem, Virginei partus, qui propè iam instabat præsagium; extat hac de re inscriptum loco perbreue carmen [b], vnde ex communiori sententiâ nostra vim habet assertio.

Ad quotum Augusti annum referri debeat.

b In Eccles. S. Mariæ Trans Tyberim.

Nascitur hinc oleum, Deus vt de Virgine. vtroque
Oleo sacrata est Roma, terrarum caput.

Huius quoque temporis fuisse prodigium, credidere nonnulli, conspectam ab ipsomet Augusto, Sibyllâ ostendente, sublimem in aëre mulierem, cuius insideret vlnis pulcherrimus infans; visumque eâdem magistrâ, sub eiusmodi specie, Dei filium mundi Regem, in sinu matris. Sed sua illos opinio fallit, quam meritò reijcit Cardinalis Baronius [c]: censet enim ideò percrebuisse eiusmodi famam, quòd Augustus Sibyllinorum carminum studiosissimus, illa per Pontifices describenda curauerit, atque ex Cumæo seu Tiburtino potissimum vaticinio didicerit, nouam de cælo progeniem descensuram, quæ suo iure Orbi vniuerso præesset; & regiam Virginem eius fore parentem. Id, inquam, cum è Sibyllinis carminibus, quæ Sibyllæ nomine recitari à maioribus consueuerant, accepisset Augustus; creditus vulgò est, Sibyllam aliquam habuisse indicem diuini mysterij; eâque monstrante, speciosam Virginem, & Virginis gremio assidentem puerum in cælo spectasse. Cæterùm Augusti temporibus constat nullam è Sibyllis fuisse superstitem, cum nouissima omnium Cumæa vixerit, vel Tiburtina; quarum vtraque Augusti ætatem antecessit, altera quidem mortua, vt Solinus [d] tradit, quinquagesimâ Olympiade; altera verò aut antiquior, aut certè suppar; cuius simulacrum, vt suprâ docuimus, in Aniene repertum paulò ante hæc tempora, ipsius indicat vetustatem. Locum percepti ab Augusto mysterij, aiunt fuisse eam Capitolini montis partem, vbi

Mulier in cælo habens infantem in gremio, ostẽsa Augusto.

c Baronius Apparatu ad Annal.

Quomodo id verum esse possit.

d Solin. Polyh. cap. 8.

vbi olim erat nobilissimum Iouis delubrum, quo diruto, amplissima Dei Genitricis Aedes erecta est, atque *Ara Cæli* titulo insignita; quoniam Sibyllinos libros fuisse ibi asseruatos, fama est, docente Gellio [a] id factum, iussu Tarquinij Prisci Romanorum Regis; vt in rebus dubijs à quindecim viris tanquam oracula consulerentur. Cum verò ijsdem ferè temporibus, nouo prodigio Delphis Apollineum oraculum obmutuisset, negatis vltrà responsis, quorum antea prodigum fuerat; Augustus Apollini addictissimus, quoniam Apolline genitus credebatur, illuc itinere suscepto, tanti silentij causam quæsiuit [b]; eamque perdidicit tandem ab Oraculo respondente, sibi silentium imponi, se pelli ad ima Tartara ab Hebræo infante, qui ex matre mortali natus, Deus esset Cælitum Rex; ideòque illi aras, illi templa ponenda, non sibi. Romam accepto responso rediit Imperator, atque aram in Capitolio erigendam curauit *Primogenito Dei*, quem notabat Epigraphe. Fateri coactus est per Delphicum oraculum Cacodæmon, quanta sibi calamitas immineret ab vno Puero, Hebrææ Virginis filio, vnde Augustus confirmationem accepit Cumæi vaticinij, quod in fatidicis libris, tanquam à Sibyllâ viuente, didicerat; ac si eius ductu, Regiam in cælo Virginem cum diuinâ prole vidisset.

Delphicum oraculū obmutescens.

Causa eius silentij.

a 1.

b Suid. Cedrenu. Niceph.

II. Alia quoque prodigia referri huc possent; nisi ante hæc tempora accidisse, compertum haberemus ex Dione [c]; qualia fuerunt, æreæ Deorum, & præsertim Iouis statuæ, tactu fulminis in Capitolio colliquefactæ; Romanum insigne (Lupa cum gemellis Vrbis conditoribus ad vbera) in terram collapsum; confusæ ac deletæ in columnis litteræ, quibus descriptæ leges erant. Horum prodigiorum interpretatio ab Ethnicis non ad futurum Virginis partum, quo inania Deorum erant simulacra tollenda, nouæque hominibus perscribendæ leges; sed ad alium quemlibet sensum trahebatur. Verùm in eo constans erat omnium opinio, sub ipsis Augusti natalibus excitata, tanto rerum motu, quasi parturiente naturâ, magni Regis aduentum præsagiri, ac si iam instaret, essetque pro foribus, vt ex carminibus Sibyllinis pro Salonino cecinit Maro [d]; dum quisque pro arbitratu Regem interpretaretur, atque alius alium designaret.

c Dio. hist. Roma. l. 37.

d Virgilius Eclog. 4.

III. Maximum etiam incidit in hunc annum ab Herodis crudelitate prodigium, quod Iudæam funestauit, consecrante Hierosolymam Virgine: nam Herodes Alexandrum & Aristobulum filios apud Cæsarem de parricidio accusatos,

Herodis in filios crudelitas.

coacto

coacto tandem Beryti concilio, accusator & iudex, morti inauditos addixit. Damnatos primò Tyrum, ac deinde Sebasten amandauit, vbi compressis vterque faucibus supplicio est affectus. Vidit tum Iudæa miserandam planè Tragœdiam, quam [a] Iosephus cum Dei hominumque iniuriâ ad fatalem confert necessitatem. Ruebat Herodes quasi lymphaticus in suæ stirpis excidium, cum in Virgine Deiparâ iam adultâ ad Iudææ regnum via Dei filio vere lactea sterneretur. Hic selectâ sibi matre properabat ad vitam; regia verò proles, quàm infelix victima paterno ferro cadebat. Herodem agebant furiæ, Virginem Angeli pacis; vt in illius scelere prodigium spectaretur cæteris horribilius, in alterius vitâ maximum miraculum Sanctitatis.

a Salianus An. Mun. 4050.

Annus B. Virginis 14. Ante Christum 2. Augusti Imp. 41.

I. HIc annus, quem à natâ quidem Virgine quartum suprà decimum ponimus, atque à primo Augusti consulatu primum & quadragesimum, anni vnius, & paucorum mensium interuallo Virginis partum antecedit: ideòque dum dicimus annum alterum ante natum Christum, hunc quidem intelligimus decurrentem, eumque pariter notamus saltem ex parte, qui proximè sequitur, ipsius Christi ortu memorandum. Itaque secundo ante Christum, de quo nunc agimus, anno contigit Virginis egressus de templo; initum cum Iosepho proximè agnato coniugium; Gabrielis Archangeli ad eam legatio; Iesu Christi Dei filij ex eâdem de Spiritu Sancto conceptus; iter Virginis matris in montana ad cognatam Elisabetham salutandam; & iniecta Iosepho de coniugis integritate suspicio.

Summa rerum huius anni.

II. Egressam de templo puellam occasione nuptiarum docet ex antiquâ traditione Nyssenus [b]: cum enim Sacerdotes, quandiu paruula fuit, ad Samuelis similitudinem in sanctis ædibus educandam curassent, illud inierunt eâ iam adolescente consilium; vt quid de Virgine nubili, quam à primis annis sacri templi alumnam, non decebat diutius inter Sacerdotes versari, statuendum foret, de cognatorum sententiâ deliberarent. Quare constitutum ab ipsis, docet historia Hieronymo ascripta, *vt domum adulta reuerteretur, & nuptiis secundum morem gentis, & ætatis maturitatem operam daret*; quod vbi

b Nyssenus Orat. de hum. Christi generat.

Deiparæ egressus è templo.

vbi Virgo ipsa resciuit, coniugium nouo exemplo repudiasse fertur, votumque iam pridem conceptum de seruandâ virginitate Sacerdotibus explicuisse: itâ probatum inuenio Gregorio Nysseno, & Simeoni Metaphrastæ ex historiâ modò commemoratâ Hieronymi. Haud equidem dubito, quin sacrosanctam Puellæ mentem in addictâ iam Deo virginitate, Sacerdotes sint admirati, consilijque nouitatem attentè considerantes hæserint dubij; cum nec auderent deuotam Numini Virginem nuptui tradere, nec relinquere omninò innuptam se posse per leges arbitrarentur. Nodum igitur, ait Nyssenus, itâ expediri posse, non sine instinctu Numinis censuerunt, si indolis propè diuinæ, magnæque expectationis puellam, connubij nomine cuipiam ex agnatis desponderent, qui tamen custos illius fidelissimus foret. Vbi senioribus sententia placuit, de sortiendo eiusmodi viro, deligendoque ex Dauidicâ stirpe deliberant. Nec diuinus in re tantâ Spiritus defuit, cuius potissimum afflatu; coniux & custos Virginis designatus est Iosephus, vir iustus ex regiâ Dauidis familiâ, ipsique Virgini proximè agnatus, vt in Apparatu docuimus. Erat is opificio faber, nec tamen ideò exclusus est à contrahendo coniugio; quoniam non ad opes, vel ad honores, sed ad genus per antiquam lineam ductum, probatumque, in eiusmodi contractu inspicere Iudæos consueuisse, testatur Iosephus [a], exponens suæ gentis ritus. Quòd verò in hoc Sponsi delectu sors intercesserit, innuere videtur S. Germanus [b], dum dicit, *Dei nutu, & Sacerdotum consilio de Virgine datam fuisse sortem*. Quare Cedrenus quænam illa fuerit, docet ex libro de ortu Mariæ, qui Hieronymo ascribitur; asserit enim, orantibus in templo Sacerdotibus, Pontificem diuinam de Mariæ nuptijs voluntatem exploraturum, eò duodenos ex Puellæ cognatis conuocandos curasse; cumque singulorum virgas, quas afferri iusserat, accepisset, atque in arâ collocasset; optasse à Deo per signum ostendi, cui nam ex viris, qui aderant, Dauidicæ tribus, vellet Nazarenam Virginem cedere in sponsam. Satisfactum præterea fuisse, ait Pontificis voto, quoniam floruit illicò virga Iosephi. Hæc Cedrenus ex commemorato Hieronymi testimonio; quod, si ea legatur historia, insuper habet: Deum consulente Pontifice, esse de Propitiatorij loco responsum; vt virum eligerent, cuius virga floruisset, lapsamque de cælo columbam summo insidentem vertici exhibuisset. Itâ nimirum datam, acceptamque cælitus sortem de Mariæ sponso nonnulli interpretantur. Verùm eiusmodi narratio inter

Sacerdotum de ea despõsanda consilium.

Et designatus Iosephus

Data de eo sors.

a *Iosephus cōtrà Apio: lib. 2.*

b *S. Germ. orat. de Virg. oblat.*

tio inter apocryphas à sapientibus numeratur, propterea quòd nullâ antiquiorum authoritate nitatur, & liber ille, vnde desumpta esse creditur, falsò præferat, vti censent, Hieronymi nomen; licet cæteroqui constet, libri Hebraicè, & Græcè conscripti interpretem Latino sermone fuisse Hieronymum, virum nempe sui sæculi eruditissimum, eundemque sanctissimum, qui sanè nonnisi legitimam historiam sumpsisset interpretandam: Talem, vt suprà docuimus, existimauit Canisius; talem [a] Christophorus Castrius, qui allaturus narrationi momentum; *Ne præter rem, ait, videatur, signo visibili electum fuisse Iosephum à Deo; animaduertendum est, in Scriptura sacra sortis nomine, accipi diuinam voluntatem signo externo declaratam, qua ostenditur, eligiturque is qui quæritur. Sic floribus & amigdalis germinantibus in virga electus est Aaron* [b] *in Sacerdotem. Sic diuina sorte quæsitus est præuaricator Achan* [c]. *Sic sortibus electus est Saul* [d]. *Sic diuina sors cecidit super Matthiam,* [e] *hoc est, vt interpretatur* [f] *Dionysius Areopagita, diuini quiddam & præcipui luminis, per quod illi choro sacratissimo insinuaretur, quinam esset diuina electione declaratus. Quòd si huiusmodi sortes tam frequentes erant, ad ostendendos eos, qui vel ad munia aliqua eligebantur, vel vt punirentur. Quod & in lege Euangelica contigit aliquando, vt futuri Episcopi columbæ aduentu declararentur. Quid mirum si ad eligendum eum qui futurus erat Sponsus Virginis, & Filii Dei nutritius, sorte diuina floreret virga, & columba in virgæ fastigio consideret.* Hæc diligens & accuratus author in contexendâ Deiparæ historiâ. Satis nobis fuit ea proposuisse Lectori, qui facilè iudicabit, an vlla sit ratio, cur admittantur. Certum est, Iosephum ex Dauidicâ stirpe, diuino nutu fuisse Sponsum Virginis à Sacerdotibus designatum, non quidem vt liberis operam daturum, sed vt fidum custodem integritatis: Alij [g] verò non minori probabilitate affirmant, eductam quidem à Sacerdotibus Virginem è sacris penetralibus, tanquam viro maturam, & pro solemni gentis vsu nuptui tradendam; cognatis autem permissam, ab ijsdem desponsatam esse Iosepho, & intrà aliquod tempus, vero eius coniugio illigatam, more id temporis apud Hebræos vsitato.

III. Addo hic, pronubum annulum, quo Deiparam Iosephus sibi oppignerauit, religiosè seruari à Perusinis, de quo commentarium edidit Io: Baptista Laurus, excriptum in Chronico Deiparæ Benedicti [h] Gononi. Fieri præterea potest, vt alij quoq; annuli in vsu Virgini fuerint; ac proinde mirum non est, si tum apud Semimurenses in Burgundiâ, tum

Liber de ortu Mariæ Hieronymo adscriptus qualis.

a Castrius Hist. Deip. cap. 4.

b Num. 7.

c Iosu. 7.

d 1. Reg. 10

e Act. 1.

f Lib. 1. de Ecclesia Hierar. c. 1

g Franc. Lucas Mat th. 1. v. 18. Hugo Vi. Eur. l. de prop. Virg. S. Mariæ cap. 1.

De Annulo Deiparæ.

h Gonon. anno 1480.

apud Belgas in Aquiſcinctino Aſceterio duo conſimiles oſtendantur. Primus ille quo pacto Peruſiam delatus ſit, quaue pompâ, ac veneratione habitus, ſuo loco dicemus. Interim initum à Virgine cum Ioſepho coniugium proſequentes, dicimus ſponſalibus celebratis, ex vrbe Hieroſolymâ, Nazarethum ſe recepiſſe puellam in paternam domum, ibique vſque ad conceptum è Spiritu Sancto Dei filium permanſiſſe.

De tempore deſponſationis.

Si verò tempus deſponſationis quæratur; ex annorum ſupputatione, quam ſequimur Antiocheno Euodio duce, illa contigit exeunte Nouembri, ſiue ineunte Decembri, cum præceſſiſſet, vt diximus, habita per preces à Sacerdotibus ſponſi ſortitio, quam id temporis perficere, non admodum difficile fuit, conuenientibus Hieroſolymam plurimis ad Encænia, quæ extremo Nouembri quotannis recurrebant, vt dedicati templi memoria repeteretur. Cum autem dicat Euodius, poſt quartum à deſponſatione menſem, concepiſſe Mariam; ſi in diem Martij quintum ſuprà vigeſimum incidit diuinus ille conceptus; ab extremo Nouembri, ſiue ab initio Decembris, ad hoc vſque tempus, menſes omninò quatuor numerabis; quo tempore Virgo annum ætatis inchoarat decimumquartum, ſexto Idus [a] Septembris.

[a] 8. Sept.

De ætate Ioſephi, cum factus eſt ſponſus Virginis.

IV. De Ioſephi ætate, cum factus eſt Virginis Sponſus, diuerſa ſentiunt, traduntque Patres; ſenem fuiſſe aſſerit Epiphanius [b], annos natum circiter octoginta; cui videntur conſentire Pictores, atque Poetæ, omnia ſibi licere arbitrantes, cum S. Ioſephum exhibent, non iuuenem, ſed confectâ iam ætate, annoſum, & incuruum; veriti fortaſſe, ſicuti Theophilus [c] Raynaudus ſuſpicatur, ne ſi maritum iuniorem Virgini ſpecioſiſſimæ adiungerent, de illibato eius pudore dubium, ac ſuſpicionem injicerent. Sed neque Epiphanio multi ſubſcribunt; neque Pictorum, ac Poëtarum imagines, eo præſertim ſenſu probari poſſunt: cum ſæpe accidat, æſtuare ſenes libidine, & iuuenes ad extremam vſque ætatem caſtiſſimos peruenire. Itaque veroſimilius eſt, maturâ quidem ætate Ioſephum, non ſenio cōfectum, cum Virgine Deiparâ inijſſe coniugium, quoniam per illud Deus, conſulere ſtatuebat Sponſæ ſanctiſsimæ, vt ea adiutorem in peregrinationibus, & prole educandâ, pollentem viribus, aptumque famæ bonæ tutorem haberet: ad quorum neutrum eſſe vſui poterat, homo per ætatem, ad opus nuptiarum ineptus: neque enim ſuſpicione vacaſſet ſpecioſiſsima puella, viri octogenarij ſponſa, vterum gerens: neque ab capulari ſene ſolatia vlla, vitæque ſub-

Matura ætate fuit, non ſenio confectus.

[b] Epiph. Hær. 51.

[c] Raynaud. Diptych. par. 1. pu.

ſubſidia, ac peregrinationum leuamenta, expectare potuiſſet. Floridam adhuc Ioſephi ætatem cum iunctus eſt Virgini, ſignificatam nonnulli volunt per virentem ramuſculum, qui in eius manibus pingi ſolet, præſertim quicunque eam hiſtoriam tanquam apocrypham improbant. *Alij* verò S. Ioſephi ſub ſpecie ſenili, atque decrepitâ imagines, mitius interpretari conantur, dicuntque per eius ſenium in picturâ proponi ſolitum, ſenilem viri prudentiam, mentemque canam ſignificari. Eſto igitur nobis ratum, quod benè Chriſtophorus Caſtrius concludit, à fine propter quem datus eſt Ioſephus Virgini ſponſus, virum fuiſſe maturum, & fortè intrà trigeſimum, & quadrageſimum annum ætatis, aptiſſimum ſuæ Sponſæ cuſtodem, & pueri Ieſu nutritium:

V. Præterea ſanctum illum fuiſſe oportet, cum magnæ Virginis, quâ poſt Chriſtum nihil ſanctius videre mortales, vir nominetur, & fuerit; ſi laudaturus Honoratam, S. Epiphanij Ticinenſis germanam Ennodius [a]: *Sufficit*, inquit, *ad laudum eius cumulum, dignam tanti viri ſororem dixiſſe*. Quare & in Euangelicâ hiſtoriâ *Iuſtus* [b] abſolutè appellatur. Integer quoque corpore fuit, & virgo, non bigamus, vt ſenſere nonnulli, aut eorum pater, quos Euangeliſta fratres Domini vocat, more Hebræorum, quia cognati forent. Multò minus ex Virgine Deiparâ genuit poſt editum Chriſtum, quæ fuit Heluodij execranda blaſphemia à D. Hieronymo [c] reprehenſa, & confutata. Optimè [d] Damaſcenus Iſaiæ [e] vaticinium de libro ſignato, qui viro neſcienti litteras dandus foret, interpretatur de Ioſepho, librum virgineum legere neutiquam valente, vtporè qui litteras neſciret, & operi ad eum legendum neceſſariò eſſet ineptus, profeſſus nempe virginitatem, etiam in coniugio. Licèt verò votum ſeruandæ virginitatis, ab vtroque coniuge emiſſum fuerit, non tamen exinde deduci poteſt, Mariæ & Ioſephi matrimonium idcircò verum non extitiſſe; perficitur enim illud mutuo conſenſu, in traditionem iuris in corpora, qui conſenſus antecedit vſum eiuſdem iuris, ideòque illo ſtante, circà hunc poteſt eſſe diſſenſus. Ex eiuſmodi capite Theophilus Raynaudus [f] in Diptichis probat cohærere Deiparæ coniugium cum voto virginitatis, ante quàm ipſa nuberet emiſſo: nam diuinitus edocta Ioſephum fore fidum cuſtodem virginalis integritatis, quam ipſa Deo iampridem addixerat; in iuris traditionem conſenſit, certa ius illud omni vſu cariturum, quem per votum excluſerat. Facit maximè ad rem noſtram, quod per exclamationem dixit Author

Inter Mariã & Ioſephum fuit verum matrimoniũ cum voto virginitatis.

a Ennod. in vit. S. Epiphan.
b Matth. 1
c Hieron. lib. aduerſ. Heluid.
d Damaſc. orat. 1. de Nat. Virg.
e Iſa. 29.
f Raynaud. Pr. Dipt. 1 pun. 4.

vitæ S. Cunegundis S. Henrico Imperatori nuptæ, saluâ vtriusque virginitate: *O coniugium, inquit, non voluptate, sed bona voluntate copulatum! ò sanctum matrimonium, vbi vna fides inuiolata castitatis; vbi vnus spiritus misericordiæ & veritatis. Quales has nuptias dixerim nescio. Vnum scio quia nescit nostra modò regio tales.* At Deo fauente tulit eiusmodi multas, quas in Sanctorum historijs lector inueniet, quales Pulcheria Augusta cum Martiano; Odoardus Rex Anglorum castissimus cum Edithâ; Eleazarus Comes cum Delphinâ celebrarunt. Sed redeamus ad Iosephum; vt veræ in eum laudes possunt congeri plurimæ, sic aliquæ reijciendæ omninò sunt, quas recentiores nonnulli excogitarunt, nimirum quòd sanctificatus in vtero matris fuerit, quòd Deum in viâ viderit; quòd non faber mechanicus, sed Architectus extiterit nobilis; quòd alias etiam dotes à diuinâ manu susceperit, quæ temerè ac sine vlla prorsus authoritate illi tribuuntur, atque inter doctrinæ furfures meritò reijciuntur [a].

Laudes quædam de S. Iosepho à Neotericis excogitatæ, reijciuntur.

a Raynaud. Diptychor. p. 1. pun. 4.

VI. Reliquum est, vt antequam progrediamur, de Virginis Nazarenæ coniugio, causas diuini consilij leuiter attingamus. Præcipuas innuisse videtur S. Ambrosius [b], ne scilicet coram hominibus, qui tantùm ex facie iudicant, temeratæ virginitatis inureretur infamia, cui grauis aluus, corruptelæ præferret insigne; atque vt seruaretur S. Mariæ, sicut pudore illibatus, sic inuiolabilis opinione virgineus flos; cum ex decoro neutiquam foret, si puellis instituto vitæ malè audientibus, excusationis velamen relinqueretur, quòd traducta quoque Mater Domini fuerit: vt denique partus Virginis lateret omninò Satanam, dum hic putaret Christum de vxore quidem, non de virgine genitum. In eandem sententiam præclarè Bernardus [c]; *per hoc*, ait, *& à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ prouidetur, vnoque consilio secretis cælestibus & admittitur testis, & hostis excluditur, & integra seruatur fama Virginis matris.* Sed pergamus ad cætera, quæ sunt huius anni.

b Ambros. init. l. 2. in Luc.

De Virginis Deiparæ coniugio diuini cõsilij causæ.

c Bernard. Homi. 2. super Missus est.

VII. Contracto inter B. Virginem, atque Iosephum matrimonio, planèque perfecto per solemnia eo tempore adhiberi solita, mense, vt ait Euodius, à desponsatione quarto, cum Virgo ipsa Nazarethi in paternâ domo, vnà cum Iosepho habitaret; insignem Gabrielis Archangeli legationem accepit, & nuncium de suâ in Dei matrem electione. Rei gestæ series petenda est ex Euangelicâ S. Lucæ [d] historiâ, qui missum

Gabrielis ad D. Virginem legatio.

d Luca c. 1.

dicit

dicit à Deo oratorem, & legatum ex Angelorum principibus Gabrielem, vt Virgini nunciaret, Verbi diuini ex ipsâ carnem accepturi mysterium; atque in admirandæ prolis conceptum, illapsumque Numinis, ab eâdem assensum eliceret, & referret in cælum. Dei ad homines mandata quàm sæpe Gabriel attulerit, sacræ litteræ nos ignorare non sinunt; cum illum Danieli [a] semel, atque iterum Zachariæ [b], faustissimi latorem nuncij diuinitus fuisse destinatum, apertissimè constet: quin etiam ex probatissimis Authoribus habeatur, ortum Deiparæ Ioachimo & Annæ parentibus nunciasse, vt in apparatu docuimus, ex B. Birgittâ; Verbique corporati sacramento, ratione peculiari fuisse præpositum, vt quæ ad Christum spectarent, curaret omnia, & custos præcipuus foret sanctissimæ Matris. Is creditur Pastores Bethlemiticos commonuisse de felici, ac læto Christi ortu, & quia eius nomen, Dei fortitudinem sonat, teste Hieronymo [c], idcircò gerendis bellis tanquam Præses à diuinâ prouidentiâ constitutus agnosci solet [d]: Certè bello, quod indixit Satanæ Dei filius, præiuit Gabriel, cum de eius in terram aduentu certiorem reddidit Virginem matrem; & quia hoc illi mysterium peculiariter est concreditum, idcircò in nomine Gabrielis aliam notionem agnouit, ac prædicauit in Synodo [e] Ephesinâ Proculus Bizantij Præsul, differens aduersus Nestorium; atque eam vocem esse compositam ex duabus Hebraicis, *Deum hominem* significantibus, id quod etiam Theophylactus [f] tradidit. Hic sacri Doctores salutarem Gabrielis cum Mariâ colloquutionem, teterrimi Angeli lethifero cum Virgine Euâ sermoni sapienter opponunt, vt rerum contrariarum conflictus & pugna, Dei immortale beneficium magis illustret, nam quæ maximè aduersa sunt contentione fiunt clariora: *Missus est*, inquit Bernardus [g], *coluber tortuosus à Diabolo, vt venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem. Missus est Gabriel Angelus à Deo, vt Verbum Patris per aures Virginis in ventrem & mentem ipsius eructaret, & eadem via intraret antidotum, qua venenum intrauerat*: Idem notat breuiùs, sed non minus pulcrè Chrysologus [h]: *Agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina.* Vnde satis appositè Pictor paucis ante annis vtroque congressu in tabulâ delineato, picturæ epigraphen addidit.

Fœmina ab assensu totus bis pendeat orbis.

VIII. Potest etiam hoc loco quæri, quâ specie Virgo Ange-

a Dan. 8. & 9.
b Luc. 1.
c Hieron. lib. de nominibus Hebraicis.
d Canisius Marial. l. 3 cap. 1.
e Ephesina Synodus.
f Theophyl. in cap. 1. S. Luc.
g Bernard. sermo. 2. de Festo Pentecost.
h Chrysost. ser. 142.

Gabriel mādata Dei ad homines perferre solitus.

Gabriel idest homo Deus. Geber homo El Deus.

Angelum viderit; & an illum esse Gabrielem agnouerit. De primo capite, ne multus sim, communis est Doctorum sententia, sub virili specie Angelum Virgini se obtulisse videndum, siue ex aëre, siue ex terrâ, siue aliunde corpus assumpserit, atque humano modo ingressum esse per ostium, quia humano modo apparebat. De agnitione subitâ tanti internuncij, maior potest esse dubitatio, quia Virginis ad Angelicam salutationem turbatio, illam ignorasse notat, à quo tam humaniter, ac splendidè salutaretur. Attamen eiusmodi ignorantiam admittere in Virgine neutiquam possumus, quoniam vt scribit Ambrosius [a], inuisere eam Gabriel tanquam suæ custodiæ concreditam frequenter consueuisset, ideóque non tam personæ visu sibi iam cognitæ, quàm insolitæ salutationis auditu asserit Chrysologus esse turbatam, adeò vt tacita secum prudenter perpenderet, & cogitaret, qualis foret illa salutatio, vt ait Lucas. Mirum autem, risuque excipiendum hac in re Lutheri Hæresiarchæ delirium [b], quo ex Iacobi Proteuangelio desumptam fabulam, amplectendam cum reliquis eius apocryphi libri commentis censet; cum ibi inter cætera ridiculè satis narretur, Mariam acceptâ hydriâ foras ad hauriendam aquam prodijsse, eidemque iam eunti auditam esse vocem ex occulto sonantem *Aue gratia plena*, cuius illa vocis authorem cum circumspiciendo requireret, hydriâ depositâ, tremefactam se in ædes recepisse, ingressæque domum illicò Angelum astitisse. O dementissimum caput! cui aniles fabulæ pro oraculis sunt, & euangelica sacramenta pro nugis. Certum quidem est, tunc fuisse domi Virginem, cum Angeli salutationem accepit, dicente Ambrosio [c], solam in penetralibus, solam sine comite, solam sine teste, ab Angelo solo repertam esse, ab Angelo, inquam, ad eam ingresso, vt loquitur sanctus Lucas [d]; quin etiam, pijs tunc vacasse commentationibus, sacrarum litterarum lectioni, & oraculis Prophetarum de Filio Dei in carne venturo, perpendendis, sanctorum aliqui inter orandum didicerunt. Sed iam ipsam salutationem expendamus.

Qua specie Gabriel apparuerit: & an sit à Virgine cognitus.

Lutheri delirium.

a Ambros. lib. 1. de Virg.

b Ex Conf. Marial. l. 3. c. 1.

c Ambros. in cap. 1. S. Luc.

d Luc. c. 1.

IX. Ingressus Virginale cubiculum Angelus: *Aue* inquit, *gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Hæc Hebraico idiomate locutum Angelum, cum sit admodum simile vero, dici consequenter potest, vsus esse consueto apud eam nationem salutandi modo, *Pax tibi*: ità enim sacer Bibliorum textus habet Syriacè, Aethiopicè, Persicèque conscriptus, atque apud Hebræos pax, omne genus felicitatis sonat.

Angelicæ salutationis expositio.

sonat. Sequuntur tituli laudum tres, qui Virgini conferuntur. *Gratia plena* vocatur, tanquam gratissima Deo, iisque referta animi dotibus, quæ illam maximè amabilem redderent Diuinæ Maiestati, eiusque beneficentiâ semper ornatam. Hîc verò reclamat Hæreticus [a], & vocem κεχαριτωμένη, quæ est in textu Græco, *Gratiosa* interpretatur, ac vertit; quoniam inhærentem animæ suprà naturæ vires, qualitatem diuinæ gratiæ non admittit vllam, quod est hæreticum dogma, & frustrà ad Græcæ vocis significatum respicit; quam vocem expendens D. Hieronymus [b], antiquam Latinorum versionem *Gratia plena* retinuit, cum ex præscripto S. Damasi Papæ, Instrumenti noui libros emendaret. Ast etiam S. Athanasius [c] eandem Græcam vocem exponens, vnàque S. Epiphanius [d] asserunt, ideò salutatam eo titulo fuisse Virginem, quia Spiritu sanctо plena erat, omnibusque diuinæ gratiæ donis abundabat. Præterea quod notetur dignissimum est; hanc gratiæ plenitudinem, quæ Virgini ab Angelo in salutatione tribuitur, talem fuisse, vt post illud tempus noua semper incrementa susceperit, licet vel ab ipso conceptu in infante cælestium abundasse donorum copiam, & maiorem, quàm in reliquis Cæliribus vnquam fuerit, plures Theologi docuerint; quam copiam in vitæ progressu auctam, vsque ad supremum spiritum, donec amorem in se diuinum intendere atque augere per actus licuit repetitos.

Prior pars exponitur. Gratia plena.

a Theodor. Beza.

b Hieron. epist. ad Principium Virginem.

c Athanas. Homil. de Deipara.

d Epiphan. Hæresi 78.

X. Sequitur altera pars Angelicæ salutationis *Dominus tecum*, quâ parte Gabriel Hebræorum morem retinuit, eam vsurpantium in salutationibus formam, quâ vsum esse Angelum constat, qui Gedeoni apparuit, vt est in Iudicum [e] libro. At verò habent Gabrielis ad Virginem verba discrimen, quo ab vsitatâ salutatione nonnihil differant; iis enim cælestis nuncius non tam optantis exhibet partes, precatus de more, vt Dominus cum Mariâ sit; quàm absolutè asserit illum adesse, duabus nempe voculis, singularem Virginis laudem complexus; quâ Puellæ ab ipso conceptu Dominum affuisse, vitæ moderatorem, humanarum viarum ducem, custodem integritatis, & sanctitatis magistrum significat; vnde hoc tanquam oraculo cælitus immisso constat, nulli Deiparam culpæ obnoxiam vnquam fuisse; ornatam non solum, auctamque cælestium gratiarum thesauris, sed etiam ad earum custodiam, Deum ipsum vigilem, & excubitorem sortitam.

Altera Dominus tecum.

e Iudic. c. 6

XI. Tertia denique laus est, quâ Angelus eandem salutationem expediit: *Benedicta tu in mulieribus*. Vbi significatur;

Tertia Benedicta tu in mulieribus.

tur; non solum ijs dotibus, quæ Virginem deceant, abundate Mariam; verum & ijs, quæ in coniugatam cadere conuenienter possunt: atque itâ præstare omninò mulieribus cæteris, quotquot fuerunt, eruntque; quoniam cum per concessionem fæcunditatis nuptis benedicat Deus, Virgini Deiparæ illa non defuit, genito vnico filio, cuius præstantiam æquare non possunt myriades filiorum. Præterea cum fæminarum reliquæ virginitate glorientur absque fæcunditate, vel si fæcūdæ sunt, virgines esse non possint: in Mariâ Deiparâ Deus admirabili nexu coniunxit perfectissimæ honorem virginitatis, & summam, felicissimamque fæcunditatem, ideòque ab Ecclesiâ ritè concinitur.

Gaudia matris habens cum virginitatis honore.

Virginis ad Angelicā salutationem sensus.

XII. Quo animi sensu Virgo Angelicam hanc salutationem acceperit, pergit exponere S. Lucas [a], aitque turbatam nonnihil fuisse Virginem ex auditu eiusce sermonis, quo tanta laudum capita in se vnam conferri percepit; ideòque prudenter cogitasse de salutatione ipsâ: *Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Vbi non *audisset* sed *vidisset* ex textu Græco [b], itemque Syriaco legit Ambrosius [c]: eiusque lectionis vi indicatum aliqui volunt, Angelico non sermone tantùm, sed & aspectu, qui splendentissimus erat, Virginem esse commotam; quoniam & si videndis, alloquendisque Angelis, & Gabrieli præsertim, iam pridem assueuerat; non tamen ad illum vsque diem, in vllo tantum lucis, tantum splendidæ maiestatis animaduerterat; nec tot antea laudum titulis, adeòque magnificis fuerat salutata. Certè verita illa non est; ne quem videbat, audiebatque, à Deo non esset Angelus, & ne vera non forent, quæ dicebantur: sed secum ipsa tacitè, prudenterque considerabat, quid eiusmodi salutatione sibi vellet diuina Maiestas; & quorsum tenderet illa legatio. A responso quidem abstinuit, quia cum de se demissè admodum, ac modestè sentiret; non existimabat suis meritis tantum encomium conuenire.

a Luc. c. 1.

b In annot. noui Testamēti.

c In Græco textu legitur ἴδουσα.

Occurrit Angelus Virginis admirationi.

XIII. At verò admirantis silentio occurrens Angelus, *Ne timeas*, inquit, *Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.* Quibus verbis à S. Lucâ relatis, iubet metum, dubiumque ponere Virginem, nec mirari, si perhonorificis titulis compellata sit, quos ipsa per humilitatis sensum à se modestò reijciat; cum Deus, cui maximè cordi sunt humiles, eò loci Diuam euexerit, vbi inuenta apud Superos gratia, amplissimis dotibus

dotibus suprà conditionem mortalium cohonestauit. Atque hìc opportunè nuncium expediit Gabriel, eâque, cuius causâ missus ad Virginem fuerat, legatione functus est in hæc verba: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum; hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, et regnabit in domo Iacob in æternum*. Quæ verba si rectò ex laudato S. Lucæ textu perpendas, inuenies conceptum, partumque Virginis explicatum; verum nempe illum futurum, non apparentem, ac specie tenus, vt impiè commenti sunt Hæreticorum nonnulli; exinde nasci turo filio, Iesu imponendum nomen, quod Saluatorem sonat, cum ille, magnus vtique Dei filius, ad salutem humani generis à Patre mittatur, homo simul ac Deus, in mystico Dauidis solio, atque in Iacobi domo, hoc est, in Ecclesiâ æternùm regnaturus.

Expedit nũcium diuini conceptus.

XIV. Angelo hæc nuncianti, etsi credidit illicò Virgo: tamen modestè rogauit, quomodo congruere nunciata possent, promissæ iam Deo virginitati, cuius ex voto ante concepto, virum planè nesciret. Ità sacri reddunt interpretes, vt nos quoque suprà notauimus, ea Virginis apud Lucam verba: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* & Sanctus inter Patres Augustinus [a]: *Profectò*, inquit, *non diceret Virgo, quomodo fiet istud, nisi Virginem se Deo ante vouisset*, & rursus: *Non quæsisset vtique quomodo promissum sibi filium fœmina paritura esset, si concubitura nupsisset*. Interim excipit rogantem, soluitque dubium Gabriel, respondens ope diuinâ futurum, vt virginitate saluâ conciperet, quam vel cum partu seruatura erat illæsam, descendentis ad Virginem Sancti Spiritus virtus, ideòque fore Dei filium, quem Virgo esset paritura. *Spiritus Sanctus*, inquit, *superueniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideòque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Hoc præterea Virginei partus miraculum, quod nunciatur futurum, confirmat Angelus altero, & quidem præsenti miraculo, quod nimirum patrarat Deus, cum ante sex menses Elisabethæ per ætatem iam sterili, Sancti Præcursoris Io: Baptistæ conceptu subitam fœcunditatem suprà naturæ vires concessisset; vt hoc, ità illud opus à diuinâ perfici dexterâ, quæ omnia potest. *Et ecce* inquit, *Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua; et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non est impossibile apud Deum omne verbum*: Aptum & ferè domi natum exemplum, quoniam Elisabetha, quam Virginis cognatam appellat Angelus,

Modesta Virginis interrogatio de sua virginitate.

[a] August. lib. de San. Virgin. c. 4.

Gabriel satisfacit interroganti.

Confirmat miraculum virginei cõceptus.

erat illi sanguine iuncta, cum ambæ consobrinæ inter se forent, ex duabus nempe sororibus natæ, Maria quidem ex Annâ, Elisabetha verò ex Esmeriâ, eodem patre Stolano genitis [a], vt suprâ docuimus [b].

a Cl. Cas. hist. l. b In parat

XV. Porrò hîc sistendum tantisper censeo in eximij viri Io: Baptistæ ex Elisabethâ conceptu, qui & incidit in hunc annum, & suum habet in Annalibus nostris locum, cum conceptus è matre sterili puer, Virgini Deiparæ sit ex consobrinâ cognatus, & sanguine Iesum Christum attingat, quem etiam proximè vt Prodromus anteiuit. Zachariæ [c] Sacerdoti eius patri, spe suscipiendæ prolis prouectâ iam ætate destituto (cum thus in templo ad altare thymiamatis adoleret, suæque classis vice fungeretur) conceptum, ortumque filij Gabriel nunciauit, claro vaticinio prædicens, quantus ille futurus esset. Innuit enim breuiter cælestis nuncius, nasciturum infantem, coram Domino magnum; ex vtero matris Spiritu sancto replendum; vitam ducturum asperrimam, & Iudaico populo Messiæ sacramenta promulgaturum. Sed siue de promisso leuiter dubius, siue illud admiratus Zacharias, cum adhibendâ Angelo fide se minus promptum exhibuisset, incredulitatis in pœnam, mutus vsque ad Sancti Præcursoris ortum permansit. Quâ rerũ serie per [d] Euangelistam expositâ, ostensum est; qualis quantusque vir proximè ante Virginis partum destinaretur in terras, vt viam illi pararet, tanquam Angelus à Malachiâ [e] prænunciatus. Et benè describitur hoc loco Præcursoris magni conceptus, quoniam Messiæ conceptui de quo nunc agimus fidem conciliat: cum adsit vtrique miraculum, & alter de sterili, de Virgine alter existat. Vtrobique Ambrosius [f] reperit ex comparatione mysterium, dum Ioannem, qui veteris Instrumenti figuram gerebat, senis mulierculæ frigido sanguine conceptum considerat; Dominum autem qui regni cælestis Euangelium prædicaturus erat, feruentis iuuenculæ flore progredientem.

De S. Io: Baptistæ conceptu.

Qualis ille vir futurus esset.

c Luc. 1

d Luc. ibid.

e Malach. cap. 3. v. 1.

f S. Ambr. serm. 63.

XVI. Intellexerat Virgo ex Angeli verbis, se in Dei matrem assumi, atque illibatâ virginitate parituram; fore hoc in Virgine omnipotentiæ diuinæ signum, vti Ioannes fuerat conceptus ante sex menses à parente longæuâ. Itaque quod suarum partium esse censebat, illicò in id consensit, quod à Deo cælestis legatus exposuerat, verbisque respondit, animi demissionem, obedientiam, fidem, atque prudentiam redolentibus: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Dum dicit *Ecce*, animi facilitatem, ac promptitudinem ad obse-

obsequendum ostendit; eundem de se demisse, modestéque sentientem notat, dum se vocat *Ancillam Domini* quam nihilominus in Dei matrem assumptam esse diuinitus nouerat; dum consentit in id quod Angelus dixerat, aitque: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, magnam fidem ostendit, quâ nimirum Angelo credidit nuncianti excedentia vires naturæ mysteria, & quam constat non habuisse Zachariam, ad allatum de cælo nuncium suæ prolis futuræ; prudentia denique summa est, itâ in puerperium consentire, modò id non aliter succederet, quàm sicuti prænunciauerat Angelus, operâ nimirum ac virtute Spiritus Sancti, vnde integra maneret, atque intemerata virginitas. Lege quæ scripsit in hæc ipsa verba Augustinus [a]; agnoscens in ijs virginei expositionem consensus, ad quem excipiendum venerat ò cælo Gabriel, & qualem omninò expectabat à Virgine.

a August. serm. 17. de Sanctis.

XVII. Cæterùm expletâ horum verborum pronunciatione, statim concepisse Virginem, atque eius in vtero Verbum diuinum fuisse humanâ carne vestitum, ferè communis fuit SS. Patrum ac Theologorum sententia, contrà quam Andreas [b] Cretensis dixit, ante salutationem Angelicam impletum esse Dei carnem assumentis mysterium, ipsumque Gabrielem non tam futura nunciaturum venisse, quàm significaturum quæ facta iam forent. Ratio assertionis inde ab authore desumitur, quòd Angelus in salutatione dixerit: *Dominus tecum*, quasi verò cum Virgine iam tum esse Dominum, & quidem carne indutum affirmarit. Imò Petrus [c] Damiani subscribens, illa ipsa verba sic exponit: *Audisne in hoc verbo, Incarnationem Dei, redemptionem hominum, renouationem mundi?* At verò huic opinioni aduersatur, quod proximè post salutationem Virgini exhibitam subdidit Gabriel: *concipies in vtero*, vnde omni dubio procul euincitur, illam cum ab Angelo salutaretur, nondum concepisse. Itaque affirmare cum plerisque licet, ineffabile illud mysterium, quo humanam naturam Dei Verbum assumpsit, tunc primùm perfectum esse, cum Virgo Deipara Angelicæ legationi consensit, per laudata atque exposita superius verba: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Quibus prolatis, Spiritus Sanctus paruum Christi corpusculum, ex purissimo Virginis sanguine, humana efformauit in membra, & perfectè compactum, animatumque, diuinæ Verbi æterni personæ, nexu coniunxit nunquam soluendo. Sanctissimæ matris gaudium hoc temporis puncto perceptum, perpulchrè Richardus [d] à S. Laurentio

Quando perfecta Verbi Incarnatio.

b Andreas orat. de Annunc.

c Pet. Dam. sermon. de Natiuit.

Verior opinio.

d Richard. lib. 3. ad illa de letitia corporis ...

rentio exponens: *Quis dignè, inquit, exprimere verbis sufficiat, ipsius sacratissimæ Virginis gaudium, quæ matrem Dei se factam ipso die et nouit, et sensit? quæ nostræ redemptionis thesaurum, Angelorum gloriam, et totius humani generis singulare gaudium, et, vt vno verbo concludamus, Deum et Dei filium in vtero se habere cognouit?* Præstat hîc Beatæ Virgini ex eiusmodi conceptu integerrimæ Matris titulum gratulari, quem vt primùm accepit, compos amplissimæ dignitatis effecta, non suæ modò, sed etiam generis humani felicitati prolusit; ideòque tanquam Aurora solem proximè paritura, & iam albescens salutari meritò potest; id quod ex corde nos facimus, & primum pietatis nostræ tributum, sincerum exhibemus obsequium Dei matri, Reginæque nostræ iam constitutæ.

Authoris ergà Virginem iam Dei Matrem obsequium.

XVIII. Admirabilem hunc Christi ex Virgine Deiparâ conceptum mediæ noctis silentio contigisse, quicquid alij senserint, apparet mihi verosimilius; quoniam huic sententiæ illa de Sapientiæ a libro maximè fauent: *cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus venit.* Nam Verbum diuinum tum verè dicitur descendisse, cum naturam sumpsit humanam, nono antequam nasceretur mense, & credi absque incommodo potest; sacri conceptus, ortusque tempora consensisse, itâ quidem, vt si vtrunque mysterium incidit in quintum & vigesimum diem mensis, alterum Martij, Decembris alterum, eodem modò in horâ quoque conueniant ambo. Mediam natali noctem communis fidelium sensus ascribit, eandem congruere conceptui non negabit, vt non solum à mense in mensem, dieque in diem; sed etiam ab horâ in horam nouem mensium spatium, quod inter vtrunque intercessit, omninò impleatur. Præterea opportuna maximè ad diuinum quoque conceptum hora illa videtur; quoniam quò quietis plus habet, eò Virgini commodior erat ad cælestia contemplanda, assuetæ præsertim in diuinis colloquutionibus maximam noctis partem traducere. Hoc itaque dictum à nobis sit, non tanquam exploratum & certum, sed vt valdè probabile, suprà opinionem illorum, qui vel cum D. Bonauenturâ, (vt habet b Io: Bonifacius) censent imminente nocte, vel summo mane cum Magno c Alberto, suâ fuisse Angelum legatione perfunctum. De loco salutationis non est, cur dubitemus; quoniam testatum id suo voluit ore Deipara, cum per quietem visa Alexandro Episcopo Tersactensi, de æde Nazarenâ, in Dalmatiam Angelorum manibus

Christi conceptus in media nocte.

a Sapient. 18. 14.

b Io: Bonifacius Hist. Virg. lib. 1. cap. 10.

c Albertus Mag. Marial. c. 30.

bus translatâ [a] inter cætera dixisse fertur [b]: *Hic ego Archangeli Gabrielis nuncio, Spiritus Sancti opera, diuinam concepi sobolem, hic Verbum caro factum est.* Denique Angeli Virginem alloquentis reuerentia, & situs aliter ab alijs exprimi solet: stantem aliqui ponunt, genuflectentem nonnulli. Nos vtrique parti nonnihil damus [c], cum pro temporis spatio, quo vltrà plures horas (vti traditum est) durauit Angeli apud Virginem mansio, vtrunque positum decorè ac reuerenter adhibere potuerit Gabriel, antequam legatione perfunctus discederet.

a *Ex mon. num. S. Domini Laur.* b *Turselin. Laur. Hist. lib. 1. cap. 3.* c *Monum. Congregat. S. Georg. in Alga.*

XIX. Cum verò Angelus absoluto cum Virgine colloquio recessisset, actis illa Deo pro beneficio gratijs, post biduum ferè vel triduum, in Iudææ montes iter est festinanter aggressa, vt consobrinam Elisabetham in senectute diuinitus grauidam inuiseret, non animo quidem explorandi, num vera nunciasset Angelus, de anu sterili vterum gerente, quoniam cælesti nuncio sine vllâ hæsitatione crediderat, sed, vt ait Ambrosius [d]: *quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio in montana perrexit*, & mouente præsertim intus Iesu, *qui in vtero Virginis erat, et Ioannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat*, vt optimè notat Origenes [e]. Futuris præterea sæculis exemplum insigne Christianæ demissionis, & charitatis, à Virgine Deiparâ Deus exhiberi volebat, dum, quæ dignitate præcellens, cunctis mortalibus anteibat, minori seruiret, & salutationem prima deferret. Comitem huius itineris fuisse Iosephum Sponsum Iansenius censet, sed alij [f] verosimilius negant; quoniam si fuisset is cum sponsâ profectus, vtique Verbi ex Virgine corporati mysterium didicisset, vbi Matrem Domini compellauit Elisabetha, & fructum pariter prædicauit Virginei ventris, cuius tum arcani certior effectus, nulli postea suspicioni de Virginis integritate locum dedisset. At non idcircò dicendum est, initum fuisse hoc iter à Virgine, aut sine comite, aut iniussu mariti; cum præsertim abesse sponsa domo deberet, plurium dierum, imò hebdomadum spatio.

Iter Virginis in montana ad salutandã Elisabetham.

d *S. Ambr. in 5. Luc.* e *Origenes Hom. 7.* f *Francisc. Lucas Toletus.*

XX. In ciuitatem Iuda, vbi cum Elisabetha coniuge Zacharias habitabat, Virginem esse profectam scribit Euangelista [g]; nomen autem ciuitatis licet ille non exprimat, sacri nihilominus interpretes [h], & historici [i], Hebronem, siue Chebronem, alioque vocabulo Cariatharben intelligunt. hanc enim in tribu Iuda, & in monte sitam esse constat, ex ijs vnam, quæ Sacerdotibus fuerunt ad habitandum attributæ, vt scri-

Quænam esset, & vbi, indicata ciuitas Iuda.

g *S. Luc. c. 1. v. 38.* h *Toletus.* i *Baronius.*

vt scribitur in Iosuæ [a] libro. In eâ ciuitate, Zachariæ Sacerdotis domum ponunt authores laudati, etsi alij [b] suburbanam fuisse volunt oppido Emmaunti vicinam. Nos verò prioribus assentimur, sacri textus authoritatem sequuti, ex quo habetur in ciuitatem Iuda Virginem esse profectam, ibique Zachariæ domum intrasse. Iter hoc absolutum videtur quatriduo, quoniam Nazarethum ab vrbe Hierosolymâ, quâ transeundum erat, distat passuum millibus octoginta, atque ab Hebrone Hierosolyma, duobus circiter & viginti. Ità ex eruditorum monumentis collegit Io: Stephanus Menochius [c], vir omni ex parte eruditus, & paulò ante dum hæc scriberentur, ad plures appositus. Confecti celeritatem itineris in nostrâ Viatrice notat Euangelista, aitque illam *cum festinatione* abijsse in montana. Vnde ad formandos mores Ambrosius [d] aptum Virginibus documentum præbet; exeuntibus domo, moras omnes in transitu viarum amputandas, ad Mariæ imitationem, quæ *in domo sera, festinat in publico*. Insuper idem S. Doctor, sapientissimè colligit, humanos animos, agiles fieri, promptos, & expeditos ad opera virtutum, quando illos inhabitans Spiritus Sanctus vrgeat, moueatque. *Nescit enim*, inquit, *tarda molimina Spiritus Sancti gratia*. Sed iam Zachariæ domum cum Virgine ingrediamur.

a Iosue c. 21.
b Burchardus, & Adrichomius Descript. terræ S.
c Menoch. vita Christi l. 1. c. 7. num. 3.
d S. Ambr. vt suprà.

XXI. Ea domus vbi nam sita esset suprà docuimus, vbi dictum est, Hebrone in ciuitate montanâ ac Sacerdotali de tribu Iuda, habitasse Zachariam Sacerdotem, siue intrà, siue extrà pomærium. Ex hac ipsâ disiunctione explicari fortasse potest, quod Burchardus & Adrichomius in descriptione Terræ sanctæ pariter notarunt, domum de quâ loquimur, in monte sitam ab Emmaunte, nunc Nicopoli, per passus ferè mille fuisse disiunctam, eòque diuertere solitos ad sacra Palæstinæ loca peregrinantes, quòd natum ibi Christi Præcursorem Io: Baptistam vetus & vulgata traditio prædicaret, essetque celebris memoria perantiqui fontis, vnde Virgo aquam identidem hausisset, quo tempore apud Elisabetham morabatur. Si eiusmodi testimonia vera sunt, vel dicendum est, hanc domum oppidulo vicinam, quam Io: Baptistæ natalem ponimus, atque ab eius parentibus Zachariâ & Elisabethâ possessam, pertinuisse ad Hebronem, tanquam maioris nominis, & amplitudinis vrbem, vel saltem non est improbabile, præter vrbanam domum, quæ Hebrone foret, fuisse Zachariæ etiam suburbanam, in quam, cum Virginem hospitam habuit, immigrarit, instante Elisabethæ coniugis partu. Vt vt hæc sunt, certè

Explicatur Burchardi, & Adrichomij testimonium

Celebris memoria, ac traditio fontis.

certè ingressa domum Virgo, Elisabetham prior salutauit, more vt credi potest apud Hebræos vsitato, quo nimirum sibi inuicem occurrentes pacem nunciabant, omne genus veræ felicitatis, ex Hebraicâ eiusce vocis significatione, precati; ideo salutandi actum, quo Virgo Elisabetham præuenit, Syriacus Euangelij textus, exprimit in verba, quæ Latinè redduntur: *precata est pacem*.

Virginis ad Elisabetham Salutatio.

a S. Luc. c. 1. num. 41.

XXII. Hîc S. Lucas [a] pergit exponere, quantæ virtutis fuerit & efficacitatis, salus à B. Virgine Elisabethæ impertita; ait enim, ad alterius salutationem, exultasse infantem in alterius vtero. *Vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Hanc latentis in aluo maternâ puelluli exultationem sacri interpretes ità communiter explicant, vt in eâ acceleratum infantulo cognoscendi donum, & vsum præproperum rationis intelligant: nam diuinâ præuentus luce Deum ac Dominum suum præsentem agnouit in vtero Virginis, ideòque hunc tenelli fœtus sensum testata mater, exultasse illum *in gaudio* dixit, quod propriè est mentis actus de secundo aliquo euentu probè intellecto lætantis; expressam vtique lætitiam corporis gestu, exultandi vox notat. Quare in rem nostram optimè concludit Origenes b: *Non simpliciter exiliuit, sed in gaudio; senserat enim venisse Dominum suum; vt sanctificaret seruum suum, antequam de matris vtero procederet*. Id quod maximè facit ad commendationem Ioannis, ante Deo viuere, quàm terræ discentis, & afflati prius diuinâ luce, quàm humanâ; vnde Verbum Dei carne vestitum agnosceret, & supplex veneraretur, gestiens quodammodo prius illum nunciare, quàm nasci. Eodem temporis puncto pueri animus ab originariâ labe purgatus, sanctitatis ornamenta suscepit, & dono præditus vaticinandi, destinatum sibi Præcursoris officium præoccupauit.

Exultatio Ioannis in vtero matris.

b Origenes Homil. 7.

XXIII. Præcipuum quoque Virgineæ salutationis miraculum fuit, Sancti Spiritus gratia affluenter in Elisabetham illapsa, dum illa per fidei donum adesse generis humani Vindicem nouit, & præscia futurorum vates effecta est. Diceres & auribus excepisse vocem salutantis Virginis, & simul animo arcana intellexisse mysteria; vnde in subitas Deiparæ laudes exclamando prorupit, dicens: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*. Vbi signata videntur diuina charismata, quibus Deus suprà cæteras mulieres Mariam ornauit, atque illud præcipuè diuinæ prolis, quam ventre concepit. Prioribus verbis salutationem suam absoluerat Angelus, à

Elisabetha Spiritu Sancto repleta.

lus, à quo ac si didicisset similem Elisabetha, iisdem quasi ex repercussu congeminatis, inchoauit suam; deditque Ecclesiæ ansam, componendi ex vtrâque tertiam, quæ Angelicæ salutationis nomine à Fidelibus vsurpatur, & præter laudes Virgini seorsim ab Angelo, & Elisabethâ tributas, eius implorat sontibus opem. Hæc salutandi Virginem forma, quando, & quomodo in sacra odea, priuatasque Christianorum preces sit inducta suo loco dicendum est. Interim Elisabetha pergit in suâ ad Virginem allocutione; seque ipsam per humilitatis sensum despiciens, & Dei matrem submissè reuerita: *Et vnde*, ait, *hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me*? Sancto afflatæ Spiritu mulieris oraculum, Catholicæ veritati stabiliendæ peropportunum, quam amplexa est Synodus Ephesina, aduersus mendacia Nestoriana definiens, B. Virginem θεοτόκον, siue Deiparam esse appellandam. Ità quoque dum paulò ante Elisabetha dixerat fructum virginei ventris Christum, Marcionis & Saturnini veneno parauit antidotum, nempe contrà hæresim illam, quæ Virginem matrem, & Christum filium eiusdem esse naturæ negat, cum verum alteri humanum corpus, fictitium alteri tribuat, quod præter æternam speciem habeat nihil. Denique allocutionem suam, atque encomium Virginis Elisabetha concludens, laudatâ eius fide, quâ Angelo crediderat nuncianti arcana mysteria conceptus, partusque virginei, *Beata*, inquit, *quæ credidisti* mox indicatâ felicitatis causâ, subdit: *Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino*. Admirabile sanè mulieris lumen, nonnisi diuinitus illi communicatum, quo nota sibi esse ostendit, perfecta ad Angeli nuncium in vtero Virginis sacramenta, eaque omnia euentura prædixit, quæ prænunciata paulò ante ab eodem Angelo fuerant.

Angelica Ecclesiæ ad Virginem salutatio.

Elisabethæ sensus ad salutationem Virginis.

Eandem Virginẽ laudat.

XXIV. Ad hæc Virgo cum suas ex ore Angelico laudes accepisset, itemque à cognata repeti, quæ Gabriel ante docuerat. Quin etiam Ioannis infantis maternâ in aluo ad Christi, suamque præsentiam exultatione cognitâ: abrupit illicò silentium, atque in diuinas pro beneficijs laudes, & gratiarum actionem verba fecit. His autem continetur celeberrimum illud Encomium, ad Dei laudes, Deiparæque memoriam, in Ecclesiâ Vespertinis horis solitum decantari, cuius breuissima Synopsis hæc est. Primùm, laudat Virgo Deum pro ijs beneficijs, quæ ipsamet à diuinâ suscepit beneficentiâ, idque præcipuè quo æterni Verbi mater est effecta. Deinde nouas addit laudes ex alterius generis beneficijs in populum Iudaicum

Celeberrimũ D. Virginis Canticum *Magnificat*.

Eius synopsis

Iudaicum ante Christum natum generatim vniuersèque collatis, alluditque ad victorias, quas idem populus ex Pharaone, & Chananæis reportauit. Denique de corporati Verbi mysterio iterum commemoratione factâ concludit. Placet æternâ dignum memoriâ carmen hic recensere, columnis duabus ità, vt ex vnâ parte ipsius verba, sicut ab Euangelistâ referuntur, Lector accipiat, ex alterâ Paraphrasim habeat.

Magnificat anima mea Dominum.

Tu quidem, ò Elisabetha, tuis me exornas, euehisque laudibus, vocans Dei matrem: & beneficia prædicans, quibus me diuina liberalitas cumulauit. At ego toto animæ meæ conatu Deum ipsum commendo, qui ad eam me dignitatem euexit, vt Dei filium ventre conciperem.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

Lætata est plurimum anima mea; sed Deus ipse Iesus & Saluator meus, mihi lætitiæ causa, mihi materies fuit.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: Ecce enim beatam me dicent omnes generationes.

Quia nimirum in meam humilem conditionem oculis de cælo conuersis, me de mulierum cætu sepositam, ex ancillâ fecit sui filij matrem; ideoque videre iam videor, ex nationibus omnibus toto terrarum Orbe dispersis, mulierum & virorum cætus, ad me laudandam, inuocandam, colendamque certatim aduolaturos.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius.

Et iure quidem hunc honorem & cultum omnes mihi gentes tribuent. Quia magnis me beneficijs, magnisque priuilegijs exornauit Deus, in cuius potestate sunt omnia, suam enim is in me exaltandâ omnipotentiam adhibuit, dum effecit, vt Virgo conciperem; vt Verbum diuinum carne vesti-

tum vtero continerem; vt me ancillam Domini vltro professa, mei conditoris fierem mater. Ille inquam qui sanctus est, & hoc nomine ab Angelis iugiter prædicatur, tantam mihi dignitatem, tot gratias impertiuit.

Et misericordia eius à progenie in progeniem, timentibus eum.

At etiam sicuti potens & Sanctus est, ità clementissimus meritò prædicatur, quoniam in seruos suos clementiam semper exercuit, perque omnes nationes, atque familias omnibus se timentibus præstò fuit.

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

Clementiæ respondit ex æquo iustitia, nam in improborum scelera seuerè animaduertit; eorum superbiam, arrogantiam, contumaciamque perdomuit, alijs ex dignitatum fastigio in ordinem redactis, alijs omni principatu exturbatis, & vitâ: opera vtique potentissimo ipsius brachio tribuenda, cuius metuendas vires experti sunt, & malè multati, immanissimi illi Tyranni Pharao, Nabucodonosor, Salmanasar, Antiochus, alijque, necnon integri identidem populi, vt Chananæi, Ammorrhæi, Ammonitæ, Philistæi.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Superbos quidem suis viribus fretos eiecit è solio, dum alta meditarentur; & humiles de se ipsi modestè sentientes, à conditione priuatâ euexit ad regiam. Sic exturbato Saule propter superbiam, in Iudæorum regnum subrogatus est propter mansuetudinem Dauid.

Præ-

Præterea Deo curæ fuit, Fidelibus suam legem exactè seruantibus, annonam & commeatum suppeditare, quo viuant: ideò seruorum suorum indigentiam, inopiam, famem opportunè leuauit, sicut dilectum sibi populum abundè pauit in deserto; Eliam per Angelum in itinere; & Danielem Prophetam in lacu leonum per alterum Prophetam. E contrario paupertati, inopiæque damnauit eos, qui diuitijs in superbiam abrepti, se nec ope humanâ, nec diuinâ egere censebant.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

At peculiari prouidentiâ Hebræorum nationi consuluit, omnemque Israëlis siue Iacobi progeniem, eius nimirum filios & nepotes, tanquam suos filios alendos, & tanquam seruos defendendos, custodiendosque suscepit, recordatus tandem suæ illius clementiæ, quâ miseratus olim captiui generis humani calamitates, Christum Iesum ex eâ stirpe liberatorem mittendum decreuerat. Recordatus inquam, quia dilato per tot sæcula Redemptoris missu, suæ antiquæ clementiæ quodammodo videbatur oblitus.

Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordię suę

Quâ ex clementiâ progenitores nostros allocutus, Abramo credentium patri, eiusque posteritati, Christum Dei filium ex eo semine nasciturum promisit, & salutem exinde perpetuam affuturam.

Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini eius in sæcula.

Y 2 XXV. Hæc

XXV. Hæc ad expoſitionem Mariani cantici, cui non Maria ſolum Moſis ſoror, ſed matrona quoque Iuditha proluſit, cum ſuis ambæ temporibus, de hoſtibus diuinâ virtute ſuperatis, ſuo, ſuæque gentis nomine, carmen gratulatorium cecinerunt. Sed nobiles illas Poëtrias hæc noſtra ſuperat, cui etiam reliqui cedunt, in ſacris litteris vates, vel lamenta, vel gaudia cantibus modulati. Carminis à Deiparâ prolati dignitas, augetur numero ipſo verborum, quoniam cæteroqui loquendi parciſſima, Deum laudans ex abundantiâ loquitur cordis. Nec mirum eſt, ſi virginalem hymnum tanti facit Eccleſia, vt nullum ſine illo diem abire patiatur; cum ex Mariâ Deiparâ modulatrice plurimum commendetur; itemque myſteria contineat plura fermè quàm verba. Ideòque meritò Hugo Victorinus [a]: *Quis dubitet*, inquit, *B. Mariam recens Spiritus Sancti in ſe ſuperuenientis tanta plenitudine, & gratia repletam, non potuiſſe paruum aliquid; & quod ſuprà terrenarum mentium capacitatem non eſſet, in laudem Saluatoris ſui proferre.* Denique eius momenti ac venerationis eſt Hymnus, vt dignus habeatur, cui in ſacris audito, populus Chriſtianus ad reuerentiam, & religionem aſſurgat, quem morem introductum in Eccleſiam dicemus, atque exponemus infrà.

De huius Mariani Cantici dignitate.

a Hug. Vict. Præfat. in Cãt. Deip.

XXVI. Moram ferè trimeſtrem Virginis apud Eliſabetham, poſt Canticum proximè attingit Euangeliſta. *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus* [b]. Non ſolâ familiaritatis causâ, ſed vt Io: Baptiſtæ infantis profectum in ſanctitate, quam nondum natus acceperat, promoueret. Verè enim ratiocinatur Ambroſius [c]: *Si primo ingreſſu tantus profectus extitit, vt ad ſalutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu Sancto mater infantis; quantum putamus vſu tanti temporis S. Mariæ addidiſſe præſentiam?* Reuerſam Nazarethum Virginem ſiue exeunte Iunio, ſiue Iulio ineunte affirmare cogimur, vt verum ſit Euangeliſtæ Lucæ teſtimonium, de eius reditu poſt tres quaſi menſes. Dubitari tantùm poteſt, an Hebrone diſceſſerit, antequam Eliſabetha pareret; an verò poſt partum. Priorem partem aliqui Doctores [d] amplexi, affirmant non interfuiſſe Virginem natali Ioannis, rationem habentes potiſſimùm Euangelici textus, vbi expoſito Mariæ diſceſſu, ortus narratur Sancti Præcurſoris, deque Virgine ipsâ nulla fit mentio. Aiunt præterea, alienum à decoro futurum, ſi Virgo, cuius modeſtia & verecundia maximè commendatur, matronæ parturienti affuiſſet; imo propterea reditum ad ſuos Nazarenos lares illam præoccupaſ-

b Luc. c. 1.

c Ambroſ. l. 2. in Luc.

De reditu Virginis Nazarethum.

Antène an poſt partum Eliſabethæ diſceſſerit.

d Theophylactus. Euthymius.

Prior ſententia.

ſe, vt

ſe, vt eorum frequentiam prudenter vitaret, qui aut cognationis, aut amicitiæ titulo, venturi de more erant, ad inuiſendam Eliſabetham â partu decumbentem. Aſt alij [a], quibus poſterior pars magis placuit, probabilius ratiocinantur. Dicunt enim defuturam officijs Virginem, ſi vſque ad cognatæ partum in Zachariæ ædibus commorata, inde receſſiſſet illâ propediem pariturâ, ac proinde maiorem neceſſitatem auxilij, ſeruitutis, atque ſolaminis habiturâ. Niſi animus erat expectandi partum; quorſum apud Eliſabetham tandiu maneret Virgo deſponſata, & iam grauida, procul â domo, procul à patriâ? conuenientius certò futurum, ſi perfuncta ſalutationis officio, Nazarethum remeaſſet. Addunt, eo animo hoſpitam Auguſtiſſimam permanſiſſe, vt natum videret puerum Ioannem, mundi miraculum, atque in vitæ ſtadio Ieſu Chriſti antecurſorem, vtque ipſamet Dei parens ab illo conſpiceretur, & in vtero tantæ matris conceptus adoraretur Deus, ſicut antea nondum natus, motu corporis præſentem agnouerat. Hac in re contrà virginalem modeſtiam nihil eſſe peccatum, quoniam dum Eliſabetha pareret, Virgini in promptu fuit aliò ſe recipere, vt cognatæ felicem partum à Deo precibus impetraret. Potuiſſe pariter vitare frequentiam cognatorum, aut amicorum, partum de more gratulantium Eliſabethæ decumbenti, dum in ſecretum aliquod conclaue migraret, ab hoſpitum inuiſentium multitudine remotum, ijs potiſſimum horis, quibus eiuſmodi officia ab externorum aduentu feruebant. Aut certè ſi quando in congreſſus incideret, prudentiâ, modeſtiâ, ſanctiſque collocutionibus illos ad alienam vtilitatem condiuiſſe. Denique mirum non eſſe, ſi Virginis reditu Nazarethum expoſito, Sanctus Euangeliſta de ortu Ioannis loquatur, probatus enim in hiſtoriâ ordo requirebat, vt poſt Virginei carminis recitationem, Virginem ipſam, de qua ſermo erat, reuerſam eſſe Nazarethum, anticipatò referret, tranſitum ad aliam narrationem facturus, quam interrumpere eo in patriam itinere commemorato, importunum videbatur.

[a] Origenes Ambroſius Beda.

Altera verior.

XXVII. Igitur ad hunc annum, de quo nunc agimus, pertinet quoque natiuitas S. Io: Baptiſtæ, quem ortum eſſe conſtat nouem à conceptu menſibus elapſis, quorum ſex priores tanquam præteritos indicauerat Virgini ſalutatæ cæleſtis nuncius, tres poſteriores à Mariâ apud Eliſabetham inſumptos fuiſſe notat Hiſtoricus. Editus in lucem magnus hic infans, non modò vniuerſæ cognationis & viciniæ lætitiam

De ortu S. Io: Baptiſtæ.

& gratu-

& gratulationes exciuit; sed etiam Deiparæ præsentes oculos, animumque ad se conuertit. Illa in puero spectauit sui imaginem Filij, æterni vocem Verbi, Messiæ Prodromum, diuini Phosphorum Solis. Præcocem eius sanctitatem, quam in vtero matris Deo dante suscepit, in ortu ipso noua de cælo confirmauere prodigia, linguæ vsus parenti muto redditus, cum subitâ ad diuinas laudes decantandas, atque ad vaticinandum facundiâ; nouum Deo reuelante nomen impositum; vtriusque parentis in extremâ senectute fæcunditas, de puero sancto spes magnæ ab vniuersâ cognatione, imò Iudæâ totâ conceptæ. Eo igitur Deipara viso, quem diu optauerat, exhibitum cognatæ officium charitatis absoluit, recepitque se Nazarethum. Solemnia Virginis Elisabetham salutantis non exeunte Martio, quando iter Maria primum suscepit, sed ineunte Iulio, quando domum redijt, ab Ecclesiâ celebrantur ijs de causis, quas suo loco docebimus. Hinc obiter argumentum deduci potest, ad sententiam confirmandam, cui adhæremus, vt valdè probabili; post Elisabethæ partum, Hebrone Mariam discessisse, in eâ commoratione mensibus ferè tribus exactis, vt Euangelica restatur historia.

Iosephi de Sponsa suspicio.

XXVIII. Cum ergò Nazarethum Virgo redijsset, atque vnà cum Iosepho Sponso in eâdem domo Nazarenâ habitaret, intumescente iam vtero, grauida ab illo deprehensa est, id quod sanctum virum mysterij inscium, in magnam sollicitudinem & curam impulit; comperta Sponsæ sanctitas, aliquid de eâ minus castum suspicari prohibebat; at verò vteri tumor ex latente fætu, ante tres menses concepto, timere saltem sinebat, iniuriam Virgini per vim & inuitæ illatam, cum cæteroqui certus ille foret, nihil sibi cum eâ maritalis fuisse commercij. Metum augebat trimestris illa commoratio, quâ Virgo apud Elisabetham est diuersata, procul ab oculis custodiâque Sponsi, in consanguineorum frequentiâ: sic enim, vt suprà docuimus, fert verior sententia. Quare anxius in tanto negotio, ac de consilio capiendo sollicitus, *cum esset iustus*, vt ait S. Matthæus [a], *& nollet eam traducere*, siue tanquam sceleris ream accusare, atque ex lege puniendam Iudicibus tradere ad exemplum vtique reliquarum *voluit occultè dimittere eam*. Hæc Sancti viri suspicio, quæ dissimulari minimè potuit, pupugit quoque Virginis animum, probè cognoscentis, quanta Iosepho Verbi carne vestiri sacramentum nescienti, foret dubitationis causa; & quantum sibi periculum immineret, ne quasi adultera dimitteretur vix inito coniugio. Sic

a S. Matt. cap. 1.

sui amantes Deus sinit identidem angustijs premi, vt virtus exerceatur & crescat. Creuit quidem in Virgine, quia in eo discrimine, diuinæ prouidentiæ se totam commisit, arcanum silentio premens. Creuit etiam in Iosepho, quia in eâ suspicione nihil ausus est, aut cogitauit in Sponsam minus iustum, minusue decorum. Itaque rursus per Gabrielem internuncium est vtrique consultum: Iosepho quidem, dum ab Angelo in somnis admonitus sacrum didicit mysterium, vnde suspicionis aut sollicitudinis nubes euanuit: Mariæ verò, dum sensit omni se periculo liberam, suamque integritatem castissimo coniugi Cælitum indicio declaratam. Ipso sacri Euangelistæ testimonio res ità se habuit: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Visio hæc ad Iosephum exhibita, cum ille dormiret, imaginaria fuit, apparente per quietem Angelo, quo tempore animus illustrari facilius potest, sensibus extrinsecus vinctis, & intus quiescente imaginandi facultate. Habemus in sacris litteris solitum identidem fuisse Deum sacra in somnis reuelare mysteria, dicente ad [b] Iobum Eliphâ Themanite. *Ad me dictum est verbum absconditum, in horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines.* Diximus Gabrielem in hoc viso locutum, quia ex Angelis addictis custodiæ Virginis præcipuus fuit, & quicquid ad Verbum diuinum corporatum spectabat, curare iussus est, vt alibi à nobis indicatum fuit. In ipsis Angeli verbis, quod adnotatu dignum censemus; tum vocatur Iosephus Dauidis filius, vt ei reuocetur in memoriam promissus Iessæo Regi Messias, tanquam ex illius semine nasciturus; tum etiam ratio redditur, cur idem Iosephus non debeat indignum quid suspicari de sponsâ, aut dimissam deserere, eâ nimirum de causâ, quòd formatam in vtero prolem, & quidem maturam habeat, ideòque non tam conceptam, quàm natam, virtute tantùm Spiritus Sancti. Prædicitur denique partus virgineus, & imponendum filio Saluatoris nomen, Virgini anteà indicatum, & iterum significatum Iosepho; qui paulò post excitatus à somno, acceptâ diuinitus sacri cognitione mysterij, fecit sicut præceptum fuerat à cælesti nuncio. Nos cætera, quæ ante partum Virginis ab eodem sunt acta, dicemus anno sequenti.

XXIX. Interim dum hæc geruntur, quæ sacra nobis historia suppeditauit, quarto suprà decimum Virginis anno; profa-

Margin notes:

Exercetur vtriusque virtus.

Diuinitus vtrique consulitur.

a S. Matth. ibid.

Qualis Iosepho fuerit Angeli visio.

b Iob. c. 4.

Iesu nomen prænunciatū Iosepho.

profana non ijs caret, quæ tum in Iudæâ, tum Romæ sacris potissimum illustrandis possint opponi. Per sanctum illud Mariæ cum Iosepho coniugium custos parabatur Dei filio in terris nasciturо, & qui eius curam gereret tanquam pater, dum in Iudæâ Herodis [a] filius Antipater, cum fratres interimendos curasset, patrem quoque de medio tollere statuit, ipsemet ab eodem paulò post conijciendus in vincula, & mox etiam morte mulctandus. S. Ioannis Baptistæ natali, ortus opponitur Sulpicij Galbæ, qui septimus fuit Imperator. Ille prodromus Iesu Christo futurus erat in mundum, æternùm cum eodem regnaturus in cælo; hic Romano vix ostendendus imperio, non tàm in principatum, quàm in sui perniciem, plebisque ludibrium nascebatur. Ad eundem annum pertinet Pheroras Herodis frater, veneno sublatus, per Doridem Antipatri matrem; vt quo tempore per sanctissimam Virginem Christus ad vitam properabat, eo per mulierem improbam, filioque non dissimilem, pessimi Regis frater, cui Pharisæi regnum vaticinati fuerant, morti traderetur. In Herodis aulâ consanguineorum odia, ambitione furiarum maximâ inflammante, feruebant; filij in Patrem, in filios Pater, frater in fratres, in priuignum nouerca exarserunt. E contrario Nazarena domus, & ea quam Hebrone Zacharias & Elisabetha habitabant, euasere diuinitatis sacraria, vbi charitas, religio, pietas & reliquæ virtutes Deo sincerum exhibent famulatum. Qui apud Herodem sunt, regnum prauis artibus affectantes, regnum amittunt, & vitam. Qui apud Iosephum & Virginem, qui apud Zachariam & Elisabetham, ab optimis exemplis discunt se subijcere Deo, cui *seruire regnare est.* Verbum æternum hoc anno caro factum, sicut instar orientis solis ex Mariæ â domo eduxit noua sanctitatis germina, ità Herodianam perculit adeò, vt loco cederent hospites, sese inuicem conficientes, ac tanquam vmbræ diffugerent. Sed hæc Lectori comparanda relinquimus, aliò properantes.

Huius anni euenta humana, & sacra conferũtur.

a *Ex Iosepho & Dione.*

Annus B. M. Virginis 15. Quo natus est Christus post menses 3. dies 17. Augusti Imp. 42.

I. ANnum subimus optatissimum omnium, quotquot hactenus sunt elapsi, quo nimirum decurrente contigit salutaris humano generi Virginis partus, vnde felicitas

citas nostra, & filiorum Dei libertas duxit initium. Hic, inquam, annus sacrorum Vatum oraculis, ac temporum plenitudine nobilis, est à Virgine natâ decimus quintus, inchoatus die octauâ Septembris, & concurrit ferè totus cum Augusti Imperatoris anno secundo & quadragesimo, ab eius consulatu primo, cui initium dedit dies Augusti mensis decimanona, sesquianno ferò post Iulij Cæsaris necem. Præterea cum Christi natalem ex parte antecedat, & ex parte subsequatur; nunc tantùm nobis est sermo de tribus primis mensibus, paucisque diebus, qui præcesserunt, & ad annum proximè euolutum, secundum nempe ante Christum, habent rationem primi decurrentis. Eo igitur trimestri continetur iter Bethlemiticum Iosephi & Mariæ, vrgente edicto Augusti Cæsaris, eorundem in eodem oppido commoratio, cum expectatione Virginei partus; atque ipsa Natiuitas Saluatoris.

Summa rerũ ad primum huius anni trimestre pertinentiũ.

II. Euanuerat penitus ad Angelicum nuncium Iosephi suspicio, cum de Virginis sibi desponsatæ certior factus integritate, accepit vltrò coniugem suam, atque vt ait S. Euangelista, *non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum* veneratus in illâ diuinum Sanctuarium, cuius se custodiæ destinatum gaudebat. Vides ijs Historici sacri verbis apertè declarari, Iosephum cum Virgine matre virginem perseuerasse, coniugique puerperæ semper intactæ, custodem ac famulum se præstitisse, non maritum; quamuis perperam ratiocinentur Hæretici, Ebion, Heluidius, Iouinianus, alijque vtriusque integritati detrahentes, quòd dicatur Iosephus non habuisse cum sponsâ coniugale commercium *donec peperit*, quasi verò post partum habuerit, & quòd natus ex Virgine filius *Primogenitus* appelletur; ac si ea vox connotet alios liberos deinde susceptos. Nesciunt enim illi, aut certè nescire se simulant, in sacris litteris primogenitum vocari, ante quem parentes nullum genuerint, licet sit vnigenitus. Præterea dum dicitur Iosephus non cognouisse Sponsam *donec peperit*, non innuitur matrimonij post partum vsus, quem vsum si quis negat pro tempore partum antecedente, non idcircò affirmat pro subsequente. Ità de Michole Saulis filiâ expressum in libris [b] Regum habetur: *Non est natus filius, vsque dum moreretur.* Vbi qui sapiat inferre non potest; natum esse post mortem.

Iosephus virgo cum Virgine perseuerauit.

a S. Matth. cap. 1.

b L. 2. Reg. cap. 6. n. 23.

III. Menses præterierant, postquam Virgo conceperat, ferè nouem, cum Augustus Imperator summâ pace terrarum Orbe composito, quicquid in eo foret suæ ditioni subiectum,

iussit edicto promulgato describi, vt in suâ quisque ciuitate, vnde originem duceret, & progenitores haberet, nomen daret publicis tabulis recensendum, & designatum censum persolueret. Hanc descriptionem à Cyrino Syriæ Præside factam Cæsaris iussu, primam appellat S. Lucas, non quia tum primùm censi Iudæi sint, & populo Romano vectigales effecti, cum longè antea, Cicerone, & Antonio Coss., Pompeius ijs domitis tributum imperasset, & Syriæ post illum Præsides idem non pauci fecissent; sed quia Cyrinus ipse hanc in suo magistratu primam ordinarit, & alteram deinde post lustrum, more Romano populis subiectis vbique terrarum censendis. Occasione eius edicti, aut potius Dei prouidentiâ factum est, vt Iosephus cum Mariâ coniuge, ex oppido Galilææ Nazaretho digressus, in Iudæam ascenderit, & Bethlemum petierit, ciuitatem Dauidis (à quo genus trahebat) sibique natalem, centenis passuum millibus, itemque quaternis denis Nazaretho distantem, ac tantùm senis Hierosolymâ. Sanctum iter per hyemis incommoda susceptum à Mariâ & Iosepho exponere sic possumus D. Athanasij [a] Antistitis Alexandrini verbis: *Ibat*, inquit, *cum Maria Iosephus, partim adiutor, partim eorum quæ futura essent, spectator & testis. Non quod Virgini opus esset adiutor, vel ei qui in eius vtero portabatur (ille enim omnium auxiliator est, ad quem clamantis Propheta spectat oratio: Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram) sed quia diuinæ prouidentiæ mysterio Iosephum Virgini adiungi comitem oportebat, vt quasi sub viro esse crederetur, & res tanta Diabolum lateret, neque scire posset, quemadmodum Deus cum hominibus versaretur*. Comitem se Lector addat; ac tacitus contempletur vtrunque; adest itineris dux, & moderator Iosephus, de Virgine Sponsâ diuinitus grauidâ sollicitus, vehitur illa humiliore iumento, sicuti consueuit à piâ fidelium curâ depingi, aut certè pedibus ingreditur suis, *salubri*, vt ait Augustinus, *leuitate gaudens*, quia *lumen quod intrà se habet, pondus habere non potest*. Itinerarij Hierosolymitani, & Syriaci Scriptores [b] aiunt, quo spatio iter est Bethlemo Hierosolymam versus, ad mille quingentos circiter passus propè ipsam vrbem, videri Terebinthum Virginis, cuius etiam qui ad sacra Palæstinæ loca peregrinati sunt meminerunt, sub illâ existimantes Mariam conquieuisse. id quod verum esse aliquis crediderit, vel eò magis, quòd vetustissima & vnica sit Terebinthus, latos habens ramos & densa folia, neque tot sæculorum decursu fuerit, Deo prodigiosè succurrente, detrita. Huiusce traditionis, quam nec probare,

nec

Augusti edicto facta per Cyrinū Orbis descriptio.

Ad eum censum iter Mariæ & Iosephi Nazaretho Bethlemum.

a *D. Athanas. Conc. de hoc itinere.*

b *Cotouicus l. 2. c. 8.*

nec improbare audemus, penes authores esto fides.

IV. Vbi verò sanctissimi coniuges peruenere Bethlemum, conuenientibus eò in eundem finem contribulibus multis, præoccupata nacti sunt in domibus cognatorum hospitia, & multò magis ex frequentiâ peregrinorum publica diuersoria; imò si quam ibi domum adhuc Iosephus possidebat, quoniam ortu Bethlemites erat; oportuit sanè id temporis aliorum vsui fuisse concessam, ità vt aduenienti Domino locus superesset nullus, quamobrem ne cui foret ille incommodo, plus de Virgine vterum ferente, quàm de se ipso sollicitus, ad publicum Xenodochium rectâ contendit, siue extrà, siue intrà pomœrium, vnde ob multitudinem conuenarum, qui ad censum & descriptionem accesserant, hospitio exclusus, se in stabulum recepit eiusdem domus, vt ex euangelico textu colligunt[a] interpretes magni nominis, ibique cum Virgine tenerrimâ, partuique vicinâ commoratus est, summâ rerum egestate hyemis incommoda exasperante. Speluncam hîc fuisse aiunt in rupe excauatam, extructoque ligneo præsepi in stabuli vsum, tegendis pluuio cælo iumentis, pabuloque recreandis accommodam. Paruum terræ foramen appellat S. Hieronymus[b], semiantrum Beda[c], tugurium humile[d] Nicephorus; ponitque[e] Cedrenus in agro suburbano, qui ad Salomen Mariæ Virginis consanguineam pertineret, de authoritate, qua hoc asserit ille, non liquet. Hîc sanctissima Virgo cum esset, inquit S. Lucas, *impleti sunt dies, vt pareret*, euoluto nouem mensium spatio, quod à vigesimâ quintâ Martij inchoatum, in similem desijt mensis Decembris diem; quâ ineunte contigit partus virgineus, & *Verbum caro factum* in mundi lucem prodiuit, aduentante plenitudine temporum vaticinijs descriptâ Prophetarum. An verò temporis punctum, vnàque locum suo præfinitum partui Virgo præsenserit, dubium est. Vtrunque nos affirmare probabiliter possumus, haud ignari ipsum Verbi carnem assumentis Sacramentum, diuinitus ab illâ fuisse præcognitum, sanctoque impellente Spiritu, exhibita Elisabethæ salutationis officia; Quidni horam nosceret pariendo præscriptam, quæ diuino lumine præuio è sacris didicerat oraculis, Christum Bethlemi nasciturum; ac semet admirata Dei matrem, partum propediem expectabat?

V. Modum atque adiuncta huius sanctissimi partus Catholica Ecclesia docet, eâque magistrâ passim Sancti Patres exponunt, asserentes natum ex Virgine Christum, prodijsse ab vte-

Iosephus nõ inuenit locũ, quo se recipiat cũ Spõsa

Diuertit in stabulum.

a Tolet. in cap. 2. Luc. Franc. Lucas Sallianus.

Eius loci descriptio.

b Hieron. epist. 17. & 18.
c Beda lib. de loc. san. cap. 8.
d Niceph. lib. 1. histor. Ecclesi. c. 12
e Cedren. Comp. hist.

Virginis in eo loco partus.

Eiusdẽ partus adiuncta.

ab vtero matris, vti communiter solent infantes, organis virginalibus vndecunque incorruptis, & sacri claustri violatione, aut apertione nullâ; sicut lux vitrum omninò illæsum perlabitur, quæ est elegans in hanc rem comparatio S. Athanasij [a], itemque Richardi [b] à S. Laurentio perpulcrè versiculis hisce virgineum partum illustrantis: *Vt solis radius, intrat innoxius, Fenestram vitream, Sic Dei Filius, imò subtilius, aulam virgineam.* Eandem similitudinem Christianus [c] Poëta sic expressit in laudem eiusdem partus.

Alma parens nullos intrà præcordia motus
Senserat: hærebant immotis viscera claustris.
Haud aliter quam cum purum specularia solem
Admittunt: lux ipsa quidem pertransit, & omnes
Irrumpens laxat tenebras, & discutit vmbras,
Illa manent illæsa.

Integra in partu & à partu Virgo.

Igitur abfuit ab hoc partu matris dolor, quia doloris absfuere causæ, membrorum nempe, per quæ exilit infans, apertio; & disruptio vinculi, quo maternis locis conserebatur; cum integra omninò Virgo in partu, & à partu permanserit, atque in eam cadat Ezechielis [d] oraculum: *Porta hæc clausa erit.* Sunt etiam inter Euangelicæ historiæ explanatores, qui sentiant, Christum nascentem, in terram ex vterò illapsum, illam corpusculo primam tetigisse, quod de se ipso Sapiens [e] testari videtur, cum dixit: *Et in similiter factam decidi terram.* Monitum vtique nobis peropportunum, ad sectandam exemplo Christi, qui verus est sapiens, humilitatem. Nonnulli censent exceptum illicò fuisse à Virgine partum suum, tanquam maturum fructum, qui ab arbore nullatenus læsâ deciderit, eunque flexis genibus adoratum, vt Deum. Alij [f] denique Nyssenum sequuti Gregorium aiunt, sacrum in ortu pignus, ab accurrentibus Angelis vltrò leuatum inter brachia Virginis matris, tanquam in regio solio, fuisse pro tanti sessoris dignitate repositum.

Infans pánis inuolutus, & in præsepio positus.

VI. Pergit in eâdem historiâ S. Euangelistâ [g], dicitque puerum Iesum, ab aluo matris egressum, vlnisque exceptum, tandem fuisse more infantum, ab eâdem linteis inuolutum, atque in præsepio reclinatum. Materna hæc officia infanti Deo præstitit ipsa per se Virgo mater, quæ in partu nulla ope, nulloque obstetricum ministerio fuerat subleuanda; ijs nempe inter apocryphorum somnia reijciendis, quæ Suidas [h], & Iacobi proteuangelium, & Zeno [i] Episcopus Veronensis, de obstetricis obsequio habent, deque incredulitatis pænâ, quam subijt,

a S. Athan. Classe 3. qq. ad Antiochum in 19
b Richardi lib. 10. de Deip.
c Actius Syncerus. Carmine de partu Virg.
d Ezechiel. cap. 44.
e Sap. c. 7. num. 1.
f Caiptan. Suarez t. 1 in 3. par. S. Tho. disp. 45. sect. 2.
g S. Luc. 2.
h Suidas de nomine Iesu.
i Zeno ser. 6. de Natiuitat.

subijt, & sospitate receptâ testantur; benè igitur reprehenduntur à S. Antonino [a] Pictores, appingere olim soliti ad Virginis partum obstetrices; licèt tolerandi aliquo modo fuerint, qui amissis illas manibus mutilas exprimebant, vt ex Petro Richardo [b] prodit Molanus [c]. Et si enim eorum picturæ repugnat historiæ veritas, quæ obstetricem ablegat; haud tamen imperitè exhibuere truncam manibus, cum nihil haberet in eo partu præstandum; ipsâ Virgine puerperâ, neque defatigatâ, neque sordente, neque eiusmodi indigâ leuamenti. At præsepe, quod illo iumentorum receptaculo continebatur, constat fuisse siue ex ligno, siue ex luto compactum, atque in speluncæ interiore recessu positum, vt pascendis animantibus brutis inseruiret, hoc post multa sæcula translatum aliò, Roma nunc habet, ex eo pignore decentius asseruato gloriosior multò, quam ex Romuli sui conditoris tugurio, quod intextum è stipulâ, diu retinendum honoris ergò Romani censuerunt. In eâdem quoque veneratione habentur Romæ ad S. Mariæ Maioris panniculi, & fasciæ, quibus Christus infans à Virgine est inuolutus, aliæque sacrorum linteorum partes in alijs vrbibus religiosè visuntur Carnoti, Augustæ Vindelicorum, & Duaci. Ad Puelli latera in fæno recumbentis, duo animalia bouem & asinum procubuisse fert Ecclesiæ perantiqua traditio, quorum anhelitu crebrò castigata hyberni frigoris intemperies, infanti minus nocebat. De ijs loquutus creditur Isaias [d]: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*. Quod oraculum Patres interpretantur de Christo nato, & de præsepi, in quo fuerat à matre collocatus. Sed vndenam ad natale Domini stabulum bina illa iumenta? probabile est quod communiter tradunt, fuisse illuc à Iosepho ducta, asellum quidem, vt Virginem grauidam, nec assuetam itinerum incommodis veheret; bouem verò Bethlemi vendendum, vt ex pretio tributum Cæsari penderetur, & necessarijs satisfieret ad victum expensis. Hac nimirum egestate Dei filius, in gremio intemeratæ Virginis Sancti Spiritus operâ corporatus, in lucem prodijt. Tanti Regis purpuram, palatium, satellitium delicias quæris? sub mediæ noctis aurâ perfrigidâ, vilissima inter animantia, in antro deserto, in præsepi, in fæno & paleâ iacet, & suo quasi iure dicit [e].

Aula mihi stabulum, thalamus præsepia, fænum
Lectus, & excubitor bos, asinusque datur.

VII. Alijs præterea miraculis claruit purissimum hoc magnæ

a S. Anton. p. 4. t. 8. c. 4.
b Pet. Rich. lib. de Pass. S. Petri.
c Molanus lib. 3. de Imag. c. 57.
d Isai. cap. 1. ver. 3.
e Canisius Marial. l. 4. cap. 10.

Quale fuerit præsepe.
De fascijs Christi infantis.
De duobus animalibus boue, & asino.

magnæ Virginis puerperium, eoque præsertim, cuius Beda teltis est, dicens vberrimam aquæ venam è spelunca petrâ fluxisse, enatumque subitò fontem ad ea quæ vsus quotidianus exposceret iugiter manantem, diuinæ virtutis egregium monumentum. Si vera narrantur, crediderim eo miraculo designari vberrimum gratiæ fontem, in ortu Redemptoris exilientem in terras, vt criminum sordibus humanos animos liberet: aut certè salutis authorem Christum, prodeuntem ex virgine terrâ, & mox abiturum in riuos sanguinis, qui instar aquæ mundæ mentibus candorem inferet, cordibusque munditiem. De templo pacis Romæ collapso, cum Dei filium peperit Virgo, meram fabulam, initio suorum annalium benè castigat, reijcitque Baronius [a], quoniam Christo nascente nondum fuisset extructum eiusmodi ædificium, quod deuictis per Titum Iudæis, & expugnatâ Hierosolymâ, Vespasianus Imperator dedicauit anno post Christum natum septimo ac septuagesimo. Fortasse in populum error irrepsit ex eo, quòd molem illam amplissimam, fore perpetuam Ethnici significantes, constituto veluti prouerbio, dicere consueuerint, tum ruituram cum Virgo pareret, quod cum fieri nullâ ratione posse censerent; idcircò sic templi dumtaxat æternitatem notatam ab oraculis voluerunt, illudentes etiam Christianis, id temporis Romæ degentibus, ac toto terrarum orbe diffusis, qui sacrum Virginei partus mysterium ad profusionem vsque sanguinis profitebantur; vnde rude vulgus tempora confundere solitum, ædificio paulatim collapso, ruinam refert ad Virginis partum, quo cum simul extitisse censet, vti prædictum oraculo fuerat, ad significandam molis æternitatem; nisi fortè impletum esse aliquo modo vaticinium existimamus, siue quòd recurrente fortasse anniuersariâ Virginis parientis nocte, aliquando moles ex parte collapsa sit; siue quòd tandem striata eius templi columna, quæ ex opere tanto ferè sola ad nostram ætatem integra peruenerat, in trophæum cesserit Deiparæ Virginis, Romæ ad S. Mariæ Maioris erectum [b], atque ab eiusdem simulacro stante calcatum. Omittere hic aliud nequeo ex D. Bonauenturâ [c], qui scribit, eâdem partus virginei nocte, sublatos repentinâ morte fuisse eos; quos horrendum nefariæ libidinis scelus contaminasset. Hoc etsi nullâ antiquiorum authoritate profertur, tamen quia turpissimum flagitium in horrorem, odiumque vocabat, credere placuit, non temerè à Sancto Doctore prolatum: cum cæteroqui valdè congruum fuerit, adueniente

in mun-

Varia ad Virginis partum miracula.

Fons aquæ enatus.

De templo Pacis fabula.

Vnde ortum habere potuerit.

Beda.

a Baronius an. Christi 1.

b Paulo V. Pont. Max.

c S. Bonau. opusc. de 5. festiuit. pueri Iesu.

in mundum iustitiæ sole, non solum depulsam esse cælo noctem, quod Euangelista [a] testatur, sed etiam nefanda scelerum monstra cessisse. Neque enim Virgo, quæ peperit incorrupta, ferebat coram suo partu sanctissimo fœdissimam viuere corruptelam, cui vel natura reclamabat.

a Luc. 2.

VIII. Quod verò spectat ad tempus virginei partus, annus, quo contigit, quæri potest secundum varias, & quidem excellentiores notas. Quoto post mundum conditum anno contigerit, non conuenire inter Authores suprà docuimus in Apparatu, ibique eam sententiam amplexi sumus, satis exploratam, probatamque, per quam anno circiter quater millesimo partus ille tribuitur, & rursus hebdomadæ sexagesimæ quintæ ex ijs, quas sacrum Danielis oraculum designauit, Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno secundo nondum expleto; Romæ conditæ septingentesimo quinquagesimo secundo; Augusti Imperatoris quadragesimo secundo à consulatu primùm inito, vel Triumuiratu instituto; Herodis Iudæorum Regis trigesimo secundo, vt non sine examine diximus in Apparatu. Die vigesimâ quintâ Decembris natum esse ex Virgine Christum antiquissimus omnium scribit Euodius, & celebratâ quotannis nascentis Dei memoriâ confirmat Ecclesia Catholica, elapsis nouem integris mensibus à conceptu, qui sicut in vigesimam quintam Martij vere incidit ineunte, ità ortus ipse mediâ contigit hyeme, vt qui per eam veniebat, missurus ignem in terras, humanorum pectorum solueret glaciem, atque in ijs flammas diuini amoris accenderet. Quæri denique potest, in quam hebdomadæ feriam contigerit eadem Christi ex Mariâ natiuitas. De die Dominicâ, quam *primam Sabbati* S. Matthæus appellat, eiusmodi prærogatiuam Rupertus [b] probabili ratiocinatione concludit, atque antecedenti proximè Dominicam nocti id luminis affulsisse ad instaurandum Genus humanum, sicuti ad initium mundi, simili die creditur condita lux. *Nocte dominica*, inquit ille, *natus est Christus, consonante mirabilium suorum ordine, vt quo die dixerit: fiat lux, & facta est lux; eiusdem diei nocte exoriretur in tenebris lumen rectis corde.* Quod consonat Sextæ Synodi Constantinopolitanæ decreto: *Diei Dominici, quia in eo Deus lucem condidit, in eo nasci dignatus sit, tanta debet esse obseruantia.* Sed alij aliter sentiunt. In re incertâ placeat vnicuique quod probabilius sit.

Annus Virginei partus.

Et feria.

Et feria.

b Rupertus lib. 8. de diu. off.

IX. Neque caruit adoratoribus ex cælo terrâque Virginis partus. Censent aliqui dum illa peperit non interfuisse

Quinam fuerint adoratores virginei partus.

Iosephum,

Iosephum, sed foras digressum, vt Sanctæ familiæ necessitati prospiceret; vel certè si adfuit, quod mihi magis credibile sit, altâ præsentis mysterij contemplatione defixum stetisse, & mox procumbentem in genua, suum exhibuisse ministerium nato Christo. De Sanctis Angelis nos dubitare non sinit oraculum Pauli [a] ad Hebræos: *& cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli eius*, extendente ad infantis diuini exortum verba Chrysostomo. Ex beatis illis Mentibus plures post impletum adorationis officium illicò ad pastorum vicina mapalia conuolarunt; vt ad eos perferrent de nato Saluatore felicissimum nuncium. Nam, vt ait Lucas [b], *Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum*. Locum designat S. Hieronymus [c], ad mille circiter passus propè Bethlemum, aitque confirmantibus [d] Burcardo & [e] Adrichomio, ibi fuisse turrim Ader, siue gregis (quem illa vox apud Hebræos sonat) vbi sua pecora pauisse Iacobus dicitur in [f] Genesi. Huius pariter loci meminit [g] Beda, templumque commemorat ibidem extructum ab Helenâ Augustâ, sanctisque dicatum Angelis, *trium Pastorum Dominicæ Natiuitatis consciorum monumenta continens*, vt idem loquitur author. Eos in nocte vigiles prædicat Euangelista, siue pastorali canentes fistulâ, quod Theophylactus ex [h] Græco textu deducit, & more militari vigilias noctis ad gregis custodiam vicissim seruantes, eâque de causâ creduntur fuisse digni, quos ex Cælitibus vnus de ortu diuini infantis primos instrueret, fauente Deo magis innocentiæ, ac simplicitati rusticorum, quàm luxui & superbiæ dynastarum. Angelum qui se pastoribus videndum obtulit, vt arcanum nunciaret Virginei partus, Gabrielem fuisse S. Cyprianus [i] affirmat; nec dissentiunt [k] Origenes, & [l] Chrisostomus, quoniam cum datus Gabriel Virgini à Deo foret præcipuus custos, ea quoque curare iussus est, quæ ad Verbum æternum, hominem factum, natumque ex eâdem Virgine diuinitus filium spectabant; ideòque vocatur à S. Hyeronimo [m], *cubiculi Mariæ ianitor, cunarum Domini custos, & infantis Christi gerulus*. Hunc astitisse Pastoribus noctu diuinâ luce circumfusum, humanâque sub specie sacra narrat historia, trepidis attulisse solamen, & ademisse metum gaudio nunciato, ob magni Saluatoris exortum; notasse denique natum puerum â signo, vt agnosceretur: *inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio* [n]. Post nuncium à Gabriele perlatum, Angelorum multitudo, instar cælestis exercitus in choro distributi,

Angeli.

Pastores.

De Angelo qui Pastoribus apparuit

a S. Paul. c.1. nu.16.

b Luc. 2.

c Hiero. ep. 27. & h. 9. in Gen. c. 31

d Burch.

e Adr. in descript. Terra Sancta.

f Genes. c. 35. nu. 21.

g Beda l. de loc. san. c. 8.

h ἀγραυλοῦντες.

i Cyprian. ser. de Natiuit.

k Orige. hō. 3.

l Chrisost. hom. de Annunciat.

m Hieron. epist. 48. ad Sabin.

n S. Luc. ibid.

buti, diuinas concinere laudes cepit in ea verba: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis,* quorum verborum sensum, ità communiter reddunt interpretes, vt ob euulgatum à Gabriele mysterium, in cælo quidem reddatur ab Angelis Deo authori gloria, id quod militia illa cælestis canendo precabatur; in terrâ verò mortalibus ex diuino beneplacito pax, hoc est valere ac benè rem gerere concedatur. Itaque canorâ Angelorum inuitatione excitati pastores, de infante Bethlemico inuisendo deliberant, mox ad ciuitatem Dauidicam sacri partus testem profecti, *inuenerunt,* ait S. Lucas, *Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio* vbi cognitâ veritate Angelici Nuncij, Deum humanâ sub carne suspiciunt venerabundi, supplices adorant, & præcones eius effecti, quod sibi ab Angelis nunciatum fuerat, vltrò reliquis pastoribus nunciant, vnde *omnes qui audierunt,* pergit Euangelista, *mirati sunt*. Interea Virgo puerpera, quæ colloquutionibus Pastorum intererat, vnàque natum ex se filium contemplabatur; *conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* cum animaduerteret impleta sacrorum vatum oracula, Gabrielis nuncium, & quod afflati diuino spiritu prædixerant Zacharias & Elisabetha.

Angelorum cantus.

Pastores Bethlemum se conferunt.

X. Interim dum ab angulo Iudææ, antroque Bethlemico author sanctitatis, expiaturus orbem terrarum prodibat in lucem, habuit profana historia quod opponeret dignissimum tenebris. Augustus enim hoc anno decimumtertium Consul, splendore spectaculorum, quæ dedit, illustris fuit; & præcipuè magnificentiæ plurimum exhibuit in naumachiâ rostratarum triginta; inductis prius in Circum Flaminium aquis. Sed infuscatus est hic splendor à domesticis sordibus, quoniam Iulia Augusti filia ob enormes libidines, ac turpitudinum notas, repudiata à Tiberio, imò à parente mulctata exilio, Româ relegatur. Ità quo tempore augustales Imperatorum purpuras libido maculauit, summoque dedecore affecit, pudicitia inter plebeios Dei pannos, à Virgine matre collatos maximum obtinuit decus. Incidit ferè circà hunc annum, aut paulò ante Herodianum scelus, execrandum vel ipsis Iudæis, quo Aquilam auream, suprà maiorem Hierosolymitani templi portam impius Tyrannus dicare ausus est, dum Virgo placidissima partu suo ruinam minabatur Deorum vanissimis simulacris quibuscunque. Præterea magni fieri desierunt Romana spectacula, cum Bethlemico in specu datum est spectaculum omnium maximum, inter bruta paruulus

Res Romanæ hoc anno.

Et Iudaicæ.

 Deus.

Deus, atque ad Virginis puerperium Alites Cælitum candidæ, instar Cycnorum canentes; aurum denique proculcatum sub paupere Deo, isque affatim diues effectus, qui cum Mariæ filio sponte fit pauper.

INCIPIT ANNVS CHRISTI I. Sequitur B. M. V. 15. Et Aug. Imp. 42.

I. IN anno quem inchoauimus vltrà pergentes, ab ortu Iesu Christi nouam statuimus epocham, temporis deinceps metiendi regulam. Igitur ab hoc ipso natali primus esto æræ christianæ annus, atque nati pro bono mortalium Saluatoris; qui nimirum annus concurrit cum Deiparæ decimo quinto, & Augusti Imperatoris secundo & quadragesimo decurrentibus. Nostræ hic historiæ series exhibet, sanctissimo Puero, Virginis, Deique filio, cum circumcidendi ritu, nomen impositum; Magos ex Arabiâ ad illum adorandum excitos; Virginem puerperam quadragesimo à partu die, legitimæ expiationis nomine in templum Hierosolymitanum profectam; ob nati Regis famam Herodis furias, innocentes pueros eius iussu cæsos, atque infantem Iesum cædi subductum, subitâ Virginis, & Iosephi in Aegyptum fugâ.

Summa rerũ huius anni post Virginis partum.

II. Octauo post natum Christum die ex præscripto Mosaicæ legis circumcisum infantem spectauit mater. Is certè dies, Dominicus fuit, si octo ante diebus natum Dominum, die quoque Dominico dicamus, vt suprà ex Synodo sextâ docebamus. In eâdem speluncâ, in quâ natus, circumcisus ille fertur, vt scripsit inter reliquos [a] Epiphanius, contrarium sentiente [b] Nicephoro, qui in domo Iosephi factum id asserit; vnde vel desumere, vel diuinare potuerit, mihi non liquet: Pronunciatum Epiphanij plures habet sectatores. De ministro circumcisionis, cui diuinus puer suprà omnem legem constitutus, vltrò subesse voluit, cum in sacris litteris nihil certum tradatur, nobis quoque dubitandi relinquitur locus, & quærendi: quisnam circumcidendo Iesu Christi corpusculo manum admouerit: ad sacrum huiusmodi ministerium, Sacerdotem aliquem, aut Leuitam vocatum esse, quod aliqui censuerunt, mihi facilè persuaderem, si qua ritus implendi necessitas alterutram personæ dignitatem postulasset. Sic Abramus [c] se ipsum, omnemque suam familiam circumcidit: Idemque factum à Sephorâ [d] Mosis coniuge in corpore filij constat;

Christi nati circumcisio.

Quis eius minister.

a Epiphan. Hæres. 30. b Niceph. lib. hist. 1.

c Gen. 17. num. 23. d Exod. 4. num. 25.

constat; vnde colligitur, ministrum circumcisionis designatum fuisse nullum, sed solitum fuisse filium circumcidi ab alterutro parente, vel certè à quouis alio: quamuis existimamus, ex consuetudine id muneris obiuisse patrem, aut dominum; ex necessitate etiam matrem, aut quoscunque. At Iesu Christi circumcisionem, de qua sermo nobis est, curatam quidem censemus à matre post vulnus, non autem factam, vt aliqui meditantur. Plerique eius ministrum agnoscunt Iosephum, qui Christo patris in omnibus partes exhibebat, id primùm docuit [a] Ephrem Syrus, cum dixit: *Si non erat Deus, pastores quem adorabant? si non erat caro, Ioseph quem circumcidebat?* idem apertè S. Bernardus [b] asseruit de circumcisione locutus: *nec ipsius ministri contemnendum est testimonium; hic est Ioseph.* Subscribunt recentiores multi, quos adducit, & sequitur [c] Morales. Et nos in hanc sententiam pariter imus; quoniam existimamus matres nonnisi necessitate adactas, ergà filios id muneris obiuisse, quod commodius patri, vtpotè robustioris animi, videbatur relinquendum, modò adesset. Nec Virgo nostra, tametsi robore mentis inuicto ad omnes Dei voluntates exequendas, recedere ab eo vsu voluisse, censenda est; quare circumcisionem ab eâ permissam Iosepho fuisse, credi facilè potest. De cultro, quo circumcisus est puer; ferreusne, an lapideus ille fuerit, inter authores non conuenit: controuersiæ decisionem ab vsu, quem tum Iudæorum natio retineret, sumendam esse censemus. Sed quia ferreum cultrum alij, alij lapideum adhiberi solitum fuisse contendunt, de ipso etiam vsu dubitamus, præsertim cum coniecturæ non desint, ad affirmandum, vtriusque materiæ, cultrum fuisse circumcisionis. Lege Serarium in librum [d] Iosue, & Barradium in [e] Euangelia.

Iosephus circumcisionis minister.

De circumcisionis instrumento.

a Ephrem orat. de Transfigurat. Domini
b Bern ser. 1. de Circum.
c Morales lib. 5. tract. 3. num. 8.
d Serar. c. 5 quæst. 8.
e Barrad. to. 1. lib. 9. cap. 10.

III. Spectauit Virgo parens non sine dolore vulnus infantis Filij; ab eo susceptum in obsequium legis, atq. ad exemplum humani generis. Neque solùm spectatrix fuit, sed sicuti prima omnium optimè nouit, sic etiam plurimi æstimauit traditum vltrò mortalibus à sacro infante suæ carnis frustulum, quod fuit à circumcidente resectum [f]. Itaque apud se tanquam pretiosissimum vnionem, piè admodum, religiosèque seruauit, quod deinde pignus, cum excessura tandem è viuis esset, atque in cælum recipienda, custodiæ tradidit Euangelistæ Ioannis, sibi in alterum filium à Christo Iesu moriente relicti (vt suo loco dicemus); ità enim sibi reuelatum ab ipsamet Virgine matre testatur B. Birgitta [g]. A Ioanne sacrum

Historia de Christi præputio post circumcisionem.

f Ex Toleto in Lucã, & alijs.
g S. Birgitta in Reuelationibus.

 deposi-

depositum venit in aliorum manus, qui fortè Apostolo in Asiæ procuratione successerant, donec sæculis subinde labentibus ereptum è memoriâ conspectuque mortalium, quorum pietas vbique refrixerat, Angelos è cælo custodes habere cepit. Ab his ad Carolum Magnum Imperatorem cum rerum gestarum gloriâ, tum præsertim religionis amore memorandum, creditur fuisse delatum, atque ab eo Aquisgrani in templo magnificè extructo collocatum, vt Christianorum venerationi pateret. Illud exinde Carolus Caluus Magni nepos imperio potitus, Carosium transtulit. Denique post varias temporum, rerumque vices, Regina terrarum Roma tanquam destinatum sibi pignus accepit, reposuitque seruandum in eâ Lateranensis Basilicæ parte, quam à multitudine, præstantiâque sacrarum Reliquiarum *Sancta Sanctorum* appellant. Quòd verò Belgæ constanter tradunt, regnante Hierosolymæ Balduino, Godefridi Bullionij fratre, inuentum ibi fuisse, transmissumque Antuerpiam ab Henrico Noësio regij sacelli præfecto: quòd, inquam, dicunt, coram Cameracensi Antistite rem diuinam faciente, promanasse ex eo tres sanguinis guttas, quarum diu signa remanserint in lineo velo; quod excitati miraculis viri principes, ad illud venerandum cum muneribus accesserint; his alijsue de causis non negauerim, vt ratio habeatur tantæ coniecturæ, admitti posse tanquam probabile, particulam aliquam sacri præputij Antuerpiæ quoque fuisse, donec expilatis templis per impios Caluini sectarios, direptisque lipsanothecis, illa est omninò deperdita, quod contigisse ferunt anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto. Potior certè pars Lateranensi sacrario debebatur, quo fortasse nusquam inuenies sanctiorem locum. Hinc è vase crystallino, quod gemini ex auro Angeli affabrè elaborati sustentabant, solitam fuisse proponi populo, in tabulis eiusdem Ecclesiæ perantiquis legebatur. Deinde ne raptoribus vltrà pateret, sub validiore custodiâ ibidem est clausa. Verùm nec loci Sanctitas, neque claustrorum durities arcere potuit ab impietate sacrilegam militis manum, qui miles anno suprà sesquimillesimum septimo & vigesimo, cum Roma Carolo Borbonio Duce ab exercitu Cæsaris diriperetur, sustulit inde scriniolum ex chalybe, arcuato desuper operimento obseratum, vbi inter varias Sanctorum Reliquias sericis panniculis inuolutas, venerandum Iesu Christi præputium continebatur. Et forte Deo permittente ablatum Romanis fuit, in pœnam exigui cultus, quo apud ipsos id temporis habebatur,

Quomodo Aquisgrani præputium.

Transfertur Romam.

Quomodo præputij pars in Belgio.

Ex eoque miracula.

Idem in Lateranensi sacrario.

Diripitur a milite.

bebatur, vt propterea hac de re querimonia sanctissimæ Virginis audita fuerit in reuelationibus à D. Birgittâ [a]. At miles furti reus inde sese proripiens clandestinâ fugâ ab Vrbe discessit: cum verò per pagum transiret sub dominatu positum Anguillaræ familiæ, & viginti ferè milliaribus Româ distantem (Calcatam vocant) captus à rusticis,& pro carcere in vinariam cellam coniectus, thesaurum quem asportabat, terræ mandauit. Compos deinde libertatis factus, cum rediisset Romam, in morbum incidit, à quo proximè decessurus è vitâ, vt animi noxas,& hoc præsertim scelus expiaret, per sacram exomologesim, Sacerdoti prodit arcanum, atque indicandi furti facit facultatem. Exprimebat ille quidem, sub quibus Dominis esset defossi scriniolí locus, vt facilis foret inuentio; sed è memoriâ pagi nomen exciderat. Summus deinde Pontifex Clemens Septimus de re totâ certior factus, agri possessores admonuit, quos pœnitens designauerat, iussitque diligentissimè furtum inquiri. Sed licet inueniri tunc nullo modo potuerit; attamen septimo & quinquagesimo sæculi eiusdem anno, Sacerdos externus, qui Calcatæ degebat, temploque præerat SS. Cornelij & Cypriani, ex terrâ cui proximè imminebat, fortè erutum, reddidit luci, primusque detulit ad Magdalenam Strotiam, Flaminij Anguillaræ coniugem, pagi dominam. Hæc verò cum sacra lipsana de scriniolo in argenteum pollubrum exponeret, sericum explicatura, cui Iesu nomen legebat inscriptum, digitos primum rigere sibi, ac torpere sensit, mox etiam immotos adeò sisti, vt ne coniungi quidem possent, aut soluendis sacculi ligaminibus admoueri. Aderat Lucretia Vrsina iam senior, quæ Ioanni Baptistæ Anguillaræ nupserat; hæc memor à Clemente olim Pontifice, coniugem suum fuisse admonitum, de diuini præputij furto, quod à latrone conditum in Anguillaræ ditionis pago resciuerat, statim veluti diuinans affirmauit, inibi latere thesaurum, qui antea nusquam inuentus, quæri vltrà desierat. Itaque Magdalenam prodigio attonitam, & subitâ religione perculsam impulit de Sacerdotis consilio, vt ab opere ipsa desisteret, Claricemque filiam septennem, & virginem sibi in serico soluendo substituerit. Ergò illud accepit Clarix, & matre felicior, virginalis innocentiæ ductu, sine vllâ difficultate illicò extraxit ab inuolucris sacrum pignus, quod odore suauissimo totam longè, latèque domum afflauit. Erat magnitudine ciceri non absimile, colore rubro, densâ, crispâue materie, cuius ad venerationem adstantes non sine lacrymis procubue-

a D. Birgitta in Reuelat.

Calcatæ absconditur.

Inuenitur ab externo Sacerdote.

Nouum miraculum.

Quale tum præputium fuerit.

cubuerunt in genua: mox inde sublatum Magdalena, vnà cum reliquis inuenti thesauri partibus decenter templo iussit inferri. Vno præterea, alteroque post anno, ipsis Ianuarij Kalendis, cum supplici populo ardentibus circumquaque ceris in arâ palam exponeretur; eò loci illapsa repente nubes, & expansa, tanquam velamine aram omnem obtexit, aspectumque Reliquiarum ad quatuor horas prohibuit; imò visæ toto dumtaxat templo flammæ, stellarum instar volitantes, supplicanti virorum, & mulierum cætui religionem, metumque incusserunt. Alio etiam prodigio declaratum est, quanti faceret Deus tam nobile Christi Seruatoris monumentum, cum missis à Paulo quarto Summo Pontifice Calcatam Canonicis Basilicæ Lateranensis duobus, vt rerum gestarum seriem oculatis testibus abundè firmatam publicas referrent in tabulas: tunc enim dum illorum alter summis digitis, durumne sit, an molle præputium explorat, discidit incautus in duas partes. Itaque quasi cælum indignationem conciperet, reboare in crebra tonitrua confestim cepit, in totidem excanduit fulgura, & sol occasum in meridie nactus, exanimatis præ timore mortalibus abscondit sese, ac subitam in aëre noctem reliquit. Ex eo tempore nulli amplius venit in mentem dubitare de veritate sacræ illius Reliquiæ, cuius veneratio & cultus cum apud Calcatenses, tum maximè apud finitimos populos, & cæteros de longinquo confluentes, mirum in modum creuit; impensis eorum beneficio ab Apostolicâ sede consuetis indulgentiarum thesauris, plenâque culparum condonatione ijs concessâ, qui statis anni temporibus ritè locum inuisant, tanti depositi custodem.

Infertur Calcatensi templo.

Inibi clarescit miraculis.

IV. Hæc de historia sacri præputij, quod resectum ex infantis Christi corpusculo, diu seruauit apud se Virgo mater, donec ex eius manibus deuolutum est in Ecclesiæ sinum, ibique tanquam venerabile Christi monumentum colitur ab illâ relictum. Nam etsi Doctorum plerique censent, fuisse postea resumptum, cum à cruciatibus & morte Christus gloriosus reuixit, vt nimirum integritas rediuiui corporis seruaretur; est nihilominus etiam simile verò, concessum quoque pio Fidelium cultui, apud homines in hanc vsque diem conseruari; neque verò arguere potes anastasim minus inde perfectam, cum ad eius veritatem insignes Theologi [a] tantùm requirant, vt restitutum ad vitam corpus ex eâdem materiâ constet, ex quâ conflatum antea fuit, etiamsi pars aliqua illius quomodocunque deficiens per aliam suppleatur. Atqui id con-

Quomodo resumpta à Christo ea pars corporis in Resurrectione, & nihilominus in terris remanserit.

a Franciscus Suarius.

contigisse dicunt in Christi humanitate, cum è sepulcrô rediuiuum extulit caput, eâ corporis mole, quæ debita viro foret vndecunque perfecto: nam licet partem materiæ in infantiâ cultro recisam, resumpserit totam; fieri tamen ad eam debuit alterius partis accessio, quæ pars vitæ progressu acquisita fuisset, vt adulto corpori, quale surrexit à morte, nihil omninò deesset, quod conueniret ætati. Itaque cum sine vllo prorsus membrorum defectu in cælum ascenderit, formato sibi præputio ex aliquâ tantum parte illius materiæ, quam olim habuerat, nihil obstare videtur, quominus apud homines etiam, abscissa in circumcisione membrana, vt monumentum diuini amoris, relinqui in terrâ potuerit, continenterque seruari. Et sanè de re diu dubiâ amplius altercari non licet, cum pietas Fidelium ergà sanctissimum pignus, Scriptorum authoritas, & multitudo signorum illi fidem abundè concilient. Sed iam ad historiæ Marianæ seriem redeamus.

a S. Luc. ib.
b Matth. 1. ver. 16.

De impositione nominis Iesu.

V. In circumcisione diuino Infanti augustissimum Iesu nomen impositum, narrat Euangelista a: *Vocatum est nomen eius Iesus*. Id factum à Iosepho colligitur è sacro Matthæi b textu: *non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum, & vocauit nomen eius Iesum*, quemadmodum ab Angelo monitus fuerat; accessit vtique consensus, atque opera Virginis matris, cui æquè dixerat Angelus: *& vocabis nomen eius Iesum*. Sic illud è cælo delatum in terras, in ore Mariæ, & Iosephi primùm insonuit, ex interpretatione Cælitum à salute deductum, quam humano generi natus infans afferebat: *ipse enim*, ait Angelus c, *saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Impositum à Iosepho eiusmodi nomen, Euangelista videtur innuere, vnde Christophorus Castrius d in Historiâ Deiparæ confirmat puerum à Iosepho fuisse circumcisum, quoniam impositio nominis apud Hebræos erat ministri circumcidentis officium, & Iesum à Iosepho nominatum pagina sacra testatur. Quam iucunda, quam salubris humano generi fuerit hæc nominatio, tum fidelium vniuersitas experitur, tum præcipuè eorum, qui sanctè viuunt, nec vllam culparum labem animo hærere sinunt. Hi persæpe inscriptum cordibus Iesu nomen, atque tenaciter memoriæ commissum ore pronunciant magnâ cum animi voluptate, & dulcissimæ prolationis sono Tartareis hostibus bellum indicunt, imò debellatis exitium afferunt. Sanata eodem sunt animorum vulnera, & serpens vbique criminum lues, vt propterea mirum non sit, illud in sacris canticis *Oleum effusum* appellari, atque

c Matth. 1. ver. 21.
d Castrius Hist. Deip. cap. 7.

Quàm vtilis hæc nominatio humano generi.

in eius

in eius commendationem, nationum omnium linguas conuenire. Hoc præterea sacrosanctum nomen infanti in circumcisione inditum, tum primùm cum Mariæ, & Iosephi nominibus, in publicis Romanorum tabulis, censu persoluto descriptum est, quò ciuis Romanus efficeretur, ideoque eum censum Tertullianus [a], *testem fidelissimum dominicæ natiuitatis* appellat.

Census Augusti descriptione Iesus.

a Tertullia. aduersus Marcion. lib. 4. c. 7.

VI. Illud quoque commemoratione dignum est, quòd in ipsas mensis Ianuarij Kalendas, vnde inchoatur annus, infantis incidit circumcisi mysterium, eumque diem mille profanis Ethnicorum celebritatibus contaminatum prima diuini sanguinis effusio expiauit. Tum verò Deipara, sicuti spectato vulnere, ac dolore filij doluit; ità gauisa est, anni instauratione, quam intulit mundo stillicidium sacri cruoris. Huius beneficio obsoleuit epularum luxus, & spectaculorum insania, quæ olim annum auspicabantur; & ieiunia conuiuijs, impijsque sacrificiorum ritibus chori successere Sanctorum. In locum Iani bifrontis, quem temporum præsidem antiquitas fecit, receptus est IESVS Rex sæculorum maximus, Dei & Mariæ filius, geminæ quidem naturæ, non frontis; quem pacis authorem, atque ima summis conciliantem natio Fidelium agnoscit; sicut Ianum apertis belli foribus, præliorum satorem Ethnici credebant.

Cur circumcisio Kalendis Ianuarij.

VII. Tertio decimo post natum infantem die contigit ex Arabiâ Magorum aduentus in Iudæam, ad eum in gremio Virginis matris, tanquam verum Regem adorandum. Neque enim assentiri possumus ijs, qui censent, vno aut altero post sacrum natalem anno, illos itineri se dedisse, quoniam hæc assertio ægrè potest cum Euangelistæ [b] testimonio conuenire, in quo legimus Iosephum & Mariam cum puero Iesu reuersos esse in Galilæam, Bethlemicâ sede relictâ, *vt perfecerunt omnia secundum legem Domini*, quæ de ritu expiatæ Matris, Filijque ad templum oblati intelligunt sacri textus interpretes; nam si sesquimense non dum elapso post partum virgineum, Bethlemo discesserunt, quomodo ibidem inuenti sunt à Magis anno vertente, aut biennij circulo euoluto, cum nonnisi Bethlemi adoratum ab ijs infantem, Euangelica testetur historia. Eâdem quâ Iesus nocte natus est, nouam in cælo stellam natam esse tradunt, visamque in aëre, tanquam insolitum meteoron, instar cometarum, aut similium impressionum, diu noctuque splendescere: eâdemque nocte conspectam à Magis in Arabiâ fuisse verosimile est, quoniam astrorum

Aduentus Magorum ex Arabia.

b Luc. 2. c. 39.

astrorum disciplinæ peritissimi ex maiorum traditione didicerant, de Iudæorum natione nasciturum Dei filium, generis humani Liberatorem, eiusque natalem nouæ exortu stellæ nunciandum. Id nimirum Erythræa Sibylla prædixerat ex vicinâ Chaldæorum regione, vbi sedem habuit, itemque vates Balaamus innuerat, eius author oraculi, quod in sacris litteris, libro nempe Numerorum [a] habemus: *Orietur stella ex Iacob*. Nec difficilis fuit, huiusce vaticinij ad posteros per maiores natu transmissio, vsque ad Magorum tempora; quoniam in Moabitide, quæ est Arabiæ regio, Balaamum vixisse constat. Itaque Magi exortu noui sideris cognito, pulcritudinem atque splendorem admirati, qui non noctem modo, vt reliqua sidera, sed diem etiam illustraret; illicò censuerunt, stellam hanc esse celeberrimam, quam vates prænunciassent, expetijssent populi, diuque expectassent; cui sententiæ non sine afflatu Numinis firmiter inhæserunt, *Deo aspicientibus intellectum dante*, vt S. Leo [b] Magnus ait.

a Num. cap. 24. v. 17.

b S. Leo ser. 1. de Epiph.

VII. Formatam ab Angelo stellam crediderim, eiusque ministerio per aërem circumductâ, vt Magis ad Bethlemicas Dei vagientis cunas proficiscentibus ità præiret, sicuti nubes, Angelo pariter duce, in columnæ speciem per desertum peregrino Israëli præibat, quod in Exodi [c] libro scriptum habemus. Et quidem antecedentem stellam ex Arabiâ Bethlemum vsq; sequutos esse Magos, conformius videtur Ecclesiæ sensui; quæ recolens eorum aduentum, in sacris [d] canit: *Ibant Magi quam viderant, Stellam sequentes præuiam*; licet sacrorum interpretum [e] aliqui, ex Euangelico textu probabiliter asserant, stellam in Oriente conspectam, ibi constitisse; nec Magis in Iudæam tendentibus præiuisse: id enim significatum videtur, cum illi ex itinere Hierosolymam ingressi, & locum quærentes, nati Iudæorum Regis, aiebant: *vidimus stellam eius in Oriente*, & cum eorundem Hierosolymâ egressum, iterque Bethlemicum narrans Euangelista, stellæ meminit iterum apparentis: *Et ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos*. Licet, inquam, assertio probabilitate non careat, alteram tamen sequimur, quæ Magos toto itinere stellam sequutos, ex Arabiâ Hierosolymam vsque, vbi videri desijt, & rursus conspectam, Hierosolymâ in Bethlemicam vsque latebram nati Dei.

De stella Magorum duce.

c Exod. c. 13. v. 21.

d Ex Hymno Epiph.

e Iansen. Caiet. Baron.

VIII. Narrat deinde fusè S. Matthæus [f], moram Hierosolymæ ab illis factam, nuncio nati Regis turbatum Herodem; sapientum concilium ab eodem coactum, vt locus natiuitatis,

f Matth. 2.

uitatis, intellectis vatum oraculis, exploraretur; missos denique Bethlemum Magos de concilij sententiâ, vt natum puerum quærerent, inuentumque renunciarent Herodi. Quod nostri potissimum est instituti, inuentus est à Magis, atque adoratus puer, eodem in quo natus est stabulo, scribente inter cæteros S. Hieronymo [a]: *in hoc paruo terræ foramine, cælorum conditor natus est, hic pannis inuolutus, hic inuentus à pastoribus, hic adoratus à Magis*. Sententia verò eorum [b], qui dicunt, hospitum deficiente frequentiâ, commodius hospitium patuisse, quò Virgo puerpera cum sanctissimo partu migrarit, illud procurante Iosepho, pro suâ paternâ in vtrunque prouidentiâ, ea, inquam, sententia satis non videtur accipere roboris ex eo, quòd in Euangelico textu Magi dicantur, domum ingressi, puerum inuenisse cum Mariâ matre eius; quoniam amplissima est, præsertim apud Hebræos, domus significatio, quæ non speluncas modò, aut hospitia viliora quæcunque, sed auium etiam nidos complectitur, vt apud regium Psalten [c]: *Passer inuenit sibi domum*. Præterea mihi persuadeo, infantem Iesum exercere voluisse Magorum fidem, ac proinde obtulisse illis semet videndum in stabulo, vt non ex maiestate, ac diuitiarum copiâ, sed ex humilitate, atque inopiâ Deus agnosceretur. Quare S. Bernardus [d], benè oculatam, & lynceis instructam luminibus eorum fidem celebrat, quòd vt latro per eam Christum in cruce pendentem, & clauis confixum conspexit, sic per eandem Magi in stabulo, pannis inuolutum, ac lactentem Dei filium esse cognouerint, & adorarint. Subscribunt alij Patres, quos in Historiâ Deiparæ recenset Christophorus Castrius [e]:

Inuentus à Magis Iesus in stabulo.

a Hieronym. epist. 17. ad Marcel.
b Epiphan. hæres. 51. Maldonati Frāc. Luca
c Psal. 83. ver. 4.
d Bernard. serm. 2. de Epiph.
e Castrius cap. 8. n.9

IX. Magos fuisse Arabiæ non tam Reges, quàm Regulos, quales etiam dici possunt Toparchæ quicunque, siue vnius tantùm loci Principes, iam ferè apud omnes est in confesso. Item accidisse ad pedes Virginis Matris, atque infanti Deo, inter eius brachia constituto supplicasse, exhibitis in argumentum amoris & fidei, aut vectigalium tributique loco muneribus, auro, thure, myrrhâ; quæ dona ex patrijs aduecta regionibus ità puero obtulerunt, vt auro Regem, thure Deum, myrrhâ mortalem confiterentur, sicut vnico versu significauit laudatus à S. Hieronymo Iuuencus presbyter: *Aurum, thus, myrrham, Regique hominique Deoque dona ferunt*. Inter hæc, quæ fuerint sanctissimæ parentis gaudia, quàm libenter adorandum filium, amplectendum, osculandumque porrexerit lectissimæ triadi, quanta illius latebræ contigerit illustratio,

Quales Magi, & qualia eorum munera.

Deiparæ Gaudia.

ſtratio, per ſe lector ipſe conijciat. S. Ioſephi Euangeliſta non meminit, vbi Magorum adorationem, & exhibita diuino puero dona perſequitur, ſiue quòd reuerà ille non adeſſet, aliò tunc ad negotia domeſtica curanda digreſſus; ſeu potius, quòd ſacro Hiſtorico ſatis fuerit, in eiuſce rei geſtæ expoſitione, præcipuas commemorare perſonas, quales erant Ieſus & Maria.

An præſens Ioſephus.

X. Cum verò omnia, ad quæ Magi venerant, abſoluiſſent, de reditu in patriam cogitarunt; ſed diuino mentibus accedente lumine, ab Herode ſibi cauendum rati, non itinere Hieroſolymitano, quo Bethlemum aduenerant, ſed aliâ viâ indicatâ in ſomnis ab Angelo, in Arabiam reuerſi ſunt. At monſtrato Regibus Deo, ſidus euanuit, & praua Herodis conſilia, tenebris digniſſima, in iiſdem permanſerunt; quoniam ille Magos, à quibus infantem natum addiſcere cupiebat, vt perderet, amplius non vidit. Cæterum eorum nomina, & reliquam hiſtoriam ex gremio antiquitatis erutam, ac litterarum luce donatam, aliunde lector accipiat, ab illâ abſtinentibus nobis, quoniam noſtri inſtituti non eſt. Ne commemoretur quidem ſomnium illud, quod huius ſæculi anno trigeſimo octauo vulgare typis eſt auſus nouus Author, minus ſobriè dicens: ſub nomine Magorum tres veniſſe ad ſtabulum inſignes in ſacris litteris viros, Enochum, Melchiſedecum, & Eliam Thesbitem, ratus nimirum horum præſentiâ honorandam magis Deiparam, quàm aduentu Arabum ſiue Perſarum, malis ante hac artibus addictorum [a]. Sed commentum, quo ægrè chartas illino, ſe ipſo corruit, & confutatione non indiget, præſertim cum falsò ſupponat Melchiſedecum adhuc viuere, nec ab Adamo deſcendere. Apage iſta; quibus ineſt compertus, & exploratus error. Conſtat Sanctos Magos, primos fuiſſe, qui ex Ethnicorum ſuperſtitione, patrijs ritibus eiuratis, ſe Chriſto adiunxerint, atque auſpicijs Virginis matris, in eius legem, & iuſſa iurarint: ſuis annunciaſſe populis Chriſtiana ſacra; vſque ad exitum vitæ, pijs exercitationibus vacaſſe; & poſt mortem dignos extitiſſe, qui inter Sanctos in Eccleſiâ ritè colerentur; eorumque corpora Conſtantinopoli primùm condita, inde Mediolanum, & Mediolano Coloniam translata, piæ fidelium venerationi iamdiu patere. Inter ſacra monumenta, quæ ab ijs ſanctitatem traxiſſe, ac retinere dicuntur, numerant Scriptores, teſte Cyrillo [b] Monacho, ſpeluncam; in quâ Bethlemo redeuntes in patriam, & publica vitantes hoſpitia, noctem tranſegiſſe, fama fuit, vetuſque traditio. Eam ſpeluncam ſibi, vnàque ſuis

Magorum in patriam reditus.

a Lege Theophili Raynaudum Dipt. Mar. par. 1. pun. 8. num. 25.

Quales deinceps Magi.

b Cyr. Mō. in vita. S. Theodoſij Cœnobi.

Bb 2 mona-

Speluncа Magorum hospitio nobilitata.

monachis ad habitandum elegit S. Theodosius Cœnobiarcha, eodem Cyrillo teste. Denique ad sanctorum Regum gloriam spectat, institutus Epiphaniæ nomine dies festus, quo adoratum à tribus Magis infantem in gremio Virginis Deum, eundemque Ethnicis stellâ duce ostensum, quotannis, octauo Idus [a] Ianuarij, annique ineuntis sexto colit Ecclesia. Sed pergamus ad reliqua Dei nati mysteria.

a 6. Ianua.

Prodit Virgo de spelunca Bethlemica quadragesimo post partum die.

XI. Post quadragesimum à partu diem, ijs exactè seruatis, quæ de puerperarum expiatione erant per latam à Mose legem mandata; Virgo mater ex Bethlemicâ speluncâ prodiuit, & Iosepho comite Hierosolymam se recipiens non longè distantem, intulit templo sanctissimum filium, Deo oblatura tanquam primogenitum ex legis præscripto. Modum & causas eiusce profectionis S. Lucas [b] Euangelista prosequitur, & sacri eius interpretes diligenter expendunt. Antiquæ hic Iudæorum legi [c], quâ minimè tenebatur, Virgo Deipara in pluribus obtemperauit: nam quo tempore cæteræ puerperæ ab ingressu templi arcebantur tanquam immundæ, eo quadraginta diebus definito, si masculum peperissent, quamuis ipsa Dei mater non amisisset, imò auxisset a partu mentis carnisque munditiem, seruare nihilominus ritum voluit, & legem Purificationis implere, oblatura pariter Deo primogenitum suum, certo mox pretio redimendum, geminasque ad sacrificium auiculas, pauperum munera. His Deipara legibus semet vltrò submisit à quibus excludebatur, cum esset omninò munda, sui nempe Filij exemplo permota, qui circumcidendæ carnis ritum, aliquod humanæ culpæ remedium expertus, commune illud peccantium signum recepit, quamuis nulli foret obnoxius culpæ. Itaque cum loquens de Mariæ Deiparæ puerperio *dies purgationis* exactos dicit Euangelista, non est quòd quis existimet dictos, ab expiatâ vllâ vel animi, vel corporis maculâ, quoniam tum vita, tum partus Virginis, quàm longissimè abfuit ab omni carnis & spiritus labe: sed sciat, sic appellari eos dies, quos immaculata Virgo, post partum more cæterarum exegit, vt legi satisfaceret, cui subiecta non erat, reliquis puerperis quibuscunque in conceptu partuque eò dissimilior, quò sanctior.

b Luc. 2. v. 23.

c Leuit. c. 12.

Pergit ad templum Hierosolymitanũ, vt seruetur Purificationis lex.

Cui minimè erat obstricta.

Ritus Purificãdæ matris apud Hebræos.

XII. Ritus verò expiandæ puerperæ apud Hebræos hic erat. Primùm cum illa certo dierum spatio se domi continuisset, ibat in templum; atque in atrium ingressa, vbi locus immundis erat, vlterius pergendi facultatem expectabat, dum auicula immolaretur, eo sacrificij genere, quod in sacro Euangelicæ

gelicæ[a] historiæ textu, *pro peccato*, vocatur. Mox verò ad atrium[b] alterum admissa, vbi mundi consistebant, ad portam atrij tertij quod Sacerdotum erat, offerebat Deo filium, certoque pretio persoluto redimebat, spectans interim agni, siue alterius auiculæ sacrificium, quod in eodem Sacerdotum atrio ad altare holocausti totum igne absumebatur. Hoc ritu apud Hebræos expiari consueuere mulieres, quæ peperissent, idque ex Mosaicæ legis præscripto, vt sordes ac labes tollerentur, si quas partus attulisset; neque tamen lex imposita Deiparæ videbatur, quæ sicuti sine labe vllâ conceperat, itâ quoque sine sorde, atque omninò integra partum emiserat. At optima filij imitatrix exemplum prætulit Christianæ humilitatis, Ecclesiæ Catholicæ profuturum.

a Luc. ibid.
b Vide Interpretes in vnum locu, & Bonfrerium in c. 12. Leuit.

XIII. Vt ergò vnà cum sponso peruenit in templum, eò puerum Iesum pia mater inferebat, cui subeunti per atria Simeon longæuus senex ab Euangelista[c] laudatus occurrit: hominem sacra describit historia ætate ac meritis venerandum, iustitiâ, Deique timore præditum, Spiritu Sancto plenum, diuino æterni Verbi in carne videndi promisso fretum, Christi liberatoris intuendi, complectendique percupidum. Huius in templum aduentus hac ipsâ horâ diuinitus contigisse narratur, quoniam afflatu Sancti Spiritus illuc ire compulsus, promissam vniuerso Israëli per vaticinia Prophetarum, & priuatim etiam sibi consolationem inuenit: cum enim delatum inter Virginis brachia mundi Saluatorem, Dei filium carne vestitum, infuso diuinitus lumine cognouisset, debitæ primùm adorationi non defuit, mox in vlnas suas reuerenter accepto infanti, diuinas lætabundus laudes decantauit, dilatam hactenus sibi mortem vltrò compellans, *quasi* (vt ait Ambrosius[d]) *necessitate quadam, detineretur in vita, non voluntate*. Ideòque voce planè cycneâ, cantator funeris ipse sui. Sancti huius senis verba, vnàque rei gestæ historiam refert Euangelista. Ijs impletam professus Simeon votorum suorum summam, quòd Christum natum in terris vidisset (vti promissus diuinitus antea fuerat) reuelandum coram omni populo Gentibus lumen, & futurum Iudaicæ nationis præcipuum decus, dimitti tandem ex hac vitâ optauit, *quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret*, sicuti subdit Ambrosius[e]. Hæc Mariæ & Iosepho cum admiratione audientibus, benè precatus est Simeon; mox ad Virginem puerperam conuersus, insinuante sese in animum diuino lumine, geminum edidit vaticinium, de puero vnum; alterum de Matre:

Simeonis in templum aduentus.
Eiusdē laus.
Iesum infantem in vlnis accipit.
Summa Carminis quod cecinit.
Vaticinia Simeonis.

c Luc. ibid.
d Ambros. lib. de bono mortis c. 2.
e Ambros. ibidem.

Matre: illum quidem in populo Iudæorum, vnde ortus erat, *positum esse in ruinam, & resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur.* Matrem verò ad filij ærumnas, opprobria, & cruciatus, doloris gladio pertentandam; Sanctus enim ad Virginem Vates ait: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Prius vaticinium quod in puerum cadit, sacri Doctores interpretantur: prædici, Christum fore multis occasionem ruinæ; quoniam ex Iudæis plurimi, qui credentes in Christum venturum, diuinæ gratiæ compotes, iustitiæque fiebant; post eius aduentum, cum vti mundi Saluatorem, generis humani Vindicem, verumque Messiam agnoscere, atque recipere nolint, inde sibi sunt exitium parituri; ad miserabilem lapsum illud nacti offendiculum, quod de Christo loquens Apostolus Paulus [a], *Iudæis scandalum* fuisse affirmat: eundem pariter fore multis occasionem à lapsu resurgendi; quia ab eius doctrinâ, atque exemplis non pauci proficientes, ex morte peccati, ad vitam redituri sunt, Deo gratissimæ charitatis. Denique puerum paulò ante natum, constituendum esse in Orbe terrarum, veluti signum, in quod persequentium tela vndecunque collineent; in illum, eiusque sectatores omnibus planè sæculis, vbique locorum exercenda mortalium odia. Posterius verò de matre vaticinium, futuros eius ex Filij cruciatibus, & morte dolores notat, quorum grauitas metaphorâ innuitur gladij, Sanctissimæ parentis animam intimè peruasuri. An verò Simeon Sacerdos esset, sicut & prophetico imbutus spiritu ab Euangelistâ describitur, inter Authores est dubium. Nos assentimur potius parti neganti; quoniam cum præcipuas tanti viri laudes sacra recenseat historia, Sacerdotij non meminit, quo si fuisset Simeon insignitus, hoc illa non tacuisset in elogio, quod plenè texebatur. At verò cum scripserint aliqui, sanctum senem fuisse luminibus captum, atque ex ipso pueri Iesu contactu visum recepisse, quòd nullâ id veterum authoritate proferatur, meritò reijcitur inter fabulas. Cæterum Simeone deferente oblatum Deo Filium à Virgine matre, illoque & inspectante, & admirante, tum quinque redemptum siclis, tum ritus oblationis reliquos ex legis præscripto seruatos, facilè mihi persuadeo.

Expositio prioris.

a Paulus Cor. ep. 1. cap. 1.

Expositio posterioris.

An Simeon Sacerdos.

De eodem fabula.

XIV. Eâdem horâ aut Simeonis vèrbis perceptis, aut peculiari Sancti Spiritus ductu, aduenisse eò Annam Phanuelis filiam, narrare pergit historicus, quo loco venerabilem anum non absque debitâ commendatione commemorat, quam

Annæ Prophetidis in templum aduentus.

quam & Prophetidem appellat, & fuiſſe ait ætate longæuam, cuius ſeptem annos matrimonio iuncta, vitam cum viro duxerat, eoque è viuis maturè ſublato, ad annos octoginta in ſuâ viduitate permanſerat quo temporis ſpatio non alibi, quàm in templo vixiſſe teſtatur, inter ſacras Aſcetrias ibidem degentes adnumeratam, fœminam planè non æuo ſolùm, ſed religione & virtutibus memorandam precandi ferè nunquam intermiſſo ſtudio, continuatis ieiunijs, & ſacrorum miniſterijs ad extremam ſenectutem obitis ſingularem. Nouerat hæc, vt alibi diximus, inter reliquas Virgines templo addictas Deiparam, per vndecim ipſos annos, quibus ibi fuit ante coniugium Nazarena puella: ſuſpexerat in eâ non ſemel ſenilem prudentiam, & vitam ſine vllo prorſus defectu, cum ſummâ virtute traductam, vnde eximium quiddam præſagire, de Virgine iam tum ſanctiſſimâ, ſibi poſſe videbatur. Cum verò diuinitus edocta iam Deiparam eſſe cognoſceret, eiuſque filium Deum ſub humanæ carnis amiculo, illicò Simeonem imitata, cum obuiam ipſa quoque Virgini proceſſiſſet: *Confitebatur Domino*, inquit S. Lucas [a], *& loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſraël*. Palam in diuinas laudes effuſa, gratiarumque pro beneficijs actione intermixtâ, Chriſtum natum humanæ ſalutis authorem prædicabat, audientibus & acclamantibus præſertim Iudæis, qui verum mundi Saluatorem venturum credebant, & iam diu expectabant. Hunc nimirum eſſe, quem multis ante ſæculis ſacra Prophetarum oracula prænotaſſent, cuius toties ſancti Iudææ gentis progenitores, & principes meminiſſent. Præterea tam Simeonem, quàm Annam in extremâ ſenectute, quâ cæteri caligant, in cognoſcendo Numine, aquilæ obtutum, & perſpicacitatem adeptos, non diu poſt Chriſtum natum fuiſſe ſuperſtites, ex eo deducere poſſumus, quòd præter ætatem, quæ grauis ambobus erat & vltima, viſi ſunt non ſine diuino conſilio ad hæc vſque tempora vitam traxiſſe, quò nimirum Deum ex Virgine corporatum viderent, alijſque prædicarent, ſicuti ante ipſos fecerunt acciti in caulam Bethlemicam, per Angelos, & per ſtellam Paſtores & Magi.

Eiuſdē laus ex Euāgelio.

a S. Luc. ibid.

Publica Annæ de Christo profeſſio.

Simeonis & Annæ obitus

XV. Hæc de expiatorio Deiparæ in templum ingreſſu è ſacrâ recenſuimus paginâ: quod certè Virginis myſterium tanti fecit Eccleſia, vt ad illud quotannis commemorandum, ſolemne feſtum inſtituerit quarto nonas Februarij [b], quadrageſimo poſt votiuam Ieſu Chriſti naſcentis memoriam die, quod feſtum ſub titulo *Purificatæ Virginis* celebratum, Hypapanten

Feſtum Purificationis B. Virginis.

b 2. Febru.

panten Græci, & Latini Occurſum appellant, eò quòd Simeon & Anna Virgini ad templum ſubeunti, vt Deo Filium offerret, obuiam ambo proceſſerint, Deoque ſimul publicè benedixerint, vnde ſolemnis etiam eo die inſtituta ſupplicatio, cætuſque votiuus, in ordinem procedere conſueuit, ſacras deferens in occurſum Domini ceras, ad excipiendum nempe luminum cereorum ſplendore lumen illud, quod fore Chriſtum ipſum *ad reuelationem Gentium*, Simeon carmine ſupremo prædixit. Sed de hoc feſto, eiuſque celebrandi ritu, quando & quomodo inſtitutum fuerit, infrà ſuis locis redibit ſermo.

Et votiua cũ cereis ſupplicatio.

XVI. Cum igitur ſancti coniuges Maria & Ioſephus legi ſatisfeciſſent, his in templo Hieroſolymitano peractis, *reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth*, vt ait S. Lucas [a]. Et ſanè Nazarethum hoc tempore reditus admodum opportunus videbatur; cum à Deo in Aegyptum deſtinarentur, aliquot ibi per annos moram facturi; quare neceſſaria ad iter, & commorationem longiuſculam in alienâ terrâ, paranda illis erant. Itaque nos inſiſtentes potiſſimum Euangelico S. Lucæ teſtimonio, qui dicit, reuerſos in Galilæam, Mariam & Ioſephum, *vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini*, eorum ſententiæ aſſentimur, qui aut Nazarethi, aut certè dum eò pergerent, monitum ab Angelo per quietem Ioſephum volunt, de itinere Aegyptum verſus capeſſendo; dum tamen comparatis ex domo Nazarenâ neceſſarijs, & re domeſticâ feſtinanter compoſitâ, noctu ſe fugæ committerent; cum imminerent Herodianæ in infantes Bethlemicos furiæ, quibus Dei Filius paulò ante natus, diuino monitu, non niſi fugâ, erat ſubducendus. Angelum admonentem fuiſſe Gabrielem, dicere conſequenter poſſumus [b] ex eo, quod ſuprà poſuimus; illum ex Cælitibus & cuſtodem additum Virgini, & quæ ad Ieſum Chriſtum ſpectabant, diligenter curaſſe. Huiuſce nocturni ad Ioſephum monitus locum, licet definire certò non poſſimus, quoniam Euangeliſta non exprimit, attamen magni faciendam cenſemus veterem Fidelium in Palæſtinâ traditionem, cuius meminit [c] Cotouicus, dum Syriæ deſcribens itinera, ſacram ait ædiculam, propè Bethlemum occurrere, eo extructam loco, quo olim ædes Ioſephi dicuntur extitiſſe; atque ibidem illi in ſomnis Aegyptiacam ab Angelo indictam fuiſſe fugam: quæ Palæſtinorum traditio, aliorum quoque, qui locum, & inibi ſacellum viderunt, teſtimonio comprobata, ſi vera ſit; fortaſſe non erit improbabile quod aſ-

Reditus B.V. & Ioſephi Nazarethũ.

Quando monitus ab Angelo Ioſephus de fuga in Aegyptũ.

Angelus Ioſephi monitor fuit Gabriel.

Traditio Palæſtinorũ de loco admonitionis.

a S. Luc. ibid.

b Ex Chriſtophoro Caſtrio Hiſt. Deip. c. 7. nu. 21.

c Cotouicus in Itinerario Syriaco.

ferit nuperus author itinere fugaci Iosephum, ipsâ Angelicæ admonitionis nocte digressum, mox Nazaretho transiuisse, quò cæteroqui pergebat, atque inde in Aegyptum migrasse. Iter primò susceptum oportuit, vno aut altero post Purificatam Virginem die, ideòque initum, vt Galilæa, domusque Nazarena repeteretur. Eiusce peregrinationis incommoda, & labores conijcere licet, ex paupertate peregrinantium, ex celeritate obsequendi diuino mandato, cuius causâ parari vel necessaria integrè non potuerunt, atque ex ipsius spatij quod fuit emensum longitudine, ac difficultate viarum. Totum iter ad septuaginta leucas protendebatur, continens milliaria nostratia suprà ducenta; nonnisi diebus plusculis superanda. De hac peregrinationis longitudine legatur, quod non indiligenter pronunciat Matthias [a] Naueus & Christophorus Castrius [b], & quod exhibent Geographicæ tabulæ Adrichomij, Tirini, Bonfrerij, & aliorum. Cum præterea iter fieri non longè ab Hebrone contigerit; quis neget fuisse admodum verosimile, habitantibus ibidem Zachariæ, & Elisabethæ, sanctis viris, & cognatis, exhibitum eo itinere gratæ visitationis officium, indicatam fugæ causam, atque admonitionem præstitam, vt ab imminente Herodis Regis furore, Ioanni puero maturè præcauerent; cum sciamus in Herodianâ illâ, quæ mox subsecuta est, infantum laniena, Ioanni quoque per fugam & latebras fuisse à parentibus consultum, vt infrà dicemus. Insuper magna sanctorum senum Zachariæ, & Elisabethæ pietas, & summus in Virginem consanguineam amor, facilè vnicuique persuadebit, sanctis peregrinis clam aufugientibus, aliquid in hospitali domo concessum esse subsidij, quod neque Bethlemi hospitium, neque domus Nazarena suppeditare potuerat, mandatam ab Angelo fugam maturantibus; cum præsertim illi diuites, & hi pauperes essent. Veteri ac piâ traditione à maioribus accepimus, in quam consentiunt pariter cum indigenis exteri, & cum Christianis tum Latinis, tum Græcis impij Saraceni, imò testes oculati nonnulli, qui locum asserunt se vidisse, & rem quam hic subijcimus, litteris mandauerunt. Traditum, inquam, est; non longè à Bethlemo Deiparam in speluncâ latuisse, dum Iosephus in oppido necessaria quædam curaret, quo tempore illâ infanti Deo mamillam præbente, lacteas quasdam guttas in subiectam silicem effluxisse, quæ nimirum silex & mollescere, & candida fieri visa est, resoluta demum in albentem, ac tenuissimum puluerem; ex quo confici consueuerunt parui

Itineris à Maria & Iosepho suscepti incommoda.

Longitudo.

[a] Naueus orat. 15. de S. Iosepho.
[b] Castrius Hist. Deip. cap. 10.

Zacharias & Elisabetha in itinere verosimiliter visitati.

Traditio de spelunca, vbi Deipara latuit.

li panes, ad sanandos morbos, & præsertim arescenciam lactis in fæminâ; *Vidi ego*, inquit Christophorus Castrius[a], *panes ipsos, quos mihi ostendit quidam ex nostris Patribus Societatis Iesu, qui terram illam perlustrauit, ac in eam speluncam religionis gratia cum multis alijs ingressus est*. Lac Dominæ nostræ appellatos nouimus eiusmodi panes, & horum partem esse suspicatur Georgius Coluenerius[b], quæ instar cretæ Duaci in Ecclesiâ S. Petri cernitur, itemque in alijs multis.

a *Castrius Hist. Deip. cap. 10.*

b *Coluener. Kalend. Maria t. 1. Feb. 4.*

Itineris apparatus.

XVII. De sancti huius itineris modo atque apparatu, id tantùm exhibere possumus, quod ex pio Fidelium sensu Pictores in imaginibus proponere solent, cum exprimunt impositam viliori iumento Virginem, atque insidentem eius gremio puerum Iesum, necnon fugæ comitem Iosephum, tanquam vtriusque custodem, curæ sibi cælitus mandatæ in itinere inuigilantem. An verò hoc ipsum iter semper terrestre fuerit, an potius aliquando etiam nauigauerint, siue mari, quod non incommodum est, à Palæstinâ in Aegyptum euntibus, ad Ptolemaidem, Tyrum, Sidonem, & Cæsaream, nauibus frequentissimum mercatorum; siue fluminibus, quæ terrestri itinere eandem regionem petentibus occurrunt, incertum est; neque aliquid hac in re exploratum potest afferri. certè maritimum iter non expeditius modò, sed tutius etiam ab Herodianis insidijs erat, vnde in eâ opinione sunt aliqui, fuisse saltem ex parte susceptum; neque præterea defuisse flumina transmittenda, cum terrâ processum est. Tandem Hermopolim in Thebaidis vrbem accessus commemoratur, arboris Perseæ miraculo nobilis, cuius[c] plurimi meminerunt. Hæc arbor procera quidem ac vetusta, Dæmonum fraude, quasi Numinis domicilium colebatur, quæ superstitio Ethnicis plerunque solemnis fuit, censentibus inesse diuinitatem arboribus. Ea igitur arbor, ingrediente Hermopolim Virgine, atque illuc puerum Iesum inferente, verso in fugam Dæmone, ad solum vsque quasi Dominum suum agnosceret, ac veneraretur, se sponte demisit; & diu inclinata permansit, vt iugis tanti miraculi comprobatio permaneret. Itá quoque factum esse constat recentiore memoriâ, cum[d] Sancta Nazarena domus, patrio auulsa solo, Angelorum manibus ex Illyrico in Lauretanam siluam transferretur, vbi longo ordine arbores, sese venienti per aërem domicilio venerabundæ inclinarunt, ac deinde pronæ perstiterunt, quoad æuo, ventis, ferro procumberent. Quamobrèm magis mihi credibile redditur superius prodigium de arbore Perseâ se sponte ad Virginis, pue-

An iter semper terrestre.

Arboris Perseæ se ad Deiparam inclinantis miraculum.

c *Sozom. l. 5. Hist. Eccl. c. 20. Cassiod. lib. 6. hist. Tripar. c. 42. Christ. Druthmarus in 2. Matt. Georgius Cedre. Nicephor. l. 10. hist. Eccl. c. 31. Baron. an. 1. Christi.*

d *Tursell. Lauret. histor. l. 1. c. 6.*

nis, puerique Iesu aduentum demittente. Nam si decuit Virgineo cubiculo suprà nubes diuinitus de loco in locum transuecto, exhiberi ad arboribus mutis obsequia; quantò magis decuisse credendum est ipsi Virgini Deiparæ, eiusque Filio omnium Domino, arborem obuiam ad venerationem demitti. De reliquis in Aegypto prodigijs ad eorum habitationem indicandam, deque loco vbi potissimum habitarunt, dicemus annis sequentibus.

XVIII. Cur autem præ cæteris regionibus electa sit Aegyptus ad fugam, terra maximè superstitionibus addicta, crudelis, & barbara; cum alia loca suppeterent mitiora, atque adeò sanctis hospitibus tutiora, si quis velit cogitando diuinæ prouidentiæ scrutari consilium; inueniet Dei Filium hominem factum, vrgente Patris æterni mandato, ab ipsâ infantiâ laboribus, incommodis, & ærumnis assueuisse, eòque missum esse è Palæstinâ profugum, vnde cacodæmonas primùm expelleret, inueteratam superstitionem verâ religione permutaret, & morum sanctitate barbariem; ideòque mysterium animaduertens S. Leo [a]. *Aegypto*, ait, *Saluator illatus est, vt gens antiquis erroribus dedita, iam ad vicinam salutem per occultam gratiam signaretur, & quæ nondum eiecerat ab animo superstitionem, iam hospitio reciperet veritatem.* Quid vtilitatis Aegypto prouenerit ab accessu & commoratione tantorum hospitum infrà patebit.

Cur in Aegyptum fuga potius quàm aliò.

a S. Leo ser. 2. de Epipha.

XIX. Interim Herodes domesticis seditionibus, tanquam intestinis furijs agitatus, ijs adeò distrahebatur, vt promissi à Magis reditus facilè potuerit obliuisci, vel certè si benè memor illum expectabat, cum redire, sicuti promiserant Magos non videt, sibi persuadet, puero nusquam reperto, occultâ fugâ proripuisse sese, ne sibilis exponerentur, & illusionibus Iudæorum, quòd nati Regis famæ temerè credidissent: Verùm post paucos dies, enunciatis per Simeonem, & Annam, spectatæ virtutis, atque authoritatis apud omnes summæ capita, de nato humani generis seruatore mysterijs, cum ad Herodis aures peruenisset rumor totâ Hierosolymâ disseminatus: puerum paucorum dierum templo maternis vlnis illatum, tanquam futurum Iudæorum Regem, promissumque à sacris Vatibus humano generi Saluatorem, sancti viri, sanctæque mulieris præconio fuisse palam commendatum; illicò Rex barbarus recrudescere sibi sensit in animo veterem plagam, quam Magorum aduentus intulerat: Itaque multò magis quàm ante sollicitus de confirmando sibi regio titulo,

Quid Herodes non redeuntibus Magis?

Eius de pueri nece consilium.

quem sibi per scelus asciuerat, diligentissimè curat, vt inueniatur puer neci tradendus. Inducebatur maximè ad tam immane facinus perpetrandum, quòd Pharisæorum quidam regnum illi traditum diuinitus prædicauerant; alijque adulatores, populo persuadebant, ipsum verum esse Messiam, quoniam Iudææ principatum primus obtineret, post *ablatum de Iuda sceptrum, & ducem de femore eius*, ex celebri Patriarchæ Iacobi [a] oraculo. Verùm cum diuinus infans, nusquam à regijs emissarijs sit inuentus, nec via sciri posset vlla ad eum detegendum, actus tandem in furias, execrandum scelus molitus est. Nam notato diligenter tempore, quo visam à Magis stellam cognouerat, atque illius tum principio altius inito, tum fine longius producto, ne quâ forte ratione Christus elaberetur, iubet à satellitibus suis, vniuersos pueros bimos, & natu minores, siue intrà Bethlemum, siue in locis circumquaque finitimis existentes occidi. Crudelissimum mandatum illicò executioni traditum, ità refert S. Matthæus [b]: *Videns Herodes, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infrà, secundum tempus, quod exquisierat à Magis.* De modo eiusce laniænæ patratæ, non displicet quod affert Abulensis [c], qui censet Herodis iussu descriptos fuisse pueros, duobus ab hinc annis natos, vsque ad id temporis, quo visam esse stellam Magi narrauerant, itemque ea omnia diligentissimè adnotata, quæ dissimulato hactenus per fraudem sceleri, viam sternere quodammodo poterant; tandem prætestu regiæ liberalitatis matribus exhibendæ, infantes eodem quidem tempore, non eodem loco collectos, ab immissâ militum manu, horrendam inter matrum brachia subijsse carnificinam, numero, vt verior docet sententia [d], ad quatuordecim millia. Felices profectò pueri, quos sui itineris, exilijque comites Iesus elegit, & Virgo mater tanquam filios vltrò suscepit, innocentiâ duce, per viam pænarum & sanguinis, nondum expeditis ad ambulandum pedibus gradientes, dignos prætereà, quos pia Fidelium turba meritis honoribus, & imitatione prosequatur. In eo quoque modum excedit Herodiana crudelitas, quòd edictum immane de infantum cæde, adeò seuerè obseruari voluerit, vt ne suo quidem filio bimo pepercerit, quem ex vxore susceperat Dauidicæ tribus, vt ait Philo [e]. Quare cum id Augustus Imperator resciuisset, teste [f] Macrobio dixisse per iocum fertur: præstare in domo Herodis suem esse, quàm filium; quoniam qui Rex Hebræorum ri-

Furiæ Herodis aduersus pueros, quorum iubetur cædes.

Cædis modus.

Numerus occisorum infantum.

Eorundem Elogium.

Suum etiam filium occidit Herodes.

a Gen. 49. ver. 10.

b Matth. 2.

c Abul. in Matth.

d Alphonsus Salmeron. Fran. Lucas ex canone Missæ apud Abissinos, & Calendar. Græcorum.

e Philo l. 2. de tempor.

f Macrob. lib. Saturnal. 2. c. 4.

rum ritibus vitam accommodans, suem iugulare ad mensam prohibebatur, is in filium barbarus irruebat, nullo in eum pietatis paternæ respectu.

XX. Hac Herodianâ procellâ parum abfuit, quin obrueretur sanctus Domini Præcursor Ioannes, puer id temporis mensium septem; cum enim audisset Herodes, vulgatam rerum admirabilium famam, quæ eius exortum illustrarant, etsi longè puer aberat ab vrbe Bethlemo, ratus nihilominus Rex ab eo sibi cauendum, quem Regem fore Iudæorum, & prænunciatum à sacris Vatibus Messiam, non pauci censebant; illum quoque cum reliquis quæsiuit ad necem. Quare eius parentes regium præuenientes consilium, illicò curarunt infantem de medio subducendum. Ità sentit [a] Alexandrinus Antistes & Martyr Petrus in ijs Regulis, quas sexta probauit Synodus [b]; addunt eiusmodi testimonio [c] Cedrenus, atque Nicephorus [d]: Elisabetham assumpto filiolo, in solitudinem profugisse, atque ad quadraginta dies in specu delitescentem, ibi ætate iam grauem ab ærumnis obijsse: præterea Ioannem infantulum matre destitutum, Angelo instituente, atque educante, diu commoratum in desertis esse, quousque ad ostendendum Iudæis Christum, & pænitentiam nunciandam prodiuit. Item de Zachariâ pueri patre, scribit Alexandrinus Cyrillus [e]; Origene, Nysseno Gregorio, Basilio, Epiphanio, alijsque consentientibus; sanctum senem ab Herode necatum, eâ de causâ, quòd quæsitum ad necem à regijs satellitibus filium abscondendum curarit. Denique huius Zachariæ meminisse Christum apud Matthæum [f] & Lucam [g] interpretantur nonnulli, cum is vitia redarguens Scribarum & Pharisæorum; *mittam ad illos*, inquit apud Lucam *Prophetas, & ex illis occident; vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione ista, à sanguine Abel vsque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare, & ædem.* Scio quidem à Sancto Hieronymo, & venerabili Beda non hunc Zachariam intelligi Ioannis patrem; sed alterum, Ioiadæ filium, de quo in Paralipomenon [h] libro. Itemque à Chrysostomo, Vatablo, alijsque alterum, qui in ordine minorum Prophetarum penultimus numeratur, atque obrutus in templo lapidibus perhibetur. At licet sua vtrique sententiæ probabilitas minimè desit; ego tamen in discrepantiâ tantorum virorum, & re incertâ illis adhæreo, qui Ioannis Baptistæ patrem à Christo indicatum volunt, vt etiam fecit accuratus indagator veritatis Cardinalis [i] Baronius, & Christophorus Castrius:

Pueri Ioannis Baptistæ periculum.

Dubitatio de eius nece.

a Petr. Alex. Reg. Eccles. can. 3.
b Sexta Syn. cap. 1.
c Cedrenus Comp. hist.
d Niceph. lib. 1. Hist. cap. 4.
e Apud Christoph. Castrium Hist. Deip. c. 11. n. 11.
f Matth. c. 23.
g Luc. c. 11
h Paralip. c. 24. v. 22.
i Baron. an. 1. Christi.

Castrius [a]: præterea ratio ipsa persuadet Ioannis Patrem fuisse ijs verbis à Christo significatum, quia iustos ille commemorans scelere Iudæorum occisos, ab initio mundi vsque ad suam ætatem, primum omnium Abelem nominat fraternâ fraude interfectum, & vltimum, qui noster fuerat Zacharias, verè filius Barachiæ (vt habet apud Nicephorum [b] Hippolytus martyr) atque ab Herode neci traditus, quòd ab imperatâ puerorum cæde filium subduxisset, consentientibus pariter, imò conspirantibus in eius necem Iudæis, quòd in vnâ Christi personâ, vtranque naturam diuinam, & humanam, palàm prædicaret, vt Nyssenus [c] habet Gregorius, & Alexandrinus Cyrillus [d]. Locum patratæ cædis inter templum & altare notant Euangelistæ, hoc est in atrio Sacerdotum ingredientibus tertio, eoque in spatio quod intercedit holocaustorum altari, ac templo ipsi, quod proximò patuit reliquâ ædificiorum mole circumquaque inclusum. Addunt præterea diù mansisse vestigium eiusce cædis, illitos sacro sanguine lapides, vt asserit Tertullianus [e].

Dubitationis solutio.

Locus cædis.

a *Castrius Hist. Deip. cap. 11.*

b *Niceph. Hist. Eccl. l. 1. cap. 3.*

c *Nissenus orat. in nat. Christi.*

d *Cyrill. l. aduer. Anthropomor.*

XXI. Quoniam verò tam Zachariam, quàm Elisabetham, circà hoc tempus occubuisse, ea potissimum persuadent, quæ de vtroque commemorauimus, non decet illaudatos præterire, sanctissimos Deiparæ cognatos; quorum alteri in templo, alteri in solitudine tumulatis, suum cuique obeliscum erigimus, addito elogio sepulcrali, ad memoriam virtutum immortalium sempiternam. Primum itaque Zachariæ monumentum esto.

e *Tertull. in Scorpiaco adu. Gnosticos c. 8.*

Elogium Zachariæ.

Sanctum senem Zachariam Ioannis Patrem
Tumulo conditum nulla condet obliuio.
Is vocem, æterni Verbi nunciam, mundo dedit,
Sed ad eius conceptum obmutuit,
Ad natalem tacere desijt,
Dei laudes & arcana loquutus,
A silentio facundior, à taciturnitate vocalior
Pythagoræorum more.
Sacerdos de vice Abia, & Vates.
Filium genuit, appellatum à Superis Magnum,
Sapientem et Sanctum, ante quàm natum,
Dignam patre sexagenario prolem.
Imposuit puero nomen Pater, acceptum è cælo,
Probante Deipara, plaudente terra.
Nato diu superstes non fuit,

Inter

Inter templum, et altare mactatus,
Herodis et Iudaeorum odio victima.
Sed Christo in Aegyptum cum Matre profecto purum holocaustum,
Suo ablutum sanguine,
Amore non igne absumptum.
Scintillat ab extinctis cineribus sepulti gloria
Nusquam tumulanda, vbique victura.

XXII. Alterum Elisabethæ coniugi sanctissimæ, cuius honores in cognatam Deiparam redundant, sic texere libet, & inscribere lapidi sepulcrali.

Elogium Elisabethæ.

Elisabetham Virgini Deiparæ propinquam,
Cognatione & virtute,
Hospes sub hoc tumulo venerabundus agnosce.
Hæc est, quam Ioanne grauidam, Virgo Deo fœta salutauit.
Ab ea salutatione
Præscia diuinorum, & vates,
Sibi, puerοque Sancti Spiritus plenitudinem consequuta.
E sterili repente fæcunda peperit
Messiæ prodromum, æterni Phosphorum Solis,
Diuini vocem Verbi
Veritatis interpretem, Pœnitentiæ magistram:
At elapsis à partu mensibus paucis,
Herode infantes persequente fugere cogitur,
Eundem cum Deipara hostem, ac Tyrannum nacta
Nisi quod illa in Aegyptum; hæc in Iudææ desertum fugit.
Illa infantem nutrit suum, hæc Angelis nutriendum relinquit.
Alteri viuæ Cælites famulantur,
Alteri mortuæ iusta soluunt.
Quicunque Virginem Deiparam colitis,
Cognatam Elisabetham ab illa ne disiungite.
Et cum fæcundam in altera virginitatem suspicitis,
Alteram extrema senectute puerperam gratulamini,
Deiparæ proximam vt sanguine, sic meritis & corona.

XXIII. At Herodes tot sceleribus infamis, atque innocentum cæde potissimum execrandus, sicuti diuinam prouocauerat iram, ità passurus breui videbatur vltricem Dei manum, quapropter horrendum eius interitum, hoc anno Iesu Christi primo ponunt nonnulli [a]: cum annos septem ac triginta, quibus regnasse communiter dicitur, à suscepto primùm

De Herodis morte.

[a] Sallianus Torniellus.

mûm Regis titulo numerent. Verùm cum nos veterum Patrum authoritatem sequuti, aliter in apparatu statuerimus, lector non ante quintum Christi annum impij Regis mortem à nobis expectet. Neque est, quòd iudicet, minus apparere diuinam de Tyranno vindictam, si dilata vltrà hoc tempus ponatur; quoniam anni qui proximè eius mortem antecesserunt, adeò calamitosi fuere, adeò infortuniorum, atque ærumnarum pleni, vt mori propemodum Rex barbarus multò ante ceperit, quâm moreretur, domi vexatus à suis, exagitatus criminum furijs, obrutus vndecunque catervâ malorum; & verum omninò sit quod scribit Eusebius a, statim post innocentum cædem, ne minimâ quidem dilatione interpositâ, Deo vltori pœnas dedisse.

a Euseb. l. 1. hist. c. 8.

Res Romanorum huius anni, opposite rebus Deiparæ.

XXIV. Interim dicendum superest, quo loco fuerint hoc anno res Romanorum, vt ex earum oppositu magis elucescant Deiparæ successus, quorum hic idem annus feracissimus fuit. Quo tempore Dei mater, Filij sanctissimi tributarios, & adoratores in stabulo Reges, Annam & Simeonem laudatores in templo, tanquam testes diuinitatis admirabatur, ità vt *omnia verba conseruaret, conferens in corde suo*. Eodem b prorsus anno Augustus virili stirpe destitutus, quæ probra, quas turpitudines, non est passus à filiâ ob vitæ intemperantiam, notasque libidines infami? Honores in Virginem Deiparam redundantes à prole sacrosanctâ, quam Cælitum chori, quam cuiuscunque conditionis, & ætatis homines venerantur, quam Dæmones pauent, nemo non nouit; laus est Filij, vt tanta Mater non mortalibus modò, sed & Angelis maior declaretur: Augustum ab honorum fastigio ad sordes depressum vides à filiâ, adeò vt necesse habeat præ pudore aliquandiu carere publico, & continere se domi. Sumpta deinde sunt de adulteris inhonora supplicia, fususque nobilium sanguis. oppone has cædes, Romæ editas, infantum lanienæ, quam in Bethlemi finibus mandauit Herodes, laudabis innocentes has victimas, ad Marianum partum immolatas, ex peculiari Numinis prouidentiâ; vt natum Deum, non loquendo, sed moriendo confiterentur: è contrario execraberis Romæ viros facinorosos addictos morti, eorumque sanguinem sceleribus traducendis aptum, non expiandis. Illud quoque notandum videtur, quòd hoc eodem anno Tiberius Augusti priuignus, vxore Iuliâ eiusdem Augusti filiâ, ob notas libidines repudiatâ, Rhodi moram protraxit inuitus; cum enim Suetonio c teste, illuc secessisset, ad vitandam æmulationis

b Ex Tacito, Dione, Suetonio.

c Sueton. in Tiber. c. 11.

nis suspicionem cum Caio & Lucio Augusti nepotibus, quos firmiter in eius gratiam receptos videbat, cursuque concito ad imperium properantes. Reditum tandem in Vrbem optauit; sed honorificâ legationis specie prohibitus est, ne rediret. Aegrè aberat Româ Tiberius: at libens exulabat in Aegypto Dei Filius vnà cum Matre, cum ad nutum æterni Patris per ærumnas ineunte ætate susceptas, rectà ad Crucem tenderet, regnaturus à ligno. Rhodiense exilium Tiberio Romanum aperiebat principatum, sed miserè finiendum; quo tempore Caius & Lucius Cæsares designati, properabant ad funera, nacti deinceps cupressum ante quam lauream.

Annus Christi 2. B. M. Virginis 16. Augusti Imp. 43.

I. Commoratione in Aegypto sacrosanctæ Familiæ hunc annum notamus, qui tum alter Christi nati, tum Virginis Matris sextus suprà decimum numeratur. Præter accessum Hermopolim suprà memoratum cum arboris Perseæ prodigio, prodit [a] Burchardus, terminum secessionis fuisse inter Heliopolim ac Babylonem, in vico quem Matuream incolarum vulgus indigitat. Huc se recepisse ex itinere Sanctos peregrinos, dicunt præter D. Anselmum [b], Albertus Magnus, & Angelicus Doctor, itemque Iansenius [c]. Consentit traditioni Baronius [d], alijque subscribunt, præsertim Abulensis [e]. Propè hunc locum fuisse aiunt non magnum aquæ fontem, vnde hortus ibidem consitus balsamo, crebram irrigationem & fæcunditatem acciperet. Ex hoc ipso fonte abluisse identidem infantem suum fertur Deipara, eiusdemque panniculos, atque linteola persæpe mundasse; imò & lapidis meminere Scriptores, in quo eas à lauacro vestes exiccare consueuerit Virgo. Vim adeptum esse non modicam, fontem illum par est credere; nam si, teste Flodoardo [f], puteus in quo abluta aliquando fuerant, puerilia S. Theodorici lintea, tametsi semper patens, nullarum sordium iactu inquinari deinceps vnquam potuit: an non idem saltem liceat existimare de fonte, vbi lotos fuisse non semel fama est, infantis Christi panniculos? Consecratum eo vsu monumentum Christianis vnà ac Saracenis scribunt in hunc vsque diem venerationi esse, & Iesu fonticulum ab indigenis appellari; de quo narratur præterea miraculum aliud. Cum enim exiguus & modicus

a Burchard. Descripti. Terra Sancta ad finē.
b Ansel. Albert. S. Thō. in 2. cap. Matth.
c Iansen. c. 2 concor.
d Baron. t. 1. Annal.
e Abulensis in cap. 2. Matth.
f Flodoard. l. 1. hist. Eccles. Rhemen. c. 24.

Habitatio Deiparæ in Aegypto.
In vico Maturea propè Heliopolim.
Fons ibi ad vestes Iesu & Mariæ mundandas.
Vbi etiam Christus infans lotus.
Fontis Iesu miraculum.

fons hortum omnem irrigare, & fæcundare non posset, foderunt inibi puteum Saraceni, vnde extractâ, siue tubis immissis, siue per machinam rotalem & boues aquâ, quam fore copiosam idoneamque ex alterius vicinitate sperabant, horti necessitatem iuuare conati sunt, quâ parte fluere prior aqua non poterat. At sua illos fefellit industria, quoniam haustis de puteo per anthliam aquis, neque copia inerat ad explendum defectum, neque vis hortum fæcundandi. Itaque nouo consilio canalem construunt, eòque aquam puteanam corriuatam, in Iesu fontem transfundunt, vt hic ex permixtione vberius fluat, & vim fertilitatis inducendæ prior aqua posteriori communicet. Ità prorsus euenit, non irritâ hominum spe. Rem multorum testimonio comprobatam hîc damus, & præsertim eorum, qui loci venerationem accensâ etiam continenter lampade insignem se vidisse commemorant eò peregrinati. Addit Christophorus[a] Castrius Societatis Iesu Sacerdos, audisse se ab altero eiusdem Societatis fratre, cui cum alijs captiuis licuit illò ire; in vico Matureâ adhuc manere peruetustam ficum, eiusque truncum mediâ sui parte discissum in honore haberi, quòd constans apud Christianos fama sit, vsui illum fuisse Virgini Deiparæ, ad exiccandas seu laneas, seu lineas pueri Iesu vestes, suasque post lauacrum; ideòque reipsâ salutem consequi experiatur se, qui per apertam trunci scissuram ægra corporis membra transmittat. Hæc ex oculatis testibus referuntur.

Fertilitas solo per eum fontem indita.

Ficus ibidem ægris salubris.

[a] Castrius Hist. Dep. c. 10. n. 19.

II. Sunt qui existiment, Heliopoleos Aegyptiacæ ciuitatis gloriam, ab hospitio pueri Iesu & Virginis matris inductam, Isaiæ[b] vatis oraculo fuisse prænunciatam, quo nimirum ille quinas Aegypti prædicat ciuitates, Chananitide linguâ loquuturas, atque per Dominum exercituum iuraturas; itemque inter eas vnam, Solis ciuitatem nuncupandam, quam videlicet Heliopolis sonat. Hanc ipsam vrbem, aliasque Aegypti complures (si probatur interpretatio) eò euasuras notabat oraculum, vbi post exhibitum Christo eiusque Matri hospitium, auitam superstionem abijcerent, & Christianæ fidei aures præberent. An verò præter Heliopoleos vicum Matuream, alia Aegypti oppida in suâ illâ secessione habitauerit Virgo Deipara, examinabitur infrà.

Isaiæ vaticinium de Heliopoli.

[b] Isaiæ c. 19. ver. 18.

III. Interim ex profanis monumentis, Iuliæ Augusti filiæ miserandum ob scelera exilium[c], nouis calamitatibus cumulatur; de eâ enim necandâ, cum diu fuisset deliberatum, placuit tandem exilium illi protrahere, & cum vsu vini omnem cul-

Iuliæ Augusti filiæ exilium miserû & infame.

[c] Ex Suetonio.

nem cultum delicatiorem adimere, neque adiri à quoquam libero, seruoque permissa est, nisi Augusto consulto. Infortunium augebat summo loco natæ mulieris, quòd tanquam infamis à marito Tiberio de ipsius Augusti consilio repudiata, multiplicem ignominiam ferre cogebatur in oculis filiorum, quorum singularis erat apud Augustum gratia, adeò vt in Cæsarum familiam adlecti imperio destinarentur. Huic verò oppone Deiparam, quæ honestè id temporis, decenterque cum Filio sanctissimo, Sponsoue apud Aegyptios exulabat, iussu quidem æterni Numinis cuncta de cælo moderantis, sed vt Iesus, Maria, Iosephus, quanta hospitum trias? hostium crudelitati subducerentur, atque ad eorum sanctitatem Aegyptus superstitionem, barbariem, insanos ritus eiuraret.

Deiparę gloriosum.

IV. De Herode nil addo, qui hoc ipso tempore, ob effusum suorum sanguinem, ob innocentium puerorum cædem anno superiore patratam, ob domesticas Antipatri filij seditiones, ob corporis denique inualetudinem, morbosque prouectâ iam ætate lethales, à se ipso penitus exulabat, actus vbique suorum criminum furijs. Sic exilium, quod immani edicto de infantibus trucidandis, Deiparæ, natoque pepererat, in se ipso tandem passus est, antequam omninò exularet à vitâ.

Aliud infelicissimum Herodis per id temporis exilium.

Annus Christi 3. B. M. Virginis 17. Augusti Imp. 44.

I. SAnctorum hospitum à Palæstinâ exulantium commoratione Aegyptiacâ consignatur hic annus, vnà cum proximè antecedenti: in eo nos quærimus; an præter habitationem Heliopolitanam, quam suprà commemorauimus, alias quoque in Aegypto habuerit Virgo Deipara. Affirmat nuperus Author, eâque prærogatiuâ exhibiti hospitij sanctissimæ Matri, non Heliopolim tantùm; sed præcipuas quoque regionis eiusce ciuitates donat, vtpotè Hermopolim, Memphim, Babylonem, Alexandriam, aliasque; imò cum maximus fluuiorum Nilus, quotannis Aegyptiacos circumquaque campos inundet, atque in totam ferè regionem suas longè lateq; aquas immittat; dicit etiam, statis anni temporibus, fines suos transiliente Nilo, in lembis & nauiculis ibi habitasse Mariam. Assertionem hanc non à probatis antiquorum testimonijs desumit; sed suâ ipsemet ratiocinatione concludit;

An alibi quã Heliopoli Deipara habitaret.

Ratio, ob quã aliquis id affirmat.

Et confirmare nititur nō vno argumento

ex eo quòd in Aegyptum Virgo secessisset, non vnum tantùm barbaræ regionis locum, sed vniuersas eius vrbes, pagos, montes, villas expiatura: ideòque decentius fuisse visum est, vt de ciuitate in ciuitatem pergeret, & loca subinde mutaret. Præterea religionis causâ id ab eâ factum existimat, vt quicquid tunc sanctum in Aegypto foret, siue Iosephi atque Iacobi incolatu, siue prodigijs Mosis, atque Aaronis, siue Ieremiæ, ac Prophetarum cæde, identidem recognosceret. Denique confirmat ratiocinationem suam, ex eo quòd Iosephus Virginis Sponsus occultare Iesum tutius posset, si principes ciuitates, vbi populi frequentia maior, & alimentorum copia, cautus perlustraret; neque crederet vni tantùm loco charissimum pignus. Templi Babylone conditi meminit Guillelmus Bandenselus [a], qui floruit anno millesimo trecentesimo, atque vniuersum Aegyptum, & Palæstinam peragrauit; aitque monumentum id esse habitationis Virgineæ, quoniam ipsa ibi Deipara cum Christo Iesu, & Iosepho, quando in Aegyptum de Iudæa fugerat, metu Herodis, aliquandiu fertur habitasse. Hæc & similia legimus litteris consignata multorum [b], quæ & Petrus [c] Canisius, accuratissimus author ex parte prodere, & affirmare non dubitat. Verum cum nos historiam scribamus, atque eius antiquitate spectatá, nonnisi antiquorum, probatæque fidei authorum testimonio nitamur; hæc incerta esse fatemur, quæ recentiores prodidere, ratiocinando potius diuinantes, quàm certum aliquid concludentes; præsertim cum plura, quæ de Christi infantiâ vulgò iactantur, ex apocryphorum somnijs desumpta esse constet;

Sed sunt incerta.

a Galiel. Band. Hodaporico ad Terrā Sanctam.

b Forcatu. lus lib. 2. de Gallorum imper. Stephanus Lo-crius l. 4. c. 23.

c Canisius lib. 5. Mar. cap. 23.

II. Circà hoc tempus puero Iesu sensim crescenti in Aegyptiaco illo secessu, pia mater confecisse proditur vestem paruulam, quæ pretio tunicam Iosephi polymitam superaret, non quidem ex formâ aut materiâ, sed ex opifice, & fine ad quem referebatur. Tum primùm factam oportuit Christo puero, lineam à matre subuculam, eamque fortasse, quam è crassiore lino constantem, Romæ seruat lipsanotheca Lateranensis. In id enim opificium, manus Virginem intendisse, & quæ laus est mulieri [d] forti à Sapiente attributa, lanam & linum quæsiuisse, suarum consilio manuum operaturam, argumento esse potest, versatus ab eâ in lanificio fusus, quem S. Pulcheria referente Nicepho[illegible] [e], in templo Virginis Odigetriæ collocauit, itemque glomus eiusdem filo sacris digitis diducto constans, quem in oppido Aduaticorum Huô etiamnum seruari fama est. Itaque suâ probabilitate non caret, in-

Vestes puero Iesu à matre contextę.

d Prouerb. 31. v. 19.

e Niceph. Hist. l. 14. cap. 2.

consu-

consutilem tunicam, omnis prorsus suturæ expertem, Christo paruulo fuisse à matre confectam, de quâ religiosus Poëta [a] sic cecinit,

a Baptista Mantuanus in Parthenice Mariana.

Cum primùm dulces infans proferre loquelas
Cepit, & aduersis vestigia figere plantis,
Mater ei tunicas habiles exorsa, nouumque
Vestis opus niueo puerum velauit amictu.
Suspiciensque polos, inquit; Date numina vesti
Incrementa mea; pueri cum corpore semper
Crescat, & ad Sanctos vltrò se accommodet artus;
Non gladium, tineamue ferat; non trita senectæ
Cedat, & hac nostri durent monumenta laboris.

Hæc porrò nonnisi poëticè tribuuntur optanti matri, quæ nihilominus, tanquam verè deinde gesta, ab aliquibus referuntur, Nam censent, hanc Christi paruuli tunicam, illam fuisse inconsutilem, vnico contextam opere absque suturis sicuti confici solent serica tibialia, & gossipini, laneique thoraces, quam tunicam Christo cruci affixo, sortiti sunt milites. Eam puerulo aptatam, crescente Christo simul creuisse dixerunt. Sed ex apocryphis id libris petitum, benè reijcit Card. Vigerius [b], Tractatu de instrumentis Dominicæ passionis, vbi lanceam cum tunicâ inconsutili confert, eique subscribit Theophilus [c] Raynaudus. Plures enim filio vestes, ipso ætatis decursu, sanctissimam matrem confecisse, videtur verosimilius, deque ijs ex Euthymio Euangelicam S. Matthæi historiam explanante differit pererudite [d] Ribera.

De sensu horum carminum.

b Card. Viger. Tract. de Instrum. Dominicæ Pass.
c Theoph. Rayn. Dipt. Mar. p. 1. pun. 8. n. 22.
d Ribera in 19. Ioan.

III. Tertio hoc ab ortu Saluatoris anno templum Deiparæ conditum, dicatumque fertur, & imago proposita ab vno è tribus Magis iam pridem in patriam reuersis ab adoratione infantis Dei. Rei fidem facit Osorius [e] Algarbiensis Episcopus, qui accepisse se scribit ab hominibus Indiæ peritissimis, illum è tribus vnum, fuisse Cranganoris Regem, Brachmanarum litteris eruditum, qui ad expiandum incestus cum sorore germanâ perpetrati flagitium, cum multorum dierum inediam, aliasque à se pœnas exegisset, neque tamen animo leuaretur, vrgente facinoris conscientiâ, longinquam religionis causâ peregrinationem suscepit, quo itinere delatus tandem in Persidem & Carmaniam, duos Principes iam pridem sibi per litteras notos, nouum iter moliri intellexit, vt natum id temporis Iudæorum Regem per longos viarum circuitus perquirerent. Quare in societatem vocatus, comitem se illis adiunxit, vnde & nomen accepisse fertur Cheriperi-

e Osorius l. 1. de rebus gestis Emmanuelis Lusitaniæ Regis.

Templū Deiparæ excitatum ab vno è tribus Magis.

Qui fuit Cranganoris Rex in India Orientali, qui iunctus est duobus Regibus.

riperimalum, quasi vnum ex tribus. Ab adoratione Iesu Christi, & Virginis matris colloquio nactus deinceps animi tranquillitatem, cum primùm se recepit in patriam, pietati se dedit; mox tertio nati Iesu Christi anno, templum Deiparæ dicasse fertur, ibique imaginem affabrè pictam Virginis, natum vlnis complexæ, proposuisse populis venerandam, latâ etiam lege, vt quoties Mariæ nomen fuisset ab Aedituis pronunciatum, toties quicunque audiuissent, illicò se in terram venerabundi prosternerent. Denique vt diuinis rebus totus vacaret, abdicauit se regno, cuius opes vniuersas in eos, quos vsu compererat sapientiâ & religione præstantes iussit distribui. Nec defuerunt ex his, qui illum probè imitarentur, sicuti narratur de Calecuti amplissimæ vrbis conditore, qui inter reliqua suæ pietatis monumenta, extructum pariter in eâ templum, & Iconem Virginis Deiparæ puerum sinu fouentis collocatam reliquit. In hoc ipsum templum ad imitationem prioris exædificatum, accessisse Vascum Gamam Lusitanicæ classis Præfectum anno millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo narrat Osorius, cum ille mense Maio Calecutum appulisset, & nomine Regis exceptus regiam vrbem inuiseret; vidit Vascus in eius templi penitiori loco, sacellum formâ rotundum, quò per plures gradus erat ascensus, ostio quidem æreo sed angusto. Huc ingressus cum suis, parthenicam iconem aduerso parieti affixam pendere animaduertit, & mox inclamantibus Aedituis Mariæ nomen, ipse cum reliquis, corpore in terram abiecto, Virginem Dei matrem deueneratus est ex prisco gentis more, qui iam diu ortum habuerat ab laudato Rege Cranganoris, vt dictum est. Sunt qui existiment, hunc esse ex tribus Sanctis Magis illum, quæ pictores fuscum proponunt, alijque Aethiopem seu Maurum putant, Melchiorem nomine. Cæterùm inuenturâne sit apud omnes fidem narratio, nos certè latet. Id tamen audemus dicere, si vera sit, inde aditum aperiri vlterius coniectandi, primam Deiparæ imaginem, non eam esse, vt plerique putant, quam ad viuum expressam à S. Lucâ tradit Theodorus Lector [a], ipsoque eiusdem Virginis intuitu, gratiæ formâ nobilitatam refert Nicephorus [b]: sed longè ante à Magis, qui primi ex Gentibus Sibyllæ admonitu, stellæque ductu, Christum & Mariam in recessu Bethlemico inuentos venerati sunt, exceptum fuisse vtriusque vultum, mox deportatam ad Indos imaginem, publicæ religioni locum fecisse. Insuper si eadem admittatur narratio, dicere oportebit, primum Deiparæ templum

Lex huius Regis de Mariæ nomine.

Abdicat se regno.

Templum D. Virg. Calecuti excitatū illius exemplo.

Et visum a Vasco Gama.

De Rege Cranganoris opinio.

a *Theodorus in Collectaneis hist. Eccles. lib. 1.*
b *Nicephor. lib. 15. hist. cap. 14.*

templum erectum post Christi aduentum, illud ipsum fuisse quod construxit Cranganoris Rex; non alia, quæ post aliquot annos ædificata esse constat. Sed certum est, atque affirmari citrà dubitationem potest, Sanctos Magos per hæc tempora veri Dei, magnæque Matris cultum apud suos adeò excitasse, vt iure sibi primitias vindicent Marianæ Sodalitatis. Quare ex varijs in Matthæum locis, Chrisostomus [a] vocat eos Euangelistas suæ regionis.

[a] Chrysost. hom. 16.

IV. Hoc Augusti Imperatoris anno suprà quadragesimum quarto, Caij Cæsaris consulatus occurrit, qui nimirum videbatur magnæ spei iuueni gradus, ad supremum orbis principatum, futurus. Sed dignitas illa consularis in absentem collata, proximè mortem, non imperium præcessit, arescente lauro vix natâ, atque in cupressum degenerante. Eodem tempore Lucius Cæsar eius frater ad Hispanienses exercitus in Occidentem profectus, Masiliæ in morbum inciderat, ex quo peius habere cepit, sine spe valetudinis recuperandæ. Sic gemini adolescentes ad summum principatus fastigium velificati, Augusto fauente, eò pergunt ignari, vbi sunt conceptæ iam spei iacturam, vitæque facturi. At vnâ cum matre sanctissimâ Dei Filius, in Aegypti latebrâ vitam sibi tuetur, ad cæli, terræque principatum, destinatus à Patre. Illis in secundâ fortunâ degentibus, aurâque populari vectis ad summa, ex improuiso casus imminet, vitæque discrimen. Deipara quamuis terras, & loca permutans exilium inter barbaros habeat, vel ibi non desinit esse Regina, procumbentibus vltrò Cælitibus ad eius pedes, & Iesum in eius gremio Orbis vniuersi principem venerantibus.

Caij & Lucij Cæsarum fluxa felicitas.

Cum stabili & vera Deiparæ confertur.

Annus Christi 4. B. M. Virginis 18. Augusti Imp. 45.

I. Sequitur Aegyptiaca Sanctorum hospitum commoratio, in quâ puer Iesus quartum, Deipara decimum octauum ætatis annum absoluit. In hunc conijcimus vulgata ad eorum accessum prodigia de lapsu simulacrorum, quæ Aegyptiorum cæca superstitio pluribus in templis colebat, vt Deos. Ità contigisse, præter Isaiæ vatis oraculum, & Ieremiæ olim in Aegypto captiui vaticinium, confirmat Christianorum ibi commorantium peruetusta traditio, & probata plurium Scriptorum authoritas. At verò non ideò hic inanium

De lapsu Idolorum in Aegypto.

lapsus

lapsus Deorum à nobis hoc potissimum anno refertur, quòd censeamus eo tantùm accidisse, non prius; nam muta illa simulacra, nec vno dumtaxat in loco, nec vno tempore collapsa feruntur: sed vt rei valdè insignis, quam ex parte accidisse hoc etiam anno, non est improbabile, semel tantum veritas excutiatur.

II. Ad eam respexisse Isaiam [a], sacrarum litterarum interpretes docent, cum *super nubem leuem*, Dominum ascensurum, vt ingrediatur Aegyptum, & coram eo regionis eiusce simulacra commouenda prædixit; per nubem leuem intelligit Procopius [b] Gazæus, & sacram Christi humanitatem, quæ veluti vehiculum fuit diuinitatis, & Virginem ipsam Deiparam, à quâ in Aegyptum vlnis delatus est puer Iesus. Eorundem simulacrorum, atque Idololatriæ ruinam à Ieremiâ prænunciatam Aegyptijs, scribit Episcopus Tyri Dorotheus [c], itemque S. Epiphanius [d]. Aiunt enim, sacrum vatem in Aegypto captiuum, atque eò à popularibus suis per vim & fraudem abreptum, Aegyptiorum Sacerdotibus viri sanctitatem admirantibus, iam tum significasse, futurum vt idola quæ Deorum nomine colerentur, in terram confracta, & comminuta procumberent, ad pueri Seruatoris aduentum; quem paritura erat Virgo mater, atque in præsepi reclinatura. Ex ore tanti vatis oraculum tanquam è cælo delapsum accepere Sacerdotes, vnàque populus Ethnicæ superstitioni deditus, non secus ac magnum mysterium iure suspexit, cuius posteri memoriam, sibi à maioribus inditam diu seruarunt. Quamobrem (sicut in apparatu iam diximus) consueuerunt Aegyptij labentibus subinde sæculis iacentem in lecto Virginem exprimere, vnàque infantem partu editum, atque in præsepio collocatum deuenerari; cuius inusitati cultus causam Regi Ptolemæo [e] quærenti, respondisse feruntur; mysterium id esse à maioribus traditum, quod nimirum ipsos Propheta sanctissimus docuisset. Et quidem suo tempore res euenit, quam Vates præcinuerunt, nam ex Athanasio [f], Origene [g], Eusebio [h], Cassiodoro [i], Nicephoro [k], alijsque habemus, famam fuisse constantem, à maioribus traditam, de confractis Aegyptiorum plurimis simulacris, vbi Deipara, Iosepho comite, Iesum intulit in eorum regionem, ac templis appropinquauit Dæmonum cultui destinatis; nam si ad Arcæ Domini aduentum, consistere Azoti Dagon [l] suo loco non potuit, imò abscissis palmis & capite tanquã informis truncus, ante illam semel iterumque procubuit: num ante Iesum, atque Deiparam,

De hoc lapsu Isaiæ Oraculum explicatur.

Itemque Ieremiæ.

a *Isaias c. 19. v. 1.*

b *Procop. Gaz. in cap. 19. Isai.*

c *Doroth. in Synopsi.*

d *Epiph. l. de vita Prophetarum.*

e *Doroth. ibid.*

f *Athanas. lib. 1. de Incarn. Verbi*

g *Origenes hom. 3. in diuersos.*

h *Euseb. l. 6. de demonstr. Euangelica.*

i *Cassiodor. l. 6. Histor. Tripartitæ cap. 42.*

k *Niceph. l. 10. histor. Eccl. c. 31.*

l *1. Reg. c. 5. ver. 4.*

ram, quorum imago erat Arca, integra permanserunt, nec loco mota sunt, falsa illa Numina, quibus in modum vilioris herbæ, vndecunque scatebat Aegyptus Idololatriæ parens? Certè [a] Palladius se vidisse narrat Hermopoli templum, in quo Deiparâ vrbem ingressâ, idola omnia, Cacodæmonum sedes, comminuta sunt. De insigni Heliopoleos templo narrationem, tanquam probatam affert Tostatus [b]; aitque molem illam celeberrimam, tot falsis Numinibus consecratam, quot anni sunt dies, Deiparâ cum puero Iesu non longè transeunte, contremuisse totam, inanibus simulacris excussis trecentis sexaginta quinque; subdit præterea Aphrodium Sacerdotum principem, tantæ ruinæ famâ perculsum, causam quæsiuisse; eâque inuentâ, illicò existimasse, Deos suos hoc lapsu fateri infirmos se, indignosque cultu, atque adorationem deberi puero Virginis filio, cuius ipsi ad accessum procubuissent. Hæc refert, & vera censet doctus sacrarum litterarum interpres. Quo potissimum tempore prodigiosus contigerit lapsus, incertum est. Probabile videtur, non vnicum fuisse: ingrediente Aegyptum Deiparâ primum accidisse, asseritur à plerisque; cæteros cum illa ibi commorata est, varijs temporibus factos censemus, præsertim vbi Virgo cum prole sanctissimâ, propè infanda Deorum monumenta transiret. Nos omnes conijciendos duximus in hunc annum, ne minus grata foret narratio.

Cõfirmatur his idolorum in Aegypto lapsus.

III. Ab eiusmodi ruinâ simulacrorum, tum aliqui ex indigenis sunt ad Christum conuersi; tum etiam paruam alij familiam, extrà patrium solum degentem miserati, in exilij solatium subleuarunt, opportuno subsidio identidem præstito. Vnde prima reor iacta esse semina, ad ea sanctitatis germina progignenda, quorum deinceps Aegyptus veteri superstitione abolitâ, maximè ferax fuit. Dæmones abiecit Christi, Deiparæque præsentia, & Angelos illuc acciuit, qui expurgatum sceleribus campum, virtutibus ac sanctitati pararent. Inde tandem eruperunt Ordinum religiosorum initia, per Antonium, atque Pachomium in Orientem inuecta, quibus magistris in Aegypti solitudines subierunt examina Monachorum, & quæ prius erant ferarum latibula non minus quàm Dæmonum, receptacula postmodum euasere Sanctorum. Audi [c] Chrysostomum syncerè testantem, qualis suo æuo foret Aegyptus: *Paradiso quouis, ait, omnem illam vide. bis Eremum digniorem factam esse, & innumerabiles Angelorum cætus in corporibus fulgere mortalibus, & populos Martyrum, &*

Aegyptus a Iesu, & Deiparæ hospitio sanctificata.

a Pallad. in Hist. Lausiac. c. 52.

b Tostatus Matth. 2. q. 60. & 61.

c Chrisost. Hom. 8. in Matth.

chores Virginum. Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi & admirabilem illum regium gregem, virtutumque calestium conuersationem in terris micantem. Non ità varijs astrorum choris cælum refulget, vt Aegypti Eremus innumeris Monachorum ac Virginum distinguitur, ac illustratur habitaculis. Si quis illam Aegyptum veterem nouit, rebellem Deo; ac magnitudine superstitionum furentem, hic optimè Christi potest nosse virtutem, per quem facta est tam admiranda mutatio. Hæc Chrysostomus, qui regionem ex profanâ ac sceleratâ sanctam; ducta ibidem Anachoretarum, & Cænobitarum primordia, Iesu ibi commoranti accepta refert, ac post Iesum Virgini matri. Labentibus deinde sæculis, ex Oriente in Occidentem religiosa virorum atque mulierum in viuendo disciplina transiuit sub Virginis patrocinio; adeò vt quotquot vbique locorum ordines Religiosi Deo militant, Iesu seipsos, ac Deiparæ debeant, id quod suis locis dicemus.

Stirps Augusti deficiens in Caij & Lucij Cæs. morte.

IV. Circà hunc ipsum annum Romana historia exhibet Lucij Cæsaris mortem; in ipso iuuentutis ac spei flore; cum Massiliæ diuturno morbo extabuisset, iuuenis militiæ addictus. Neque hoc tantùm infortunio Augustus doluit, qui post menses duodeuiginti Caium etiam Cæsarem, Lucij fratrem, ad comprimendos Armenorum motus missum, illato per dolum vulnere, extinctum fleuit. Itaque stirpem [a] suam imperio natam continuatis propè nepotum funeribus deficere vidit; dum Dei filius, & Virgo mater in Aegypto, contritis Ethnicorum idolis, potestates tenebrarum expugnant. Intercipitur à morte progenies Cæsarum, ac deficit, dum longis itineribus ambit imperium: Iesus imperat adhuc puer, sibique per victorias, ac simul matri, regnum confirmat, nunquam amittendum. Augustus suorum calamitatem, orbitatem suam, intrà sesquianni spatium illatam luget: Christi in Aegypto de superstitione triumphis, lætatur in cælo diuinarum Trias augustissima Personarum, atque in terrâ Virgo mater cum sponso Iosepho.

a Suetoni.

Dum Iesus in Aegypto apud Virginem matrem adolescit ad regnum per victorias.

Iudææ hoc anno status, & Herodis miseriæ, præiudia mortis

V. Iudæa interim turbas fouet, exulante ab eâ cum Iesu atque Deiparâ, veræ pacis tranquillitate: nam Herodis filius Antipater, parati in parentem veneni deprehenditur reus, fratrum calumniator, necisque author innocentibus illatæ, necnon Iudaïci regni per parricidium sectator. Quamobrem factâ in illum Herodi per Romanos potestate, in vincula conijcitur patris iussu, qui iam ferè septuagenatius cum senectæ incommodis, cum ingruentibus vndecunque corporis morbis, &

bis, & cum animo per barbariem efferato pugnabat; in suo regno, domi suæ, atque adeò in se ipso fouens turbarum semina; præterquam quod, supremum exitium adesse quasi pro foribus sentiebat. Sunt hæc præludia prima pœnarum, quas luiturus est pro effuso innocentum sanguine, proquæsito ad necem Dei filio, eiectâque in exilium Deiparâ, ipsemet eorum sententiâ æternùm relegandus.

Annus Christi 5. B. M. Virginis 19. Augusti Imp. 46.

I. EX initâ superiùs annorum Herodis supputatione, septimum ac trigesimum hunc ponimus Tyranni in Iudæa regnantis, quo illum anno regnare ac viuere desijsse, omnes ferè consentiunt. Rem ex varietate sententiarum valdè obscuram, implexamque expedire, & illustrare conabimur; vt comperto Herodis obitu, teneamus Deiparæ reditum in Galilæam. Ortum fuisse Herodem ex primatibus Iudæorum, qui de Babylonicâ captiuitate redierunt, probat ex Nicolao Damasceno, authore perantiquo Augustinus [a] Torniellus, licet ille Rex siue Ascalone, siue in Idumæâ natus, aut certè ex diuturnâ ibidem habitatione vel suâ, vel suorum, Idumæus à multis, à pluribus Ascalonita dicatur, & passim apud Iudæos audierit alienigena. De annorum quibus regnauit numero nulla remanet controuersia: in eorum initio ducendo, non eadem est apud omnes ratio, dum alij prius, alij posterius incipiunt numerare. Vnde factum est, vt Euangelistâ testante, natum esse Christum [b] *in diebus Herodis Regis*, aliqui ad primum vsque Saluatoris annum, ad secundum alij, vel tertium; ad quartum nonnulli vel quintum; plures ad octauum, Herodis vitam ac regnum existiment peruenisse. Vt certum aliquid statuatur; sciendum est: Herodem siue ex operâ Iudæis præstitâ simul cum patre, siue ex educatione, vel origine ab iisdem ductâ, viam sibi fecisse apud eam nationem ad primos honoris gradus. Nam Hyrcano & Aristobulo fratribus de regno contendentibus post obitum Alexandræ matris, Pompeius cum Iudæos in potestatem redegisset, Herodis suasu Hyrcanum Pontificem in regno retinuit, & Aristobulum Romam abduxit. Mox Antigonum Aristobuli filium, Parthorum armis repugnantem, & Regem à Iudæis constitutum, Senatus Romanus hostem iudicauit; & Herodem Iudæorum

[a] Torniell. Ann. Sac. an. mundi 4018.

[b] Matth. 2. vers. 1.

De morte Herodis.

Origo eiusdē Herodis, ex Nicolai Damasceni testimonio.

Quæritur & examinatur tempus quo incepit regnū Herodis

Rerum gestarū series.

Regem renunciauit; qui post triennium vi Hierosolymâ potitus, ad possessionem regni peruenit, Mariamne Hyrcani filiâ sibi desponsa. Sed Pontificem ipsum Hyrcanum affinitate iunctum, quem Antigonus ex fratre nepos auribus mutilarat, atque in exilium ad Parthos eiecerat, honoris gratique animi specie de captiuitate euocatum interfecit, Antigonum ab Antonio intermendum curauit, & Ananelum ignobili loco virum, in Pontificatum assumpsit: Interim ab Augusto & Antonio de Orbis imperio pugnatum est apud Actium, quo bello victor Augustus, duobus post victoriam annis Romæ triumphauit, & Herodi supplici, quòd ab Antonio stetisset, veniam indulsit, & regnum senatusconsulto sanciuit. At expedit vno intuitu annos notare, tum Vrbis conditæ, tum ipsius Augusti à primo consulatu, tum etiam Hyrcani Regis, quibus hæc omnia gesta sunt; vt facilis sit inuentio verioris supputationis annorum, quos quærimus, Herodiani regni.

			V.C.	Aug.	Hyr.Reg.
Herodes	Declaratur Rex contrà Antigonum.	Anno	714.	4.	28.
	Capit Hierosolymam pulso Antigono.		717.	7.	31.
	Ananelum Pôt. creat.		720.	10.	34. & vlt.
	Hyrcanum occidit.		723.	13.	
	Impetrat regnũ.		725.	15.	

Indicatur status quæstionis.

II. His itaque præmissis difficultas est: Vtrum Herodis regnum septem ac triginta annorum, initium sumpserit eo anno, quo Antigonus, Hyrcano ad Parthos captiuo, Rex Iudæorum est ab illis constitutus, Herodes autem Romæ Senatusconsulto? An verò cum in regni possessionem idem Herodes admissus est, Hierosolymâ captâ? An potius cum Hyrcano Pontifici datus successor est Ananelus alienigena? An quando ab Herode neci traditus est Hyrcanus? An demum quandò Romam Augustus ab Actiacâ pugnâ victor ingressus, Senatusconsulto regnum constabiliuit Herodi?

III. In eâ controuersiâ non pauci Iosepho[a] duce, annos illos Herodiani regni numerare incipiunt ab accepto Romæ Regis titulo, sub annum Vrbis conditæ septingentesimum, decimum-

a *Iosephus Antiq. l. 17 cap. 10.*

decimumquartum, qui Augusti Imperatoris à primo consulatu quartus erat, & Hyrcani Iudæorum Regis octauus & vigesimus. Sed hi ægrè se defendunt, ab eo quod facilè potest ex eorum assertione deduci; Herodem vno aut altero anno prius quàm Saluator nasceretur, extinctum esse; quod planè aduersatur, Euangelico testimonio Sancti Matthæi [a]. Si verò quocunque modò probent non aduersari, dicant necesse est cum Salliano; anno Christi primo, post elapsum ferè trimestre, impium Regem viuere desijsse; Atqui id, vel ex principio regni; quod ponunt, excedit annorum numerum, quibus Herodes regnauit; vel certè ex Euangelicâ historiâ redditur improbabile. Certum enim ex eâ cum sit, aduentu Magorum, natum Iudææ Regem quærentium, suo metuisse regno Herodem, omnemque cum illo Hierosolymam esse turbatam, conuocatum ibidem fuisse ab eodem Rege concilium, Principes Sacerdotum, & populi Scribas interrogatos, atque consultos; ostensam denique de concilij sententiâ Magis ipsis viam Bethlemum versùs, eosque de reditu fraudulenter admonitos: ego certè non video, quomodo ista cohæreant, cum statu illo miserrimo, in quo Herodes proximè ante mortem, teste Iosepho, constitutus, multiplici & grauissimo animi corporisque morbo decubuit: Si imminere sibi videbat ille supremum diem, si à cæde suorum, etiam filiorum, ferè actus in furias; si mœrore, ac doloribus vndecunque vexatus, quales Iosephus describit, ineptus ad quæcunque negotia videbatur: quomodo id temporis esse adeò sollicitus de regno potuit, vt vir septuagenarius, à morbis mortuo similior, quàm spiranti, propè intrà mortis fauces, à puero paucorum dierum, sibi metueret: quomodo agere cum Magis expeditè valuit, cogere Sacerdotum concilium, conuocare satellites suos, & plura puerorum millia tradere neci, quo tempore deficienti iam Regi, & propediem morituro populi facilè restitissent. Itaque aliquibus ante obitum annis, hæc acta atque imperata fuisse, verosimilius duco; cum præsertim Euangelista in eorum commemoratione, Herodis non infirmi, ac propè cadentis, sed tanquam sani, & longè à mortis metu constituti meminerit.

Prima sententia de initio Regni Herodis.

a Matth. ib.

IV. Alij & quidem recentioris memoriæ Scriptores paulò aliter annos numerant, quibus regnauit Herodes, eorunque initium ductum esse censent ex Hierosolymâ captâ, quandò Herodes, victo Antigono, regni possessionem adeptus est, triennio postquam Romæ titulum Regis acceperat, erat hic an-

Altera sententia.

hic annus Vrbis conditæ ſeptingenteſimus decimus ſeptimus, ex quâ calculatione Herodes ipſe, anno Chriſti tertio, ad annum ſui regni trigeſimum ſeptimum perueniſſet,& tunc exceſſiſſet è viuis. At verò hæc ſententia nullâ veterum authoritate probatur, ſolâque nititur coniecturâ,cui in rerum antiquiorum hiſtoriâ, veterum præſtat authoritas.

Tertia Card. Baronij.

V. Plurimi cum Cæſare Card. Baronio nouam iniuere rationem eiuſce difficultatis enodandæ: inchoant enim Herodis regnum, ipſo anno victoriæ Actiacæ, quo Auguſtus debellato Antonio Romanum imperium ſolus occupauit,& regnum,quo Herodes Antonij partes ſequutus,exciderat,illi reſtituit, habito Senatuſconſulto. Suam ſententiam authores probant ex eo,quòd Herodes regnare neutiquam inceperit, niſi poſt cædem Hyrcani, quem ipſemet occidit proximè poſt Actiacam victoriam,eique tanquam Regi legitimo deficienti ſucceſſit. Præterea regnum quoque ſibi tunc ab Auguſto ſtabilitum accepit, non ſine decreto Senatus. Itá [a] Ioſephus in Iudaicis antiquitatibus;ità apud [b] Nicephorum Africanus; ac Tacitus [c]. At Metaphraſtes [d]: *Auguſtus*, inquit, *Romam reuerſus, Senatuſconſulto Herodem Iudaa Regem elegit, ei quoque impoſito diademate*. Magnum denique ſententiæ robur accedit, ex Ioſephi [e] teſtimonio aſſerentis, Herodem iuuenem fuiſſe annos natum quindecim, cum pater eius Antipater Iudææ procurator à Iulio Cæſare eſt conſtitutus: hoc enim poſito, ſi vixit ad annum ætatis ſuæ vſque ſeptuageſimum, ex eodem Ioſepho [f], & Vrbis conditæ ſeptingenteſimum ſexageſimum ſecundum; à victoriâ Actiacâ nonum atque trigeſimum; ab eo ſi retrocedas, inuenies annum regni trigeſimum ſeptimum numerando duci ab ipſâ victoriâ Actiacâ. Sed ea ſententia authoritate maximè nititur Cardinalis Baronij, ideòque mihi ſuper cæteras probaretur, ſi ratio appareret, cur tot annis poſt acceptum regni titulum, initamque poſſeſſionem in publicas referri tabulas ceperit principatus Herodis, abſque eo quòd antiquorum nullus iſtiuſmodi ſupputationis meminerit, quam omninò eſſe vulgatam oportuiſſet. Præterea etiamſi concedamus in Actiacâ pugnâ confirmatum Herodi regnum; non tamen regnare cepit, niſi poſt Senatuſconſultum, quo Romæ idipſum eſt illi conceſſum, annis a partâ victoriâ duobus elapſis, quando Auguſtus rebus [g] in Aegypto compoſitis, inde pedeſtribus copijs in Syriam, Aſiamque venit, vt hyemaret; mox per Græciam Brunduſium vſque peruectus, Romam tandem triumphans ingreſſus eſt, anno Vrbis

a Ioſeph. l. 15. c. 8. & 7.
b Nicepho. l. 1. hiſtor. cap. 9.
c Tacitus l. 21. Annal.
d Metaph. orat. de vit. & dorm. Virg.
e Ioſeph. l. ant. 14. c. 8.
f Ioſeph. l. 17. c. 9.
g Oroſ. l. 6. cap. 19.

bis conditæ ſeptingenteſimo vigeſimo quinto; cum victoria in tertium ac vigeſimum ſuprà ſeptingenteſimum incidiſſet. Sed eſto, ab eâ & non prius ducatur initium Herodiani regni; negari certè non poteſt, trigeſimum ſeptimum, & vltimum Herodis regnantis annum, per eiuſmodi calculum, cum quinquageſimo Auguſti concurrere, à quo vſque ad ſextum & quinquageſimum, qui poſtremus illi fuit, vix ſeptem numerabis annos. Quomodo igitur Archelaus Herodis filius, & in regno ſucceſſor, cum regnaſſet annis nouem, potuit ab Auguſto remoueri, vt Ioſephus, & omnes fatentur?

VI. Alia ſententia eſt ad quam reſpexerunt antiqui Patres, ideòque nobis valde probatur. Ea tribuitur [a] Euſebio Cæſarienſi, Cyrillo [b] Hieroſolymitano, Hieronymo [c], Epiphanio [d], Seuero [e] Sulpitio, Nicephoro [f], Bedæ [g], qui initium Herodiani regni conſtituunt, quando Hyrcano Rege apud Parthos captiuo, defecit Pontificum principatus, & Ananelus alienigena ad Sacerdotium eſt aſſumptus, annis ſui regni quatuor ac triginta ab Hyrcano abſolutis, quot illi tribuunt rerum Iudaicarum Scriptores, ab obitu Alexandræ matris, eò vſque vbi excidiſſe putatur Pontificatu ſimul & regno. Erat ille annus Vrbis conditæ ſuprà ſeptingenteſimum ferè vigeſimus, & Auguſti Imperatoris à primo conſulatu decimus, quo Hyrcanus ante ſex annos captiuus apud Parthos, ærumnis ac ætate propè confectus, in Pontificatu quem acceperat Alexandrâ matre regnante, ſucceſſorem habuit Ananelum Babylone accitum ab Herode. Quamobrem cum eâ de causâ tanquam omninò mortuus haberetur, vel quaſi ſponte ceſſiſſet regno ac Sacerdotio, Herodis annum in regno primum ab eo tempore numerare ceperunt; eorum ſeptem, qui ab accepto Romæ regio titulo erant elapſi, nullâ habitâ ratione, quoniam vel nondum inita fuerat regni poſſeſsio, vel certè bella, & contentiones frui hactenus poſſeſsione pacificâ non permiſerant. Itaque vera ſupputatio eſt, vt decimus Auguſti annus, ſit primus Herodis, ſicut expoſuimus in Apparatu. Sic opinor cætera conuenient, & quadrageſimus ſecundus Auguſti, quo anno natus eſt Chriſtus, erit trigeſimus ſecundus Herodis, quintus verò Ieſu Chriſti, & Diuæ Virginis decimus nonus, in quo iam verſamur, erit trigeſimus ſeptimus, & poſtremus ipſius Herodis, paucis ante menſibus inchoatus, quo tempore ingruentibus corporis, animique morbis, regno eſt & vitâ miſerrimè defunctus Iudæorum Tyrannus, in quo ſceptrum de Iudâ defecit, impleto Iacobi [h] vaticinio.

Anni quibus regnauit Hyrcanus, ante Herodem proximè Rex Iudæorum.

Anni Herodis numerandi ſunt poſt captiuitatē Hyrcani.

[a] Euſeb. l. 1 hiſt. c. 6. l. 8. de Demonſtr. Euan. c. 2. & in Chron.
[b] Cyrillus Catech. 12.
[c] Hieron. in Dan 9.
[d] Epiphan. hær. 20. & 51.
[e] Seu. Sulp. lib. 2. ſacræ hiſt.
[f] Niceph. l. 1. hiſt. c. 7. & 9.
[g] Beda lib. de ſex. ætat.
[h] Gen. 49. v. 10.

VII. Sed

VII. Sed iam genus mortis; quo occubuit, exponamus. Ponet illud nobis ob oculos Iosephus [a], à cuius testimonio licebit petere, quicquid funestum ac triste præcesserit, quæ comitata sint mala, quæ consequuta Regis interitum. Aulam barbarus impleuerat sanguine, & præcipuè suorum; non tam regnare visus, quàm iræ, libidini, crudelitati seruire. Filium Antipatrum, indole ac vitâ, nihil à patre degenerem, habebat in vinculis quasi parricidam, postulatum de veneficio. Aquilam auream, quam Romanis adulatus, suprà præcipuam templi Hierosolymitani portam, non sine Dei iniuriâ collocarat, refigi hoc ipso anno viderat, à Iudæorum iuuentute concitatâ, atque indignante eiusmodi abominationem in templo: & authores facinoris igni damnarat. At dolendi magis causa inerat, quòd præsensit à numerosâ morborum acie animam sibi refigi, regnumque eripi, quod & si foret infelicissimum, optabat æternum. Voluit enim Deus multis contaminatum sceleribus Regem, diuinæ iustitiæ calicem, quasi guttatim sorbere. Et respondebant suæ culpis pœnæ; nam qui vel à puero exarserat cupiditate regnandi, hic extremâ senectute intestinum ignem ad viscera populanda, intimis fouebat medullis. Quem insana auri argentique fames eò vsque vexauerat, vt vel sepulcra mortuorum Regum expilare sit ausus; is moriturus horrenda voracitate laborabat, cui oporteret cibum in horas sufficere. Qui ad aucupandum inanis gloriæ decus, itineribus non pepercerat; huic pedes tumebant ex acerrimo prauorum humorum defluxu. Pro cruciatibus, quos alijs intulerat, vlcera in intestinis, & colicos exinde dolores grauissimos patiebatur: pro ijs, quos vel in aquis, vel compressione faucium præfocarat, ducere de cælo spiritum sine maximâ difficultate non poterat. Qui in consilijs humanæ prudentiæ, neruos ac robur statuerat sui principatus, politicus vndecunque infelix, contrahi sibi neruos in corpore ad conuulsionem vsque sentiebat. Qui occisis vxore & filijs, sanguine etiam puerorum, quos ad quatuordecim millia neci dedit, stabilire sibi regnum, & humani generis Seruatorem, de medio tollere quæsiuit; is dysenterico morbo laborans, inter ineluctabiles torminum dolores, in suo sanguine videbat se mori: qui denique fuerat intemperanter suis membris abusus; computrescentia sibi genitalia, horrendamque Satyriasim est in morte perpessus.

Genus mortis, quo Herodes obijt.

Eius mortis adiuncta.

Herodis pœnæ culpis respondentes.

[a] *Iosephus lib. 17. Ant. cap. 9. & l. 1. de bello Iud. c. 21.*

VIII. Inter hasce morborum, ac pœnarum angustias Herodes animo grauius laborabat, quo nimirum regni iacturam,

Dolores animi grauiores

ctura(m), exitum vitæ, mortalium omnium in se vnum odia, imminens ab irâ diuinâ damnationis æternæ fulmen, tanquam damna irreparabilia perpendebat. At sibi miseriarum leuamentum fore putauit, si collectos in circo Hiericunthino Iudæorum primates, atque è singulis prouincijs illuc accitos destinaret neci, simul ac ipse animam efflasset, interimendos; quod facinus executioni mandandum, sibi à Salome sorore voluit iureiurando promitti, professus vtique non leue futurum exinde sibi solatium, si verus totius Iudææ mæror ac luctus ex eâ causâ, suo funeri non deesset. Expectatione fraudatus est Tyrannus qui ista mandauit, ac totum facinoris reatum secum tulit ad Inferos, facinore non perpetrato. Quinto antequam moreretur die, Antipatrum filium iussit interfici, quòd è vinculis per vim exire tentasset: ipse diutius vitam morte deteriorem ferre non valens, sibi illam eripere ferro voluit, sed prohibitus à domesticis, paulò post rabie, ac desperatione infelicem animam comitantibus, excessit è viuis, anno suæ tyrannidis septimo ac trigesimo inchoato, à primo Regis titulo Romæ accepto ferè quadragesimo tertio (vt suprà probatum est) quintum iam annum Deiparâ apud Aegyptios commorante. Patri mortuo successit in regnum Archelaus ex illius testamento, sed accepit à Cæsare certam tantùm regni partem, ac Tetrarchæ, siue Toparchæ non regis titulum; licet significatione latiori dicatur ab Euangelistâ [a] regnare in Iudæa, cui accessere Idumæa & Samaria. Reliquæ partes duobus eius fratribus sunt adiudicatæ, Transimnana regio cum Galilæa Herodi Antipæ, Batanæa cum Traconitide, & Auranitis Philippo, sub nomine Tetrarchiæ; quæ vox, etsi apud Græcos quartam sonat regni partem; tamen cuicunque accomodatur, siue tertiæ, siue quintæ, in quâ sit Principi dominatus.

Grauissimū scelus ab Herode attentatum.

Succedit Herodi Archelaus in tertiā regni partē.

a Matth. 2. ver. 22.

IX. Interim Aegypto Dei Filius, & Virgo mater eam paulatim reddebat serenitatem, quam Iudææ Herodes abstulerat; eratque spes ibi concepta, salutem humano generi affuturam, idololatriâ iam corruente, & iactis seminibus heroicæ sanctitatis, magnos deinceps progressus habituræ. Post Regis barbari mortem non illicò monitus videtur ab internuncio cælesti Iosephus de reditu in Palæstinam; sed expectatum est, donec alij quoque morerentur, qui ad perdendum puerum cum Herode consenserant, & ipsi per se, vel eo sublato, in idem facinus propendebant. Quinam illi fuerint, ratiocinatione probabiliter ductâ, quæremus infrà.

Aegypti à Christo felicitas.

Quando monitus Iosephus de reditu in patriam.

X. Ex Romanis rebus, circà hunc annum, Tiberius exhibetur Rhodo reuersus Romam, alijs ante obitum duorum Cæsarum, alijs post illum redijsse affirmantibus: adoptatum præterea ab Augusto scribunt in spem imperij, iussum prius adoptare Germanicum ex Druso fratre nepotem. Reditu Tiberij ingens parta est lætitia Romanis, nescientibus quale sibi post Augustum ab eo iugum immineret. Istæ sunt humanorum vices gaudiorum, vt plerunque ea propter rideamus initio, quæ tandem lugere nos cogent. At verò id temporis in Aegypto nutriebat Virgo Deipara sanctissimum Filium, ad solatium infirmitatis humanæ, atque in spem salutis vniuerso terrarum orbi communicandæ. Suauissimum ab eo iugum, hominum genus expectat, inductâ per culpam captiuitate liberandum. Tiberius Romanorum lætitiam vertet in luctum. Iesum Deipara, mundi cælique risum Aegyptijs nunc exhibet, paulatim ex natiuâ barbarie ad humanitatem, morumque sanctimoniam transituris: mox cuicunque nationi oblatum, cognosci vbique gaudebit Regem ac Deum, æternæ lætitiæ authorem.

Romanæ res huius anni oppositæ rebus Deiparæ

Annus Christi 6. B. M. Virginis 20. Augusti Imp. 47.

I. HIc annus notatur præcipuè obitu nonnullorum ex ijs, qui ad Iesum in cunis perimendum, sequuti fuerant Herodis consilia, & adhuc supererant inter viuos; itemque cælesti nuncio, quo sub anni finem admonitus est Iosephus, vt cum Virgine & puero rediret in Palæstinam. Consensisse cum Herode putamus, eius filios Antipatrum, Alexandrum, & Aristobulum, in cædem infantis Dei; quoniam ab eo regni iacturam non minus quàm pater, metuebant; sed iam mortuos diximus ante ipsum Herodem, qui illos neci dedit. Alios præterea Sacerdotum Principes, ad nuncium nati Iudæorum Regis turbatos esse, & contrà eius vitam pariter conspirasse sacris Doctoribus [a] satis probabile videtur. Inter hos numerari possunt, duo præcipui legis [b] interpretes, qui cum iuuentuti erudiendæ præessent, & non doctrinâ modò, sed & moribus illam informarent, Herode propediem morituro, persuaserunt auditoribus suis, vt Aquilam auream, ab illo maximæ Hierosolymitani templi portæ impositam, ac publicè dedicatam, ferro excinderent ac deturbarent. Quo facto

Quinam cōsenserint cū Herode in pueri Iesu necem.

a Hieron. in 2 Matt. b Christoph. Castr. e. 13 Hist. Deip. num. 6.

facto Herodes quantumuis æger, vehementer excanduit, in ipsos facinoris authores, ad vnum omnes Hiericunte, quò se portandum curauit, flammis addictos; & præcipuè duos illos legis peritos, quos modò commemorauimus, Iudam nomine, atque Matthiam. Eos Cardinalis Baronius suspicatur, tanquam Iudæorum sapientes, ad infantis Bethlemitæ necem, suam Regi operam, consiliumque præstitisse, ideoque sceleris dedisse pœnas. Itaque hoc anno non amplius illi viuebant. Alij si fortè reliqui forent Principes Sacerdotum & Scribæ, quos in pueri nece quærendâ Herodi consensissent, ante anni exitum extincti creduntur. Quando enim Angelus Iosephum admonuit de reditu in Israëlis terram, tutam ibi fore habitationem significauit, quoniam [a] *qui quærebant animam pueri* iam occidissent; vnde Hieronymus [b], alijque Doctores Euangelicum locum interpretati, ratiocinantur, præter Herodem, Sacerdotes quoque & Scribas ab eo consultos, necem Domini quæsiuisse. Neque verò defuit id temporis occasio, ex quâ intrà certum spatium omnes occumberent: nam Herode mortuo, cum eius filij Archelaus, & Antipas de regno contenderent, & Romam profecti causam agerent coram Augusto, suum ambo ius diligenter prosequuti, coortus interim est ingens in Iudæâ tumultus, in quo ex Iudaicâ natione primates, Herodis memoriam, & inductas in regnum nouitates institutis populi contrarias exosi, de iugo excutiendo cogitarunt: cumque res eò tandem venisset, vt viuere amplius legibus Romanis abnuerent, Præses Syriæ Varus multo cum milite Hierosolymam accedens, seditionem compescuit, authoribus supplicio affectis. Mox ad suam sedem reuersus, in Iudæâ reliquit exercitum, sub ductu Sabini prouinciam moderantis; cui etiam mandat, vt si quid denuò turbarum exoriretur, comprimendum curaret. At [c] Sabinus militum insolentiâ in Iudæos abutens, dissensionis in populo omnium maximæ ansam præbuit. Cum enim anniuersaria sacra Pentecostes adessent, ad quæ more patrio Hierosolymam conuenire Iudæorum natio frequentissima consueuerat, concitata in Sabinum, Romanosque omnes multitudo impetum fecit. Quamobrem iterum seditione compressâ, ad sumendas de multorum scelere pœnas, duo millia Iudæorum in crucem sunt acta. Hæc procella toti Iudææ, ac præsertim Hierosolymæ funestissima, reliquos omnes inuoluit, qui puero Iesu ad necem quærendo, Herodianis furijs ministrarant, prauum consilium si possent, vel post Herodis mortem executuri. Ita-

Ff 2 que

a Matth. 2. ver. 20.
b Hieron. vt sup.
c Iosephus l. 17. Ant. à c. 11. & de bel. Iud. à cap. 1.

Omniū mortis occasio ex tumultu in Iudæa exorto.

Seditiones in Iudæa variæ, quibus duo millia Iudæorum occisa.

que vitæ authorem necare in cunis conati, intrà sesquianni spatium sublati subinde de medio sunt, tutâ ab insidijs regione relictâ Deiparæ, atque Iosepho, in eandem cum sanctissimo puero reuocandis.

Tempus Angelicę admonitionis ad Iosephum.

II. Igitur hoc anno in finem vergente, mense nimirum Decembri, admonitum esse in somnis Iosephum à cælesti nuncio de reducendo puero Iesu, eiusque matre in Palæstinam; ex eo colligi potest, quòd mortuo Herode, non illicò omnes cessarunt in puerum Iesum insidiæ, viuentibus adhuc nonnullis eorum, qui cum Rege in eius necem consenserant. Hos autem, cum valdè probabile sit, tum ex Angelico testimonio, tum ex ingressu sanctissimorum coniugum in Galilæam sub initium sequentis anni, mortuos subinde esse certo post Herodis obitum spatio; dicendum est, circà huius exitum anni, aut certè paulò post, iussum esse Iosephum ab Angelo, Aegyptum linquere, atque Israëlis terram repetere. Verba admonentis, siue iubentis reditum nuncij illa fuere, ex testimonio S. Matthæi[a]: *Surge, accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri*. Quo munere functum esse Gabrielem Archangelum ea persuadent, quæ suprà non semel diximus, & custodia illi concredita Virginis matris, deque puero inter homines Deo, cura mandata. Prætereà eiusmodi monito præcessisse ab Herodis obitu sesquiannum & amplius, confirmat tempus quo Herodes occubuit, annus nempe Iesu Christi quintus, mense Martio ad festa Paschalia; itemque commotæ tum in Iudæâ seditiones, & illata populo tumultuanti per Varum bella, fuisse videntur in causâ, ne puer ad regionem armis infestam reuocaretur, donec composita dissidia, turbæque sedatæ vndecunque non forent. Denique cum certum sit ex Euangelicâ historiâ, recedentem ex Aegypto cum sacrosanctâ familiâ Iosephum, tendentemque Iudæam versus, audiuisse ibi in Herodis regnum successisse Archelaum filium, & iam regnare; ac proinde timuisse illuc ire: inde constat reuersum Româ iam pridem Archelaũ fuisse, controuersiâ cum fratre compositâ, acceptâq; per Augusti sententiam dimidiâ regni parte, cum titulo non Regis, sed Toparchæ; id quod vt perficeretur, longiusculo temporis spatio opus fuit, quantum post Herodis mortem ad diremptam vsque litem effluxit. Cæterum Angeli mandato Iosephus obtemperans, collegit illicò quæ ad iter necessaria videbantur, puerumque sanctissimum, cum Virgine matre in Palæstinam reduxit.

Gabriel Archãgelus Iosephi monitor.

Nuncius de reditu post sesquiannum ab obitu Herodis.

Reditus Archelai in Iudæam.

Paret Angelo mandanti Iosephus.

a Matth. vt sup.

III. In

III. In hunc annum, quo Dei filium ab æterno Patre reuocatum ex Aegypto ponimus, vti diuinitus edoctus Oseas [a] multò ante prædixerat; incidisse colligimus ex Tranquillo [b], leniores illas conditiones, quibus Augustus filiam suam Iuliam ante quinquennium relegatam, haberi in posterum indulsit, cum ex Insulâ in continentem transtulisset. Factum id volunt ex populari lætitiâ, quâ fertur adoptatus ab Augusto Tiberius. Cæterùm indignatus adhuc turpissima filiæ probra pater, vt eam in Vrbem ab exilio reuocaret, nunquam exorari se passus est. Itaque minuitur miseræ, non tollitur relegationis calamitas: contrà Dei Filius, vel in Aegypriaco secessu Deus, in patriam suam reuocatur æterno Patre annuente per illa sacri Vatis verba: *Ex Aegypto vocaui filium meum.* Sui propositi tenax Augustus, neque per id tempus admisit vnquam Domini titulum, quasi præsentiret verum adesse Dominum, cuius in potestate ipsemet foret; imò eo ludos spectante, cum pronunciatum esset à Mimo, *ò Dominum æquum, & bonum!* & vniuersi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent; statim manu, vultuque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimè corripuit edicto. Ità Suetonius [c], qui addit insuper, vsum eiusmodi tituli fuisse ab eo etiam nepotibus interdictum, siue illi cum auo, siue inter se mutuò loquerentur. Vsque adeò seuerè hac in re sensit Augustus, vt neque se ipsum, neque vllum è suis Dominum censeret habendum, nominandumque; Deo ità disponente, quòd Iesus Christus eius filius, verus cæli terræque Dominus apud matrem Virginem adolesceret.

a Oseas c. 11. v. 1.
b Suet. in Octa. c. 65.
c Suet. in Octauio c. 53.

Iulia Augusti filia in exilio mitius habita.

Virgine & Filio in patriam redeuntibus.

Augustus ablegat à se, & suis Domini titulum.

Dum Iesus verus Dominus apud Matrem adolesceret.

Annus Christi 7. B. M. Virginis 21. Augusti Imp. 48.

I. Sub initium huius anni à Deiparâ & Iosepho absolutum ponimus iter, quod paucis ante diebus ex cælesti mandato susceperant, cum diuino puero ab Aegypto digressi. De die quo peruenerunt in patriam constare potest ex Romano Martyrologio [d], cui consentiunt pariter, Beda, Ado, & Vsuardus in suis; neque dissentiunt recentiora Francisci Maurolyci, & Petri Galesinij: Omnes septimam Ianuarij hoc reditu notant, insignemque faciunt reportato puero Iesu ex Aegypto. Id quod planè redditur verosimillimum, ex ijs quæ suprà docuimus. Tenuit igitur Aegyptiaca commoratio

d Apud Georgium Colueneriū Kal. Mar. 7. Ianuar.

De die quo reductus est puer Iesus ab Aegypto.

moratio ferè septennium, vt expressè tradunt Ammonius [a] Alexandrinus, Anselmus [b] Cantuariensis, Petrus [c] Comestor, Eusebius [d] Cæsariensis, atque inter Neotericos Christophorus [e] Castrius, alijque complures. Assertionis eiusce veritas potissimum pendet tum ex Herodis obitu, ante quem reduci puer Iesus tutò non potuit, tum etiam ex interitu aliorum illius vitæ pariter insidiantium, atque ex fine bellorum, quæ fratribus Romæ de regno contendentibus, & Iudæis in Romanos concitatis vniuersam regionem turbauerant: hæc autem omnia paucis vltrà sesquiannum mensibus accidisse conclusimus; ac proinde, & moram sacræ familiæ in Aegypto peruenisse ad septennium, & sub huius anni initium, septimo Idus Ianuarij Nazarethum ingressam esse Deiparam cum sponso, Filioque.

Is fuit septimus Ianuarij sub initium anni.

II. At verò cum Euangelica [f] testetur historia, Iosephum in ipso itinere commonitum esse, de Archelao tum regnante in Iudæâ, qui iam Augusti beneficio, subrogatus ex fratribus fuerat, in locum Herodis patris sui; ideòque *timuisse illò ire*, & oraculo cælesti in somnis edoctum, *secessisse in partes Galilææ*, habitaturum Nazarethi; duæ sunt nobis enodandæ difficultates. Cur iturus rectà in Iudæam Iosephus videbatur, & quò, si Nazaretho ex ciuitate Galilææ discesserat, vbi erat Deiparæ domus, quam pariter inhabitarat cum Virgine sponsâ? vnde causa timoris ab Archelao? Zacharias Chrysopolitanus [g] ait, Iosephum audientem ab Angelo: *Vade in terram Israël*, intellexisse Iudæam, quæ magis propriè hoc significari titulo consueuit. Addit S. Augustinus [h] eò præsertim adiecisse mentem, quòd sibi videretur, puer Iesus nusquam melius quàm Hierosolymæ habitaturus, vbi templum, ac monumenta erant Prophetarum. Alij aliter sentiunt, quibus libenter accedimus, dicentibus cum Euthymio [i], vniuersam Palæstinam vocati Israëlis terram, eâque latitudine intellectum à Iosepho monitum Angeli; atque habitationi præelectam esse Iudæam, vrbemque Bethlemum. Hæc enim & illi patria erat, & relictum à maioribus domicilium à pluribus annis præbuerat. Videbatur fortasse sancto viro, rationi magis congruere, si vbi natus erat puer, ibi etiam educaretur, & qui in mundum venerat editus ex Dauidicâ stirpe, adolesceret in Dauidicâ ciuitate. Verùm siue Hierosolymam, siue Bethlemum cogitaret, certum est, auditâ Archelai tum in Iudæâ regnantis famâ, subito metu correptum à consilio recessisse, rediturum in Galilæam. Causa timoris fuisse creditur, vul-

Cur rectà in Iudæam Iosephus ibat, & quò.

a *Ammon. Alex. in Harmonia Euangelica.*
b *Anselmus in c. 2. Matth.*
c *Comestor Hist. Eua. cap. 23.*
d *Eusebius in Chron.*
e *Castrius Hist. Deip. c. 32. n. 7.*
f *Matth. 2. ver. 22.*
g *Zachar. Chrysop. l. 1 in vnu ex quatuor. c. 11.*
h *Augusti. de consensu Euangelistarum c. 9*
i *Euth. in c. 2. Matth.*

tur, vulgata Archelai crudelitas, atque sæuitia; nam teste Iosepho [a] Iudaici belli scriptore, quasi metueret, ne non certus Herodis filius videretur; à cæde ciuium, quos ad tria millia iussit occidi, infelix auspicatus est regnum, neque solùm Iudæis, sed etiam Samariensibus est abusus. Regis siue Ethnarchæ à paternâ immanitate non degenerantis mores, geminis Pontificibus Ioazaro, & Eleazaro fratribus Sacerdotio deiectis, non diu tulere Iudæi, nam quasi Herodem alterum exosi apud Augustum accusarunt, agentibus etiam contrà illum cognatis. Non fuit ille quidem vnus eorum, qui puerum Iesum interficiendum curassent, cum eos iam defunctos dixerit Angelus: attamen si quis ad Archelaum retulisset, apparuisse puerum illum, quem pater eius ad necem postulasset, facilè futurum videbatur, vt ab illo occideretur. Quod periculum nouum vitaturus Iosephus, Angelo iterum in somnis monente, secessit in Galilæam, atque ad Nazarenam commorationem reuersus est, quo diximus Ianuarij die. Tetrarcha Galilææ Antipas erat Archelai frater, qui licet Herodis gereret nomen, mitioris tamen ingenij princeps, Patrique, & fratri dissimilis habebatur; itaque nihil ab eo Iosephus metuebat aduersi.

[a] Ioseph. l. 2. de bel. Iud. cap. 14. & cap. 6.

Archelai crudelitas.

Cur ab eo causa timoris.

Antipas mitior.

III. Ex profanâ historiâ ingens hoc anno clementiæ documentum Augustus exhibuit, dum suasu Liuiæ coniugis, Cn. Cornelium Cinnam, filiâ Pompeij Magni genitum, cuius ipse Princeps in se vnum insidias, coniurationemque deprehenderat, obiurgasse contentus, ad consulatum euexit, ac deinceps inter amicos, charissimum, & fidelissimum habuit, Iul.j Cæsaris, quem patrem agnoscebat, placabilitatem imitatus eo tempore, quo Iesus Christus ad plura eiusmodi exempla mortalibus exhibenda apud Virginem matrem adolescebat, imò eâ deprecante, humanum genus plusquam perduellionis, aut læsæ diuinæ maiestatis reum, aderat vel suâ morte recepturus in gratiam; & mortales sibi per culpam infensos, habiturus tanquam filios, pro quibus à captiuitate redimendis, paratus occumbere viuebat. Hoc eodem anno Romam Tiberis inundatio per septem dies nauigabilem effecit deiecto ponte; itemque horrendi terræmotus, solis defectio, ac dira admodum fames coorta funestarunt. Ità ex Dione & Suetonio testatur Orosius. An Romano imperio, quod Augustus se confirmasse censebat hisce prodigijs, prænunciabatur occasus, quoniam Iesum Deipara ex Aegypto reportasset, suo subditurum imperio Romanas Aquilas, Iouisque Capitolini mo-

Augusti in hostem clementia.

Dum clementissimus in homines Iesus apud Matrem adolesceret.

Romæ hoc anno multiplex calamitas.

Tiberij in Germania victoriæ.

lini monumenta demoliturum? In eundem prætereà annum incidisse feruntur Tiberij in Germaniâ victoriæ, quibus perdomitas gentes, penè nominibus incognitas, Cauchorum nationes receptas, omnemque eorum iuuentutem, infinitam numero, immensam corporibus, situ locorum tutissimo, traditis armis, vnà cum Ducibus suis ante Imperatoris procubuisse tribunal testatur Velleius [a], nimium ad Tiberij gratiam sibi comparandam effusus. Sed hæ victoriæ, quæcunque illæ sint, etiamsi laudibus Scriptoris adulantis respondeant, vilescunt præ ijs, quas in Aegypto Iesus ac Deipara de idololatriâ pessumdatâ retulerunt.

Sed Christi ac Deiparæ in Aegypto maiores.

a *Velleius lib. 2.*

Annus Christi 8. B. M. Virginis. 22. Augusti Imp. 49.

I. REductus anno proximè superiore in Galilæam Iesus, oppidum in eâ Nazarethum, non longè à Tabore monte situm, cum Deiparâ & Iosepho habitasse fertur, *vt adimpleretur* inquit Euangelista [b], *quod dictum est per Prophetas; quoniam Nazaræus vocabitur*. Et quidem hæc illi contigit appellatio, vt è sacris litteris constat, & præsertim ex titulo cruci imposito, quoniam Nazarethi puer est educatus, vixitque vsque ad maturiorem ætatem, in oppido suæ matris natali. Propterea eum Nazareni duxere conciuem suum, cui signa olim exprobrantes apud Capharnaitas exhibita [c]: *Fac & hic in patria tua*, dicebant; in ea ciuitate cognatos habuit, & consanguineos plures, quos eius fratres Hebræorum more sacri vocant Euangelistæ. Virgo mater ibi nata, ac fermè educata fertur, ibi ab Angelo salutata diuinam concepit sobolem in parentum domo, in cuius ipsâ possessionem hæreditario iure successerat, quò etiam recepit sponsum Iosephum, ac proinde Nazarena dicta est. Eandem nominationem habuit sanctissimus eius Filius ibidem enutritus, & diu Nazarethi colonus, quem Angelus apud Marcum [d], & Apostoli [e] *Iesum Nazarenum* dixere, ac titulo Crucis Pilatus inscripsit. Quin etiam vbi à Synagogæ veteris interitu, noua ortum duxit Ecclesia, Iesu Christi sectatores, *Nazaræi* dicebantur, & ipsa Christiana religio, *Secta Nazarenorum* in quâ tanquam seditionis authorem Paulum, accusabant apud Lucam [f] Iudæi. Cessauit ea nominatio, cum primum omnes Christifideles, æquè appellati sunt Christiani, tunc enim, inquit Baronius,

Nazarena Deiparæ habitatio.

Maria Nazarena dicta.

Itemque Iesus.

Et Christiani.

b *Matth. 2. ver. 23.*

c *Luc. 4. v. 23.*

d *Mar. 16.*
e *Act. 2. 3. 4. & 26.*

f *Act. 24.*

a Baronius an. Chr. 9. num. 2.
b Epiph. in Panar. har. 29.

ronius [a], Nazaræorum nomen mansit Hæreticis [b], qui sic in Christum credebant, vt tamen veteris legis instituta retinentes, esse Iudæi non desinerent. Ex inferiori Galilæâ, vbi Nazarethum est, Christum Galilæum, quasi per contumeliam appellauit moriēs, Fidei ac Religionis desertor Iulianus; alijque illum imitati, in similem contemptum, ad Christianos idem cognomentum non semel deriuarunt.

De domo ipsa, quam Nazarethi habitauit sancta familia.

II. De domo Nazarenâ, quam habitatione multorum annorum, consecrarunt Iesus, Deipara, & Iosephus, id habemus dicere; eam è paternis Ioachimi bonis ad Virginem sanctissimam deuenisse, & sacris nobilitatam mysterijs, natali Deiparæ, educatione, æterni Verbi in carne conceptu, vitâque ductâ ad annos complures, insigne apud posteros monumentum mansisse. Eandem non auitam, sed paternam tantùm Virginis fuisse domum, deduci potest ex ijs, quorum Nicephorus [c] Callistus est author dicens; Ioachimum & Annam eius parentes, propter bellicos Iudææ tumultus, ex oppido Bethlemo, auitâ sede, in Galilæam commigrasse, & Nazarethi domicilium posuisse, non quidem dignum opibus & nobilitate progenitorum, è Dauidicâ stirpe; sed vt temporis causâ paratum, haud sanè incommodum, neque abhorrens à studio antiquæ illius simplicitatis. Loci sanctitatem coluere consequentia proximè sæcula, nam Apostoli primùm Virginalem domum, ad prodendam posteris memoriam, & Christianam religionem augendam, ritè consecrarunt: deinde anno post Christum natum circiter tercentesimo, Diua Helena Augusta magni Constantini mater, æde pereleganti decorauit. Hæc verò in hunc vsque diem, non modò integra perseuerat, sed etiam haud dubio Angelorum ministerio aliò transuecta, piè ac religiosè à Christianis inuisitur: nam vbi sacræ cellæ cultus, in Galilæâ, ex irruptione Turcarum amissus est, Dei iussu (qui ad preces olim Thaumaturgi [d] Gregorij, cedere montem loco coëgit) in gratiam Cælitum Reginæ, à fundamentis auulsa est, atque inaudito post homines natos miraculo, de Galilæâ, Syriâque in Dalmatiam primùm; & mox in Italiam translata, agro Piceno insedit, vbi Laureti nunc splendidè ac magnificè colitur, sub dominatu, atque custodiâ Romani Pontificis, in gremio veræ Religionis. Rem omnium litteris, linguisque comprobatam, fusius prosequi huius loci non est; si inchoatum à nobis Annalium Marianorum opus perduci detur ad vicina nostro æuo sæcula, celeberrimam volente Deo dabimus lectori suis annis historiam, de quâ in-

c Niceph. lib. 1. c. 10.

Ea D. Virginis paterna fuit, non auita.

Ab Apostolis consecrata.

A Fidelibus culta.

Ornata ab Helena Augusta.

d Ex S. Gregorio Nysseno.

Translata ab Angelis in Picenum.

quâ inter reliquos accuratè egerunt Petrus [a] Canisius,& Horatius [b] Tursellinus. Alterius etiam domus, in quâ Christus à Deiparâ fuerit educatus,in eodem oppido sitæ,atque in templum pariter conuersæ meminit Beda [c]; quare Nazarenam terram meritò *Nutriculam Domini* appellauit D. Hieronymus [d].

a *Canisius Marial.l.5 cap.25.*
b *Tursell. Hist. Lauret.*
c *Beda de loc.sanct.c.16.*
d *Hieronym. Epistol. 27. ad Eustoch.*

Ingens hoc anno Romæ fames.

III. Coorta Romæ paulò ante fames, aucta hoc anno ponitur à Dione [e] vsque eò, vt gladiatores, mancipiaque venalia, vltrà octoginta passuum millia, sint ab Vrbe reiecta, multosque ex suis famulis, cum alij, tum ipse Augustus ablegauerint; mox insuper indicto iustitio, facultas Senatoribus facta fuerit, proficiscendi quò vellent. Tantam calamitatem auxerunt incendia, quibus Vrbs non vno in loco vastata, plebem, quasi magistratus culpâ infortunium accidisset, propè ad seditionem commouit. Cum verò per id tempus apud Virginem Deiparam in domo Nazarenâ Christus adolesceret, ad solandam mortalium famem, ipse cibus, ipse panis erat, & cum domus diuinorum conscia mysteriorum, tum præcipuè Virgo Mater, quasi *Nauis institoris* [f] sacrum ferebat humano generi commeatum, cuius beneficio Roma mundi caput, ad nouam vitam, ad nouum imperium vocabatur. Eadem incendijs paulatim absumpta, nouis locum ignibus dabat, quos Christus venerat missurus in terras, vt Deiparæ potissimum ope ac patrocinio, ijs arderet melius, & Phœnicis in morem resurgeret.

e *Dione l. 55.*

Dum Iesus & Deipara humani generis esuriei cōsulerent.

f *Prou.31. ver.14.*

Annus Christi 9. B. M. Virginis 23. Augusti Imp. 50.

Authoris cōsilium ad cōtinuationem Annalium.

I. DE annis, qui sequuntur tum Iesu Christi, tùm Sanctissimæ Virginis, si paucos demas, magnum apud Euangelistas silentium; ideòque ne nos cogamur illos taciti præterire, lector veniam, opinor, dabit, si plura quæsitu digna, ad hoc ipsum tempus pertinentia, ità examinemus, vt certam singulis annis quæstiunculam expediamus, de rebus toto hoc interuallo temporis à Iesu Christo, & Deiparâ gestis, grauiorum Scriptorum, & maximè Patrum authoritatem sequuti. Ità quando rerum earum series ipsa, ordo, ac varietas haberi nequit; expeditæ subinde difficultates de vitâ per hosce annos ductâ, sine vllo hiatu, nostram continuabunt historiam.

II. Et

II. Et primùm, narrat S.Lucas [a], quid puero Iesu factum sit, sacra familiâ in Galilæam reuersâ; ait enim; *Puer crescebat, & confortabatur*, quæ verba ferè coincidunt, cum alijs paulò infrà subiectis [b]: *proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*. Vbi Maldonato interprete, omnis in eo quæstio versatur: quomodo spiritu, sapientiâ, & gratiâ creuisse dicatur diuinus Puer, qui ab ineunte ætate, & spiritu & sapientiâ & gratiâ ità plenus fuerit, vt ijs crescere omninò nequiret, cum & sapientia illi infinita, humanusque spiritus expers diuisionis foret, & gratiæ apud Deum plenitudo tanta, vt nulla fieri posset accessio: Attamen verus sacri Historici sensus esse videtur: profecisse quidem ætate Puerum, dum more cæterorum, succedentibus sibi inuicem annis, & laterum firmitatem, & maius subinde virium robur, & molem corporis grandiorem susciperet; at verò non eiusdem fuisse rationis profectum, quo ætas, atque eum quo sapientia in illo & gratia creuisse dicuntur. Nam postrema hæc duo verè non creuerunt in Christo, quoniam infinita erant, eamque habuere perfectionem vel ipso sanctissimi Puelli conceptu; sed solum ad incrementa ætatis, sese subinde magis ac magis hominibus prodidere, ità vt ipso temporis decursu adolescens semper in operibus Deo gratior, semper sapientior appareret, sicuti superuenientium annorum ratio postulabat. Ingenua puerum indoles, mores amabiles, oris & corporis compositio, in agendo maturitas, in loquendo prudentia, hominibus chariorem in dies, & magis admirandum reddebant. Nostrates Theologi, inquit Maldonatus [c], rem magis illustrarunt, quadruplicem in Christo scientiam distinguentes, diuinam, beatam, infusam, & vsu comparatam, quam ab experientiâ, illius quasi duce, experimentalem appellarunt. Et hac vltimâ solùm verus tribuitur Christo progressus, quoniam ea pendet à sensibus, & acquiritur experientiâ, rerumque vsu. Reliquæ priores semper in suâ infinitate perfectissimæ, crescere omninò non poterant. Ità Arrianæ perfidiæ obiecta aduersus Christi diuinitatem Catholici refellunt; malè enim interpretatus impius Arrij sectator Euangelicum locum, ausus est asserere Christum non esse Deum, ex eo quòd Euangelistâ testante, sapientia & gratia in illo profecerint, id quod argumentum esse concludunt, ablati nouâ subinde accessione defectus. Sed obmutescat necesse est, interpretante Catholico ad mentem SS. Patrum, Euangelicum testimonium, sicuti nos indicauimus.

III. Per hoc idem tempus, cum Iesu Christi apud Dei-

[a] Luc. 2. v. 40.

[b] Ver. 52.

[c] Maldon. comm. in Luc. c. 2.

Quo sensu Iesus dicatur proficere

Sapientia in Christo infinita ad incrementa ætatis magis se prodidit.

Quadruplex Christi scientia.

param & Iosephum adolescentiâ, ætas S. Ioannis Baptistæ ferè suppar, annorumque, roboris, & virtutum accessio concurrebat, nisi quòd ille Nazarethi, hic in Iudææ deserto crescebat; alter sapientiam in dies maiorem ostendens, in hominum opinione profecit, alter Spiritus sancti gratiam, quam ab vtero matris acceperat, re benè apud Deum gestâ, vberiorem quotidie fecit. Pertinebant ad Deiparam ambo, alter quidem vt filius, alter verò vt ex consobrinâ cognatus. Huius admirabilis viri pueritiam paucis describit Euangelista, atque eodem ferè modo, quo Christi, licet non idem vtrobique significet, vt ex ijs quæ suprà docuimus deduci potest [a]. *Puer* (inquit ille de Ioanne loquutus) *crescebat, & confortabatur spiritu; & erat in desertis, vsque in diem ostensionis suæ.* Secessisse in Eremum ab infantiâ cum Elisabethâ parente, ibique eâ defunctâ mansisse, nutritum deinceps ab Angelo, fuit nonnullorum [b] opinio, quam satis probabilem ducimus. Ipso annorum decursu, cum in adolescentiam vergeret, senis tantùm mensibus præcedens ætatem Christi, eam victus ac vestitus rationem inijt, quam paucis sacer nobis Historicus [c] ob oculos ponit. *Habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circà lumbos suos: esca autem eius erat locustæ, & mel siluestre.* Hæc Matthæus, quæ tamen nostrorum temporum Hæretici, omnem vitæ austeritatem, ac pœnitentiam exosi, teste Canisio [d], obscurare nituntur, dicentes [e] alij quidem communem hanc viuendi rationem, non inusitatam fuisse, quæ à Ioanne adhibita in deserto narratur: alij [f] verò & pretioso vestimenti genere, (cui hodie à camelis nomen, atque apud Latinos vndulato,) & [g] cibo item ad lautitias comparato vsum esse, perperam nempe interpretati tum vestem è camelorum pilis contextam, tum locustas, quarum meminit Euangelicus textus. Sed facilè conuincuntur erroris, testimonio non cuiuscunque, sed [h] Christi commendantis in Ioanne seuerissimam vitæ disciplinam, qualis in domibus Regum, atque apud reliquos Dynastas non est. Quid igitur illi somniant vndulatas togas, quas [i] Plinius inter lautissimas numerat, & Varro [k] Regibus tribuit non minus quàm prætextatas? quid inauditum in eremo placentularum genus pro locustis intelligunt, quas ex græco textu ἀκρίδας, alij cum S. Athanasio germina herbarum, alij cum sententiâ Patrum ferè communi, certum insectorum genus interpretantur? Ijs qui volunt herbas significari fauet Abulensis [l], asserens ex Burchardo, fuisse Monachorum cœnobia propè Iordanem, quibus in cibum herbæ suppete-

Pueritia S. Io: Baptistæ.

Describitur à S. Luca.

Eius in Eremo vita.

Et vitæ asperitas in victu & vestitu.

Contrà Hæreticos eam negantes.

a Luc. 1. v. 8.

b Cedren.

c Matth. 3. ver. 4.

d Canis. 1. de Corrup. tel. verbi Dei c. 3.

e Vistorianus Strigelius.

f Chitraus.

g Ebionita

h Matt. 11 ver. 8.

i Plin. Nat. histor. l. 8. cap. 48.

k Varro de vita pop. Rom. l. 1.

l Abulens. in schol. noui testam.

suppeterent, vulgò locustæ S. Ioannis appellatæ; at verò qui putant insecti quoddam genus intelligi, habent pro se plerosque sacrorum Doctorum, & nominatim S. Hieronymum [a], qui scribens aduersus Iouinianum, meminit Orientalium populorum, locustis vescentium, quarum reperiri nubes ait per desertum, & calidam Eremi vastitatem, idque verum esse argumento probari Ioannis Baptistæ. Subscribunt in hanc sententiam interpretes sacrarum litterarum benè multi, quoniam locustas de genere animalium insectorum, Græcus Euangelij textus per vocem ἀκρίδα significat, quas Syriacus quoque Arabicus, & Aegyptius vertunt cicadas, ob stridorem ac strepitum, quem instar cicadarum emittunt locustæ ex ijs nonnullæ. Ijs vesci Aethiopas, Afros & Parthos testatur Plinius [b], & Acridophagos idcircò appellat Diodorus Siculus [c]. Præterea neque hoc cibo abstinuisse putamus Hebræos, quoniam inter animalia munda, liber Leuiticus [d] locustas adnumerat, eæque parari in escas consueuerunt, aut aquâ madidæ, & feruefactæ; aut assæ, & in puluerem tritæ; aut saltem sale conditæ, & exiccatæ, vulgaris profectò cibus, ac planè plebeius, atque vt Mercurialis notat, mali succi, & insaluber. Austeram hanc victus rationem horridiorem in Ioanne fecit vsus etiam agrestis mellis, quod à siluestribus confectum apibus, *summè amarum esse; & gustatui omni infestum, atque inimicum* Isidorus [e] Pelusiota testatur. Itemque ad rudem, asperumque vestitum accessit zona, non lanea, qualis apud Hebræos [f] erat in vsu, sed pellicea, vtpote admodum rudis, omnique carens ornatu. Ità sanè decebat publicum pænitentiæ præconem instirui, vt quæ mortalibus verbo suadebat, ad viam vtique præparandam aduenientis in mundum Saluatoris, ea confirmaret exemplo, quod maiorem vim ad persuadendum habet, quàm sermo. Admirabilis hujusce viri sanctitatem in vtero materno per illapsum Sancti Spiritus inchoatam, post Iesum Deiparæ Virgini referre debemus acceptam, quoniam hæc cum Verbum æternum, hominem factum vtero concepisset, illicò Elisabetham cognatam Ioanne grauidam inuisit, vt matri obsequium pariter ac solatium, eiusque filio ante sex menses concepto, necdum nato, præproperum rationis vsum, ipsamque sanctitatem afferret; ac proinde vbi Virgo coram Elisabethâ stetit, agnouit puer sui Domini matrem, & quamuis in vtero conclusus, ostendit corporis saltu lætitiam, quam voce non poterat. Natus deinde post menses tres, Virgine Dei matre nondum digressâ, ab eius aspectu, imò etiam amplexibus &

Sanctitas Ioannis etiam ad D. Virginem refertur

a Hieronym. l. 2. aduersus Iouin.
b Plinius l. 11. c. 29. & l. 6. c. 30.
c Diodorus l. 3. cap. 3.
d Leuiti. c. 11. ver. 22.
e Isid. Pel. lib. 1. epist. 132.
f Auth. imperf. in Matth. hõ. 3.

bus & ministerio nouos hausit pietatis spiritus, ad id muneris obeundum, cui diuinitus fuerat destinatus. Itaque sanctitatem, ad quam hoc ipso tempore in deserto crescebat, seuerissimâ vitæ ratione initâ planè admirandus, post Christum Deiparæ quoque debet, eamque à nobis hoc loco commemoratam oportuit, vt auspicijs Virginis nostræ susceptam, auctamque.

Ex Romanis rebus Quintilij Vari discessus ex Palæstina.

IV. Sub idem tempus duo ex Romanâ historiâ occurrunt memoratu digna, atque huic, in quâ sumus, annalium nostrorum parti illustrandæ opportuna. Primùm quidem, Quintilius Varus Syriæ Præses, ad Germaniam prouinciam administrandam ab Augusto missus ex Palæstinâ, & rei bellicæ præfectus, vbi populi excutere à se Romanum iugum tentabant. Sed reuocatum è Syriâ Præsidem, non tam Augusti iussu, quàm diuino consilio crediderim; neque enim decebat expilatorem insignem eius prouinciæ, in quâ Iesus Christus domi apud Virginem matrem, & Ioannes in desertò, coram Cælitibus adolescebant, diutius ibidem commorari; daturum nempe temeritatis suæ pænas post vnum, aut alterum annum, vt suo loco lector animaduertet. Accidit deinde Agrippæ iunioris in Vrbe calamitas; qui Augusti nepos ex filiâ, ob ingenium sordidum, ac stolidè ferox, vt ait Tacitus [a], ab auo abdicatus est, eiusque facultatibus in ærarium militare relatis, tandem in Planasiam insulam relegatus, sub militum custodiâ captiuum se vidit, sine vllâ spe libertatis recuperandæ. Vide quò corrupti mores, indolisque ferocia redegerint prolem vnicam ex Augusti filiâ superstitem, illam profectò minui, ac decrescere dices, dum factus homo Dei Filius in terris crescit; cadit ille ab imperio, cui proximus imminere videbatur, dum hic graditur ad imperium vtriusque mundi sibi debitum, habetque præcursorem Ioannem, qui viam paret.

Ad diuinum cõsilium refertur.

Agrippæ iunioris calamitas.

Opposita felicitati Marianæ domus

a Tacitus Annal. 1.

Annus Christi 10. B. M. Virginis 24. Augusti Imp. 51.

I. QVoniam vbi S. Lucas expressit, Iesum in domo Nazarenâ apud Virginem matrem, atque Iosephum cæpisse crescere ad vires ætati debitas, & corporeæ molis incrementa subinde sumere; illicò subdit: *Et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solemni Pascha.* Idcircò cum expositum antea fuerit, quo sensu Sanctissimus

Puer

Puer crescere, atque proficere dictus sit; nunc ratio rerum & ordo postulat, vt Sanctos parentes, Hierosolymam quotannis pluries adire solitos contemplemur. Meminerit ergò lector ad rem nostram; delato in sanctam ciuitatem Tabernaculo, exædificatum à Salomone fuisse in eius obsequium atque custodiam, ingens illud, & magnificum templum, quod vitalem quodammodo religionis spiritum, continere videbatur, & curia erat, ac sedes publici consilij Iudæorum. Ne verò obseruantia decursu temporis obsolesceret, haud dubio Numinis instinctu statutum est, vt summâ totius populi celebritate singulis annis ter inuiseretur locus; ità Chrysostomus [a], Cellensis [b], alij ex Deuteronomij [c] libro, vbi masculis tantùm ea lex præscribitur, ac tres præcipuæ solemnitates designantur, Azymorum, qui & Pascha; Hebdomadarum, siue Pentecostes; Tabernaculorum, quæ & Scenopegia. Prima quidem in memoriam exitus Israëlitarum ex Aegypto, altera verò acceptæ olim in monte Sinà diuinitus legis; ac tertia ad agendas Deo grates, quòd peregrinanti per desertum populo propitius affuisset. Eâ lege licet tantùm masculi à vigesimo, ad quinquagesimum ætatis annum tenerentur, non tamen prohibebantur fœminæ, si vellent, illi parere, sicut nec pueri. Cum populis vltrà certa longarum viarum spatia distantibus Hierosolymâ, facilè est dispensatum. Diuino edicto per Mosem promulgato obtemperasse Iosephum, & comitem in itinere susceptο suis temporibus habuisse Mariam cum puero Iesu, omninò persuadet studium religionis, legisque seruandæ, & amor sanctuarij quo singuli flagrabant. Quòd si S. Lucas solius meminit Paschæ, ad cuius solemnia celebranda Hierosolymam sancti coniuges quotannis consueuerint proficisci: non idcircò negat, ad reliqua duo festa Pentecostes, & Scenopegiæ eòdem esse profectos; sed narraturus proximè, quomodo puer Iesus inscijs parentibus remanserit Hierosolymæ, quæsitus ab ijs diligentissimè, nec inuentus, nisi ad appulsum diei tertiæ, in templo; solum iter commemorat singulis repetitum annis ad Paschæ solemnitatem, cuius occasione amissio illa contigit, Deiparæ Virgini luctuosa.

a Chrysost. in Psal. 104 *b Cellens. l. 8. ep. 7.* *c Deuter. c. 16. v. 16.*

De profectione Hierosolymitana, quotannis pluries repetita.

Iudæorum in vrbe Hierosolyma solemnitates.

Quas Maria & Iosephus cũ puero Iesu frequentabant.

II. Sed fortè suboriri dubium alicui posset: vtrum Virgo sanctissima postquam Herode mortuo, ex Aegypto in Galilæam remigrauit, eius filio Archelao regnante, annis singulis Hierosolymam contenderit ad celebrationem Paschæ, & Azymorum, ducto secum puero Iesu. Meo quidem iudicio id negari vix potest, dicente Euangelista [d]; ante duodecimum

Qui possent Iesum ducere Archelao regnante.

Christi

Christi annum profectos esse Hierosolymam eius parentes *per omnes annos in die solemni Pascha*; & sanè notatum esse duodecimum illum annum, quo *remansit puer Iesus in Hierusalem*, verba proximè subsequentia satis docent. Nisi enim quatuor saltem, aut quinque annorum curriculo hanc ad templum peregrinationem obijssent cum puero, antequam ipse ibi remaneret, duriusculus videretur Euangelistæ sermo, nec ità facilè posset expediri. In hanc sententiam propendet Maldonatus [a], Bedam [b] sequutus ducem, vnàque Iuuencum [c] presbyterum, cuius illa sunt carmina id ipsum testantia.

Ad templum lætis puerum perducere festis
Omnibus annorum vicibus de more solebant.

a S. Luc. 2. b Maldon. comm. in Lucam. c Beda Hō. in hac verba. d Iuuenc. lib. 1. hist. Euang. e August. l. 2. de cōsen. su Euangelistarum. f S. Thom. in cap. 2. Matth.

Expedit difficultatē Augustinus.

Verùm suæ interpretationi difficultas non deest, quam SS. Augustinus [d], ac Thomas [f] attingunt. Quomodo potuerunt Maria & Iosephus cum puero per eos annos Hierosolymam proficisci, vbi regnabat Archelaus, cuius metu paulò ante in Galilæam secesserant? Augustinus ipse ab hac difficultate nos expedit: *Fieri poterat*, inquit, *vt per diem festum inter tam ingentem turbam latenter ascenderent mox reuersuri; vbi tamen alijs diebus habitare metuerent, vt nec solemnitate prætermissa essent irreligiosi, nec continua mansione conspicui.* Censet itaque Augustinus, Mariam & Iosephum, Dei legisque obseruantiam, regis timori præferentes, facilè in tantâ hominum multitudine, quanta solemni die Hierosolymam confluebat, simul cum puero latuisse. Quæ verò potissimum Mariam impellerent, vnàque Iesum, vt hanc peregrinationem susciperent ad Paschæ celebritatem scripsit Eucherius [g] in hæc verba: *Religiosi parentes per singulos annos ibant in Hierusalem, vt legem audirent, sacrificijs participarent, solemnitatibus interessent, & eius adhuc vmbræ seruiebant, cuius iam tenebant veritatem. Tota enim illa solemnitas Christi passionem, & resurrectionem, & cætera quæ de eo scripta sunt significabat. Erat igitur Iesus in solemnitate, qui totius erat causa solemnitatis; ipse iugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus sacrificijs offerebatur. Mater quoque eius multa ibi in lege & Prophetis cantari audiebat, quæ de ipsa dici intelligebat, & in se iam completa esse sciebat. Meritò igitur per annos singulos illuc veniebant.* Hinc colligas licet, non solum Archelao regnante, à quo vis, & crudelitas imminere puero videbatur, Virginem Deiparam Hierosolymitanum iter suscepisse ad Paschæ solemnia, verum etiam eandem peregrinationem repetitam quotannis esse, ad trigesimum vsque Christi annum, quando ætas illi robustior, Virgini sanctitas maior,

g Eucher. in cap. 2. Luc.

Potissima itineris suscepti causa.

maior, & regum pericula nulla. In re cæteroqui incertâ sic probabiliter ratiocinamur.

III. De reliquis duobus Hebræorum festis, Pentecoste, & Scenopegiâ, vt idem dicamus, eadem persuadet obligationis ratio, quâ iterum ac tertiò sistere se Hierosolymæ, certosque oblationum seruare ritus in templo, Hebræi iubebantur ex lege, vt se Dei famulos palam profiterentur. Ijs par est credere non defuisse Iosephum, donec vixit; cum legis semper obseruantissimus fuerit, vti iustum virum decebat, qualis ab Euangelistâ describitur. Iuisse pariter statis hisce temporibus Hierosolymam cum Sponso sanctissimam Virginem, vnàque Iesum, satis probat tum vtriusque studium diuinis mandatis obtemperandi; tum desiderium exempla eiusmodi mortalibus exhibendi, vel cum lex ad illos non pertineret. Sciebant fore Deo gratissimum iter ad sanctam ciuitatem susceptum, & cor in donis oblatum; ideòque eos qui statis anni vicibus illuc proficiscerentur, esse sub diuinâ custodiâ à periculis tutos, cuius argumentum præcipuum videtur id, quod in Exodo [a] promittitur â Deo, neminem illaturum damna, imò nec insidiaturum quidem, ascendentibus ad Hierosolymitana festa ter in anno. Vnde S. Augustinus [b] rem deducit omninò admirandam: eo tempore, quod ad legem implendam expendebatur, nullos fuisse absentium familiarum clandestinos, vel apertos fures; atque adeo ne voluntatem quidem vllam relictas tunc domos expilandi, *Deo*, inquit ille, *promittente custodiam*. Itaque cum lex vrgeret, & manifesta foret diuina in euntes, redeuntesque prouidentia, non est ratio, cur dicantur Deipara, & Sponsus cum Iesu adolescente, ab statis hisce itineribus abstinuisse.

An susceptũ idẽ iter fuerit in Pentecoste, & Scenopegia.

Dei in Iudæos prouidentia pro hoc itinere.

a Exo. 34. ver. 24.

b August. quæst. 161. in Exodũ.

IV. Si quæras quot dies in hisce solemnitatibus sancti hospites extra Nazarethum absumpserint: respondere possumus ferè indubitanter, de Paschâ & Scenopegiâ, cum ambæ festiuitates, septem diebus complerentur, quibus si totidem addas absumptos in itineribus, inuenies in vtrâque diebus saltem quatuordecim fuisse extrà patriam commorandum; vt geminis hisce festis religio deferretur. De Pentecoste posset dubitatio suboriri, cum neget [c] Philo Iudæus fuisse dierum septem feriationem, nisi in Azymis, & Scenopegiâ; imò si sacrarum litterarum hac in re testimonia [d] expendantur, vno solum die Festum Pentecostes claudebatur: nam quòd S. Lucas [e] dicit: *cum complerentur dies Pentecostes*, non vtique plures dies solemnitatis insinuat, sed quinquaginta luces præcessisse,

De mora SS. hospitũ Hierosolymæ in his festis.

c Philo in decalogo.

d Leuit. 23. v. 3. nu. 28. v. 26. Deut. 16. v. 10.

e Act. 2. v. 1.

cessisse, & iam absolui quinquagesimam, quam apud Græcos sonat, vox *Pentecoste*. Verum tanta erat Christi Iesu, Virginis Matris, & Iosephi pietas in templum, vt facilè adducar ad credendum, plusculos etiam dies in eius festiuitatis cultum insumptos à sanctis peregrinis fuisse, non vno tantùm contentis. De reliquis templi solemnitatibus, quibus extrà Hierosolymam habitantes Hebræorum populos interesse lex iubebat nulla, quales erant Neomeniæ, Collecta, Encænia, Expiatio, quid in re nostrâ dicendum sit, docuit nec improbabiliter nuperus author, & pariter viam siue Nazaretho Hierosolymam, siue Hierosolymâ Nazarethum, quâ Virgo profecta creditur, indicauit. Nos hîc non immorandum censemus, vbi nihil habemus certi, & cognitio ipsa non multum vtilis ad annales videtur.

Venerintne ad reliquas minores templi solemnitates.

V. Duo ex Romanâ historiâ circà hunc annum occurrunt, illata Romanis legionibus in Germaniâ sub Quintilio Varo insignis clades, & ortus Vespasiani, qui deinde Imperator fuit. Illam quidem penè exitiabilem Suetonius [a] appellat, tribus legionibus cum Duce, legatisque, & auxilijs omnibus cæsis; quo nuncio consternatum adeò Augustum ferunt, vt per continuos menses, barbâ capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans: Vare legiones redde, diemque cladis quotannis mæstum habuerit, ac lugubrem. Ex alterâ parte Romæ suis legionibus destitutæ opponere Hierosolymam licet, per annuos in templum ascensus sacræ Nazarenæ familiæ, splendore auctam, & sanctitate. Alteri à Iesu Mariæque præsentiâ vires crescunt, ad debellandas inferorum acies templo insidiantes; paratæque in auxilium Angelorum legiones de cælo descendunt: alteri ad tuendum vix natum imperium, robur decrescit & vigor, deletis exercitibus, & duce amisso, quem vnà cum alijs primoribus sibi miserè manum attulisse testatur Dio [b]. Ortus verò circà tempora Varianæ cladis Vespasianus, obscuro quidem loco, sed bellicis operibus euehendus ad summa, insignis vltor Iudaicæ perfidiæ parabatur, per quem nimirum Hierosolyma ipsa à Iesu Christo, ac Virgine Matre sanctissimis toties lustrata vestigijs, Deo tandem rebellis effecta, datura erat inconstantiæ ac scelerum pœnas.

Ex rebus Rõ. Variana clades, & ortus Vespasiani in rem nostram trahuntur.

a Sueton. in Octau.

b Dion lib. 56.

Annus

Annus Christi 11. B. M. Virginis 25. Augusti Imp. 52.

I. PErpetuæ virginitatis, cuius Deipara vexillum extulerat, decus vel ab Ethnicis commendatum, præmissque affectum, incidit in hunc annum; res planè digna, quam Marianis annalibus inseramus. Augustus enim Imperator teste Dione [a], ætate iam senior, cum equites Romanos numerando percensuisset, inuenissetque plures cælibes, quàm maritos, publicâ grauissimâque oratione cælibatum perstrinxit, & è contrario plurimis laudibus coniugium cohonestauit, eâ nempe de causâ, quòd cum Vrbem ciuilia bella ciuibus Romanis orbassent, eandem vt olim florentissimam numero ciuium cupiebat, susceptâ per legitimas vndecunque nuptias fœcunditate, neque omisit prouidus princeps statuere alteri præmia, & alterum pænis addicere. Neque tamen inferre potes inuisam illi fuisse perpetuam virginitatem, quam ijsdem ac matrimonium priuilegijs dignatus est; cum eius accusatio tantùm eos peteret, qui continentiæ prætextu, vagas libidines sectarentur, nec prolem legitimam Reipublicæ conseruandæ sufficerent. Occultam hanc & veram sub nomine cælibatus intemperantiam censuit castigandam, atque exemplo Virginum Vestalium, quæ professæ pudicitiam, illam non seruassent, flammis adiudicauit. Cedit hoc maximè virginitatis in laudem, eius nobilitatem atque præstantiam adeò non ignotam Augusto fuisse, vt virginibus æquè ac matribus constituerit præmia, ipsarum Vestalium numerum, dignitatem, & commoda amplificarit; imò in vnius demortuæ locum, (quem ambirent multi) adiurarit, si cuiusquam neptium suarum competeret ætas, eam se fuisse oblaturum. Quid verò dixisset, si mysterium Ethnicis incognitum, Cælitum aliquis indicasset, esse nimirum tunc in Galilæâ adolescentulam, nobili loco natam, quæ virgo simul foret, ac mater: certè vtriusque illi status, & virginum & matrum præmia debuisset. Verùm quæ non ab Augusto solùm, sed apud Græcos & Barbaros pariter (vt S. Hieronymus [b] pluribus docet) commendata virginitas reperitur, omnium litterarum monumentis; ea iam Iesu Christi, Dei atque hominis, admirabili conceptu, & partu, in B. Mariâ prouecta est ad summæ fastigium dignitatis. Ex eo tempore plurimos illa sectatores habet, qui

[a] Dio. ibid.

[b] Hieron. con. Iouin. lib. 1.

Augustus cælibatum perstringit.

Perpetuam virginitatem honorat.

Dum virginibus æquè ac matribus cõstituit præmia.

Et Vestalibus fauet.

Post Christũ de Virgine natum magis in honore virginitas

Deiparâ præeunte Virgines permanserunt, posthabitis, imò calcatis illecebris quibuscunque, & sequentes per nouam veluti galaxiam, cælestis Agni vestigia. Virginei huius agminis Maria dux est, quæ signum prætulit vniuersis, & ouantes ac lilijs insignitos ducit ad palmam.

Duo huius tẽporis euẽta.

II. Sub hoc ferè tempus violatum in Iudæâ fertur à Samaritis templum Hierosolymitanum, ipsis Azymorum diebus, quando Iesus atque Deipara ascensu suo peculiarem illi sanctitatem afflabant: & exoritur Iudæ Galilæi seditio, populos ad defectionem sollicitantis, ac tributorum solutionem palàm prohibentis, vnde in Christum eiusque sectatores tanquam Galilæos immeritò deriuatum est crimen. Vtrunque peti ex Historico Iosepho [a] potest. Primum quidem, quod à Samaritis Iudæorum æmulis perpetratum est facinus, ex inueteratâ inter eos populos simultate ortum duxit: cum enim aliud templum Samaritæ excitassent, Hierosolymitano oppositum, curabant quoque anteponendum sanctitate, religione, magnificentiâ: id autem quoniam non succedebat ex voto; in odium, rixas, & offensiones erupit. Itaque sub hunc ipsum annum, recurrentibus festis Azymorum diebus, cum ex ijs quidam clanculum ciuitatem ingressi, animaduertissent noctu Hierosolymæ templum à Sacerdotibus aperiri, clam illuc subeuntes, sparsisque per porticus & reliquas partes, humanorum cadauerum ossibus, sacram ædem funestarunt. Neque mirum, versantibus tum Hierosolymæ, templumque frequentantibus Dei Filio, atque Deiparâ, tantum sceleris in domo suâ à Deo esse permissum, qui toties iam coram eodem Filio suo sub speciebus panis abscondito, sceleribus identidem violari Christianorum templa permittit. Quin imò si Hierosolymitanum expressio fuit atque imago Ecclesiæ Catholicæ; illud ipsum à Samaritis pollutum, hanc exprimit à prauis Christianis indignè acceptam, scelera indignante Christo, atque auersante Deiparâ. At verò Iudas Galilæus, occasione nouæ descriptionis & census initi Hierosolymæ à Quirino siue Cyrino Syriæ Præside, qui primam ante decem annos ad ortum Saluatoris inierat, sollicitare cepit ad defectionem populos, adiuncto sibi ad facinus comite Sadduco Pharisæo, & censum in primis exagitans, tanquam apertam seruitutis professionem, auertere ab eo gentem vniuersam conabatur, adhortatus vt iugum excuteret, ac sese in libertatem vindicaret. Huius Sectarij agnoscebant pro Domino solum Deum, nec terræ principibus subdi vllo se pacto debere censebant: quapropter

Hierosolymę templum a Samaritis funestatum.

a Ioseph. l. 18. Antiq. cap. 3. l. 18. cap. 1.

Iudæ Galilęi seditio.

Galilæorum hæresis.

plurium

plurium in Iudæâ turbarum ac cædium authores fuere, omnia miſcentes latrocinijs; ferro, flammiſque vaſtantes. Vnde non ſemel moderatorum iuſſu adacti ſunt ad ſupplicia, vt Ioſephus [a] teſtatur, atque apud S. Lucam [b] Gamaliel legis doctor. In eius ſuſpicionem hæreſeos vocatus cum ſectatoribus Chriſtus, falſas illas accuſationes audijt apud Pilatum [c]: *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari*; & rurſus: *Commouet populum, docens per vniuerſam Iudaam, incipiens à Galilæa vſque huc*. Sed quàm immeritò, & contrà veritatem hæc dicta ſint, ipſemet Chriſtus oſtendit, cum interrogatus [d] ab Herodianis; liceret ne cenſum dare Cæſari? danda Cæſari, reſpondit, quæ Cæſaris eſſent; & iterum vt exemplo etiam doceret, ſoluit ſæpe pro ſe, & pro ſuis tributum [e], id quod fieri à Petro iuſſit, de inuento in ore piſcis numiſmate. Præterea ſanctiſsima eius mater imminente partu, ex Galilæâ Ioſepho Sponſo comite in Iudæam aſcendit, vt indicto per Cæſarem cenſui ſatisfaceret. Verùm ſectæ huius Galilæorum initia, referunt aliqui ad primum Chriſti annum; atque ad ortum Saluatoris emerſiſſe Iudam illum putant, qui cenſu offenſus per Cyrinum inito, author ſeditionis fuiſſe fertur; ſed hi non animaduertunt eam deſcriptionem à Cyrino Syriam moderante, iterum poſt annos nouem eſſe factam.

a *Ioſephus* l.18. c.1.2.
b *Act.* c.5. ver.37.
c *Luc.* 23. ver.2.
d *Matt.* 22. ver.21.
e *Matt.* 17. ver.26.

Falsò in Chriſtum iactata.

Annus Chriſti 12. B. M. Virginis 26. Auguſti Imp. 53.

I. ANno Ieſu Chriſti duodecimo decurrente, eius Hieroſolymam profectio, quæ quotannis iniri conſueuerat ad Paſchæ ſolemnia, vt dictum eſt, celeberrima certè fuit ex eo, quòd Maria & Ioſephus parentes, ſoliti ſecum puerum ducere, tunc ad breue tempus amiſerint ſine vllâ ipſorum culpâ, at non ſine magno dolore; & mox quàm diligentiſſimè quæſitum inuenerint; itemque parentibus ipſemet eâ ratione ſubductus, ſpecimen primum dederit diuinæ ſapientiæ, quo nimirum futuris ad populum concionibus proludebat, vt ſignificauit [f] Ambroſius. Fateor quidem ſpectatis S. Lucæ [g] Euangeliſtæ verbis, hæc referenda potius fuiſſe ad ſequentem annum, quoniam ille dicit accidiſſe, *cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim* quaſi de illis expletis intelligatur, ac tertio decimo inchoato. Attamen nos communem ſequimur

Summa rerũ huius anni.

f *Ambroſ.* l.2. in *Luc.*
g *Luc.* 2. v. 42.

quimur chrònologiam, cum præsertim hic ipse Scriptor S. Lucas, elapsum tempus pro ineunte identidem sumat, vt in hâc historiâ: *post triduum inuenerunt illum in templo* de die tertio videtur intelligendum, non de quarto. Sed accedamus iam ad rerum expositionem.

II. Hanc petere licet è S. Lucâ, dicente; in reditu sanctorum parentum, post solemnes Azymorum dies, Hierosolymâ Nazarethum; puerum Iesum remansisse illis inscijs, imò existimantibus, ad cognatos aliosque familiares pariter redeuntes accessisse, & cum ijs profecturum. Quæ fuerit causa, cur diuinus puer Hierosolymæ remanserit, seque tam subitò subduxerit è conspectu parentum, a quibus tam prouidè, tam amanter, tantâque cum vigilantiâ nutriebatur, à sacro Historico non exprimitur. Scio aliquos amissionem referre ad loca ipsa, quibus in templo Hierosolymitano seiuncti à mulieribus viri conueniebant; adeò vt neque portæ, per quas ingredi oporteret, eædem essent vtrisque, neque mutuus ad partes huiusmodi transitus interiecto muro pateret. Cum verò innocentibus puerulis quandoque liceret, vel matres sequi, atque vnà esse; vel potius patribus inhærere; hinc factum putant, vt parentum neutri vlla foret de puero Iesu sollicitudo, quòd apud Iosephum Maria Filiolum esse, & apud Mariam Iosephus versari existimaret. Paulò aliter Beda [a] rem expedit, aitque amittendi pueri occasionem ortam esse, ex eo quòd Iudæi consueuerint ad festa Hierosolymitana proficisci, simulque redire in patriam, in geminos seorsim choros, viris ex vnâ parte, ex alterâ mulieribus distributis, vt olim Erythræo mari transmisso, ad concinendas Deo laudes processisse feruntur; ac proinde potuisse puerum Hierosolymæ manere inscijs parentibus, quorum vterque alteri adhæsisse censeret. Sed neutra explicatio causam innuere videtur Euangelico testimonio conformem; vbi habetur, Mariam & Iosephum existimasse dum redirent in patriam, puerum esse in comitatu, atque inter cognatos & notos, apud quos deinde quæsitus est. Præterea qui dicunt amissionem in templo contigisse, non foris, facilè etiam refelluntur ex eodem sacri Historici testimonio, qui expletis Paschæ diebus, cum Maria & Iosephus Hierosolymâ discederent, contigisse dicit. Denique veriorem cum Baronio, alijsque causam damus, quòd sancti coniuges recessuri vnà cum cognatis, ac reliquo amicorum comitatu, puerum tantisper præcedere cum illis permiserint; at is paululùm progressus, non tamen egressus è ciuitate, tanquam

Occasio, qua Hierosolymę Iesus remansit, expenditur.

a Beda in Luc. c. 2.

Verior causa ex Baronio.

quam parentes expectaturus restiterit; sed mox iter flexerit aliò, atque omnibus inscijs, non sine diuino consilio subduxerit sese. Voluit nimirum Deus, inquit Beda a, secedentem à Matre Christum, eò pergere, vbi primum diuinitatis suæ, sapientiæque radium anticipatò diffunderet, tanquam desiderio flagrans officium præoccupandi Gentium docendarum: & sanè ætas ipsa ad quam peruenerat duodecim annorum, erat ad hoc specimen edendum aptissima; quoniam inde adolescentia ducit initium, ac tum indoles animi, iudiciumque se prodit.

a Beda ib.

III. Remansit itaque Hierosolymæ Iesus, atque interim Maria & Iosephus rati illum præcedere in cognatorum ac familiarium comitatu, sine metu & sollicitudine sequebantur; exactoque diei vnius itinere, cum se sub noctem in hospitium recepissent, puerum diligenter quæsitum inter consanguineos, & amicos, nusquam inuenerunt. Quare postridie Hierosolymam sunt reuersi, ne partibus suis, vllatenus illo requirendo deessent. Hinc, non negamus, magnam ijsdem ortam esse doloris segetem, non quòd aliquâ se teneri culpâ arbitrarentur, vt impudenter Hæretici apud Canisium b mentiuntur, occasionem vndecunque captantes Virgineo decori turpiorem aliquem næuum appingere; sed ob amissionem charissimi Filij, eiusdemque corporati Dei, cuius præsentiâ & consuetudine frui suauissimum, carere acerbissimum erat. Equidem fateor, mirum videri; quòd amantissima huiusce Filij Virgo mater diem potuerit integrum transigere, sine eius conspectu, præsertim cum tenerrimæ puer ætatis esset, longèque à patriâ domoque, in itinere versaretur. Sed qui cogitat diuino id consilio factum, res itâ, euentusque moderante, admirationi modum facilè ponet. Præterea sanctissimæ parentis ergà Filium obseruantiæ tribui idem potest; quia etsi ætate & corporis mole spectatâ esse puerum videbat extrinsecùs: attamen nouerat esse Deum, ac proinde agere sinebat, quicquid libuisset, certa rem omni tempore nonnisi benè gerendam. Illud etiam fortasse prouisum à Virgine fuit, vt ciuibus è cognatione suâ Nazarenis turmatim in patriam redeuntibus, puer quibus cum vellet liberè pergeret, non quòd illum minus amaret, sed vt eius voluntati, quam certò sciebat semper fore iustissimam, in omnibus satisfaceret: ijs etiam in hoc seruiebat, qui comites erant itineris, nam magnum vtique solatium percepturos arbitrabatur ex aspectu, & consuetudine ponè gradientis pueri, sapientiâ, gratiâ, & morum suaui-

Maria & Iosephus Hierosolymam reuertuntur.

b Canisius lib. 4. Mariâ. c. 17.

In amissione pueri de sensu Matris ratiocinatio.

suauitate planè admirandi. Cæterum vespero singulis ad quietem in idem diuersorium migraturis, certò sperabat ibi se alloquio & præsentiâ dulcissimi Filij fruituram.

Vnde Virgini sollicitudo ad filium requirendum.

IV. Cum ergò puerum inter cognatos non inuentum diligentius quæsitura Hierosolymam Iosepho comite reuersa sit; hinc nobis oritur quæstio, cur tanta Virgini sollicitudo ad filium requirendum, quem sciebat diuinâ custodiâ tutum, nullumque pati incommodum posse, quod foret inexpectatum, atque ex improuiso contingeret? Satisfacit dubitationi Cardinalis Toletus [a], ità ratiocinatus; credidisse quidem firmiter Virginem, Christo vt Dei Filio, diuinitatem inesse, atque infinitos sapientiæ thesauros; adeòque nihil illi casu posse, aut per errorem contingere: at è conuerso expertam esse, eundem ab ipsâ infantiâ, haud aliter se gessisse, quàm vt reliqui mortalium agunt; & ità constanter operatum, peruenisse subinde ad id ætatis; nam & primorum annorum puerum, non sibi suâ manu vestes induere, aut exuere solitum, sed ope maternâ; eâdem & cibum sumere, ambulare, & progredi consueuisse, ijs infirmitatibus vltrò susceptis, quæ humanæ naturæ sunt: ità vagijsse in cunis, lacrymas fudisse, cæteràque omnia factitasse, quæ communiter infantes solent. Norat procul dubio Deipara fieri hæc à sanctissimo Filio nó necessitate, sed voluntate; ideòque suspicari prudenter potuit illum, in populi frequentiâ ducibus amissis, more puerorum deerrasse. Hinc fortè summam matris solicitudinem, hinc dolorem de subducto sibi charissimo pignore ortum esse. Toletus ductâ ratiocinatione concludit. Sed redeamus ad institutum.

Responsio ex Toleto.

a Toletus in Luc. c. 2.

Inuenitur in templo Puer inter Doctores.

V. Quæsitum Hierosolymæ puerum, tertio die inuentum esse in templo cum Doctoribus agentem, sacra pagina docet, nam, *post triduum* ait S. Lucas [b], *inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.* Primo quidem die Hierosolymâ sancti coniuges discesserunt, Nazarethum redituri: altero illuc reuersi sunt ex diuersorio, quò pridie sese receperant; atque imminente nocte ciuitatem ingresis vix tempus ad quærendum puerum vltrà superfuit. Denique dies tertius cum illuxit, rectà iuisse in templum existimo, quoniam ibi commorari libentissimè Iesum sciebant, vt fecerat exactis proximè Azymorum solemnijs: Itaque inuentum manè à parentibus mihi facilè persuadeo, quoniam matutinis horis conuenisse in templo legis Doctores [c] comperio, vt de eius arcanis populum erudirent. Ideòque Christus, iam adultus cum docendi officio fungerètur, re-

b Luc. 2. v. 46.

Die tertio mane.

c In Stephanus Menochius in vita Christi l. 1. c. 15. n. 7.

ceptæ

ceptæ consuetudini se accommodans, summo manè ad templum ventitabat, vt populum venientem instrueret. Hoc ipsum innuunt sacri Euangelistæ Lucas [a], & Ioannes [b]; atque in Prouerbijs [c] Salomon sapientiam inducit ità loquentem: *Qui manè vigilant ad me, inuenient me*. Quòd verò dicitur Christus sedisse in medio Doctorum, locum interpretatur S. Ambrosius [d], aitque in Synagogis, vbi consessus Scribarum erat diuinam legem exponentium, ità sedilia fuisse disposita, vt magistri quidem ac doctores altiora occuparent, circumquaque patentia; auditores verò in medio constituti humilius sederent ad pedes seniorum, siue in scamnis, seu super pauimento scirpea tegete strato. Sic Paulus [e] arcana legis ad pedes Gamalielis edidicit; & Esseni, teste Philone [f], quoties sacras ædes adibant, pro ætatis ordine considebant, seniores quidem suprà, & infrà iuniores ad eorum pedes. Huic consuetudini Christus verè mansuetus & humilis insistens, discipulum agere in medio voluit, inseditque vel humiliori scamno, vel ipsi pauimento mattâ cooperto. Sed alijs, aliter visum est, eiusmodi consessum explicare; cum puerum docentem è sublimiore suggestu ponant; & Doctores infrà in minoribus subsellijs cum admiratione audientes. Fauent huic sententiæ Pictores, quibus fuit æqua semper potestas penicillo quidlibet exprimendi; fauet Nicolaus [g] Serarius, ductus auctoritate Sedulij Christiani Poetæ, antiquitate spectandi, qui de Christo duodenni cum Doctoribus differente sic scribit.

.... Senioribus esse
Corde videbatur senior, legisque magistros
Inter, vt emeritus residebat iure magister.

Sed eius sententiæ vim Serario ipsa confirmare videtur Ecclesia, quæ die dominicâ, Epiphaniæ Octauam intercedente, mysterium Christi commemorans inter Doctores inuenti, per Euangelicam ipsius lectionem; addictum huic diei sacrum inchoat ab illis verbis [h]: *In excelso throno vidi sedere virum*. Attamen plus habere probabilitatis videtur, quod antea dicebamus, sanctissimum Puerum in consessu Doctorum agere voluisse discipuli partes, cum idipsum innuat sacra pagina, dum ait [i], *audientem illos & interrogantem* sedisse, quod adeò sapienter, ingeniosèque præstiterit, vt *stuperent omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius*.

VI. Si quis roget, quâ potissimùm de re sermones Christus habuerit, in eo congressu. Aio, probabile quidem videri, quod respondent Titus Bostrorum Episcopus, & Euthymius,

Marginal notes: a Luc. c. 2. vers. 38. b Io. 8. v. 1. c Prouerb. c. 8. v. 17. d Ambrof. in Luc. c. 2. e Act. c. 22. vers. 3. f Philo lib. inscripto: Quòd omnis probus liber. g Serarius l. 1. Tribaeresios cap. 3 h Introitus Missæ. i Luc. ibid.

Quomodo Christus sederit inter Doctores.

Probabilius, sedisse in medio instar discipuli non suprà Doctores.

Quæ fuerit materia disputationis.

mius, disceptatum fuisse de lege per Mosem latâ, eiusque ritibus: at multò probabilius haberi, aliorum responsum: qui de Saluatoris aduentu, Deique carnem assumentis mysterio quæsitum existimant. Nam optabat Christus in primis, ansam præbere Doctoribus sedulò perpendendi sacrorum Vatum oracula, vnde paulatim eorum animi excitarentur ad ipsum agnoscendum, recipiendumque pro vero humani generis Saluatore, ac Messiâ in lege promisso; quando hominibus ostendere se palam concionando cœpisset. Sic factum ab eo Nazarethi, testatur S. Lucas [a], cum Synagogam ingressus, ex Isaiæ Vatis libro, de se legit palam, ac pronunciauit oraculum; quod interpetratus pariter de se ipso, *cœpit dicere ad illos*, inquit Euangelista: *quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Vsque adeò excutiebat ab animis noctem, vt festinanter ad quærẽdum, agnoscendumque missum à Deo Filium suum, assurgerent, eundemque tanquam humanæ vindicem libertatis exciperent.

a Luc. c. 4. ver. 16.

Reditus pueri Iesu ad Parentes.

VII. Cum verò puer Iesus ad Virginem matrem, & Iosephum inibi conspectos accessisset, audiuit ab alterâ lenissimam illam de triduano secessu interrogationem [b]: *Fili quid fecisti nobis sic? pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Quæ verba sanctissimæ Matris, non Filij reprehensionem continent, vt sectarij blasphemant apud Canisium [c], sed potius admirationem, vnàque sensum doloris ob inexpectatam Filij charissimi secessionem. Et sanè spectatâ maternâ in eum obseruantiâ, quem suum Redemptorem pariter agnoscebat ac Deum, aliter locum interpretari non licet. Interrogationem matris, excepit illicò responsio filij: *Quid est, quòd me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* vbi malè quidam affirmant increpitos à Christo parentes, quibus fuit semper obsequentissimus, & filij partes integrè præstitit, cum præsertim culpâ vacarent, quin potius caussatus æterni Patris imperium, illos instruere, & consolari voluisse visus est. Identidem verba ipsa, quæ acerbitatis aliquid præseferant, vultu, gestuque & vocis sono mitiora fiunt, si fronte ad modestiam compositâ, atque ore placido, ridentique proferantur. Christi ad Matrem responsio re ipsâ hunc sensum habuit: Nulla vobis erat necessitas me quærendi, quem iam incumbere ad negotium ab æterno Patre commissum, nosse facilè poteratis; itemque vobiscum non semper futurum; sed identidem secedentem, ea curaturum, quæ muneris mei sunt. Restiti Hierosolymæ vobis inscijs, vt intelligeretis, in paterni negotij

b Luc. 2. v. 48. & 49.

c Canisius lib. 4. Marial. cap. 17.

Ad eosdem allocutio.

Christi ad matrem verborũ sensus.

negotij procuratione à vestro nutu me non pendere, sed ab imperio, ductuque eiusdem Patris, à quo sum missus in mundum. Equidem dolendi vobis ansam non præbui; sed is dolor partim ex vtriusque vestrum in me amore, partim ex mysterio ipso, à vobis nondum plenè, distinctèque percepto manauit. Hæc videtur esse verborum significatio, quibus redditum est Matri à Christo responsum. Verùm subdit Euangelista [a], neque Mariam, neque Iosephum intellexisse, quæ dicta sunt: *Et ipsi inquit non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos*. Nam quod peculiare negotium à cælesti Parente mandatum, significare voluerit puer, & quidnam esset in illud incumbere, non benè sancti coniuges perceperunt: quia etsi probè norant, Christum esse humani generis Liberatorem, & Messiam in lege promissum: at causam, cur ità id temporis ageret, nondum habebant clarè perspectam; cum eorum cognitio & fides augerentur in dies, nouis semper incrementis. Hoc autem de amborum perfectione derogat nihil, quæ constabat magis magnitudine charitatis, quàm rerum notitiâ ad fidei lumen extensâ; cum præsertim ea omnia perfectè nossent, quæ tum ad suam ipsorum conditionem spectabant. Si cui fortè videatur mirum, Virginem Deiparam Christi verba non intellexisse, quæ Virgo ex ore Archangeli salutantis altiora de diuino conceptu mysteria perceperat; occurrit admirationi Card. Toletus [b], scribens solitum esse Deum sic agere cum seruis suis; quos interdum ipse docuit arcana maiora, atque eorundem intelligentiæ simul minora subduxit; vt nimirum ediscerent, donum esse diuinum, cognitionem vtranque; cum supremus ille magister animorum pro libito, magis minusue luminis intelligentibus impertiat. Ità Isaacus [c] extremâ senectute præsentem sibi Iacobum filium non agnouit, imò esse fratrem eius Esaum natu maiorem existimauit, cum interim prophetico spiritu multa præuidisset difficillima scitu. Item [d] Eliseus non ignorauit Eliam igneo curru rapiendum in cælum, neque casum edoctus fuerat mulieris Sunamitidis [e], quæ ad sacri Vatis pedes procumbens, extinctum sibi filium multo cum fletu nunciauit. Hæc Toletus.

Cur Virgo non intellexerit Christi responsum.

a Luc. ibid.

b Toletus in Luc. annot. 82.

c Gen. 27. ver. 27.

d 4. Regum c. 4. v. 24.

e 4. Reg. c. 2. ver. 12.

VIII. Quærere etiam hoc loco placet, antequam vltrà pergamus; vnde per hoc triduum Christus alimenta susceperit, vbi pernoctarit ad somnum. Sed quæstioni satisfieri haud aliter potest, quàm aut piè meditando cum aliquibus sanctis, aut certè diuinando, quod in re omninò incertâ, neque per

Vnde Iesus hoc triduo vixerit, vbi pernoctarit.

sacros Euangelistas expressâ, temerarium foret audere. Vim tantùm piæ meditationis habent verba Bernardi [a], Iesum interrogantis ecquid illo triduo mendicasset? *Quid*, inquit, *dicam Deus meus? an vt te per omnia nostræ conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates susciperes, quasi vnus è turba pauperum; stipem per ostia mendicabas?* deinde quasi propendeat in partem affirmantem, optat sibi quoque diuidi emendicatas à Christo buccellas, atque ex earum saltem reliquijs saginari. Verùm plerique Doctorum sicuti censent Christum in reliquis vitæ partibus non mendicasse, quia id Hebræis in Deuteronomio [b] prohiberetur ad ea verba: *Omninò indigens & mendicus non erit inter vos*, lege ad locupletes directâ, ne paterentur pauperes mendicare, sed vltrò succurrerent; itâ id hoc etiam triduo factum putant. Roganti autem vnde tunc Puer cibum habuerit; respondet Ioannes Maior [c] (si citrà miraculum habuisse dicendus sit, quoniam Cana Galilææ vicus primum ad nuptias Christi signum aspexit ex testimonio [d] Ioannis) potuisse viros doctos, & ingenuos, Pueri eruditionem admirantes, domi suæ illum excipere, atque ad mensam inuitare; quod factum existimat author; vnde disputasse Christum cum Doctoribus non tantùm die tertio suæ secessionis, quando à parentibus inuentus est, sed duobus etiam antecedentibus, scribit Sebastianus Barradius [e]: cum enim Hierosolimæ, vt id faceret, manserit, *quorsum* inquit ille, *in diem tertium distulisset?* Alij dicunt potuisse puero suppetere aliquid viatici à parentibus accepti, quo per illud triduum victitarit. Non improbo, sed in re incertâ, nihil certò affirmare licet. Cæterùm non dubito, quin Christus tunc pernoctarit in templo, vbi suas nactus delitias, noctes orando transegit, sese, vt aliàs fecerat, pro salute generis humani victimam offerens Patri. Postquam illum ibidem inuenere parentes, reductum ab ijs Nazarethum narrat Euangelista [f].

IX. Illud præterea superest nobis commemorandum ex Iosepho rerum Iudaïcarum Historico [g]: ab Archelao post susceptam Iudææ Toparchiam, duos fuisse Pontifices constitutos, Eleazarum initio sui principatus, quem successorem dedit Ioazaro eius fratri, seditionis insimulato, & post non multũ temporis, cum ipsum quoque Eleazarum submouisset, Iesum subrogatum esse Siæ filium, nostro Saluatori cognominem, qui Pontificatum tenuit, vsque ad vltimum eiusdem Archelai annum; vnde colligimus, sub hoc Pontifice, Iesum Mariæ Filium, anno suæ ætatis duodecimo Hierosolymam ascendisse,

Iesus Siæ filius summus Pontifex huius anni.

a Bernard. Hom. infra oct. Epiph.

b Deuter. 15. ver. 4.

c Io: Maior.

d Io: 2. v. 9

e Barrad. to. 1. lib. 10. cap. 15.

f Luc. 2. v. 51.

g Ioseph. l. 17. Antiq. cap. 19.

cendiſſe,& procul dubio coram illo diſputaſſe in templo,modò interrogantem, modò reſpondentem; vt nimirum verus Pontifex Ieſus *ſecundum ordinem Melchiſedech* [a], alterum Ieſum Pontificem ex ordine Aaronis differens inſtrueret de re, vt diximus, optatiſſimâ, de ſuo nempe aduentu, in quo ſacrorum Vatum implebantur oracula.

a Pſal. 109.

X. Ex rebus Romanis ferè ſub hunc annum Tiberius, vnàque Germanicus, cui in Germaniâ proconſulare imperium erat, ibidem poſt Varianam cladem ad pugnandum parati, ſine prælio viciſſe leguntur, quod nemo ad repugnandum occurreret: veriti enim, ne rurſus cladem acciperent, haud ità procul à Rheno diſceſſerant, inibi vſque ad Autumnum morati. Ea victoria nullo repugnante incruenta, benè concurrit cum litterario noſtri Saluatoris duodennis congreſſu, qui in medio ſapientum, tanquam diſcipulus conſtitutus, prudentiâ & reſponſis attonito Doctorum conſeſſu, Magiſter apparuit ſuprà conditionem ætatis. Victorem dicere poſſumus Iudaicæ litteraturæ, quia nullum habuit ex ſenioribus contradicentem, aut non probantem, imò & non admirantem.

Ex rebus Romanis, Tiberij & Germanici incruentæ victoriæ.

Concurrunt cum litterario Ieſu congreſſu.

Annus Chriſti 13. B. M. Virginis 27. Auguſti Imp. 54.

I. CVm anno ſuperiore Chriſtus Mariæ Matri, & Ioſepho redditus, Hieroſolymâ Nazarethum rediiſſet; vſque ad trigeſimum ætatis annum, per adoleſcentiam & iuuentutem, priuatus vitam duxit. Quicquid egerit ſingulis annis, qui toto hoc interuallo effluxerunt, noluit niſi quàm paucis in Euangelicâ hiſtoriâ ſignificari; idemque de vitâ per id tempus Sanctiſſimæ Matris, & Ioſephi eius ſponſi factum eſt. Quandò igitur nobis in tanto Euangeliſtarum ſilentio, ſcrutari non licet, quæ occulta voluit Spiritus Sanctus eorum Magiſter; ne memoratis quidem ſomnijs, quæ proſcriptus liber, *de infantia Saluatoris* exhibet; ea tantùm exponemus, quibus cognoſcendis, nonnihil luminis pagina ſacra ſuppeditat. Itaque dicenda iam de Virgine matre, eiuſque Filio ſanctiſſimo, ad omnes hoſce annos cuncta ſpectabunt; ſed nos, vt ſuprà etiam fecimus, ad ſeruandam annalium integritatem, quoad fieri poterit, diſtribuemus in ſingulos; notatis ſubinde ex profanâ hiſtoriâ, quæ ad eorum illuſtrationem poſſint opponi.

Ignota quæ per hoſce annos egerint Chriſtus & Deipara.

Quænam author dicenda ſumat.

II. Erat

II. Erat sancta familia Nazarethi, cum Iesus post reditum Hierosolymitanum, agere cepit annum ætatis decimum tertium, Virginis Matris septimo ac vigesimo respondentem; quo anno iam grandior natu, vtpotè pueritiæ limites prætergressus, magis aspectabile fecit, inauditum illud, nec vllis vnquam verbis assequendum demisionis miraculum, quo matri obsequentissimus, & ob Matrem Iosepho subditus vixit: idcòque S. Lucas [a], post enarratam duodennis pueri disputationem, reditumque in domicilium Nazarenum, *& erat* inquit *subditus illis*, eius vitâ plurium annorum, tribus hisce voculis comprehensâ. Vbi docent sacræ Theologiæ professores; res à Christo gestas in duo genera posse distribui, & eorum quidem altero operationes contineri quas habuit cum cæteris hominibus communes; altero verò ipsius peculiares, vt erat humani generis Liberator. Priores ad humanam potius eius naturam; posteriores magis ad diuinam referendas: illas vitam Christi priuatam; has publicam, & præsertim æternæ hominum salutis procurationem spectare. Quod igitur attinet ad secundi generis opera, Christus nulli hominum subditus fuit, vnde Matri interroganti, de triduanâ eius in templum secessione, respondit: *Nesciebatis; quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Quæ verba paulò ante sumus interpretati. At verò in reliquis operibus primi generis, subdi non modò voluit veræ Matri suæ; sed etiam Iosepho, qui tantùm erat in hominum existimatione pater, re verâ nutritius & custos: & id ab illo non necessitate, sed voluntate nouimus factum, vt nobis præberet exemplum obsequij ac reuerentiæ ergà maiores. Itaque cum Euangelista Iesum exhibet ab anno duodecimo humanis parentibus subditum, videtur innuere, ipsum deinceps ad annum vsque trigesimum, priuatam duxisse vitam, seque operibus exercuisse hominum sui status communibus, & quidem ex parentum præscripto; à quibus pendere in ijs, licet re ipsâ vtriusque Dominus, ac Deus, non est dedignatus. De quo mysterio loquutus olim S. Bernardus [b]: *& erat*, inquit, *subditus illis. Quis, quibus? Deus hominibus; Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat Mariæ; nec tantum Mariæ, sed etiam Iosepho propter Mariam. Mirare ergò vtrumlibet, & elige quid amplius mireris, siue Filij benignissimam dignationem, siue Matris excellentissimam dignitatem. Vtrinque stupor, vtrinque miraculum: & quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo; & quòd Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio. In* laudi-

Obsequium Christi ergà Matrem, & Iosephum.

Operũ Christi, per hoc tempus genera duo.

Quibus operibus subditus Matri.

a Luc. 2. v. 51.

b Bernar. hom. 1. sup. Missus est.

laudibus Virginum singulariter canitur, quòd sequuntur Agnum, quòcumque ierit: quibus ergò laudibus iudicas dignam, quæ etiam præit? Admiratur hoc ipsamet Deipara apud [a] Rupertum, vbi per prosopopæiam inducta, de eâ ad ipsam Christi subiectione philosophatur; quòd is in disciplinâ humilitatis, omnium magister, ac princeps; tanquam minimè considerans, se Deum esse; matrem profectò dignam existimarit, quâ se minorem in terris Dei filius, vt potè subditus, exhiberet. Opportunissima sanè cogitatio ad humillimam Virginis admirationem.

a Rupert. l. 1 Cant. ad id: Dilectus meus mihi.

III. Ex Romanis rebus, incidit in hunc annum Germanici consulatus [b], quem ille adeptus est, nondum Præturâ functus, ac præter morem toto gessit anno, quo, nihil ab illo factum legitur memoriâ dignum. Sed filium tunc suscepit [c] Caium, cognomento Caligulam, qui post Tiberium Romæ imperauit, aut potius tyrannidem exercuit superbiâ, crudelitate, luxuriâ. Quare Germanici potestas consularis memoranda tantùm fuit filio prolato in perniciem populorum: dum è contrario Dei filius vltrò matri ac Iosepho subiectus, in angulo Galilææ crescebat ad imperium Orbis terrarum, cui salutem, felicitatem, omnia bona erat allaturus; Caius puer educabatur in castris, & quasi vix natus ambiret imperium, tum à calceamento militari nomen accepit; de eo enim apud Suetonium [d] leguntur hi versus.

In castris natus, patrijs nutritus in armis,
Iam designati Principis omen erat.

Iesus autem per subiectionem vltrò quæsitam, & obsequium hominibus præstitum, ad eorum imperium feliciter adoleuit.

Germanicus Consul.

Opponitur Dei Filio Matri subiecto.

b ... l. 56.

c ... in ... 8.

d ... ibid.

Annus Christi 14. B. M. Virginis. 28. Augusti Imp. 55.

I. Nihil quod sit huius anni proprium è sacrâ historiâ, siue de Christo, siue de Virgine Matre proponendum occurrit. Commune omnibus, siue qui antecesserunt, siue qui consecuti sunt illud esto, quod exposito reditu Nazareno, Christique ergà humanos Parentes obsequio, subdit proximè de Virgine sanctus Lucas [e] per ea verba: *Et mater eius, conseruabat omnia verba hæc in corde suo.* Arca nimirum animata, non veteris, sed noui Instrumenti; eiusdem verba omnia, dicta, inquam, & facta pueri Iesu, quæ hactenus narrata

Pueri Iesu dicta & facta consignabat memoriæ Mater.

e ... 2. v.

rata sunt, magno studio in pectoris sinu condebat. Modestiæ enim erat, quòd contrà non satis identidem intellecta, nihil mulierum more proferret; nihilue magnificum de se ob filij raras dotes iactaret: prudentiæ verò, & magnæ de puero existimationis, quòd non obiter ad singula eius dicta, resque gestas animum aduerteret, sed nihil vtrinque inobseruatum relinquens, omnia simul cordi intimo conseruanda committeret. Insuper ex admirandis initijs, conijcere illi dabatur rerum exitus; eratque in animo, euulgaturis per vniuersum Orbem, Iesu nomen discipulis, singula enarrare, quæ ante omnes ipsa cognouisset. Ab eâ certò Apostoli, ab eâ ipse Lucas, quicquid de Christo infante, ac puero proditum est, didicerunt. Imo Barradius [a] notat, insinuare Euangelistam, vnde hæc quæ litteris mandat, acceperit; quasi dicat; quæ à Virgine didici, hæc scribo; illa enim omnia conseruabat in corde suo. Idem de Virgine Deiparâ dictum ab eodem [b] significauimus suprà, cum Pastores ab Angelo edocti mysterium nati inter homines Dei, ad eum adorandum in speluncam Bethlemicam festinantes concesserunt; simulque nuntiarunt alijs, quod ipsi cælo aperiente didicerant. Et contulisse tunc omnia in corde suo dicta est Virgo, quoniam quæ prænuntiata de nato puero à sacris Vatibus nouerat, quæ ab Archangelo salutante, quæ ab Elisabethâ cognatâ audiuerat, cum cælestis militiæ præconijs desuper personantibus, & cum simplicium pastorum plausu, longè lateque vulgato comparabat. At verò cum filium hoc ipso tempore domi enutritum in adolescentiâ spectaret, annisque proximè consequentibus admirata subinde fit omnium virtutum exemplar, habuit multò plura quæ disceret, quæ committeret pectori, atque in suo corde conferret; constituta propè à secretis æterno Verbo in carne versanti, cælestium conscia arcanorum, & magistra Religionis effecta. Denique ex hac Virginis constanti ac diuturnâ obseruatione ad Christi dicta, factàque intelligendum satis relinquitur, quantâ cum modestiâ, & veneratione parentes illi præciperent, si quid mandandum occurreret. Reliquam Christi vitam ob oculos gestam sanctissimæ matris, vsque ad egressum Ioannis è deserto, persequitur Euangelista; neque aliud de eo prædicat, quàm ad continuum ætatis incrementum, sapientiæ pariter, gratiæque profectum, id quod ex mente sacrorum Doctorum paulò ante sumus interpretati.

[a] Barrad. tom. 1. lib. 8. cap. 10.

[b] Luc. ibid. ver. 19.

Ex Iesu domi enutrito quanta didicerit Mater.

II. Exhibet hoc ipso anno Romana historia testamentum

tum

tum Augusti, factum ab eo (vt Suetonius [a] ait) tertio nonas Aprilis; ante annum, & quatuor menses quàm decederet; de Hæredibus & Legatarijs plura apud Historicum. Vnum non videtur alienum à re nostrâ; quòd scriptum illud ipsius Augusti, & libertorum manu apud sex virgines Vestales depositum fuerit. At quantò melius Deiparæ Virginis vnius in corde purissimo, dicta & facta seruabantur non Augusti, sed Christi. His veræ animorum diuitiæ, ingentesque ad genus humanum locupletandum thesauri continebantur: dum opes imperatoriæ faciliùs amissæ, quàm acquisitæ, tendebant ad inopiam possessorum.

a Sueton. in Octau. c. 101

Testamẽtum Augusti apud Virgines Vestales depositum.

Opponitur Christi opibus, seruatis in corde Mariæ.

Annus Christi 15. B. M. Virginis 29. Augusti Imp. 56. & vlt.

I. Sextus & quinquagesimus Augusti Imperatoris annus, cum quintodecimo Christi, & nono suprà vigesimum Deiparæ ex nostrâ supputatione concurrit, quo nimirum anno absoluto, ipsum Augustum obijsse, expleto ætatis sexto ac septuagesimo, scribunt Romanarum rerum Historici [b]. Spectat ad Deiparæ annales obitus Principis, cuius vita plura continuit ad illam relata. Nam sopita ab eodem bella, clausæ Iani fores, Orbisque terrarum pacatus [c], locum pararunt venturo in mundum per Virginis partum Dei Filio, quem Vates authorem pacis hominibus fore prædixerant. Hæc autem facta esse, scriptores meritò notant, Deo moderante Augusti consilia, licet is nescius foret mysterij, quod latebat. Sed alia Historiographos ostenta magis ad præsagitionem mouerunt, visus Augusto Vrbem ingresso [d] circulus, in speciem cælestis arcus, orbem solis ambire; itemque sol ipse [e] fulgorem emittere ternos intrà circulos, quorum vnum corona spicarum ignita circumdaret; in tres denique soles [f] diuidi, atque iterum ex tribus coalescere in vnum. Hæc omnia Ethnici credentes facilè scriptoribus suis, ad Augusti imperium & felicitatem detorquebant; quæ, si reipsà contigerunt, & non potius sunt conficta, aliò relata oportuisset; ad partum nempe virgineum, & Christi aduentum appropinquantem; vnde alter in nubibus arcus fæderis, agnosci ad signum pacis ab afflictis mortalibus potuisset; aut in diuinarum Triade personarum effulgens instar solis Christus; aut purissimum vnius

b Tacitus Dio. Velleius. c Orosius l. 6. hist. c. 18. & seqq.

d Suet. in Oct. c. 95. e Dio l. 37. f Dio l. 47.

Augusti obitus.

Quomodo spectet ad Annales Marianos.

Signa visa Augusto.

Et relata ad Christi aduẽtum.

ac trini Numinis lumen, extincto in Idololatriâ Deorum noctifero comitatu.

Alia ab Augusto gesta, deducuntur ad gerenda per Christum.

II. At verò meliùs Orosius, res alias ab Augusto gestas, ad eas deducit, quæ gerendæ per Christum essent [a]; Exustæ in ærario tabulæ veterum debitorum, respondere videbantur humani generis liberationi à veteri debito per culpam contracto, cui debito Dei Filius ex Virgine *factus homo* sui profusione sanguinis satisfecit. Illud præterea mirum occurrit, quòd Octauianus Imperator, Augusti nomen [b] ad posteros deriuandum suscepit, octauo Idus Ianuarias, quo die Christus à Magis, vt Rex Iudæorum est agnitus, atque à Patre & Spiritu Sancto, præclarum illud accepit in Iordane testimonium, de quo Matthæus, & Lucas. Quid quòd edicto promulgato Cæsar, vetuit se Dominum appellari, suosque nepotes eodem titulo impertiri; cum admiratus oracula obmutuisse, & caussam ab Apolline sciscitatus tanti silentij, illud Cacodæmonis accepit ex Delphicâ cortinâ responsum, quod habes apud Nicephorum [c].

a Sueto. in Octau. c. 32.

b Oros. vt sup.

c Niceph. l. 1. c. 17

Me puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans
Cedere sede iubet, tristemque redire sub Orcum.
Aris ergò dehinc tacitis abscedito nostris.

Quoniam verò tantum puerum, cui primas deferret Apollineum oraculum partes, audijt commendari, illi vel ignoto [d], tanquam Dei primogenito aram censuit excitandam in ipso Iouis Capitolini templo; vbi consultis Sibyllarum libris; ad vaticinia prænotantia virgineum partum, accommodari posse responsum Delphicum sensit, adeò vt fama percrebuerit, conspectam ab Augusto fuisse in cælo Virginem, cum puero eius brachijs insidente, nonnisi indicio Sibyllæ, vt suprà docuimus. Denique quod superat omnem eius felicitatem, cum populorum sibi subiectorum viritim censum iniuisset, ipsum Dei Filium, & Virginem matrem descripsit, vtinam & agnouisset.

d Suid. vert. Augustus, Cedrenus in Comp.

Archelaus principatu amotus.

III. Deo etiam vltore credimus factum, vt idem Augustus paulò ante quàm è vitâ discederet, Archelaum nono iam anno in Iudæâ regnantem, ob tyrannicam crudelitatem populis inuisum, Iudæis vnà ac Samaritis accusantibus, patriâ & principatu deiecerit; decebat enim Christo iam pubere, expelli à Iudæâ Tyrannum, à quo tanquam ab Herodis filio, & morum hærede, necem illi eidem, sed puero Iosephus timuerat, cum ab Aegypto redux, septennem Filiolum & Matrem in Iudæam ducere cogitaret. Interea Augustus prouinciam

per

per Præsides moderatus, pro eorum arbitratu Principes Sacerdotum substituendos, amouendosque permisit: quare populus Deo olim gratus in primis, regno pariter ac Sacerdotio destitutus, Iesu Christo debebatur Regi simul ac Sacerdoti summo, qui tum in Galilæâ apud matrem Mariam, & educatorem Iosephum priuatim degebat à Deo missus, vt exerceret vtrunque munus.

Et Pontifices pro arbitratu Præsidum.

IV. Eo igitur annos nato quindecim, cum paulatim Synagoga deficeret, Nolæ Augustum ex alui profluuio vita defecit. Interuenisse ferunt [a] ex Dione ac Tacito [b], Liuiæ coniugis fraudem, per oblatas viro ficus veneno illitas, vt Tiberio filio spes imperij firmior esset, nec iunior Agrippa Augusti nepos, ab exilio reuocaretur. Et tamen eiusmodi coniugem Princeps amauit adeò, vt in eius amplexu, postremisque ad eandem vocibus: *Liuia nostri coniugij memor viue & vale*; repente expirarit. In hasce fallacias quasi ludens immittebat dominatores suos aula mundi moderatrix; dum Nazarena domus æmula cælo, selectissimam triadem alebat, mutui amoris vinculo colligatam; vbi Iesus Dei Filius, humili ergà humanos parentes obsequio, ad maxima proludebat imperia, viuum Matri, Iosepho, & Cælitibus spectaculum sanctitatis, cui plausus vtique debebatur, & potiori quidem iure, quàm Augustus moriens, ob benè gestam in theatro vitæ personam, dari sibi ab amicis postularit.

a Dio. l. 16. b Tacitus Annal. l. 1.

Accelerata Augusto mors fraude Liuiæ.

Nazarenæ domus cum aula Romana collatio.

Annus Christi 16. B. M. Virginis 30. Tiberij Imp. 1.

I. A Gente Virgine trigesimum ætatis annum, Christus sextum decimum init, quo in Augusti locum, industriâ Liuiæ matris illicò successit Tiberius: cum enim sit è S. Lucâ compertum, tunc eum ad annum imperij quintum suprà decimum peruenisse, quando prodiens è deserto Ioannes nunciare populis pænitentiam cepit, atque eosdem expians ad ripas Iordanis salutari lauacro, Christum ipsum vltrò accedentem abluit, sub initium anni trigesimi: negari ex hac supputatione non potest; exeunte eiusdem Christi decimo quinto, decessisse Augustum, & regnasse Tiberium. Quo tempore, sicuti certum est, Deiparam cum Filio, & Sponso habitasse Nazarethi; ità nihil dici potest peculiariter ab ijs gestũ, quod in annos etiam antecedentes, & consequentes non cadat.

Tiberij principatus initium.

Scribunt aliqui vitam Christi priuatam fuisse contemplationi deditã.

II. Placuit nonnullis, itã huius sacræ familiæ vitam describere, vt exercente Iosepho lignariam artem, quam illi tribuunt Patrum plerique, & opera muliebria telarum, ac lanæ tractante Deiparâ, ex vtriusque compendijs Christus aleretur, interim contemplationi vacans rerum diuinarum, cuius gradum supremum cum suo iure teneret, dici otiosus non poterat, etiam si nullo externo opificio manus occuparentur; vita enim diuinis attributis contemplandis addicta, habet hoc sibi proprium, vt minimè actuosa sit, cum nihil extrinsecùs operetur, nec tamen otiosa permaneat: sic otium Magdalenæ non erat, sedentis ad Christi pedes, neque veterum Ascetarum in desertis Thebaidos excubantium. Itaque Christo tribuere mechanici operis exercitium, ad otium vitandum, visum est indignum ijs, qui asserunt vacasse illum altissimæ contemplationi, & hoc tantùm opere priuatam in oculis parentum duxisse vitam. Propterea negant contrarium euinci ex eo, quòd faber à Nazarenis ciuibus vocaretur, id enim factum volunt, vt vilior esset populis eius doctrina, vel certè quia fabri filius haberetur. Itã in hanc sententiam concludit Paulus [a] Burgensis Episcopus; itã Simon de Cassiâ [b], apertè negans, Christum vllo manuum opificio suo vitam sustentasse; *artem*, inquit, *nullam Christus discebat vndè captaret necessaria vitæ; sed aut maternis, aut paternis lucris, & interdum quæstu humiliter fouebatur*. Additque præterea, contemplationem illi fuisse, externi operis loco, eiusque *vitam totam Deificam*. Inter recentiores Euangeliorum interpretes Barradius [c], propendere se in hanc sententiam professus: *Instar*, ait, *religiosi viri, verosimile est vitam duxisse Dominum, & orationibus, ieiunijs, spiritalibusque rebus potius, quàm fabrili arti vacasse. Quis enim dixerit per alienas ædes fabrilia exercuisse opera, conscendisse tecta, ligna dolasse*.

a *Paulus Burg. in c. 6. S. Marci*
b *Simon. Cass. lib. 4 cap. 1.*
c *Barrad. tom. 1. l. 10. cap. 15.*

Plures sentiunt, exercuisse artem fabrilem.

III. Attamen plurium est Doctorum opinio, comprobata Fidelium sensu ferè communi; Christum ante quàm susciperet à Ioanne baptismum, & opus publicum Saluatoris inchoaret, artem vnà cum Iosepho priuatim exercuisse, non ferrariam, vt [d] Hilarius, Chrysologus [e], alijque [f] senserunt, nec cæmentariam, vel aurariam, vt censuit Hugo; sed lignariam, vt ex traditione maiorum vulgò nunc creditur in Ecclesiâ; & libro *de infantia Saluatoris*, quamuis apocrypho, & proscripto innuitur, quod sententiæ cæteroqui probatæ indicat antiquitatem. Idipsum Iustinus Philosophus & Martyr disserens cum Tryphone Iudæo apertè confirmat, itemque Chrysostomus

d *Hilarius Can. 14. in Matth.*
e *Chrysol. serm. 48.*
f *Isidorus in Reg. Monach. Leãder episc. Hispal.*

mus [a], quibus recentiores ferè omnes subscribunt. Itàque Christum tum reliquis adolescentiæ annis, tum hoc ipso de quo nunc agimus, in eadem arte lignariâ Iosepho laboranti ministrasse, dicere possumus, & viliori hoc exercito opere, exemplum nobis prætulisse ad vitandum otium, hominibus, Salomone [b] teste, maximè perniciosum; simulque subijsse vltrò pœnam, à Deo præscriptam olim Adamo fonti, escâ sibi ad victum *in sudore vultus* [c] paratâ; ad nostram denique institutionem, in se ipso virtutem expressisse humilitatis, vt dicere suo iure posset [d]: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Felicem enimuerò Iosephum, qui in opere fabrili talem actantum habere adiutorem meruit: Ad eum Ioannes Baptista Masculus [e] in Sanctorum Encomijs: *Vidisti*, inquit, *mundi fabrum quondam citrà laborem, collaborantem cum dolabra tibi; cæli artificem astra constantem auro, ligna denticulato secantem ferro.*

a Chrysost. in cap. 13. Matth. ser. 30.
b Prouerb. 18. ver. 19.
c Genes. 3. ver. 19.
d Matth. 11. v. 29.
e Mascul. 19. Martij.

IV. Exhibet hoc anno Romana historia, delati ad Tiberium principatus auspicia, per Agrippæ iunioris cædem, quem, ait Tacitus [f], ignarum inermemque summissus Centurio, quamuis animo firmatus ægrè confecit. Iuuenem suspectum Tiberius metu, & inuisum Liuia nouercalibus odijs creditur interficiendum curasse; quin etiam additâ cædi cæde, Iulia Augusti filia & Agrippæ mater ante annos quindecim, relegata, iussu noui Principis, qui eius olim maritus fuerat, inopiâ, ac tabe longâ perempta est. Itaque dum adolescentiam imperio dignam coram Matre Christus ad lignariæ deprimit opificium, tunc principatum Tiberius auspicatur à crudelitate in suos: atque eodem Tacito [g] teste, iam senex in speciem modestiæ ardentissimè ambit imperium; dum è contrario Christus arte nobiliori seruit imperaturus, exhibitamque à diuino puero seruitutem Maria & Iosephus spectant.

f Tacitus l. 1. Annal.
g Tac. l. 1. Annal.

V. Renouata est id etiam temporis sub nouo Imperatore Iudæa, vbi Sacerdotes summi intrà paucos menses sibi inuicem successerunt plures [h], amoti sacerdotio, & subrogati Præsidum iussu. Sed ex hoc potius videbatur ostendi, obsolescere ibi iura sacrorum, violata Romanorum arbitratu, eaque iam in Christum vergere, qui priuatim apud Matrem degebat. Iudææ status

h Iosephus l. 18. antiq. cap. 3.

Annus

Annus Christi 17. B. M. Virginis 31. Tiberij Imp. 2:

I. PErgit in suâ Nazarenâ habitatione Christus, agitque natu iam grandior annum ætatis septimum suprà decimum. Hoc ipso Nazarethi spectabatur à Virgine matre, ac Iosepho in dies proficiens, quoad externam prudentiæ, sapientiæque demonstrationem, vt suprà etiam est indicatum. Sed quod ijsdem magis mirandum occurrebat, & nobis cedit in maximum humilitatis exemplum, ad capienda Christianæ vitæ documenta, tandiu seruatum in tantâ rerum notitiâ silentium, licet infinitos diuinæ scientiæ thesauros in se contineret, & insuper potestatem patrandi miracula, vbicunque vellet; & omnia omninò posset. Cur enim non mirarentur, qui personam probè nossent, tacitum per tot annos in angulo Galilææ, Dei verbum carne vestitum? cum in arcano illo secessu, Dominus omnium & Magister, nec docere populum, nec dominari subditis, neque litteratorum adire congressus, neque miraculis vellet suam declarare diuinitatem: Propterea Nazareni ciues, nihili eum æstimantes, vix aptum adiutorem, ac ministrum in officinâ lignariâ iudicarunt, imò auditâ postmodum eius in concionibus doctrinâ, cognitisque miraculis, cum admiratione dicebant [a]: *Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? nonne hic est filius fabri?* Quin etiam ex Iudæis non defuere, qui subitam illam dicendi vim, atque extemporalem veluti facundiam furori tribuerint, ità causantes [b]: *quoniam in furorem versus est.* Vnde Ethnici quoque, in eum identidem iocati, à cauillatione non abstinebant, vt miles ille, apud Iulianum Augustum Catholicæ Religionis desertorem, cui militi interroganti per iocum [c], *quid faceret fabri filius*, argutè Christianus; *sandapilam ad vestrum Imperatorem efferendum molitur*. Hoc adolescentis Christi silentium, quocunque maximorum sapientum sermone præstantius, intentam tenebat præcipuè Virginem Matrem, quæ ab eo discebat, augebatque in se quotidie magis Christianam animi demissionem, cum secum tacita consideraret, eum qui omnia nosset, ac posset, id temporis silere malle, quàm loqui; ac si necesse haberet, cum scholâ Pythagoræorum, diuturno silentio, rectè loquendi veriorem artem addiscere. Ab hoc exemplo didicit ipsa quoque abscondere sese, atque ex prudentiæ præscripto

Christi per tot annos in tanta rerum notitia silentium.

Fuit præcipuè documento matri Mariæ.

a Matth. 13. ver. 51.

b Marci. 3. ver. 21.

c Sozomenus l. 6. c. 2

præscripto parca verborum, quàm modestissimè sentiens de se ipsâ, rebus tantùm cum virtute gerendis incumbere, adeò vt iure dici cum Ambrosio [a] possit, *eius vnius vita, omnium disciplina*.

a Ambr. l. 2. de Virg.

II. Sed Christo per hæc tempora tam vtiliter tacenti, opponere habemus ex Romanis rebus, alterius generis taciturnitatem, quæ perniciosè, nedum inutiliter, Romæ tunc erat. Nam Tiberius Imperator inito paulò ante principatu, arcanam aduersùs Germanicum æmulationem concepit, qui rebus in Germaniâ prosperè gestis, tum apud legiones, quibus præerat, tum apud Romanum populum vniuersum, magnam sibi nominis existimationem, magnamque beneuolentiam conciliarat; ideòque specie honorum, victorem, à quo sibi plurimùm metuebat, dolo & casibus obiectare tacitus cogitabat [b]. Itaque premens animo iniqua consilia, nouas illi, & valdè periculosas expeditiones indixit, certus aliquandò per fraudem perimere, quem fortè alea belli seruasset. Hac dissimulatione nouus Cæsar prauam indolem, mentemque occultabat; quæ suo deinde tempore foras erupit; interim, hostili silencio pressa, virus abscondebat, fouebatque, cum è contrariò silentium Christi, mortalibus saluberrimum tenderet ad eorum institutionem, & vitam; illudque non minus quàm dicta & facta conseruaret in corde Virgo Mater. Conferat vtrunque silentium eruditus in sacrâ & humanâ historiâ lector, cognoscet, nobis vltrà pergentibus, quantum attulerit boni silendo per tot annos Christus, quantum intulerit mali fingendo, ac dissimulando Tiberius.

Aliud per id temporis, Tiberij silentiū perniciosum.

b Tacitus l. 2. Annal.

Annus Christi 18. B. M. Virginis 32. Tiberij Imp. 3.

I. Vita Iesu Christi, & Virginis Matris, per hosce, quos nunc percurrimus annos gesta, soli Deo, & Cælitibus patuit, à quibus cum relata sit in cælestes annales, & libro commissa diuinitatis, legi ac sciri in hac vitâ non potest. Dabit electis suis Deus plenè legendam in cælo. Sacræ interim familiæ mores, iisdem annis numeratis, veluti per nubem pergemus inspicere, veneratione potius, quàm expositione, & quæ multorum pietatem accendit, sanctam Iesu, Mariæ, & Ioséphi in conuictu consuetudinem, obiter per partes indicatam,

Res per hūc & reliquos annos exponendæ.

cum

cum ijs quæ notatu digniora, humana subinde historia suppeditabit, conferemus.

Geminæ partes vitę Christianæ.

II. Duas vitæ Christianæ partes distinguere solent, qui ad eam instituendam præcepta tradunt; alteram quidem in contemplatione rerum diuinarum sitam; alteram vero in externo versantem opere, & cum virtute actuosam: priorem in Magdalenâ ad Christi pedes sedente adumbratam volunt; posteriorem in Marthâ eidem ministrante. Sanctissimæ Nazarenæ familiæ, in quâ perfectus elucebat vitæ Christianæ typus, contemplatio perfecta non defuit, Christo ipso præsertim magistro, quo præeunte quotidie perattentâ consideratione Maria & Iosephus diuina mysteria recolebant. Sub tanto magisterio quàm sublimem gradum contemplationis attigerint, intelligere quiuis cogitando facilè potest. Mihi in eis intuenti vitæ contemplantis negotiosum otium, vsurpare licet, quod de Eliâ, atque Enocho mortem nondum expertis, & certo quodam loco ad mundi finem seruatis, asserunt Patres, in primisque Petrus Chrysologus [a], dicens illorum alterum *Angelis commorari, Deo conuiuere, ac terrenum quantumuis hominem, supernas possidere mansiones*. Id Mariæ & Iosepho conuenire nemo negabit, fruentibus Iesu præsentiâ, cui Angeli seruiebant, & curiæ cælestis imaginem in terris aliquam efformabant. Et vnde nisi ab hac sanctâ domo institutam credimus sacrosanctam Ascetarum cohortem, qui procul à mortalium consortio, Aegypti ac Thebaidos speluncis abditi, diurnâ nocturnâque diuinarum rerum contemplatione mentem exercebant, terrarum, cognationis, & quodammodo sui ipsorum obliti? Discere & nobis ab eâdem licet, quomodo in vsum vocare possimus salutarem S. Pauli [b] doctrinam ad Philippenses communem omnium etiam Fidelium documentum, quibus in terrâ degentibus, nonnisi cælestem conuersationem præscribens Apostolus: *nostra*, inquit, *conuersatio in cælis est*. Præcipuam sanctarum commentationum materiem Deiparæ fuisse credibile est, æterni Verbi ex ipsamet Virgine corporati, Deique hominis facti mysteria, pariterque Iosepho ipsam Christi personam, in quâ vtriusque animo obuersabatur, ingens humano generi beneficium exhibitum; neque aut gratijs agendis, aut diuinæ bonitati commendandæ deerant. Cæterùm si sanctis viris [c] cótemplationi deditis concessum diuinitus fuit noctes totas insomnes orando iucundissimè transigere: quantò iucundiorem eandem exercitationem Dei Matri, eiusque Sponso contigisse dicemus, quibus Christus ipse Dei

Studium cótemplationis in Nazarena familia.

Nobis addiscendum.

Vocandum. que in vsum.

Quæ cótemplationum materies.

a Petrus Chrysol. de Elia.

b Ad Philip. 3. v. 10.

c Ex Actis Sanctorum

Dei Filius, dux & magister præibat?

III. Sub hoc tempus Romæ Tiberius adhuc de perdendo Germanico quamuis adoptione filio, cogitabat; eoque animo Syriæ præfecturam designauit C. Pisoni. auidum nempe gloriæ, & impatientem æmuli Ducem, Germanici victoriæ tenuere sollicitum, noctuque vigilem, somno sæpius ad earum sonitum interrupto. Noctes Cæsaris insomnes, si quis conferat, cum Mariæ, & Iosephi vigilijs, illis quidem tabescentem inueniet alienæ gloriæ consideratione principem; his verò sanctissimos coniuges per spiritum in cælum admissos, ad æternæ vitæ delicias maturè prægustandas. Id etiam temporis ab eodem Tiberio salutaria manarunt edicta, de luxu vestium moderando, sericis lege sublatis, deque aureis vasis, nusquam nisi ad sacra adhibendis, ne pecuniæ in vsus profunderentur Reipublicæ minus vtiles. Sed non id factum credimus, absque peculiari diuinæ prouidentiæ consilio, quando Deipara & Iosephus in paupere domo, assiduæ contemplationis materiem habebant, Iesu Christi Regis Regum voluntariam paupertatem, quæ tam insigni exemplo mortalibus ostensa, ad coërcendam vbique vestium, opumque luxuriem, vim legis habere videbantur. Repressum præterea hoc anno à Tiberio volunt Magiæ dæmoniacæ crimē, ijs qui eam exercebant, exilio, aut morte mulctatis: cum, teste Tacito [a], perniciosæ cum Dæmone consuetudines, & nefaria pacta diu Romam exedissent. Editæ aduersùs ea scelera sanctionis meminit Plinius [b], quâ pulsos ab Italiâ vniuersâ Magos, legibusque seuerissimis coërcitos fuisse, plurium testimonio constat. At felicius indicebantur à Christo inferorum potestatibus bella, quas nimirum eius ad Patrem preces congeminatæ, melius quàm Tiberiana edicta, non ex mundi tantùm, sed ex animorum possessione exturbabant: atque eisdem victorijs Deipara, cum Sponso Iosepho plaudebant, dum orarent.

c Tiberij aduersus Germanicum æmulatio.

Opponitur Mariæ, & Iosephi tranquillitati.

Edicta Tiberij salutaria.

Opportunè ad rem nostram.

a Tacit. Annal. lib. 2.

b Plinius Nat. hist. l. 3. cap. 1.

Annus Christi 19. B. M. Virginis 33. Tiberij Imp. 4.

I. ALteram vitæ contemplantis exercitationem, in sacrosanctâ Nazarenâ Triade, de quâ loquimur, exhibebit hic annus, cæteris quoque communem, quæ mutuis collocutionibus constat frequenter habitis, atque ad familiarem sermonem trahentibus diuina mysteria. Id factum in

De sacris colloquutionibus in domo Nazarena frequenter habitis.

dies, vbi ad honestum animi laxamentum, Iesu, Mariæ,& Iosepho sacri intercessere congressus. Quâ piè conueniendi consuetudine contigit plerisque Sanctorum, tantâ de diuinis loquentes perfundi dulcedine; vt sæpe ieiuni,imò ne cogitantes quidem de reficiendo corpore, diem extraherent; ijdemque horas noctis omnes, sanctâ iugiter sermocinatione consumptas, perbreue spatium temporis existimarent [a]. Sancti Benedicti Abbatis sancta pariter soror Scholastica, adeò recreata narratur fraternis de Deo verbis, vt impetratis de cælo copiosis imbribus,vespere discessurum apud se detinuerit nocte insequenti; eundemque somni, cibique oblita, audire iucundissimè vsque ad diluculum perseuerarit. Quantam verò fuisse dicemus Mariæ & Iosepho iucunditatem,non modò recolentibus inter se per mutuas collocutiones diuina in genus humanum beneficia, sed etiam audientibus identidem Christi verba, quæ pios eorum dialogos mirificè condiebant. Quibuscumque mortalium [b] in Dei nomine conuenientibus ad colloquia, Deum adesse medium, licet non visum, sacræ litteræ docent, atque ità contingere sanctis in vnum congregatis, confirmauit magister veritatis Christus. Id quod Nazarenæ familiæ feliciùs accidit, vbi corporatus Deus, humanâ in carne non modò videndum se præbuit, sed palam ipse sermonum sator,promebat æternæ vitæ verba, diuinæque bonitatis laudes Mariæ & Iosepho alternis instillabat. Constat è Sanctorum historijs Angelos humanâ sub specie pijs eorum colloquijs interfuisse, atque ad illustranda quæ dicerentur certatim conuolasse. At quantò libentius, pleniusque beatas cæli mentes accessisse dicemus ad Mariam & Iosephum verba simul facientes de diuinis rebus,quarum collocutionum vndecunque sanctarum veniebat in partem Christus ipse,optimus animorum magister? Vtinam hinc addisceret imperita mortalium multitudo, abolitis omninò sermonibus prauis, quibus Cacodæmones præsunt, vtiles & sanctos habere congressus, quibus animi illustrantur, conuenientibus eò cælitibus, ipsoque cælitum Principe. A sacrosanctâ Nazarenâ Triade exemplum præclarissimum habet, vnde Sanctorum plurimi profecerunt, *conuersationem*, vt ait S. Petrus [c], *habentes bonam*, quâ Deus ipse delectatus est, & frui Angelos iussit, custodes, præsides, & spectatores.

Earum ex Christo colloquente iucunditas.

Ijsdem interfuerunt Angeli.

a *Ex eius vita.*

b *Matth. 18.v.20.*

c *Petr. 1.c. 2.vers. 12.*

Caiphas Pôtificatû init.

II. In Iudæâ hoc anno, summum Sacerdotium (quod Pontificibus arbitratu Præsidum Romanorum sæpe mutatis, fluctuare ac distrahi ceperat) ad Iosephum deuenit cognomento

mento

mento Caipham, eum nempe, qui deinde ad Ioannis baptiſmum accedente Chriſto, Princeps erat Sacerdotum, vt refert S. Lucas[a]. Is coacto poſt aliquot annos concilio, de Chriſti morte cum Phariſæis deliberauit, & iam Sacerdotium auſpicatur dum Chriſtus ipſe apud Matrem degens, nono ſuprà decimum ætatis anno, appropinquare ſentit ſibi tempus ſubeundæ crucis, ad liberationem humani generis, ac de eo fortè myſterio non ſemel loquentem, Maria & Ioſephus audierunt; agendiſque Domino gratijs pro beneficio, cunctis hominibus præiuerunt. Herodes interim Antipas, Aſcalonitæ filius, qui Tetrarchæ titulo Galilææ dominabatur, Tiberij Imperatoris in gratiam receptus, vrbem à ſe conditam in orâ Geneſarethani lacus, appellauit ab eius nomine Tiberiadem. Sed principis non multum profuturi beneuolentiam, fauoremque captabat, ideòque nec priuatim ſibi, nec publicè ciuitatibus benè conſuluit. At melius id temporis ad diuinam gloriam, & pro communi mortalium bono Maria Deipara, non vrbem vnam aut alteram, ſed orbem vniuerſum optabat de Chriſti Imperatoris nomine compellari, atque ad eius partes humanum genus accedere.

a Luc. 3. v. 2.

Herodes Antipas condit Tiberiadem.

III. Ex Romanis verò rebus ferè ſub hunc Chriſti annum grauis exoritur Germanicum inter, Piſonemque contentio, vrgente Tiberio per alterum, alterius ruinam; primus enim in Orientem profectus, vt dictum eſt, & Piſo in Syriam æmulum ſubſecutus, in apertas ſimultates, mutuaſque contumelias eruperunt[b], præſertim diſcordiam fouente Plancinâ Piſonis vxore, quæ palam Germanici coniugem Agrippinam, Auguſti neptem æmulata, nec diſſimulare odium poterat, nec parcere maledictis; idque faciliùs audebat, quòd abalienatus à Germanico Tiberij animus occulto ſermone ferebatur. Eò denique ſuperbia Piſonis euaſit, vt ſine vllo metu iuſſa Germanici apertè contemneret. Horum ergo execranda colloquia, ad odia exaſperanda, offenſioneſque & ſimultates, aut ſerendas, aut fouendas tendebant: dum è contrario quicquid Nazarethi Maria & Ioſephus cum Chriſto de diuinis myſterijs loquerentur, ſanctitatem ſpirabant, ideòque inſtruendis ad veram ſapientiam animis, eorundem tranquillitati, æternæque ſaluti progignendæ valebat. Germanici & Piſonis congreſſus cædes meditabantur; ſancta Nazarenæ familiæ colloquia veram humani generis vitam, Chriſti Liberatoris ſanguine comparandam.

Germanici & Piſonis æmulatio.

b Tacitus li. 2. Annal.

Ad rem noſtram detorta

Annus Christi 20. B. M. Virginis 34. Tiberij Imp. 5.

I. INter ea colloquia Mariæ & Iosephi, quorum paulò ante meminimus, locum habent præcipuum, quæ non interloquente tantùm, sed etiam docente Christo, audientibus & admirantibus Angelis, habita sæpe sunt à familiâ, si numerum spectes, paruâ; si Numinis inhabitantis virtutem, maximâ. Hæc cæteris quoque identidem annis audita, commemoramus vigesimo Christi; quia quò ille magis ætate crescebat, sapientiam loquendo semper eò maiorem ostendit. Cum verò viginti iam annos natus, iuuentutem inchoasset; id ætatis, par erat à iuuene planè cordato verba procedere, quibus & ostendi magisterium dicentis, & haberi posset auditorum instructio. Nam, si verum est, quod scribitur significatum fuisse D. Birgittæ [a] à Virgine ipsâ Deiparâ, Iesum Christum iam natu grandiusculum, & Iosepho collaborantem in officinâ lignariâ, suam Nazarenis prudentiam ostendisse; dum eò confluentibus tot promere oracula videretur, quot verba proferret, & cuncti dum ille loqueretur, recreari se faterentur: quos fuisse dicemus Virgini Matri, quos Iosepho sensus; quantam vtrique facilitatem discendi; cum Christus diuinorum arcana mysteriorum, siue ex oraculis sacrorum Vatum, siue ex suâ ipsius mente identidem aperiret! De Virgine ipsâ suprà notauimus, quàm diligentem, quàm attentam Euangelistæ proponant, ad excipienda, recolendàque verba, quæ in Bethlemicâ speluncâ, tum à Pastoribus indigenis, tum à Magis ex Arabiâ profectis, tum denique à Simeone & Annâ in celeberrimo Hierosolymæ templo dicta fuere de Christo. At hinc optimè ratiocinari nos docet Dionysius [b] Carthusianus, eximius nostræ Virginis encomiastes; nam, si alios, inquit, tam diligenter attendit, si eorum verba memoriæ mandauit, animoque impressit, ac secum ipsa reputauit; quantò studiosius, auidiusque filium suum religionis magistrum, domi de diuinis rebus, aut Christianis sacris disserentem audiret? quantò melius dicta perciperet, percepta & cognita mente reuolueret, quantòque suauius regustaret? Ostensum sibi diuinitus fuisse ait D. Birgitta [c]: Mariam & Iosephum priuatis, domesticisque colloquijs, arcana multa à Christo didicisse, tum præsertim, cum illi per ætatem congrueret, doctorem agere: vtri-

que

Colloquutiones familiæ Nazarenæ, quibus Christus doctorem agebat.

Audientibus perutiles & præsertim D. Virgini.

a *Birgitta l. 6. Reuel. cap. 58.*

b *Dionys. Carth. l. 2. de praec. & dignit. Virgin. cap. 36.*

c *Birgitt. l. 6. Reuel. c. 58.*

que sermonis iucunditate, atque ardore, singularem animi voluptatem, mentis illustrationem, diuinique amoris flammam excitatam. Sit igitur Maria Deipara, cum Sponso Iosepho, nobis eorum imago, qui vero studio, ardentique pectore, nec sine magno profectu Dei verbum excipiunt, eius auditione, ac meditatione frequenter exerciti. Illa Filio suo interprete, atque magistro plurima per tot annos Nazarethi perdidicit: & quod magis animaduertas, à quotidianâ communicatione sermonis cum tanto præceptore, facta est in eâ magnæ sapientiæ, magnæque sanctitatis accessio. Statue te identidem lector huic scholæ, & meditando, audire te puta Iesum docentem, & Mariam contemplare discentem. Hæc certè profecit adeò, vt Apostolos instruere, atque Euangelistas docere potuerit, imò totius Ecclesiæ magistra renunciari; ac proinde ab omnibus qui se de eius gremio profitentur, obseruanda sedulò est, attentèque audienda.

Quæ plurimùm profecit Christum audiendo.

II. Circà annum Christi vigesimum, quo ipsum domi docentem commemorauimus, externas Romæ cæremonias, Aegyptiacos, Iudaicosque ritus exagitasse Tiberium narrat Iosephus [a]; Aegyptiacos quidem, ob immane scelus ab eius gentis sacerdotibus perpetratum in sacris Isidis, quorum prætextu matronam nobilem adultero expositam, quasi Deus Anubis ille foret, illudendam, vitiandamque curarunt: Iudaicos verò, quòd nobilis item mulier, quatuor Iudæorum suasu Mosaicam legem amplexa, aurum & purpuram in vsum obtulerit Hierosolymitani templi, quæ munera impostores suam prædam fecere. Aegyptios in crucem actos iussu Tiberij, mersâ in Tyberim Isidis statuâ, temploque diruto, scribit Iosephus [b]: Iudæos Vrbe pulsos, eorumque ad quatuor millia libertini generis in Sardiniam insulam amandatos, author est Tacitus [c], præterquam quòd sacrorum supellectilem & instrumenta omnia [d], qui exterorum cæremonijs ac ritu viuerent, igni tradere sunt coacti. Peropportunum sanè videbatur, vt quo tempore in intimum Mariæ Deiparæ cor, per Christi doctrinam diuina mysteria penetrabant, eàque probè instructa formabatur diuinitus Ecclesiæ magistra; tunc quoque exteros ritus Roma dediscere inciperet, impias Ethnicorum abolere superstitiones, & Iudaica sacra in Christiana permutare. Aurea per Mariam sæcula Vrbi vrbium dominæ, orbisque capiti designabantur; & iam pendente illâ ab ore Filij veræ Religionis sacramenta enunciantis, suum ducebant initium, dum Tiberius mysterij nescius; Aegyptiorum supplicio, &

Aegyptiaci, & Iudaici ritus exagitati, qua de causa.

Ad rem nostram opportunè.

a Ioseph. l. 17. antiq. c. 4. & 5.

b Iosephus ibid.

c Tacitus l. 2. annal. sub fin.

d Sueton. in Tib. c. 36

Sybillini libri à Tiberio expurgati.

cio, & Iudæorum exilio proludere quodammodo videbatur ad omnimodam Vrbis expiationem, quam adorante Romam orbe terrarum, sæcula posteriora viderunt.

III. Illud quoque non abs re incidit in hoc tempus, vt à Tiberio inspecti libri Sibyllarum fatidici, ad censuram, castigationemque vocarentur, & per eum vera oracula discernerentur â vanis. Factum id ab Imperatore testatur Dio [a] quòd de Vrbis interitu, sub annum ab eius origine nongentesimum obuenturo, vaticinium pro Sibyllino habitum in hanc sententiam legebatur.

a Dio l. 57 hist. Rom.

Ast ter tercentum reuolutis protinus annis
Roma intestina perdetur seditione,
Luxus & exitium Sybariticus afferet Vrbi.

quo carmine Tiberius falsitatis comperto, libros omnes qui vaticiniorum aliquid continerent, inspexit, & ex ijs alios tanquam spurios improbauit, reiecitque, alios in numero legitimorum, & veracium haberi voluit. Quis neget hîc sapientissimum diuinæ prouidentiæ consilium, eò tendentis, vt per Ethnicum Principem, nescientem planè quid faceret, aditus aperiretur Christi doctrinæ? cum enim futurum esset, vt Christiani ad probandam Gentibus Euangelicam de Saluatoris aduentu veritatem, ex libris Sibyllinis testimonia peterent, quod Ethnici non admitterent diuinam Scripturam; id nonnisi ex oraculis Sibyllarum expurgatis factum oportuit, ne adulterini vaticinij vlla posset esse suspicio. Præterea hæc oraculorum vera enunciantium recognitio, & declaratio, exhibita non à Tiberio solùm, sed etiam ante illum ab Augusto, esse facilè argumento potest, vaticinia id temporis euulgata pro Sibyllinis, nonnihil habuisse figmenti; ideòque non sine delectu, aut expurgatione fuisse retinenda, sed ità subijcienda legentium oculis, & à Vatibus decantanda, vt authoritate summâ de eorum seu falsitate, seu veritate constaret; dum è contrario Deipara, nonnisi probata & vera priuatis colloquijs exciperet ab ore sapientissimi Filij, quæ deinde arcana, sacris Ecclesiæ Doctoribus, ad publicam vtilitatem communicaret.

Non sine diuinæ prouidentiæ consilio.

Annus

Annus Christi 21. B.M. Virginis 35. Tiberij Imp. 6.

I. AD vitam quoque contemplantem, cuius numerauimus, & inspeximus in Nazarenâ familiâ partes, spectare videtur solemnium dierum cultus religiosè seruatus, quoniam ad recolenda diuinæ liberalitatis in homines beneficia sunt instituti, ijsque vacare præsertim Deo iubentur mortales: Cum verò statis recurrentia temporibus festa, diuinitus Hebræorum nationi præscripta, ad Dei cultum, gratamque beneficiorum memoriam, admirando Christus exemplo, vnâ cum Mariâ matre, & Iosepho celebrare consueuerit; decet nos sacræ huius Triados, exactam ad ea festa seruanda pietatem, religionem, ac diligentiam inspicere, hoc præsertim anno, quo Christus iam adultus, maiorem exterius prudentiam, maioremque sanctitatem hominibus ostendebat, quo sensu sapientiâ creuisse, & gratiâ dicitur ab Euangelistis. Sic est legi abundè satisfactum à Domino legis; sic imitata Filium sanctissima Mater cum Sponso Iosepho, eandem ritè seruauit, siue festorum ratio peregrinationes requireret ad sanctam ciuitatem, sicuti de tribus præcipuis dictum est suprà; siue vbicumque locorum ea celebrari liceret.

Festi dies à Nazarena familia religiosè seruati

II. Hæc Hebræorum festa, ab ipso Mose legislatore instituta, octo potissimum numerantur; vnum quotidianum, quod iugis sacrificij oblatione, mane nimirum ac vespere, singulis diebus celebrabatur; reliqua certis temporibus recurrebant, quorum primùm semel in Hebdomadâ septimo quoque die repeti consueuerat, & Sabbatum [a] dicebatur: alterum singulis mensibus, ipsisque Kalendis [b], sub Neomeniæ, seu Nouilunij nomine. Cætera quinque semel in anno statis quæque diebus. Et in primis Paschæ festum [c], ordine quartum, die mensis primi decimâ quartâ ad vesperam occurrebat: cum verò festiuitas Azymorum per septem dies proximè sequeretur; duo hæc festa ferè semper habebantur pro vno. Quintum Pentecostes, siue [d] Hebdomadarum erat, quia septem diebus septies euolutis, quinquagesima nimirum ab ipso Paschæ festo, quæ dies plerumque erat sexta mensis tertij. Tria postrema mensis septimus dabat, primâ quidem festum Tubarum [e], ab earum clangore nominatum; decimâ verò Expiationis [f], seu propitiationis, & quintâ suprà decimam [g] Taber-

Festorum ab Hebræis celebratorum series & numerus.

a Exod. c. 16. ver. 23.
b Num. 28 ver. 11.
c Exod. c. 12. c. 13. v. 6.
d Num. 28 ver 26.
e Leuit. 23. ver. 24.
f Leuit. 23. ver. 27.
g Leuit. 23. ver. 34.

Tabernaculorum, vel Scenopegiæ; denique festum Cætus, seu Collectæ, quo populus conuenire solebat, ad agendas Deo pro collectis frugibus gratias, pertinere videbatur ad Scænopegiam complendam, nempe in eiusdem octauâ celebratum. Præterea ad Encænia Hierosolymitani templi tripartitam Hebræi constituere solemnitatem, vt infrà dicemus.

III. Ex octo numeratis festiuitatibus, quas Moses instituit, tres quidem priores, ait Doctor [a] Angelicus fuisse celebratas, ad tria beneficia diuina commemoranda, quæ sunt mortalibus cunctis communia. Iugis namque sacrificij cultus perennitatem repræsentabat diuinæ beatitatis, cuius cognitione, ad ipsum Deum ardentius amandum, colendumque homines excitantur. Sabbatum institutum est in memoriam conditi mundi, quo nimirum senis diebus absoluto, septimâ ab omni opere cessauerat Deus, eamque diem sanctam præ cæteris fecit. Diuinam eiusdem mundi gubernationem Neomeniâ recolebant Hebræi ad ipsas singulorum mensium Kalendas. Reliquis verò quinque peculiaria quædam beneficia commemorabant suo populo exhibita, festo nimirum Paschæ, liberationem exitumque de seruitute Aegyptiacâ; Pentecostes, Mosaicam legem cælitus datam; Tubarum, subductum paternæ immolationi Isaacum; Expiationis, impetratam peccati veniam, quod populus adorando vitulo perpetrauerat; Tabernaculorum, Cætusque diuinum patrocinium, quod experti fuerant Israëlitæ, tum in deserto peregrinantes per annos quadraginta, tum etiam in promissam introducti terram, ibique vberrimè pasti. Festum præterea Encæniorum triplex, quod post Babylonicam captiuitatem à Rabbinis est institutum, die quidem vigesimâ tertiâ mensis septimi, memoriam renouabat conditi primùm à Salomone templi: quintâ verò & vigesimâ noni mensis, restituti à Iudâ Machabæo holocaustorum altaris: postquam illud Antiochi Epiphanis milites euerterunt; mensis denique duodecimi tertiâ & vigesimâ, instaurati per Zorobabelem Hierosolymitani templi; quod vastauerunt Babylonij.

Instituta illa sunt ad diuina beneficia recolenda.

a S. Thom. 1.2.q.102. art.4.ad10

IV. Hæc & alia Hebræorum festa, quorum celebrationem lex aliqua vel consuetudo præciperet, à Christo ritè seruata, atque ab eius Matre sanctissimâ, & educatore Iosepho piè ac religiosè suscepta fuisse nemo negabit, qui nouerit, exactam legis obseruantiam sanctæ illi familiæ cordi fuisse adeò, vt nullos eius ritus omissos voluerit. Cum enim de Christo constet ex testimonio Euangelistarum, perfecta legis custodia, ab

Festorũ obseruantia, quam fuerit cordi Nazarenæ familiæ

dia, ab ipsomet exortu inchoata, neque solum sacræ,sed etiam humanæ; vt Filij vestigijs insisteret Mater, vnàque Iosephus, pari voluntate curarunt. Primùm Augusti Imperatoris edicto, vniuersum Orbem per Cyrinum Syriæ præsidem describentis, obsecuti sunt, anni tempestate perfrigidâ in Iudæam Nazaretho profecti,vt dictum est; mox in circumcidendo Filio Mosis legem implerunt; eadem seruata ad vnguem est,expiatione peractâ Virginis Matris à partu cæteroqui purissimæ; obitis ad Hierosolymæ templum expeditionibus toties in annos singulos, quoties erant maiorum institutione præscriptæ; Christus sanctitatis author, subijci inter fontes voluit baptismo Ioannis, suis celebrare temporibus ritè Pascha, Scenopegiam, aliaque festa saltem occultè, postquam triginta priuatæ vitæ annis exactis, ad publicum Saluatoris munus obeundum prodiuit. Hæc nimirum Euangelistarum testimonijs comprobata, argumento nobis esse cæterorum possunt, quæ sancta Christi familia, ad cultum obseruationemque festorum priuatim egit, omninò ad legis præscriptum, licèt nullo obstringeretur obligationis vinculo, ex legislatoris, quem apud se habebat, priuilegio. Peregrinationum ad sanctam ciuitatem susceptarum, vbi eas peculiaria festa requirerent, suprà meminimus. Cultus verò eorum dierum, quos certis ritibus celebrandos, in diuinorum beneficiorum memoriam, vt diximus, aut lex Mosaica, aut Rabbinorum consensus designasset, qualis, quantusque in eâdem familiâ fuerit, quæ ad vniuersam Ecclesiam erudiendam, veræ sanctitatis exemplum, & speculum prætetulit, necesse non habemus hîc pluribus dicere; cum certum sit, quàm maximum extitisse, spectatâ legis obseruantiâ, cui Trias illa sanctissima, Iesus, Maria, & Iosephus, quoad in terris vixit, deesse voluit nunquam.

V. Duo circà hoc tempus exhibent Historiographi, ad rem nostram non indigna relatu; ingentem in Asiâ terræmotum, quo vrbes duodecim noctu collapsas, refert Tacitus [a], nullum ciuibus effugium reliquisse, subitas intrà voragines obrutis: & mortem clarissimi viri Germanici Antiochiæ obitam, non sine suspicione veneni à Pisone per fraudem dati, nec dissentiente Tiberio. In terræmotu quidem instar prodigij est habitum, quòd montes immensi cum vrbium lapsu subsiderint; visa sint in arduo, quæ plana fuerant; & ignes inter ruinas effulserint. Improuisam in eiusmodi casu demolitionem nemo iudicauerit importunam, cum Orbis instauratio immineret, adulto iam Dei Filio, qui vetera ablaturus venerat,

Terræmotus in Asia, & Germanici mors.

Conferuntur cum sacris huius anni rebus.

a Tacitus Annal. l. 2. Euseb. in Chron.

uerat, & noua inducturus. Is certè dum vnà cum Matre eximium diuini cultus specimen præbet sacris obeundis, terrorem inijcit Satanæ, & superstitioni bellum indicit. Asiæ ciuitates luxui deditæ corruunt, quæ deinceps ad appulsum Euangelicæ lucis meliores resurgent: nisi fortè velimus dicere, omen aliquod eo casu præmitti insignis oraculi, paulò post euulgandi ab Antecursore Christi Ioanne: valles nimirum implendas, deprimendos colles, praua rectis, planis aspera permutanda, vt æqua Domino venturo semita pararetur. Obitus verò Germanici, in medio virtutis, & fortunæ cursu, sicut æmulum Tiberio ademit, ità stimulum admouit ad prodendum ingenium, quod astutè premebat, & scelera palam in perniciem imperij perpetranda, impulsore Seiano. Hæc Romæ agebantur in Orbis theatro, conspectuque; dum Nazarethi Christus iuuentutem ingressus, iucundius de se spectaculum cælo præberet, eiusque familia religiosissima, Dei cultum in omnibus exactè seruaret, ad exemplum orbis Christiani. Humanam Germanici filij gloriam Tiberius optabat extingui; viuere suam. Christus diuinam æterni Patris curabat, paratus ipsemet ærumnas, probra, mortem subire, pro sontibus insons, Deus pro homine. Gaudet cum Tiberio Liuia parens inclyti viri morte, sed nescit imminentem exinde sibi, suisque calamitatem. Exultanti Christo ad apertam sibi viam crucis, congaudet Virgo mater, iam tum videns illum regnaturum à ligno.

Annus Christi 22. B. M. Virginis 36. Tiberij Imp. 7.

Actuosa sacræ Nazarenæ familiæ vita.

I. EOs tum Christi, tum Deiparæ numerare tantùm pergimus annos, quorum singulos certis rebus aut ab vtroque aut ab alterutro gestis consignare non possumus; ideòque persequi subinde licet per partes, quicquid ab ijsdem per hos omnes factum constat. Nunc actuosæ vitæ deditos, & extrinsecùs operantes contemplamur, sicuti alterius vitæ suprà meminimus, quæ in solâ diuinarum rerum contemplatione versatur. Collaborantem Iosepho Christum, operibus artis lignariæ (quæ sunt expolire ligna, atque efformare in varios vsus) communior Doctorum opinio, & sensus Ecclesiæ nobis proponit; cum cæteroqui ille in Euangelio, solùm faber, & fabri filius nominetur. Is nimirum artifex cæli, qui molitus

molitus est siderum orbes, & auro conflauit astra, exercendæ materiariæ tractasse creditur dolabram & serram, atque huiusce generis opificijs, iuuentutis annos, ætatis florem addixisse, in oculis Sanctissimæ Matris; quæ Filium imitata, instar fortis mulieris à Salomone [a] descriptæ, *quæsiuit* identidem *lanam, & linum; & operata est consilio manuum suarum*. Sic dulcissima contemplationis otia, externis laboribus ambo intermiscere soliti, exemplum præbebant ijs potissimum, qui per vitam mixtam erant ad sanctitatis apicem peruenturi. Christus quidem, qui si consideretur vt Deus, æterno suo Patri in mundi molitione fuerat comes, citrà laborem *cum eo cuncta componens*, Iosephum [b] vt homo nutritorem in terris habens, non dedignatur illi collaborare, pendere à nutu, exequi iussa; neque solùm ætate primâ, cum adhuc puer, aut adolescens esset; sed etiam grandior natu, post primum ac vigesimum annum, si eò vsque vitam Iosephus protraxit, quod videtur nobis similius vero, magisque probabile, vt infrà ostendemus. Hinc noscamus licet, quænam fuerit vita Christi actuosa per hos annos, quibus nondum aggressus publicè munus Redemptoris, cuius gratiâ Deus mortalitatem induerat, Nazarethi inter consanguineos priuatim degebat: quando ità vixit, vt seu per mentis contemplationem, æterni Patris alloquio frueretur; siue per manuum opus, cum Iosepho, habito in terris vt parente, lignariam factitaret: quâ in arte piè credi potest composuisse identidem cruces, vt iam tum destinati sibi patibuli aspectu oblectaretur, eiusque tormentis animo obuersantibus assuesceret, tanquam agnus, *qui occisus est ab origine mundi* [c].

Christus Iosepho in arte lignaria collaborauit.

Opera externa Sanctissimæ Matris.

a Prouerb. 31. ver. 13.

b Prouerb. 8. ver. 30.

c Apoc. 13. ver 8.

II. Ad actuosam quoque eius vitam pertinent obita domus identidem ministeria, verrendo pauimentum, officinam purgando, & exhibendo parentibus, vbicunque opus foret, impigram seruitutem, quibus illa reipsâ dicere quodammodo videbatur, quæ dicta deinde Apostolis Euangelista [d] testatur: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*. Maria verò mater *domestico*, vt ait Ambrosius [e], *operosa secreto* à contemplatione rerum diuinarum ad opera manuum muliebria, animum statis horis reuocabat; quænam illa forent, nobis facere coniecturam licebit, ex consuetis mulierum exercitijs in Republicâ benè constitutâ laudatis, quippe quæ otium pudicitiæ inimicum ab imbelli sexu procul ablegant. Hæc ipsa S. Hieronymus Christianæ Virgini suadebat, cum sacrarum commentationum labores intermittere quandoque oporteret [f]; *habeto*, inquit, *lanam semper in manibus, vel staminis*

Alia Christi & Matris opera externa

d Luc. 22. ver. 27.

e S. Ambr. l. 2. de Virginib.

f S. Hieron. ad Bosoeb.

 pollice

pollice fila deducito; vel ad torquenda subtegmina in aluecolis fusa vertantur, aliarumque neta aut in globum collige, aut texenda compone; quæ texta sunt, inspice; quæ errata reprehende; quæ facienda constitue. Itemque matronæ præscribens instituendæ filiæ rationem, post sacræ lectionis, & orationis exercitia [a]: *discat*, inquit, *& lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere.* Iisdem operatam laboribus domi credimus Dei Matrem, quibus & in templo assueuerat, cum ibi educaretur; addito etiam artificio variandi acu vestes, operisque phrygij figuras effingendi, quo inter templi Ascetrias semet exercuisse puellam, vetus habet traditio. Præcipua illi cura fuit ergà ipsam Sanctissimi Filij personam, cui identidem, sicuti necessitas tulit, lineum suppeditauit, laneumque vestitum; ac proinde nonnulla horum operum instrumenta, adhuc seruari in Ecclesiâ, in memoriam tantæ Virginis, pro Christo prouidè laborantis, à nobis dictum est suprà.

[a] Idem ad Laetam.

Christo Mater vestes cōfecit.

III. Romæ interim Tiberij vitia, diu ex Germanici reuerentiâ metuque repressa tandem emergunt; & Cæsar rebus gerendis deterior, populi odium, consanguineorum, & matris incurrit, agnoscentis tandem, quàm malè consuluisset imperio, & sibi, dum in eam curam incubuit; vt filius, prauæ indolis caput, eueheretur ad summa. Et serò operæ præstitæ Augustam pænituit. Quales verò tunc erant domesticæ Christo Matrique curæ? alteri vel in ipso seruitio, quo parentibus aderat, maximi Principis indoles elucebat: altera cum Sancto coniuge, Filij alimentis, aut vestibus parandis laborabat. In Christo sapientia & gratia semper maior apparuit: adfuit Maria iugiter Filio, prouidentiâ, amore, obsequio. Actuosa Romæ Cæsaris vita irarum est, & simultatum plenissima; dum à contrario Nazarenæ familiæ summa inest in agendo concordia. Aulæ Romanæ praua imperantis mens, quasi remoto velamine ostenditur; dum Regis Regum domui Nazarenæ seruitium, imperij melioris est omen.

Romana id temporis aula.

Sanctæ domui Nazarenæ opposita.

Annus Christi 23. B.M. Virginis. 37. Tiberij Imp. 8.

I. Aliud inspiciendum occurrit in sacrosanctâ Christi familiâ, huic anno, cæterisque commune, quod ex vitâ sanctissimè ductâ, complectitur cibi, somnique vsum ad leuan-

leuandam imbecillitatem corporum, viresque reficiendas. Decet Christianos ex eâdem vitâ geminæ huius refectionis non minus, quàm reliquarum actionum exemplum sumere; cum cibo, somnoque sumendo facillimum, pronumque sit homines labi; in altero quidem, quoniam sensus pabulo recreati, iniectum sibi ab animo frænum excutiunt, hominemque ipsum abripiunt identidem in dicta vel facta, quæ eius conditionem minimè deceant; in altero verò, quia torpore interdum, atque pigritiâ importunè sopor accitus, in vigilias temerè honestiores irrumpit, illasque excipit sæpe, quibus maximè est opus ad vitam rectè instituendam. In Mariâ & Iosepho cibi, somnique moderatio tanta, quanta decebat Christi, quo cum versabantur assiduè, societas, atque conuictus. Huius præibat exemplum, quod illi imitando sequebantur; inde expressum est, quod de Mariâ scripsit Ambrosius [a]: *si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerunque obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit; & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus; qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat*. Ipsa Christi præsentia, atque aspectus, & ciborum parsimoniam, & modestiam in ijs capiendis summam, & in accumbendo decentiam, & mensam omninò inculpatam, & moderatum somni vsum; omniàque eo sumendo decora & sancta inducebat. Ibi satisfactum necessitati naturæ, non voluptati; non alimentorum deliciæ, sed virium refectio, vitæque tantùm subsidia conquisita; sumptus præuiâ Dei inuocatione cibus; actæ eidem post mensam gratiæ; seruata morum in omnibus compositio, & mirus ad honestatem consensus animi, corporisque. Eiusce sanctissimæ refectionis imago, regere vbique debet Christiana conuiuia; quibus vt ea facilè subeat, mos adhibendæ super mensam diuinæ lectionis inualuit. Vel ipsis Ethnicis antiquitus placuit, dum cibum sumerent, audire legentes, quod de duobus Plinijs consignatum litteris est. Sed eius lectionis vtilitas maior accidit ijs, qui Christianè sapiunt, & cibo pariter Christianè vescuntur; cum Gratianopoli Sanctus Antistes Hugo [b], & Sancta item Heduuiges Poloniæ dux, ità consueuerint corpus ad mensam reficere; vt sacræ id temporis lectioni audiendæ intenti, illicò ad cœlestia mentem transferrent, & alteri quidem cibi sumendi voluntas excideret, altera acceptam manu vel dentibus buccellam, aut ori inferre, aut mandere obliuisceretur. Horum animo obuersatam sæpe effigiem

Cibi somnique vsus in Nazarena familia.

Necessitas inde exemplum sumendi.

a Ambros. lib. 2. de Virg.

Ex ipsa Christi refectione Virgo mater profecit.

Mos ad mensam legendi.

b Ex eorū vitis.

effigiem fuisse dicimus Nazarenæ familiæ, pabula quotidiana ad vitam parcè, modestèque sumentis. Hinc denique omnes addiscere possunt non quidem viuere, vt edant; sed potius edere, vt viuant.

II. Eiusmodi exemplum sumere hoc loco ab humanâ historiâ non possumus, quoniam Romæ Tiberius in omnem Symposiorum intemperantiam effusus, immutato per iocum nomine Biberius est appellatus; imò tertio ac vigesimo Christi anno, quem nunc percurrimus, publicos emendare mores aggressus, ipsemet, Suetonio teste [a], cum Pomponio Flacco, & Lucio Pisone, noctem, continuumque biduum, epulando, potandoque consumpsit, quorum deinde alteri Syriam prouinciam, alteri Præfecturam Vrbis, tanquam præmia detulit conuiuis, & compotoribus suis. Nimirum ipsemet epularum luxui maximè deditus, correctione in primis indigebat; dum temperantia, quæ ex Nazarenâ domo ad exemplum prodibat, lex cuicunque esse poterat, cibi, somnique decenter ac moderatè sumendi.

Conuiuia Tiberij qualia.

a Suet. in Tiber. c. 42.

Annus Christi 24. B. M. Virginis 38. Tiberij Imp. 9.

I. QVoscunque contigit per hos annos, adesse Nazarethi, sanctæque familiæ mores inspicere, non quidem obiter, atque è longinquo; sed accuratè, & ex proximo; multum ab ijs crediderim profecisse: neque verò Iesus, Maria, Iosephus (quæ capitum Trias!) donec domi simul vixerunt, antequam ad euulganda legis nouæ mysteria Christus prodiret, adeò soli fuisse dicendi sunt, vt nullum vnquam admiserint hospitem, vitæ saltem melioris documenta, ab exemplo sanctissimæ conuersationis accepturum. Quare sicut in Aegypto factum diximus, itá quoque Nazarethi accidisse censemus, vt iactis iustitiæ ac sanctitatis quasi seminibus, vtrobique progerminauerint Christianæ virtutes, multique ad religionem, pietatemque profecerint. De Aegypto negari non potest multiplex iste profectus, cum Iesu, Mariæ, ac Iosepho ibi diù exulibus, accepta referantur in sacris historijs sanctorum tot examina Monachorum: De Nazaretho licet id historici sileant, attamen ibi quoque accidisse non dubitauerim affirmare, cum conuersatio ipsa tam sanctæ familiæ, sanctitatem spiraret; & accedentes quoscunque ad diuinam accen-

Exemplo Nazarenæ familiæ qui profecerint.

Profectus in cognatis eius familiæ.

...trō. ...am.

accenderet charitatem: nam si progenies atque cognatio Sancti Patriarchæ Iacobi, vt scribit Hieronymus [a], ab vnius Iosephi virtute, salutis effecta est particeps, quid de illis dicemus, qui Iesum & Mariam consanguinitate attingebant, ijsque conuersantibus frequentes aderant? Ad eiusmodi spectaculum animo tantùm & cogitationi exhibitum, vel maximè profecerunt consequentia sæcula, quibus sanctæ huius conuersationis excitata, aut renouata inter fideles memoria, Iesu, Mariæ, ac Iosephi in familiari conuictu virtutes illis impressit, fecitque, vt plurimi habere sibi viderentur ob oculos beatissimam illam capitum Triadem in secessu Nazareno arcanis modò cōtemplationibus, modò externis operibus occupatam, simulque aut domesticis ad victum ministerijs, aut sacris ad animæ pastum commentationibus communicantem.

Profectus eorū, qui eiusdem familiæ recordantur.

II. Pium hoc exercitium paucis ante annis, Societatis Iesu Sacerdos, in concionibus primùm, deinde edito exposuit libro [b], atque insinuauit in populos tum verbo, tum scripto, nouum instituendæ conuersationis morem ad exemplar desumptum ex ipsâ Christi familiâ, vbi honoranda maximè, imitandàque proponebatur Iesu, Mariæ, & Iosephi inuicem conuersantium sancta consortio; mox inde factum est, vt ciuitates ad eiusmodi memoriam excitarentur, pictisque pariter imaginibus sacram illam Triadem personarum recolerent per varia exercitia simul agentem; quare vt operis Christiani siue auroram, siue meridiem, siue pomeridianas & vespertinas horas, siue noctem exprimerent, tres nostræ Religionis & Fidei principes Iesum, Mariam, Iosephum iusserunt appingi, modò sub Auroram diem vnanimiter auspicantes otio contemplationis iucundissimo; modò sub meridiem reficiendis cibo corporibus pariter occupatos; modò sub vesperam manibus laborantes, modò de nocte sacrarum plus vigiliarum, quàm somni capientes; imò vt sanctam eorum in conuictu consuetudinem, & societatem per partes distinguerent, icones subinde variabant, quarum prima illos in speluncâ Bethlemicâ degentes post natum Christum, altera aut in Aegyptum fugientes, aut in patriam itinere terrestri redeuntes; reliquæ aut Nazarenâ in domo Deo, sibique vacantes, aut Hierosolymæ templum statis anni temporibus inuisentes, aut in alijs locis ad alia subinde opera conuenientes proponebant. Ab huiusmodi imaginibus pietati Fidelium exhibitis, Christi cum Matre & Iosepho in terrâ conuersantis memoria viget hodie vt cum maximè, non sine magno animorum fructu; ad quam

b Liber editus Florentiæ an. 1652. sub titulo Sanctæ Cōuersationis Iesu, Mariæ, Iosephi.

Pium exercitium ad recolendam sanctam istam conuersationem inductū.

Praxis huius exercitij.

ad quam memoriam piè recolendam, hæc circumfertur Oratio: *Deus, qui Beatissimam Virginem Mariam nobis per misericordiam concessisti; præsta quæsumus, vt eam sanctè cum Filio suo, & Sponso conuersantem, imitemur, atque accepta peccatorum venia, sanctè conuersantes, sanctèque morientes, ad cælestem Beatorum conuersationem, citò à Purgatorio liberati, peruenire mereamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.* Eò nimirum tendit hoc exercitium, vt per exactam Nazarenæ familiæ sanctissimè conuersantis imitationem, sanctissimè quoque mori cum illa possimus, cuius nimirum beneficij omnium maximi, quò facilior impetratio diuinitus contingat, institutæ sunt in aliquibus primùm Italiæ Ciuitatibus Sodalitates, sub titulo atque inuocatione Sanctissimæ Virginis cum Filio Iesu, & Sponso Iosepho conuersantis; quarum vnam Florentiæ anno Domini MDCXL. Vrbanus [a] Octauus Pontifex Maximus sacris indulgentiarum thesauris impertiuit, vt constat ex edito confirmatæ Sodalitatis diplomate: *Cum sicut accepimus &c.*

Fructus huius exercitij.

a Diploma Pontificii sodalitatu confirmatæ

III. Ex Romanis rebus, circà hunc annum Christi quartum & vigesimum, erat Tiberio nonum ferè in imperio annum agenti, vsus & consuetudo potissimum cum Seiano, quem cum ille ad summam potentiam extulisset, in suam, suæque stirpis perniciem id factum serò cognouit; nam præterquam quod eum ducem, sociumque consiliorum sequutus, maximis se obstrinxit sceleribus, cum pessimo viro pessimè conuersatus; Drusum etiam Filium, atque hæredem imperij designatum, eius fraude interemptum ingemuit; hæc merces reddita Tiberio fuit perfidiæ, quâ Pisonis dolo Germanicum antè peremerat; hic fructus necessitudinis cum Seiano initæ. Ordo fraudis, aliæque sceleris circumstantiæ petantur ex Tacito [b]. Nos obiter addimus, Tiberianam conuersationem, nocuisse adeò, vt cuicunque in eam adscito, omen esset, atque præsagium mortis; quòd annis anteactis, & aliquo etiam ex consequentibus, Tiberij in consulatu collegæ plures violentâ morte obierunt, Quintilius nempe Varus, Cn. Piso, atque ipse Germanicus; quibus hoc anno Drusus filius eius est additus, & non longo postmodum interuallo temporis, etiam Seianus; dum è contrario sancta Nazarenæ familiæ conuersatio, multùm ad virtutes proderat, quibus animorum vita constabat & etiamnum prodest, ad eam feliciter obeundam mortem, quæ sit ad immortalitatem natalis.

Conuersatio Tiberij cum Seiano quã perniciosa.

b Tacit. Annal. l. 4.

Annus

Annus Christi 25. B. M. Virginis 39. Tiberij Imp. 10.

I. ANno huic, quo Christus quintum & vigesimum, Virgo Mater nonum ac trigesimum ætatis agebant, & Imperator Tiberius decimum sui principatus attigerat, obitum tribuimus S. Iosephi, & viduitatem Deiparæ, eius Sponsæ; non quidem quòd certò existimemus, neque ante hoc tempus, neque post, obijsse sanctissimum senem, Iesu Christi in hominum existimatione patrem; sed quòd ex Euangelicâ historiâ probabilius nobis videatur, paulò siue ante, siue post hunc ipsum Christi & Virginis annum, viuere desijsse tantum virum, appositum diuinitus vtrique custodem. Assertionem nostram coniecturis, & Patrum authoritate firmabimus.

Obitus S. Iosephi.

II. Et primùm, vt clarius procedatur, præmittenda sunt in hoc argumento quæ sunt certa, atque ex ijs postmodum non difficilis erit accessus ad faciendum iudicium saltem probabile de incertis. Ex Euangelico testimonio certum est, annum duodecimum ætatis agente Christo, fuisse Iosephum inter viuos, quoniam ductum ad Pascha Hierosolymam Puerum, amissumque toto triduo cum Virgine Matre legitur quæritasse, atque inuentum in templo inter Doctores, Nazarethum reduxisse. Habetur præterea communiter quasi certum, tempore quo captus à Iudæis, & actus est in crucem Christus, non superfuisse Iosephum; imò neque ad triennium vltimum, quo ille publicè Saluatoris munus obiuit, peruenisse: quòd Euangelistæ res à Christo gestas eo tempore diligenter, fideliterque commemorantes, si quando Mariam cum cognatis affuisse dicunt, nusquam de Iosepho meminerunt, quem, si vixisset, & præsentem pariter esse cum Sponsâ, & nominatum in primis oportuisset. Nuptijs Canæ in Galilæâ celebratis interfuisse Mariam, vocatumque ad eas cum discipulis Iesum, testatur Ioannes [a]: an quisquam existimet, huic conuiuio Iosephum non affuturum, si nondum excessisset è viuis? certè exigere videbatur decori ratio, vt Maria non sine Sponso accederet ad nuptiale conuiuium, idque ipsum innuisset Euangelista. Præterea anno prædicationis Christi secundo, Matthæus [b], Marcus [c], & Lucas [d] asserunt ad eum concionantem, venisse Matrem, aliosque cognatos, vt labo-

Quæritur tẽpus eiusce obitus.

Ea quæ de hoc sunt certa.

a Ioan. 2. v. 1.

b Matth. 12. ver. 46.

c Marc. 3. ver. 31.

d Luc. 8. v. 19.

ranti præstò essent; nec meminere Iosephi, ad idem officium, vt par erat, Saluatori exhibendum accedentis; idcircò quòd tum Maria vidua foret, viro aliquot ante annis defuncto. Itemque Iudæi ad Christi sapientiam attoniti, dicebant Matrem eius, & fratres, ac sorores apud se esse; Iosephum autem patrem superesse non memorabant. Denique quo tempore idem Christus à Iudæis in crucem actus occubuit, minimè fuisse superstitem, videtur omninò verum, vt rectè statuit S. Hieronymus [a], & post eum Laurentius [b] Iustinianus, alijque; id quod S. Epiphanij [c] argumento euincitur. Nempe nunquam futurum, vt Christus Matrem Virginem commendasset Ioanni; si sponsus id temporis viuus foret: vel certè, si tunc adeò consenuisset ex aliquorum opinione, vt B. Virginem iuuare non posset, quæ propterea alteri fuerit commendanda; quis neget, oportuisse tum æquè Christum, tot Iosephi officiorum memorem, referre ei gratiam, in extremâ illâ ætatis lineâ, commendando longæuum senem Ioanni. Scio veterum aliquos Iosephi vitam ad illud vsque tempus protrahere; & affirmare nihilominus, commendatam à Christo Matrem non eius sponso fuisse, sed alteri; vt nimirùm innotesceret omnibus, inter Iosephum & Mariam, carnis commercium defuisse. Ità Chrysostomus [d], Ambrosius [e], Augustinus [f], alijque [g] quos recenset Theophilus [h] Raynaudus in Diptichis Marianis, vbi hanc ipsam probationem infirmat, ex eo quòd coniuges non debent sibi vitæ subsidia vi commixtionis corporum, sed fœderis coniugalis, quod matrimonij rati celebratione continetur: cum ergò Iosephus hoc vinculo coniunctus esset B. Virgini, nec diuortium interuenisset; omninò sponsæ exhibere subsidia Iosephus debuisset, adhuc ad id tempus superstes, vel nullo carnis commercio inter sanctos coniuges intercedente, quod defuit reuerâ semper. Non igitur fuisset Deipara alteri quàm Iosepho commendanda, si mansisset in viuis. Ideò cum sit alteri commendata, inde conficitur, iam tum obijsse Iosephum. Hæc est ratiocinatio Epiphanij [i], quam Cardinalis Baronius [k], Iacobus Sallianus [l], Franciscus Lucas [m], Christophorus [n] Castrius, alijque confirmant.

III. At verò si hæc ponantur tanquam comperta; contigisse dicemus Iosephi mortem, eo temporis spatio, quod à duodecimo Christi anno ad trigesimum intercedit, licet quâ potissimùm huius interualli parte, vir de Christo, & Deiparâ benemeritus obierit, incertum sit; nec possit aliquid hac in re, nisi coniectando affirmari. Detur igitur coniecturis locus,

Coniecturæ de anno quo S. Iosephus obijt.

a Hieron. l. con. Heluid.
b Laurent. Iust. lib. de triam. Christi c. 18.
c Epiphan. hær. 78.
d Chrysost. homil 5. in Matth.
e Ambros. ep. 19. & l. de Inst. V. cap. 6.
f August. ser. 8 1. de temp.
g Arnoldus Bonauallis & Author ser. de pass. Dom. apud Cyprian.
h Theophil. Dipth. p. 1. pun. 9.
i Epiph. hær. 78.
k Baro. an. Chr. 12.
l Sallia an. mun. 4065. num. 2.
m Francis. Luc. Matt. 13. Ioan. 2.
n Castrius hist. Deip. c. 13. nu. 9.

cus, prolatisque in medium Euangelistarum de Iosepho testimonijs, quid de eius obitu, quoad annum, dici probabilius possit, inueniatur, fatendo tamen de re incertâ nos loqui. Vltrà duodecimum Christi annum mansisse in viuis Iosephum, & quidem ad plures annos, coniectare licet ex eo, quòd S. Lucas [a], vbi describit eius, & Virginis reditum Hierosolymâ Nazarethum cum puero Iesu inter doctores inuento, vitam sanctæ huius familiæ non ad vnum aut alterum annum, sed ad multos ductam innuere videtur, pauculis illis verbis quæ suprà nos exposuimus: *Descendit cum eis* (Mariâ & Iosepho Iesus), *& venit Nazareth, & erat subditus illis*. Duo hîc exposita vides ab Euangelistâ, habitationem Christi Nazarenam, eiusdemque vtrique parenti voluntariam subiectionem: cum autem certò sciamus primam fuisse ad multos annos, cur non idem quoque de alterâ intellectum dicamus? vt is qui diu Nazarethi fuit, diu pariter ibidem Matri & Iosepho subditus vixerit. Præterea si Christo puero, & Virgini Deiparæ Iosephus diuinitus datus est, ambobus quidem ad paranda vitæ subsidia, alterique vt sponsæ ad pudoris etiam & famæ tutelam: idcircò reseruandus pariter ad ea vsque tempora videbatur, quibus tum Christo, tum Matri futura erat eius opera necessaria, & longo cum vtrisque conuictu familiæ sanctæ subsidijs consulendum. Denique vt de tempore quo superstes fuit, deque anno supremum obeuntis diem melior coniectura fieri possit; consideranda sunt quæ Nazareni dicebant de Christo apud Lucam [b], & Capharnaitæ siue alij apud Ioannem [c]; primi quidem, cum paulò post susceptum ab eo baptismum audientes in Synagogâ eius doctrinam, siue admirantes, siue irridentes patrem memorabant. *Nonne hic est filius Ioseph?* cuius apud illos memoria recens esset; alteri verò expressius, post vnum aut alterum annum, cum audirent Capharnai disserentem, de sacrosancto Eucharistiæ mysterio, occasione panum, quos vt fami consuleret ingentis turbæ, in magnam quoque multitudinem auxerat, mirati dicentem se descendisse de cælo, contrà arguebant à patre, quem ipsi vel ex genitoribus noscerent recentioris memoriæ: *nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem?* Ex quo Capharnaitarum, siue aliorum argumento, ostendi censet Christophorus [d] Castrius, non multò ante excessisse Iosephum, de cuius parentibus vulgò cognitis, sermo erat inter Iudæos. Igitur hac in re verior opinio mihi videtur, vt potè melioribus innixa coniecturis: obijsse sanctum senem, non

Coniecturæ de vita S. Iosephi vltrà duodecimũ Christi.

Melior coniectura de anno quo obijt S. Ioseph.

a c. 2. v.
b Luca c. 4. ver. 22.
c Ioann. c. 6. v. 42.
d Castrius Hist. Deip. c. 13. nu. 9.

quidem proximè post annum Christi duodecimum, à quo nulla deinceps mentio apud Euangelistas de eo reperitur; sed potius paucis annis ante quàm ex Nazareno secessu Saluator prodiret in publicum, seque subijceret Ioannis baptismo: ex quo tempore nonnullis quâ maternis facultatibus Christus, quà Iosephi reculis, ad victum tenuem cum Matre instructus, per ætatem adiutore opus vltrà non habuit ad alimenta paranda; sed ipse, vt patri superstiti in opere fabrili collaborauit, ità manuum suarum laboribus eo defuncto satis potuit sibi, domuique consulere, itemque Virginis famæ, cum à conceptu & partu diu cum sponso illa vixisset, necessaria vltrà non fuit eius in terris præsentia. Itaque licèt sciri certò non possit, quo potissimum anno sit mortuus, tamen circà quintum & vigesimum Christi, eum credimus excessisse, siue mors contigerit propè eiusdem Christi baptismum, vt Georgius [a] Cedrenus asseruit, siue aliquot ante illum annis, vt alij tradiderunt.

a Cedrenus Comp. hist. & Matth. Naucus ar. 6. De Secu. ri S. Ioseph.

Quo mense & die obierit S. Ios.

IV. Dies huius felicissimi obitus, seu potius natalis ad æternitatem, licet cum anno pariter sit incertus, designatur nihilominus in Ecclesiâ mensis Martij decimus nonus, qui dies in Romano Martyrologio est Sancti Iosephi memoriæ dicatus. Eiusce celebritatis cultum referre non incongruè possumus ad Ioannis [b] Gersonis Cancellarij Parisiensis tempora, qui scriptâ ad Cantorem Carnotensem epistolâ, de festo agit in honorem S. Iosephi celebrando, eâ præsertim de causâ, quòd Henricus Chiquotius eiusdem Ecclesiæ Canonicus, certam in obitu pecuniæ summam, ad Sancti viri memoriam quotannis recolendam legasset. Itaque Gerson dies tres designat, quibus id fieri commodè posset, vel hebdomadæ quatuor temporum in Aduentu feriam quintam; vel diem octauam B. Virginis Purificatæ, vel ante Kalendas Apriles decimam quartam, quam postremam iam pridem D. Iosepho ab Ordine Religiosorum S. Augustini in Mediolanensi Cænobio dicatam, tum ipse censuit præeligendam, tum vniuersa comprobauit, & recepit Ecclesia. At Petrus [c] de Natalibus multò altius rem repetit, sumptumque ait ex vetustis Eusebij [d] Cæsariensis exemplaribus Kalendarium, in quo S. Iosephi festum die decimâ nonâ mensis Martij descriptum erat, vnde coniectura duci non leuis potest: fuisse antiquitus traditum in Ecclesiâ testimonium de obitu Sanctissimi senis eâ ipsâ die: quanuis Carolus [e] Stengelius S. Benedicti Monachus, ex Orientali quadam historiâ, quam habes apud Isidorum

b Gerson. Operum p. 4. Alphab. 15.

c Petrus de Nat. l. 3. de Vit. SS. c. 209.
d Eusebius Floruit circa an. Christi 326.
e Stengel. vita S. Ioseph excusa Monachij 1616.

rum [a] Isolanum Ordinis Prædicatorum, die illum vigesimâ Iunij asserat obijsse. Cæterùm de festo per Sixtum Quartum Pontificem Maximum instituto, & mox per Quintum decimum Gregorium, aliosque amplificato, suis locis redibit sermo.

a *Isolanum Commentario de laudibus S. Iosephi ad Adrianum 6. Pót. Max. Ticini excuso, an. 1522.*

V. Obijsse Iosephum sanctissimè, argumento est ipsa vita, ex quâ viri iusti titulum ab Euangelistâ promeruit, atque à Deo Virginis Deiparæ coniugium, paternamque Iesu Christi curam, ab excellentiâ virtutum dignus, quem Dei filius in terris patrem, Deique Mater dominum appellaret. Eius obitus duplici præsertim de causâ commendatur, primùm quidem, quòd inter Iesu ac Mariæ complexus contigerit, vt in peruetusto S. Iosephi ad horas diurnas Officio canebatur [b]: *Felix quem in vlnis, Iesus cum Maria, tenuit cubantem, dum in agonia spiritum efflaret*. Deinde verò, quòd officinæ lignariæ hæredem reliquerit Dei Filium, *regnaturum à ligno*. Vtranque felicitatis causam innuit non illepidum epigramma.

Quàm sanctè Iosephus obierit.

b *Ad Completorium.*

Anonymi.

Dum longo moritur senio confectus Ioseph
Adstat languenti Christus, & alma Parens.
Nec potis optatæ senior succumbere morti est,
Cui vita hinc geminum seruat, & inde latus.
Tandem abit è vinclis animus, corpusque relictum
Mors vitæ reddit protinus ipsa suæ.
Sed chari quæ Christe Patris bona suscipis hæres?
Sunt tabulæ, claui, malleus, ara, trabes.
A Cruce cum mundi regnum tibi suppetat vni;
Ne tigna & ferrum despice; regna ferunt.

VI. Aetas eiusdem Sancti senis cum obijt, ex ijs quæ suprà docuimus, ad annum* Christi quartum suprà decimum, deduci facilè potest: nam si rationum momentis eo loco allatis conficere licuit; virum fuisse maturum, non senem viribus destitutum, annosque natum circiter quadraginta, non vltrà sexaginta prouectum cum Virginem Deiparam Sponsam accepit: non incongruè dicere possumus, ferè septuagenarium extitisse ad annum Christi vigesimum quintum, circà quem illum ponimus obijsse. Itaque ex hac supputatione natum oportebit, proximè post initum ab Octauiano Cæsare cum Antonio & Lepido triumuiratum, vt in sacrorum Annalium tabulis Augustinus [c] Torniellus descripsit; dicimus tamen in re incertâ, quod probabilitate non caret. Cæterum fuisse ad obitum vsque virginem eundem Iosephum, sentiendum omninò est cum Sanctis Hieronymo [d], & Augustino,

De ætate S. Iosephi.

* Mariæ

Is virgo fuit.

c *Torniel. t. 2. in Tab. computationes et concursus annorum sextæ Mundi ætatis.*

d *Hier. Aduer. Heluid.*

ſtino [a], licet S. Epiphanius [b] bigamum faciat, & ex priori vxore plurium etiam filiorum patrem, cui ſententiæ ipſa eiuſdem Epiphanij doctrina non cohæret, teſte Cardinali Toleto [c], nam cum Sanctus Doctor aſſerat, ideò ſanctiſſimam Virginem commendatam à moriente Chriſto fuiſſe Euangeliſtæ Ioanni, quia hic Virgo erat, & decebat virginem virgini commendari; benè hinc arguit purpuratus interpres: Si Virgo Deipara commendata eſt Ioanni, propter eximiam virginitatis dotem, quâ ornatus fuit dilectus Chriſti diſcipulus: profectò non erat minus conueniens, virgini virginem in matrimonium tradi; imò id magis congruum videbatur: nam Ioanni data eſt in matrem, quo titulo omnis tollitur minus honeſta ſuſpicio; at Ioſepho in Sponſam, vnde mutuum in corpora iuris vſum intercedere, coniectura admittitur: præſertim cum inito coniugio B. Virgo fuerit adoleſcens, non autem in morte Saluatoris. Itaque vt caſtitas omninò comprobaretur, virgini virgo tradenda erat: atque ita ſentiendum eſt, communi nunc inter Catholicos opinione, eàque verâ & legitimâ: ſic Toletus [d].

De ea virginitate Card. Toleti ratiocinatio.

Sepulcrum S. Ioſephi.

VII. De loco, quo ſepultus eſt S. Ioſephus, audiri poteſt Venerabilis Beda [e], qui teſtatur, eius fuiſſe in Ioſaphati valle ſepulcrum, propè tumulum S. Simeonis ſenis; in qua etiam valle ſanctiſſimæ Virginis eius Sponſæ corpus legitur [f] tumulatum, vt ſuo loco dicemus. Denique meditatur Gerſon [g] Ioſephum vnum ex illis fuiſſe, qui cum Chriſto reſurrexerunt, & apparuiſſe chariſsimæ Sponſæ, mæroris nocte deterſâ, Chriſti Domini tanquam veri ſolis mox affuturi Phoſphorum. Ac tandem cum ipſo Chriſto ad beatas cæli ſedes aſcendiſſe, *non dubium in anima*, inquit, *ſed an & in corpore, neſcio, Deus ſcit, & collocatus eſt à dextris ipſius Ieſu, hoc eſt, in potioribus bonis ſuis.* Hæc pius Doctor in cætu vniuerſæ Eccleſiæ, Conſtantiæ congregato. Sacrum Ioſephi corpus aſſumptum vnà cum animâ in cælum eſſe, inde aliqui argumentum ducunt, quòd ex eius reliquijs, carne, oſsibus, neruis, nihil vſpiam reperiatur in terris, ad pietatem, ſolatiumque Fidelium.

VIII. Laudes comprehenſas in vnum omnes, Faſtorum Marianorum [h] exhibet liber ex Io: Cartagenâ [i] his verbis, quæ recenſere hîc placet. *Compendium laudum Ioſephi dedero, ſi conuixiſſe Ieſu, & Mariæ dixero; huic Sponſum integerrimum, illi nutritorem ſedulum. Arcanorum ergò conſcius omnium, multa gauiſus eſt gaudia, multa dolenda doluit. Vtraque ſeptem fuiſſe, binis è D. Franciſci cœtu ipſe voluit manifeſtum. Et gaudio quidem*

S. Ioſephi laudum ſumma.

primus

a *Auguſt. ſerm. 18. de temp.*
b *Epiphan. Hæreſ. 78.*
c *Tolet. in Luc. 1.*
d *Tolet. in c. 1. Luc. & in 2. Io.*
e *Beda lib. de loc. ſanctis cap. 6.*
f *Burchardus lib. de terra ſancta in deſcript. Hieruſal.*
g *Gerſon. par. 3. operũ Alphab. 37*
h *Ex Faſtis Mariã. 19. Mart.*
i *Carthag. lib. 3. de arcanis Deipara.*

primus omnium deliniuit animum nuncius, quo nonnisi Deo plenam Mariam intellexerat; tum deinde aures recrearunt ad cunas magni infantis choraulæ nobiles; sed longè demulsit suauius nomen, quod ipse indidit dulcissimum. Iam vaticinia Simeonis, quæ Seruatorem puerum; deiecta in Aegypto simulacra Dæmonum, quæ Deum loquebantur, & Angelus, qui in patriam exules reuocabat, alijs atque alijs gaudijs cumularunt. Illud demum delitijs inundauit, cum quod charissimum habuit pignus amissum reperit. Et hæc gaudiorum materia, illa dolorum fuere; tristis primò quem à Virgine parabat secessus, tum pauperes curæ, & prima, quæ imbribus prælusit, sanguinis pluuia; mox gladius Simeonis, cor Sponsæ nonnisi per præcordia Sponsi petiturus, post fuga præpropera, & Archelai tyrannis; demum amissa in vno puero omnia bona. Hæc inquam tot mœroris argumenta, quot ante lætitiæ, dubiam vtrinque victoriam fecere. Ego, si fas sit, octauum & dolorem, & gaudium addidero, mortem inter Iesu ac Mariæ amplexus. Quid enim acerbius, quam hos ex oculis dimittere? quid dulcius, quam ab his oculos claudi?

IX. Ne plura; sancti senis sepulcro de Virgine Deiparâ Sponsâ suâ optime meriti, inscribere etiam liceat nobis elogium.

Procumbe Fidelium pietas
Deique in terris corporati deuenerare
Moderatorem, Nutritium, Patrem.
Nihil sanctius hisce nominibus. Eiusdem Elogium.
Agnosce cælitus datum Virgini Deiparæ Sponsum,
Vitæ adiutorem, peregrinationis comitem, custodem integritatis.
Nihil præclarius hisce titulis.
Diu Iesu, & Mariæ conuixit,
Diu mundi Fabro collaborauit in officina lignaria.
Nihil hac vita felicius, nihil hoc labore iucundius.
Cum Virgine virgo coniugium iniit, procul à iugo,
Candentibus lilijs, non ardentibus tædis,
Virginitate pronuba, pudore auspice.
Mundi Domina dominum, Mundi parens parentem appellauit.
Terra corpus mors intulit, illatura mox cælo rediuiuum,
Nusquam gentium vlla eius parte superstite
Quo nos habebimus loco illius patrocinium,
Quem in terris Deus habere sibi voluit vt Patrem & Patronum?

X. Ex historiâ Romanâ, mortuo circâ hunc annum Iosepho op-

pho opponere possumus in Tiberij Cæsaris regiâ aliarum cædium semina, quas in Germanici vxorem & filios incipit moliri Seianus; cum enim orbatus filio Druso Tiberius, ex Germanico adoptiuo nepotes, eorumque matrem Agrippinam, & sororem matri cognominem in spem imperij euexisset, illicò præcipites dedit, manum quoque in eorum perniciem admouente Seiano; cum enim in ipsis reuiuiscere quodammodo Germanicum, sibi quondam inuisum, Tiberius animaduerteret, nec deessent, qui suspectam principi redderent, adolescentium ferociam, matrisque superbiam, cepit de interitu cogitare vniuersæ familiæ, quam paulò post suis suorumque fraudibus vidit extinctam, excepto Caio nepote, quem ex Germanico tertium Agrippina genuerat, itemque tertium ab Augusto Roma vidit imperantem. Ruinam principis domus, triumque in eâ capitum narrant historiæ [a]. Interim hîc felicissimum Iosephi obitum liceat cum illâ componere, quoniam circà idem ferò tempus, euentum vtrunque verosimiliter ponimus. Domus certè Nazarena virum iustum spectat inter Iesu & Mariæ brachia feliciter expirantem, translatumque per mortem in Regiam immortalitatis; dum aula Romana familiam ad summa nitentem, dignamque imperio, alienâ fraude videt extinctam, eo tantùm superstite, cuius imperium cedet in populi iugum, mundique perniciem. Nazarethi spectaculum exhibetur cælo gratissimum, Romæ funestissimum terris; in altero sanctitas, in altero regnat improbitas: à priore discimus, quàm sit pretiosa iustorum mors, quæ Mariam inter ac Iesum, plus habet vitæ, quàm mortis: à posteriore felicitatis humanæ vices, & fortunæ fabulam falsò blandientis.

Res Romanorum huius temporis nostris opposita.

[a] Sueton. in Tacitus.

Annus Christi 26. B. M. Virginis 40. Tiberij Imp. 11.

I. POst Sanctum Iosephi obitum, occurrit nobis Virginis Sponsæ viduitas, quam & circà hunc annum ponimus, consequenter ad viri mortem. Itaque Mariam iam viduam considerantes, illud habemus dicere, eam sicuti virginibus in omni vitâ, coniugibus verò in suo coniugio; ità & viduis exemplo vitæ sanctissimæ formam factam, & exemplar Christianæ, ac perfectæ viduitatis extitisse. In eam maximè cadit, quod Euangelicæ viduæ, Annæ Phanuelis filiæ, tribui meritò D. Hieronymus censet, atque ad normam proferri Chri-

B. M. Virginis viduitas sancta.

a *Luc. 2. v. 36.*
b *Hierony. epist. 10. ad Furiam, de Viduitate seruanda.*

ri Christianarum viduarum: *& erat*, inquit Euangelista [a], *Anna Prophetissa, filia Phanuel; de tribu Aser* quæ verba sanctus Doctor [b] interpretatus ex dictionum Hebraicarum significatu: gratiam, ait, Annæ vocabulum sonat; vultum Dei, Phanuel; & Aser, vel beatitudinem, vel diuitias. Quia igitur sanctissima illa vates, ab adolescentiâ ipsâ ad quartum vsque & octogesimum annum vidua, diu noctuque in templo versata, sacris precibus, atque ieiunijs exercuerat sese, idcircò promeruit, amplam diuinæ gratiæ mercedem recipere, quam gerebat in nomine; pendere, tanquam filia charissima, ab ipso Dei vultu, sibi semper propitio, ridentique; & ataui demum beatitudine, diuitijsque censeri. At hæc Deiparæ, cum in omni vitâ anteactâ, tum præsertim in ipso statu viduitatis, sunt propria. Diuinæ illa gratiæ, quâ plenam Gabriel salutauit, semper incrementa sensit; humanis procul negotijs, Dei vultum assiduè contemplata, diu noctuque sub eius oculis ambulabat; nec tam Dauidis, vnde ortum ducebat, felicitate, atque opibus censa est, quam æterni Patris in cælo regnantis amore ac prouidentiâ, & Iesu Christi filij quocum viuebat, præsentiâ, atque obsequio. Instar viduæ Sareptanæ [c] suis commodis, pauperum prætulit famem. Tanquam altera Iuditha [d], ieiunijs exercita, habituque vsa modesto, non lugebat mortuum virum, sed à Filio redemptionis humanæ opus quærebat. Noemis [e] denique nobilior, sanctiorque sublato è viuis marito, non habuit Moabitidem nurum, in suorum itinerum leuamentum, sed ipsum Dei, suumque Filium, vt cælestis iræ piaculum, à patre missum in terras. Quod docuit Apostolus Paulus [f] seruandum à viduis, id in Mariæ vitâ deinceps ductâ licet agnoscere: seruiuit prouida Filio, domumque prudenter moderata est; suam in Deo spem collocauit omnem; inde auxilium, atque leuamen in necessitatibus præstolata; orandi, meditandique studio ad magnam diei noctisque partem intenta; ab omnibus rerum humanarum curis abstracta; fugiendis assueta delicijs; proximis ope, consilioque iuuandis, vitæque ad omnem virtutem instituendæ. Sed hæc clara sunt adeò, vt longiori expositione non egeant; nec est quòd operam vltrà teramus.

Confertur cũ Anna Prophetidẽ.

c *2. Reg. c. 17.*
d *Iudith. c. 8. ver. 5.*
e *Ex lib. Ruth.*
f *Paulus 1. ad Timoth. cap. 5.*

Cum vidua Sareptana.
Cum Iuditha.
Cum Noemi

II. At illi per hoc ipsum tempus ex Romanis rebus opponere possumus, tanquam luci tenebras, Agrippinæ Germanici viduæ, & Augusti neptis solitudinem, atque orbitatem; cui sicuti muliebris fastus [g], superbiâque non defuit, itâ ab odio Tiberij, à cæde illatâ filijs Neroni, ac Druso, à Seiani fraudibus,

g *Tacitus.*

Quam diuersa per id tempus Agrippinæ viduitas.

dibus, vitam postremam duxit maximè miserandam. Alterum illa maritum expetijt, qui res nouas moliretur; sed mox calumnijs aduersariorum obnoxia relegatur in Pandatariam [a], conuiciantique oculus verberibus per Centurionem excutitur, rursus mori inediâ destinanti, per vim ore diducto cibus ingeritur. Miseræ viduitatis lugenda planè conditio, dum longè aliter Deipara post viri obitum, in conspectu dulcissimi Filij solitudinem solatur suam, & mulierum felicissima, mundi felicitatem à suâ domo prodeuntem auspicatur. Orbata marito, geminâque prole Agrippina, se quoque inglorıam perire sensit; Caium filium superesse videt, & filiam sibi cognominem; sed ambos in imperij Romani perniciem certam, illum quidem, humani generis vniuersi caput vnum, si detur, vnico gladij ictu, saltem in votis amputaturum, hanc verò Neronem parituram, quem vti monstrum crudelitatis, in Romanum populum, in patriam, in matrem, mundus horrebit. At Maria vidua, & virgo superstitem Filium seruat, humanæ salutis vindicem, & assertorem libertatis futurum, proh quanto cum gaudio!

a Suetonius

Annus Christi 27. B. M. Virginis 41. Tiberij Imp. 12.

I. PEr hosce annos, quos Iosephi mortem ponimus consecutos, ante quam Christus ad obeundum publicè Liberatoris munus prodiret, relicta sibi artis lignariæ, à nutritore suo opificia prosequitur solus, questuque perexiguo ex manuum laboribus comparato, suam vitam, Matrisque sustentat, quæ etiam Mater muliebres labores suos in lanâ, linoque ad vtriusque victum pariter confert. Christum post Iosephi obitum artem fabrilem exercuisse, atque illâ victitasse, non tanquam parenti collaborantem, vt pridem fecerat, sed vt ipsi officinæ præfectum, ac dominum, ex eo conficere possumus, quòd Nazareni eius conciues, admirati differentem in Synagogâ, dicerent apud Marcum [b]: *Nonne hic est Faber, filius Mariæ?* placuit Euangelistæ appellare absolutè fabrum, quoniam fortè aliquo saltem tempore solus lignariam factitarit, cum cæteroqui S. Matthæus [c] eadem narrans, Nazarenos commemoret non fabrum, sed fabri filium indigitantes. Vtraque nimirum appellatio peculiare aliquid innuit, faber enim ab alijs dicitur, quia mortuo parenti, successisset in opificijs

Christus lignariam exercet.

b *Marc. c. 6. vers. 3.*

c *Matth. c. 13. vers. 55.*

ficijs fabrilibus, suoque iure officinam moderaretur; idemque ab alijs fabri filius nominatur, quando recens adhuc esset memoria patris, quippe antè aliquot annos defuncti. Præterea id temporis Christo, nondum sacris diuini verbi spargendi ministerijs occupato, aliud quærendum videbatur in priuatâ vitâ negotium: ecquod magis quam paternum, in quo se à primis annis Iosepho adiutorem præbuerat? in paupere, quam vltrò elegerat, vitâ, cum (vt censet Abulensis a) mendicarit ille nunquam, nec victum ostiatim quæsierit; opere manuum, cui & prius assueuerat, duce Iosepho; domesticis deinceps necessitatibus consuluisse dicendus est, iam natu grandior, cum viduâ Matre superstes. Ideoque martyre Iustino b probante inter alia opificia aratris, iugisque formandis nauasse operam creditur, vnde etiam factum videtur, vt sæpe inter docendum per ductas inde similitudines, & allegorias, populis insinuaret Euangelicæ veritatis arcana, quamobrem discipulos ad suam legem amplectendam adhortatus: *Tollite*, inquit, *iugum meum super vos*. Eiusque iucunditatem exponens, subdit: *iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*. Rursus hominem instruens, qui ad sequendum diuinæ vocis imperium promptus quidem, paratusque erat, sed id domesticis renunciandi prius facultatem petebat, hunc, inquam, docens Christus, ineptum esse Dei regno, quoniam cum rectâ incedere viâ deberet, neque oculos aliò torquere, quam ad præscriptum suo itineri terminum, in contrariam se partem conuerteret; appositè nonnisi ab aratro similitudinem accipit, quod nimirum arator manu tenens, oculos habet ante se in sulcum intentos, rectus vt sit; nec potest suo munere vtiliter fungi, si in tergum respiciat: *nemo*, inquit diuinus magister, *mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei* d. Ductas nempe metaphoras existimauit S. Iustinus ab arte lignariâ, quam aratris præsertim, iugisque conficiendis, tum vnà cum Iosepho primùm, tum solus deinde Christus exercuit.

a *Abulens. Matth. 17. quæst. 194.*

b *Iustinus dialo. con. Tryphonem Iud.*

c *Matth. 11 ver. 29.*

d *Luc. 9. v. 62.*

II. Hoc ipso anno, quem Tiberij Imperatoris duodecimum numeramus, missus in Iudæam ab eo nouus est Præses Pontius Pilatus, à quo non multos post annos, ad execranda Iudæorum postulata, Christus crucis supplicio est adiudicatus. Hic suo ingressu prouinciam funestauit, illatis, vt Philo e testatur, Hierosolymam clypeis, quos in Tiberij gratiam, atque in odium populi dedicatos, iussit in ipsâ Herodis regiâ collocari. Imagines Cæsaris additas clypeis, tradit Iosephus f, nomina tantum inscripta fuisse, ex testimonio Philonis habetur.

Pilatus hoc anno missus in Iudæam Præses.

e *Philo de legatione ad Caium.*

f *Iosephus Antiq. l. 18. c. 3. & de bello Iud. lib. 2. c. 8.*

betur. Vtcumque se res habuerit; certum est, patrios Iudæorum ritus, eâ nouitate violatos existimari; ideòque gentem suorum rituum obseruantissimam, Pilato vsque ad vim, & cædes restitisse, narrat historicus; nequam contumeliam Iudaicæ leges paterentur. Hæc fuere à nouo Iudææ Præside magistratus initio, qui Præses non modò populum iniustè vexauit; sed Deum ipsum hominem factum addixit neci, ad Hierosolymæ vastitatem, & luctum præcipuè Virginis Matris, dum hoc ipso tempore in Galilæâ Christus, lignariam exercens, vt diximus, obuersantem sibi ob oculos Crucem haberet; eiusdemque memoriam insinuasse creditur Virgini Matri.

Tiberius Roma discedere meditatur

III. At Romæ Tiberius alia meditari cepit, suum nempe ab Vrbe discessum, in Campaniam iter, & solitudinem Capreensem: nimirum conuenire videbatur, vt, vbi Christus ad exordiendum palam Saluatoris munus, ex priuatâ domo egressum parabat, comite peregrinationis sanctissimâ Matre; tum è contrario Tiberius, subtrahere se publico, & latebras quærere cogitaret: quoniam hic sæuitiæ ac libidini deditus, occultaturus erat parietibus vitia, nec tam imperio quam genio satisfacturus: nouum ille vitæ genus afferens mundo, ostensurus in se hominibus omnium virtutum exemplar, prodire in publicum properabat: amouebat alter manum paulatim ab imperio, quod alteri debebatur. Oderat lucem Tiberius, quam Christus humano generi afferre gestiebat, per Matrem vtique benè multis concessurus.

Annus Christi 28. B. M. Virginis 42. Tiberij Imp. 13:

De Sanctæ Nazarenæ familiæ cognatis.

I. Sanctam Christi familiam, extincto Iosepho, credere non debemus adeò solam remansisse, vt cognationi, quam inter ciues Nazarenos potissimum habuit, identidem non patuerit; quamquam esse alioquin solitudo non potuit, vbi Christus ac Deipara morabantur, eò certatim de cælo confluentibus Angelis. Quoniam verò per hosce annos ponimus Virginis viduitatem, atque ipsius Christi tanquam fabri in officinâ labores, post Iosephi mortem exercitos, vsque ad annum vitæ trigesimum, quo & discipulos cogere, & concionari, ac docere palam, & Saluatorem agere cepit; idcircò de cognatis, ac propinquis, quos consanguinitas veluti domesticos

fecit

fecit sanctæ familiæ, hoc anno meminimus, licet ad alios quoque pertineant.

II. Aliqua de his in apparatu præmisimus, cum de Christi ac Deiparæ genealogiâ ageremus; nunc vt melius explicentur, alijs superadditis, postulare videtur hic locus. Fuisse plures illorum id temporis Nazarethi, ex testimonio colligimus S. Matthæi, apud quem Nazareni ciues admirantes Christi doctrinam, fratrum ac sororum nomine, vt mos erat Hebræis, consanguineos per contemptum memorabant: [a] *Fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas, & sorores eius; nonne omnes apud nos sunt?* Quinam hi fuerint, & quoto cognationis gradu ad Christum, atque Deiparam pertinerent; quibus nati parentibus forent, in magnâ Doctorum discrepantiâ, suprà nos docuimus ex Christophoro [b] Castrio, harum quæstionum momenta ad rectam trutinam, licet subobscuriùs expendente. Adnotandum hîc inprimis occurrit, quod suprà obiter indicauimus; memoratis in Euangelio non semel Christi fratribus ac sororibus, nullas vires acquirere, aut confirmari posse Heluidij blasphemiam, à S. Hieronymo confutatam; quâ nimirum illi sacrilegè dicebantur fuisse Iosephi filij, à B. Virgine geniti, post editum Christum, quoniam hæresim ab Ecclesiâ damnatam horrent audire piorum aures. Neque præterea vlli probatur, nostrâ præsertim ætate, quod olim docuerunt, ex Catholicis Scriptoribus, atque adeò ex Patribus aliqui, fuisse item Iosephi filios, non ex Deiparâ, sed ex alterâ vxore susceptos; quoniam nonnisi virgini Sponso, tradita est in matrimonium Virgo Dei Mater, quâ cum integrè virginitatem seruasse Iosephum, ac virginem obijsse sentit Ecclesia, nec datur amplius dubitandi locus. Igitur reliquum est, vt dicamus; alterum extitisse Nazarethi eiusdem Iosephi fratrem, nomine Cleopham, seu Clopam, numerosæ prolis parentem, quem adscriptum deinde duobus ac septuaginta Christi discipulis, coniectare licet ex nomine, fuisse alterum ex duobus euntibus in oppidum Emmauntem, quibus apparuisse rediuiuum è sepulcro Christum, atque itineris comitem accessisse S. Lucas [d] testatur. Et certè nil prohibet, quin Euangelistæ testimonium accipiamus de Cleophâ, quem Iosephi fratrem fuisse Scriptores asserunt, præeunte Egesippo [e]; cum sciamus eius nominis virum, ex D. Virginis cognatione præcipuum, vnâ cum filijs adeptum esse per sacræ familiæ Nazarenæ vsum, & consuetudinem, suæ felicitatis initia: quare is à Iudæis odio Christi occisus fertur in eâdem domo, in quâ mensam

Marginal notes:
a Matth. 13. 55.
b Castrius Hist. Deipara c. 1.
c Appar. n. 77. in fin.
d Luc. 24. ver. 15.
e Egesip. l. 3. comment.

Quinam hoc tempore fuerint.
Heluidij Hæretici blasphemia.
Cleophas Iosephi frater.

mensam illi posuerat. Et cuius gloriosum certamen Ecclesia [a] celebrat ad septimum Kalendas Octobris, hunc fratrum ac sororum Domini pattem, & Iosephi Deiparæ Sponsi germanum fratrem censent hodie, nec immeritò plures [b]. Eiusdem filij quatuor, & filiæ saltem duæ Nazarethi versabantur, Christi, Deiparæ, ac Iosephi cognationis, vsusque participes. Omnes in Apparatu distinximus, nunc singulos inspicere non erit abs re.

a Martyrolog. Rom. 25 Sept.
b Io. Steph. Menochius in Vit. Chr. l. 8. c. 4. n. 1

Cleophæ filij qui vocātur in Euangelio fratres Domini. Iacobus. Iose, seu Ioseph.

II. Primum inter eos locum obtinet apud sacros Euangelistas Iacobus ex numero Apostolorum, quem per antonomasiam fratrem Domini vocant, ex vultus similitudine, & Iusti cognomento exornatum legimus ob vitæ integritatem: Alphæi quidem dictus est filius; sed id nomen non alterum designat à Cleophâ, vt suprà docuimus. Secundo numeratur loco Ioses, siue Iosephus, de quo nihil certum occurrit; cum nulla de eo amplius mentio fiat, vt notauit Origenes; nisi fortè dicamus, hunc fuisse Iosephum illum è Christi discipulis, quem S. Lucas in Apostolorum [c] historiâ, electum asserit cum Matthiâ, vt datâ vtrique sorte, alteruter Iudæ proditori succederet in Sacerdotio, quæ fuit nonnullorum opinio, scriptis mandata non semel, & probabilis quidem, non tamen omninò certa. Huic accedit Simon, non Apostolus qui fuit ex Canâ, sed alter dictus etiam Simeon, patriâ Nazarenus, Hierosolymæ post Iacobum fratrem Antistes, qui sub Traiano Ecclesiam persequente superstes, annos natus centum viginti, per Crucem Martyr occubuit. Eum sacri Scriptores vnanimiter faciunt, à patre Cleophâ, Christi Deiparæque cognatum. Iudas præterea seu Lebbæus, idemque cognomento Thaddæus, adnumeratur Apostolis, qui scriptâ ad Fideles epistolâ, fratrem Iacobi se nominat. His omnibus educatio Nazarethi contigit, & sancta Deiparæ familia vt consanguineis patuit, quanto cum fructu, singulorum deinceps sanctitas demonstrauit.

Simon seu Simeon.

Iudas Thaddæus.

c Act. 1. v. 25.

Sorores Domini dictæ sunt Cleophæ filiæ.

III. In designandis sororum nominibus, eodem cognationis gradu ad Christum, & D. Virginem pertinentium, non conueniunt authores: nam Estherem ac Tamarem vocat Hippolytus apud Nicephorum [d], Epiphanius [e] verò ac Theophylactus [f], Salomen alteram, alteram Mariam appellant; è sacris litteris, vt ait Castrius [g], nominatione susceptâ. Certior occurrit de Salome narratio, quam fuisse vxorem Zebedæi, matremque maioris Iacobi, & Ioannis Euangelistæ Apostolorum, obiter ex Patrum [h] authoritate in Apparatu docuimus. Eam

d Niceph. l. 2. cap. 3.
e Epiphan. hæres. 78.
f Theophylac. in 27. Matth. & Mar. 15.
g Castrius Hist. Deip. cap. 1.
h Epiphan. Origen. Theophyl. Euthym.

Eam pariter Cleophâ genitam plerique ponunt, omnium fratrum natu maximam, Nazarethi educatam, atque à frequentatâ D. Virginis domo, dum Christus adolesceret, initia sanctitatis adeptam. Nupta hæc Zebedæo, oriundo ex Bethsaidâ Galilææ vico, cum duos in matrimonio liberos suscepisset, non videtur vero dissimile, ductos ab illâ fuisse aliquandò Nazarethum in consanguineorum domum; vbi ingentis, ad quam peruenerunt sanctitatis, prima veluti tyrocinia posuerint; quare à piscatu deinde [a] ad sequendum Christum vocati, illicò paruerint, patre retibusque dimissis. Hic etiam notandum occurrit; Iacobum ex duobus liberis alterum, cum Alphæi seu Cleophæ filio eiusdem nominis comparatum, dici maiorem; non quidem ætate, quâ constat altero fuisse minorem, sed prærogatiuâ vocationis, quâ prior illo ad Christum accessit vnà cum fratre germano. Cæterùm præter Salomen, alteram Christi sororem, quam Nazareni designabant, & Epiphanius [b] Mariam vocat, nusquam Euangelica historia nominatim expressit: neque licet vllo pacto sentire cum ijs, qui indicatam volunt à S. Matthæo dicente, venisse alteram Mariam ad sepulcrum Domini sub vesperam Sabbati cum Mariâ Magdalene, quoniam interpretes Mariam vxorem Cleophæ ferè omnes intelligunt; quæ apud Euangelistas, modò addito viri nomine Maria dicitur, modò mater vocatur Iacobi & Iosetis inter filios natu maiorum, vt dictum est expressius in Apparatu. Denique hæc probatæ sanctitatis fœmina meritò fructus agnoscitur Deiparæ conuictus, & aditæ sæpius Nazarenæ domus, dum ibi degeret Christus.

Eius filij.

[a] Matth. 4, 21.

[b] Epiphan.

Altera Cleophæ filia.

IV. An verò Zacharias & Elisabetha dum viuerent, eam sanctorum cognatorum domum aliquando inuiserint, licet aliquâ ex parte dubium videatur: tamen absolutè negandum censemus pro eo tempore, quod deinceps effluxit post sacrum Mariæ & Iosephi coniugium initum; quoniam vtriusque obitum paulò post Christi natalem posuimus. Pro tempore autem quod antecessit, fatemur id non improbabiliter affirmari. De Ioanne Baptistâ horum parentum filio, sacræ litteræ nos dubitare non sinunt, quarum testimonio habetur, habitasse illum à puero in desertis locis, nec suam desetuisse solitudinem, vsque ad occupatum publicè in Iudæâ Præcursoris officium, viam Christo proximè affuturo parantis: nec magni facienda est consuetudo pictorum, exprimentium sæpe tam Christi, quam Ioannis puerorum colludentium effigies, siue præsentibus Mariâ & Elisabethâ matribus, seu procul ab illa-

An Zacharias & Elisabetha inuiserint Nazarenam familiã

Quid de S. Ioanne Baptista.

rum

rum conſpectu. Nam præterquam quod pictoribus audendi quidlibet poteſtas ſemper fuit; ſignificari tantum ijs imaginibus dixerim, Chriſtum & Ioannem fuiſſe ſynchronos, licet nunquam ante alterius baptiſmum conuenerint. At verò hæc vtriuſque familiæ cognatio vnde ducatur diximus in Apparatu [a] è probatâ multis ſententiâ, & peruetuſtæ traditioni innixâ. Ex Iſmeriâ S. Annæ ſorore, Aprano Aaronitico nuptâ, natam volunt Eliſabetham Deiparæ conſobrinam, cui frater fuit ex iiſdem parentibus Eliudus: hic autem ab vxore Ioannâ duos ſuſcepit filios, Martialem Lemouicenſium primum Epiſcopum, & Eminrium, à quo genus duxiſſe S. Seruatium decimum Antiſtitem Tungrenſem, refert in Chronicis Sigebertus [b], cui tamen Cardinalis Baronius [c] non aſſentitur, cum Seruatius dicatur ab illo Emintij filius, quem ad vitandum incommodum longioris æui oportuiſſet dicere, non filium, ſed pluribus intermedijs, ex illius ſtirpe prognatum. Ad eiuſmodi conſanguinitatem totam vnico intuitu recognoſcendam, præſtat arborem adire, quam Chriſtophorus [d] Caſtrius in tres ramos ex vnâ radice Dauidicâ prodeuntes expandit, quorum medius rectâ ducit Mariæ ipſius proauos paternos, qui dexter eſt maternos; qui verò ſiniſter ad Ioſephum & Cleopham pertinet. Nobis hic diutius immorari non licet, cum præſertim ex ijs aliqua, explorata & certa omninò non ſint.

S. Eliſabethæ cognatio.

a Apparatu, num. 78.

b Sigebertus ad ann. 399.

c Baron. in notis Martyrolog. 13. Maij.

d Caſtrius Hiſt. Deipara c. 1. n. 11. in fine.

V. Interim ex Romanâ pariter, ac Iudæorum hiſtoriâ, Chriſti, eiuſque Matris cognationi, ſi quid opponendum occurrat more noſtro expediamus. In primis Cæſarum occurrit cognatio, quæ ſub hoc ipſum tempus miſerè conſternata ceſſerat in fortunæ ludibrium. In filiâ & nepotibus ſuam propè extinctam Auguſtus viderat, & mox Tiberius eius ſucceſſor, idem fatum in Germanici domum immiſerat, & ademptum ſibi filium Druſum fraude Seiani, aulamque ſenſerat funeſtatam; quaſi verò Cæſarum conſanguinitas vitam & ſanguinem Imperatori deberet: dum è contrario Chriſti Deiparæque cognati viuere ab eorum conſuetudine diſcerent, atque ad filiorum Dei felicitatem, quantò meliorem Cæſareâ! niterentur. At verò in Iudæâ Herodes Antipas, qui poſt obitum patris, regnum Tetrarchiæ ſuſceperat nomine, ſuam cognationem nouo dedecore cumulauit: nam Philippi fratris, Ituræ & Trachonitidis regionis Tetrarchæ, vxorem Herodiadem accipere ſibi per ſummum ſcelus eſt auſus, in quod deinde ſacræ pænitentiæ præco Ioannes, è deſerto diuinitus in

Infelix Cæſarum Romæ cognatio.

Itemque Herodis in Iudæa.

Iudæam

Iudæam missus, tanquam prodromus Saluatoris, iustæ studio reprehensionis exarsit. Regis eiusce cognatio hoc etiam scelere infamis, conferatur cum Mariana; vt ab alterius turpitudine, & probris, alterius virtutes magis eniteant. Numerosa Cleophæ proles, Christo & Deiparæ adiuncta, fratres illi ac sorores, huic exhibet nepotes, ac neptes, omnes sanctorum felicitate donandos, cuius vtique pignus hoc tempore iam acceperant, Zacharias, Elisabetha, Ioannes Baptista, alij eorundem Christi, Mariæque cognati, duo quidem priores ante annos plures vitâ functi, tertius verò saluti multorum viuens. At Herodes fraterni thori iure violato, vxorem suam Aretæ Arabum Regis filiam dimittit, Deique in se iram prouocat, atque hominum arma, id quod petere potes ex Iudæorum historiâ.

Ioseph antiq. l. 18. c. 7

Annus Christi 29. B. M. Virginis 43. Tiberij Imp. 14.

I. NOnus atque vigesimus Christi annus, idemque tertius & quadragesimus Virginis Matris, licet cum decimoquarto imperantis Tiberij maiori ex parte concurrat; attamen antequam ex toto prætereat, init Tiberius decimumquintum perhonorificâ S. Lucæ Euangelistæ commemoratione celeberrimum, quo & Ioannem Baptistam prodire contigit ex deserto in omnem Iordanis regionem, & Christum accedere ad eius baptismum, magno vtique humilitatis exemplo. Aduentus quidem Ioannis è solitudine, atque ad concionandum aggressio, tunc Iudææ primùm illuxit, cum nonum & vigesimum ætatis annum Christus propè compleret, cuius anni menses postremi quatuor, Tiberij quintumdecimum inchoarant; isque per octo menses reliquos ad Christi trigesimum pertinet, in quem & eiusdem à Ioanne baptismum incidisse dicemus, non sine authoritate tum veterum Patrum, tum recentioris memoriæ Scriptorum.

Rerum præparatio ad hunc annum pertinentiû.

Temporum distinctio.

II. Igitur anno Christi vndetrigesimo decurrente, cum Ioannes à puero Eremi colonus, antra & rupes inhabitaret, loci solitudinem omninò desertam frequentans, quam [b] Adrichomius ad Beniaminiam tribum pertinuisse ait, eandemque situ intermediam Hierosolymæ, & Hierichunti, fuisse quadragenariam appellatam, à dierum fortasse numero, quibus ibidem ieiunasse Christum; inter eiusce regionis Christianos

S. Ioannis egressus ab eremo.

b Adrichb. in descript. Terra Sancta nu. 97.

stianos fama percrebuit: cum, inquam, ibi Ioannes vitam ageret, qualem suprà descripsimus, per arcanum instinctum Numinis loquentis ad cor, iussus est illicò exire de latebris, atque ad humanos animos Saluatori parandos, publicum aggredi concionantis officium. Alij admonitum fuisse per Angelum volunt, vt Christo quamprimùm populis affuturo præiret, atque in obsequium Principis, homines ad salutarem pænitentiam excitaret. Vtrumque significatum, ex loquendi formâ Hebræis vsitatâ habere possunt Sancti Lucæ [a] verba, rem gestam commemorantis. *Factum est*, inquit, *verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.* Quid proximè antecesserit Sancti Præcursoris in omnem Iordanis regionem egressum, ex eo potissimum licebit colligere, quòd virum inter natos mulierum maximum Deus parabat, mittebatque primum Euangelicæ legis nuncium: ideòque quo magis appetebat illum ostendendi tempus, eò instructiorem Apostolicis virtutibus esse oportuit. Itaque hoc ipso Iesu Christi anno, qui proximè eius à solitudine Nazarenâ digressum antecedit, eò sanctitas viri peruenerat, vnde par erat illum ordiri, diuinitus sibi præscriptum sacri Præcursoris officium, cum enim vel infans, adhuc in vtero matris constitutus, eam Virgine Deiparâ salutante, illapsum plenè sibi diuinum Spiritum excepisset, inchoatum iam tum animi decorem, natus deinde per ætatis gradus augere contendit, donec vitâ inter siluarum ac rupium horrores sanctissimè ductâ, maturus euasit dignitati, cui destinabatur. Erat Christo ferè coæuus, eique & Virgini Matri, vt sanguine, sic etiã animo coniunctissimus, licet locorũ interuallo disiunctus. Ad dubiũ verò, an per ternas annorũ decadas, quotquot à Ioannis natiuitate decurrerant, vnquam cum Christo, eiusque familiâ fuerit, antequam aggrederetur concionandi munus, suprà adhæsimus parti neganti, quòd ex Euangelicâ historiâ habeatur iugis eius in desertis commoratio, vsque ad tempus prodeundi in publicum solem, ex eâ veluti priuatâ palæstrâ. Vt verum hoc sit, manet nihilominus adhuc sub dubio, an Christus ipse, an Deipara, an denique Iosephus dum viueret, Nazaretho quandoque ad Ioannem accesserint, ante eius digressum; vt virum ab omni hominum consortio remotum inuiserent, suoque identidem alloquio solarentur. Sed scrutati curiosius nobis non licet, quæ nusquam in sacris litteris affirmata reperimus, & Spiritus Sanctus occulta esse hominibus voluit. Certũ hoc est, Ioannis animum recolentem sæpe inter spelæa siluasque corporati Verbi myste-

[a] Luc. 3.

Eius sanctitas è deserto exeuntis.

An Ioannes fuerit vnquã cum Christo ante trigesimum vtriusque annum.

mysteria, Sacrosanctæ Christi familiæ, mente & cogitatione plurimum affuisse, atque eadem cordis oculo sæpius obiectâ, solitudinis mærorem lenisse, & sustinuisse fortiùs vitæ asperitatem

III. Cæterùm omissis ijs, de quibus affirmare nihil possumus certi, egressum Ioannis è deserto, quem incidisse dicimus in annum Christi nonum supra vigesimum, per eas peristases consideremus, quibus potissimùm adnotatis, cum Euangelista [a] insigniuit. *Anno*, inquit ille, *quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituręæ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto*. Hæc tam accurata Principum nota, maximè rem ipsam, quæ narratur, illustrat, confirmatque magis historiæ veritatem. Ità oraculis suis promendis fecisse constat sacros Vates, qui eorum initio expressos voluere Iudæorum Reges, suo æuo regnantes. Annus inprimis notatur Tiberij Cæsaris, qui ingressus iam erat in quintum suprà decimum sui principatus, ante quam Christus nonum & vigesimum ætatis expleuisset: necdum enim trigesimum attingebat, cum diuino vel monitu, vel afflatu Ioannes è deserto digressus, operi se dedit, ad quod mittebatur. Subiecta Romani imperij legibus Iudæa, redacta iam fuerat in prouinciam, ideòque Historicus, in narratione rei ad id tempus pertinentis, meminit Imperatoris Tiberij, simulque Pilati, Romani in eâ Præsidis, ac Tetrarcharum, qui eandem authoritate Cæsarum sibi ad regnum diuiserant. Præterea notantur Principes Sacerdotum duo, Annas siue Ananus, & Caiphas, quibus tum erat præcipuè cura sacrorum; non quidem quòd ambo simul gererent summum pontificatum; vnius enim capitis ea dignitas erat, nec nisi remoto altero, sacrum alter solium ascendere poterat; sed quòd Caiphâ solum id temporis summo Sacerdote, Annas ex Collegio Synedrio septuaginta duorum (quod Deus per Mosen [b] instituerat ad grauiora iudicia) primus haberetur, Princeps quoque Sacerdotum dictus, sicuti censet amantissimus veritatis Cardinalis Baronius: vel certè, quòd ambo sibi inuicem successissent, quoniam arbitratu Præsidum Romanorum variari solitis summis per id tempus Sacerdotibus; esse facilè potuit, vt quo Tiberij Cæsaris anno, Ioannes concionari in Iudæâ cepit, eo quidem ineunte Annas substitutus fuerit in Caiphæ locum,

a Luc. 3. v. 1.

b Num. 11. ver. 16.

Tempus quo S. Ioannes è deserto prodiuit.

Cur notentur duo Sacerdotũ principes Annas, & Caiphas.

exeunte autem Caiphas redierit in locum priorem, iterum Pontificatum adeptus? Ità sentit accuratus sacrorum Annalium Scriptor Augustinus Torniellus [a], cui sententiæ facilè assentiremur, si de illâ Caiphæ Pontificis cessatione aliunde constaret. Fieri etiam potuit; quod alij [b] dicunt, vt ità se habuerint eodem tempore Annas & Caiphas, quomodo olim regnante Sedeciâ, Saraias & Sophonias, quorum ille in libris Regum [c] & Ieremiæ [d], appellatur primus Sacerdos, hic secundus, quasi vices alterius gerens, quando illum ab obeundo munere, morbi aut aliæ causæ impedirent. Quicquid demum sit, auspicatissimus fuit Sancti Præcursoris in omnem Iordanis regionem aduentus, tanquam Phosphori solem proximè affuturum nunciantis; atque ex noctis anteactæ tenebris, diem clarissimum inchoantis; ideòque tanto cũ apparatu illum exposuit Euangelista. Denique sicuti Iesum Christum id temporis Nazarethi versantem non latuit; ità Virgini Matri plurium consciæ arcanorum innotuit; vnde alter quidem, cui per Ioannem via ad hominum salutem procurandam parabatur, exultauit vt Gigas ad eam currendam: altera verò gaudebat, humanæ redemptionis tempus appropinquare. quam verò suauis, ac iucunda piorum colloquiorum materies hinc nasceretur vtrique, quilibet sacris assuetus commentationibus facilè iudicabit.

S. Ioannis egressus instar Luciferi.

a Torniell. an. Mun. 4069. b Idem. an. mun. 2974. num. 10. & Spondan. epit. ad Baronium an. Christi 31. c 4. Reg. c. 25. ver. 18. d Ierem. c. 52, v. 24.

IV. Hoc eodem Iesu Christi anno, ad cuius exitum dicimus, Ioannem aggressum esse suum concionandi munus, imminente Christi baptismo, ex profanâ historiâ malum profertur congeminatum, quod visum est ingentis belli cladem æquasse. Alterum [e] ruinam præfert amphitheatri Fidenatis, quâ ad quinquaginta hominum millia, vel debilitata casu, vel obtrita feruntur: alterum Cælij montis conflagratione continetur, cui monti in pristinum decorem restituendo, Tiberius pro modo accepti damni pecunias est elargitus. An ferales eiusmodi casus, & subitæ veluti clades, præludia quædam erant idololatriæ profligandæ, eo tempore, quo venturus proximè de solitudine Ioannes, & mox etiam Nazaretho Christus, vnà cum Matre in Iudæam, bellum indicere superstitioni parabant? Certè per exitiales hosce motus ostendebat Ethnicorum barbaries, cedere se loco paulatim, cum paulò post Iudæa primùm, aliosque prouinciæ, & mox Roma ipsa mundi caput, veteres obijcere ritus, & Christianam recipere sanctitatem deberent. Ità factum viuente ac vidente Deiparâ Virgine, suis locis infrà dicemus.

Ruina amphitheatri Fidenatis, & conflagratio Cælij mõtis.

e Tacit. An. 4. & Suet. Tiber. c. 40.

Quid portẽderent.

Annus

Annus Christi 30. B. M. Virginis 44. Tiberij Imp. 15.

I. QVos hîc concurrere ponimus annos, ità velim intelligas, vt inchoatum Christi trigesimum quaternis ferè mensibus antecedat, tum D. Virginis quartus & quadragesimus; tum etiam Tiberij Cæsaris in imperio quintusdecimus. Illum verò Christi annum, ad quem aggredimur, per dies tredecim initum, eiusdem baptismo de Ioannis manu suscepto insignem facimus. Id quod desumptis è sacrâ historiâ rationibus, & Patrum authoritate euincere pro virili conabimur; licet insignes hoc æuo Scriptores, inito paulò aliter annorum numero, asserant, rem adeo memorabilem, anni esse proximè insequentis. Mox etiam exponemus, vbi id temporis manserit, & quid fecerit Virgo mater, exeunte de Nazarenis finibus Christo.

Propositio de Christi baptismo.

II. Et primùm nostræ Chronologiæ ratio, nititur Euangelico testimonio S. Lucæ. Cum enim ille ex vnâ parte, Tiberij Cæsaris annum exprimat decimum quintum, quo & expiare baptismo mortales cepit Ioannes, & Christus illi sese abluendum subiecit; si inde retrocedas ad Augusti annum quadragesimum secundum à consulatu primùm inito, quo anno natum esse Christum in Apparatu notauimus; vtique eius atque Tiberij successoris annos, quibus vterque Imperator, alter post alterum, synchronus Christo hactenus fuit, ad triginta numerabis, quorum quindecim quidem ferè integris eo viuente regnauit Augustus Cæsar; quatuordecim verò cum paucis mensibus pertinent ad sequentem Tiberij principatum, vsque ad eiusce imperij decimumquintum, & nati Christi trigesimum. Ad confirmandam eiusmodi Chronologiam adeat lector eos Augusti atque Tiberij annos, expansos à Iacobo Salliano ad calcem suorum Annalium, vniuersam historiam veteris Instrumenti, resque à Christo in terris gestas complectentium: ex alterâ verò parte firmiorem propositæ veritatis probationem, ipsa S. Lucæ verba rem omninò exprimentia suppeditare videntur. *Factum est*, inquit ille, *cum baptizaretur omnis populus; & Iesu baptizato & orante, apertum est cælum, & descendit Spiritus Sanctus*. Et mox: *Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta*. In Græco est: Καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὢν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ. Fateor quidem

Exponitur ratio nostræ Chronologię

Confirmatur ex Salliano.

Et præcipuè è S. Luca.

quidem ex hoc ipso verborum contextu, conuinci omninò non posse; ineuntene, an exeunte, an potius expleto trigesimo vitæ anno Christus baptismum à Ioanne susceperit. Triplex enim in eum locum cadit interpretatio, vt optimè Augustinus Torniellus animaduertit. Prima est, ad initium anni trigesimi Christum accessisse, dum dicitur, quasi eum incipere. Altera ad eundem omninò explendum, paucos defuisse dies, seu perexiguum temporis spatium, ideòque iam tum eius anni exitum inchoari. Tertia, paucis ante diebus trigesimum illum vitæ annum esse completum; & idcircò verè dici, Christum incipere tum eiusmodi gradum ætatis, atque annos triginta natum esse. Nuda Historici sacri verba triplicem hanc interpretationem admittunt, ideòque perobscurum S. Lucæ testimonium, non eodem modo Doctores interpretati, trahunt singuli in suam sententiam: at verò, si verbum illud incipiendi, ad annos Christi referatur, vt videtur omninò referendum; certè perspicua nobis & plana se prodit, sacri Historici mens. Vbi enim ille protulit ætatem Christi, quasi annorum triginta, videretque adhuc dubitari posse, inchoaret ne illum numerum, an expleret, subdidit ad maiorem declarationem *ἀρχόμενος incipiens*, quod verbum non modò superabundans, sed veritati quoque contrarium erat, si dicere S. Lucas voluit, Christum triginta annos propemodum expleuisse. Idcircò Vatablus Euangelicum textum sic vertit: *Et ipse Iesus incipiebat agere annum circiter trigesimum*; & mox versionem exponens: *Ingreditur*, inquit, *trigesimum annum, quo etiam tempore putabatur filius Ioseph*. Illud obiter locus admonet, ex hac Iosephi commemoratione deduci posse, quod diximus, Sancti Senis obitum, paulò ante Christi ætatem, de quâ nunc agimus, incidisse; quoniam historicus exprimere videtur ipso contextu virum æui recentioris. Cæterum ea quam sequimur huius loci interpretatio, grauissimorum etiam virorum est, qui tum nostrâ, tum Patrum memoriâ floruerunt; iique in vnam consentire videntur omnes, & conspirare sententiam; harum nempe rerum scientissimi Onuphrius, Sigonius, Pererius, Baradius, Lyranus, Caietanus, Hugo Cardinalis, Carthusianus, Clarius, Genebrardus, Adrichomius, Mariana, Toletus, Suarius, & Abulensis, quorum magna ex parte verba retulit Sallianus [a]; ex antiquioribus verò S. Thomas, Beda, Eusebius, Irenæus, Tertullianus, Africanus, Clemens Alexandrinus, aliique quos videre lector potest, apud eundem modò laudatum Sallianum. Placet præterea hac in re Christophori Castrij

Expenditur S. Euangelistæ verba.

Verior loci interpretatio

Authoritate confirmatur,

Scriptorũ recentiorum,

Et Patrum.

a Sallianus t. 6. Annal.

Castrij a ratiocinatio, qui in eandem sententiam omnes datâ operâ difficultates enodat. Quòd verò aliqui Euangelico testimonio, ad ea verba: *Erat incipiens annorum triginta*, notari aiunt Christum publicè docere, & concionari aggredientem, non autem eius annos definiri, pro tempore quo baptismum suscepit; non dubito quin ij vim afferant S. Lucæ verbis, rectoque loquendi modo; quoniam non Christum docentem locus exhibet, sed agit proximè dè eius baptismo. Neque contrà einsmodi sententiam quicquam euincitur, ex testimonio S. Ignatij Antistis Antiocheni, Apostolorum synchroni, qui scribens ad Trallianos, exactas memorat tres annorum à Christo decadas, cum ad Ioannis baptismum accessit; nam vsitato in sacris litteris loquendi modo, post annos triginta, idem est ac anno trigesimo decurrente; sicuti cum Christus dicit: *post tres dies resurgam* b, innuit diem tertium inchoatum; & Euangelista, de Saluatore circumciso cum loquitur, *postquam* c, *consummati sunt dies octo*, significat non eos omninò transactos, sed octauum agi: & alibi non semel idem loquendi vsus occurrit. Græcarum præterea Synodorum expende canonem d, de ordinatione Presbyteri: *Si quis triginta ætatis suæ non impleuerit annos, nulla modo Presbyter ordinetur, etiam si valdè sit dignus; quia & ipse Dominus trigesimo anno baptizatus est, & sic cepit docere*: Vbi animaduerte potissimum duo vnum quidem; impleuisse trigesimum annum, idem esse, ac in eo decurrente versari; quoniam constat, satis tunc fuisse, trigesimum inchoatum, ad Sacerdotium suscipiendum; sicuti apud nos sufficit vigesimus quintus pariter initus; alterum verò, dici Christum venisse ad baptismum quo anno nos diximus. Denique confirmari etiam potest aliunde sententia, ex Ecclesiæ nimirum consensu, apertè asserentis, sextâ mensis Ianuarij die, quâ Magis ab Oriente profectis stella dux Bethlehemicam nati Dei speluncam ostendit, ijdemque munera obtulerunt infanti; bina quoque accidisse recurrentibus annis miracula, Christi ipsius à Ioanne baptismum; & aquam ad vrbis Canæ nuptias in vinum mutatam, quod signum fuit primum ab eodem exhibitum, antequam publicè docendi munus aggrederetur. Nam si dicas; Ecclesiam tria mysteria die vnâ recolere, quæ diuersis omninò diebus, ijsque incertis contigerunt, more iam pridem vsitato repetendi quandoque festa pro die aliquâ, perinde ac si fuerit solemnitatis eiusce propria, cuius memoria celebratur; licet pro rei veritate referenda sit in alteram longè diuersam: hæc optimò reijcit, refellitque

Bara-

a Castrius Hist. Deip. c. 14. nu. 8.

b Matt. 27 ver. 63.

c Luc. 2. v. 21.

d Can. 20. de ordinat. Presbyt.

Côtrà quam interpretatio nem malè asfertur testimonium S. Ignatij.

Confirmatur Ecclesiæ consensu.

Malè aliqui dicunt tria mysteria celebrari vna die, quæ diuersis contigerunt.

Baradius a, quoniam eâdem die Magorum aduentum, Christi baptismum, vinique miraculum contigisse, perspicuis Ecclesiæ verbis significatur. Quorsum tria simul mysteria recolantur, quæ peracta non constet eâdem diuersorum annorum die? nunquid deerant aliæ dies, eorum celebritati destinandæ? imò dicuntur vnâ eâdemque die exhibita fuisse, celebrari verò diuersis; sextâ nempe Ianuarij, sub Epiphaniæ nomine, adoratus à Magis infans Deus; eiusdemque celebritatis octauâ, Christi baptismus; & sequenti proximè Dominicâ, aqua in vinum conuersa. Non igitur affirmandum erat, illa in eandem diem incidisse, si diuersis contigerant. Quo posito, primum Christi ad nuptias Canæ miraculum, contingere non potuit, ante annum eiusdem primum atque trigesimum; quoniam à baptismo ad illud, vnde suæ doctrinæ semina spargere Christus cepit, annus saltem, & quidem integer fluxit. Neque rursus dici potest, secundo ac trigesimo proximè consequente contigisse, ne minus quam tribus annis publicam Christum egisse vitam, suamque doctrinam euulgasse dicamus, contrà communem Ecclesiæ sensum. Et hæc satis ad rem nostram, de quæstione diu apud sacros Doctores agitatâ, in quâ sententiam sequimur multorum authoritate firmatam. Sed accedamus iam ad historiam.

a Se Att.

III. Exeunte anno Christi nono ac vigesimo Ioannes, vt diximus, ex eremo vbi hactenus vixerat, venit diuino monitu in omnem regionem Iordanis, ibique salutaris pænitentiæ præco sanctissimus, expiare populos baptismo cepit. Mox Christus id ætatis cum esset, in quâ se decreuerat ostendere mundo, è Galilæâ venit ad ripam Iordanis, abluendus vtique lauacro Ioannis cum peccatoribus sanctus, cum sontibus in sons. Hoc iter sine Matre factum ab illo credimus, quoniam breui reuersurus Nazarethum erat, vt infrà dicemus. Virgine igitur domi manente, Christus ad Ioannem egreditur, atque ab eo modestè primùm renuente, mox verò obtemperante mandatis, baptismum suscepit, innocentissimus in turbâ nocentum; sextâ, vt dictum est, Ianuarij die, tunc quidem Dominicâ vt censuit Sexta Synodus [b] Bizantij coacta; & Sanctus Ecclesiæ Doctor [c] Augustinus; quâ nimirum annum ætatis trigesimum per dies tredecim Saluator inierat. Accepto baptismo cum ascendisset de aquâ, ac totus orationi vacaret, visum est aperto cælo Sacrosanctæ Trinitatis spectaculum, diuinus nempe Spiritus descendens suprà Dei Filium carne vestitum, sub columbæ specie; & vox æterni Patris per Angelum de nube sonans,

Christi à Ioanne Baptismus.

b Ser de

Sanctissimæ Trinitatis spectaculum coram Ioanne.

be sonans tanquam probatum cælitus testimonium abscon-
ditæ in Christo diuinitatis. Rem totam describunt sacri E-
uangelistæ Matthæus [a] & Lucas [b], & S. Bernardus [c] Ioan-
nem laudans, spectatorem in terrâ Augustissimæ Trinitatis
admiratur. Ad hæc sancto impellente Spiritu Christus in de-
sertum profectus, vbi priùs Ioannes inhabitarat, quadraginta
dierum, noctiumque ieiunio, locum rupium asperitate, ac so-
litudine horridum consecrauit; mox accedenti ad eum ten-
tandum Satanæ, ter constantissimè restitit; primùm quidem
offerenti lapides, vt verterentur in panes, & ieiunium soluere-
tur; deinde verò suadenti præcipitium ex Hierosolymitani
templi fastigio, casumque innoxium pollicenti à parato An-
gelorum auxilio; denique in montis altissimi vertice per os-
tensionem promissionemque regnorum omnium, ad Dæ-
monolatriam Dei Filium pertrahere conanti. Cum autem
victor triplicem hanc Dæmonis oppugnationem propulsasset,
illuc certatim Cælites conuolarunt, atque esurienti Domino
famulorum more cibos apposuerunt, quæue erant ad men-
sam necessaria ministrarunt. Eiusmodi fercula ab Angelis ad
Christum allata, S. Bonauentura [d] piè meditando asserit, ex ip-
sâ Virginis Matris domo fuisse desumpta; id quod existimat
verosimillimum Io: Stephanus [e] Menochius, vir nostro æuo
pereruditus, cum paratas per miraculum dapes, vbi procura-
ri humanitus poterant, non facilè debeamus asserere. Sicun-
de verò elaborandæ, sufficiendæque erant (vt in ijs accidit
quas messoribus destinatas, Deus mandauit, in lacum leo-
num ad Danielem [f] deferri; & Abacucus ab Angelo per aë-
rem vectus suppeditauit esurienti captiuo) vndenam conue-
nientius potuere desumi, quam ex Nazarenâ ipsius Deiparæ
domo? imò quonam cibo Christus libentius vires reficeret,
quàm Genitricis suæ sanctissimæ manibus præparato? illam
sanè cælitus commonefactam, quid ageret id temporis san-
ctissimus Filius, vbi nam gentium esset, & quâ necessitate po-
tissimum laboraret, parasse crediderim illicò cibos, ad eius
esuriem subleuandam, ijsque Angelorum ministerio delatis
pastum esse Christum. Refectionis eiusce locum, non ere-
mum ipsam, vbi ille antea ieiunauerat, sed montis fuisse cul-
men, vnde tentatorem Dæmonem victor expulerat, innuere
tacitus videtur Euangelista, quoniam post narratam Diaboli
fugam, proximè subdit, accessisse ad famelicum Dominum
Angelos, atque escas ministrasse. Ex commemoratâ hactenus
historiâ lector facilè intelliget; actionem primam, quâ

Margin notes:
a Matt. 3. vers. 11.
b Luca 3. vers. 22.
c Bernard. de priuilegijs S. Io: Baptistæ sermo.
Christus a Sancto Spiritu in desertum ducitur.
Tentatur a Dæmone.
Quem & vincit.
d S. Bonau. vita Christi cap. 17.
e Menoch. Hist. vit. Christi l. 2. cap. 4.
Accipit ab Angelis cibos.
Vbi nam illi parati?
f Daniel. 14 vers. 17.
De loco eiusce refectionis.

Documenta Christianis ab hac Christi pugna.

cepit Christus se prodere, baptismum fuisse, ad Iordanis ripas de Sācti Præcursoris manu susceptū; vt palam omnibus fieret, non modò eam viam sterni, imò ianuam aperiri ad Christiana sacra; sed etiam illum ipsum, quem Ioannes abluebat, Dei esse Filium, cælesti testimonio renunciatum, atque indicio pariter descendentis è cælo columbæ Iudæis ostensum; tum præterea solitarium,& ieiunum ad dies quadraginta in deserto commoratum, pugnas sibi à Dæmone intentas verbo tanquam telo repulisse, vt asseclas suos reipsâ doceret, quâ ratione in vitæ militiâ, Satanæ sit insidijs feliciter occurrendum; denique legitimè certanti tum palmas, tum arcana mentis solatia de cælo demitti. Non deest qui sentiat [a], Iesu baptismo adfuisse Deiparam, ad Iordanem vsque de Galilæâ profectam, ibique tum cælestia signa Christum Dei Filium designantia vidisse, tum etiam conciones Ioannis, quem puerum nondum natum olim inuiserat, cum gaudio audiuisse; sed hoc non dicitur nisi diuinando, cum nusquam reperiatur scriptum: certè quicquid ibi gestum est, Deiparæ Virgini in Galilæâ degenti, reuelatum diuinitus fuisse per Angelos, negare non ausim. Cæterum tam baptismi, quam ieiunij locum insignitum deinde,& consecratum templi seu sacelli ædificio, testantur qui [b] de sacris Palæstinæ monumentis, ac de sanctiore terrâ scripserunt.

a Nuperus Author.

b Adrichomius.

Obiecta ab authoribus contrariæ sententiæ.

IV. Verùm antequam vltrà pergo, placet difficultates aliquas explanare, obiectas ab ijs, qui in annum Christi primum ac trigesimum reijciunt Christi baptismum. Inconueniens in primis maximum ducunt, ac proinde dissimile vero; si dicatur à baptismo Christus per integrum annum (quem ad primum vsque signum aquæ in vinum mutatæ, intercedere putamus) adhuc priuatam duxisse vitam, re nullâ publicè gestâ ad Saluatoris munus pertinente: vel certè vrgent ratiocinatione grauiori, & minimè dissimulandâ: si ab anno ætatis trigesimo, cum baptismum percepisset, illicò conciones habere cepit, quas tribus tantùm annis circumscribere solet communis Ecclesiæ sensus; inde confici, Christum esse Cruci affixum, annos agentem tres ac triginta à quatuor mensibus initos, quod iam nemo ferè concedet. Sed negamus vitam illam Christi, quæ proximè est baptismum consecuta, fuisse omninò priuatam, cum aliqua eo tempore gesta narrentur, vnde dignosci non obscurè poterat generis humani Saluator, licet neque docuerit populos, neque patrarit miracula. Aquâ enim tinctus per Ioannis lauacrum, ducitur à Spiritu

Dissoluūtur.

Quid Christus egerit post baptismum.

Spiritu Sancto in desertum, vbi dies ipsos quadraginta ieiunat; mox esuriens, ac triplici ex Diabolo tentante reportatâ victoriâ, cibum ab Angelis sumit. Inde in Galilæam reuer-

b. fus ad Matrem est, vt ait S. Epiphanius [a], extremo Februario,

;1. neque consuetudini defuit Paschæ in vrbe Hierosolymâ celebrandi. Præterea partim in Iudæâ, partim in Galilæâ vsque ad Decembrem egit, versatusque identidem creditur cum Io-

hron. anne in speluncâ propè Iordanem, vt sancto cuidam seni co-

) Spi- gitanti Sinam fuisse diuinitus reuelatum Sophronius [b] asserit.

ap. 1. Ad hæc Ioanni Hierosolymâ affuere legati [c], interrogantes,

ann. 1. num ipse Messias esset; quâ occasione sapienter vsus Ioannes,

19. nunciauit eis Christum adhuc ignotum. Postridie à legatione, Sancti Præcursoris audita sunt insignia de eodem Christo testimonia: cum enim, hunc ille venientem vidisset, illicò ad

Idem 1. circumstantes; *Ecce* [d], inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit pecca-*

m. 29. *tum mundi*. Et rursus die alterâ ab hoc testimonio dato, duobus discipulis suis idem de Christo protulit, quem item videtat ambulantem; & hac discipuli voce commoti ad eundem venerunt. Alter discipulorum erat Andreas, qui sub vesperam à Christi domo digressus, inuentum fratrem illuc sine morâ deduxit. Denique Christus postridie rediturus in Galilæam cum inuenisset Philippum, vocauit ad se; & ille pariter Nathanaelem adduxit, nec plura reperiuntur gesta, anno Christi trigesimo:

V. Euangelistarum testimonijs non aduersatur, qui post susceptum hoc anno ineunte baptismum, quinquies Christum ait celebrasse Pascha: primum quidem, cum diebus tredecim annum trigesimum inchoasset, à Ioanne ablutus: alterum anno vertente, proximè post nuptias Canæ, insigni miraculo claras; neque enim fieri potest, vt eâdem eiusdem anni die, baptismus nuptiæque contigerint, cum statim à baptis- *Quinquies celebrauit Pascha post baptismum.*

e Mar. 5. mo, vt ait Marcus [e], in desertum Christus abiuerit; dum cæ-

ver. 12. teroqui Ecclesia eandem diem diuersorum annorum vtrique mysterio assignat: tertium memorat Sanctus Euangelista

f Ioann. 5. Ioannes [f], vbi de festo agit, ad quod Hierosolymam Christus

init. ascendit, & languidum ad piscinæ porticus tot annos iacentem incolumitati restituit: festum enim eiusmodi Irenæus, Ru-

g In c. 5. pertus, Toletus, Iansenius [g], alijque passim Pascha interpre-

Ioan. tantur. Quartum perspicuè nominat idem S. Ioannes, cum proximè ante illud narrat insigne miraculum, à Christo patratum, per quod refecta sunt ad saturitatem quinque hominum millia, modico quinque panum, & duorum piscium

commeatu. Hoc festum Paschæ nomine expressum, controuersiam de se nullam admittit; sicuti nec remanet dubium de quinto, quod vltimum Christi in terris Pascha fuit, ac eius morti præiuit.

Tiberius insula se Capreis abdidit

VI. Sub hoc ipsum tempus relictâ paucis ante annis Româ Tiberius Cæsar, cum Campaniam peragrasset, Capreas se in insulam abdidit, vbi ex mundi principe, mancipium euasit voluptatis: ea enim perpetrare est ausus in eiusmodi latebris, quæ cogitare quidem, nedum scribere pudet. Admissa in Tyrrheni maris angulo scelera, quò nulli probo patebat aditus, Romana historia satis vulgauit; nec Imperatoris probra[a], Tacitus, & Suetonius[b] dissimularunt. Sat est dicere, aulâ Orbis moderatrice cum arcanis libidinum sedibus commutatâ, ipsum terrarum Monarcham, adoratum populis caput, in belluam degenerasse. Tu mecum lector tacitus cogita, odisse lucem Tiberium, suæque turpitudini latebras quæsiuisse, quo tempore Christus ad humanam salutem procurandam prodibat ex Marianâ domo, vbi ad annos triginta cum Matre latuerat. Summa hîc sanctitas diu soli Deo pariter inhabitanti spectaculum fuerat: eâque propediem ostendendâ mundo, abscondere se prius crudelitas, & libido Cæsaris debuit; atque vtinam antro Capreensi subterraneo obruta fuisset, vt ne manasset quidem ad memoriam posterorum.

a Tacitus Ann. l. 6. init.
b Sueton. Tib. c. 40.

Cū Christus prodit è Mariæ domo.

Annus Christi 31. B. M. Virginis 45. Tiberij Imp. 16.

Summa rerū huius anni.

I. Altero post Christi baptismum anno, initium ponimus disseminatæ ab eo in Iudæam doctrinæ, primumque miraculum ad nuptias in oppido Galilææ Canâ editum, non sine interuentu, atque impetratione Virginis Matris; quam indiuiduam comitem Sanctissimi Filij conciones habentis, & legem Euangelicam promulgantis, S. Augustinus[c] appellat. Huius miraculi historiam, & res deinde à Christo gestas totius anni spatio prosequemur, has quidem obiter ad Diuam quoque Virginem ex Filio spectantes; illam verò fusius, vt præclarum Deiparæ facinus continentem.

c S. Aug. serm. 18. de temp.

De nuptijs in Cana Galilææ.

II. Cana erat in Galilæâ, milliaribus octo distans à Nazareno Virginis domicilio; ac proinde occasione nuptiarum, quas ibi ipsius Deiparæ consanguinei celebrabant, adesse illam quoque cum Filio tum loci tum sanguinis propinquitas suasit. Af-

sit. Affuere pariter discipuli quos paulò ante paucos Christus collegerat. Quinam Sponsus, quæ Sponsa fuerit, affirmari certò non potest, alijs aliter sentientibus, imò fabulantibus nonnullis apud Molanum [a] eos Ioannem & Magdalenam fuisse. Id videtur dumtaxat certum, in quod interpretes sacri conueniunt, cognatione illos ad Deiparæ familiam pertinuisse. Quid ad eas nuptias gestum sit à conuiuis sanctissimis Euangelista [b] describit; vbi ad improuisum in conuiuio vini defectum, Mariam exhibet Sponsorum inopiæ, atque rubori consulentem; illa enim historico teste, sincerò, candidèque Christo necessitatem aperuit; qui visus primùm Matrem repellere, deinde ex aquâ, quam afferri iusserat, vinum factum obtulit mensæ structori gustandum; atque ità clementiæ Mater, apud quam miraculorum deinceps extitit officina, primi illius miraculi administra fuit, non solum ad auertendam à Sponsis egestatis notam, sed etiam ad vtilitatem adstantium (inter quos discipuli tum primùm credidisse in Christum dicuntur) atque ad ipsius gloriam Saluatoris. Verùm placet hîc paucis perpendere, eâ occasione redditum à Filio Matri responsum, quod ad speciem fortasse duriusculum, blasphemè, impièque suo more carpunt hæretici, præsertim [c] Caluinus & Beza; deducentes inde, miraculum fuisse perperam, & importunè postulatum. Sed mendacij arguuntur ex interpretatione D. Gregorij [d] dicentis, verba Christi: *Quid mihi & tibi est mulier*, quibus responsum est Virgini, miraculum permodestè postulanti, hunc reddere sensum: *Vnde facere miraculum possum, hoc mihi ex Patre, non ex matre est. Ex matre enim*, subdit ad maiorem explanationem S. Doctor, *mori poterat, qui ex natura Patris miracula faciebat*. Concludit denique: *Ait ergò: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Quod est dicere: In miraculo quod ex tua natura non habeo, te minimè matrem recognosco; sed cum hora mortis venerit, cognosco te matrem; quia vnde mori possum, hoc ex te habeo*. Præterea tantum abest, vt minus honorificè locutum esse ad Matrem Christum eiusmodi responso, Orthodoxi sentiant: etiam neotericus quispiam insignem potius, & suprà quam credi possit, ac debeat, exaggeratum B. Virginis honorem inibi deprehendit [e]. *Absit* ergò, dixerim ego cum Guerrico [f] Abbate, *vt Matrem aspernatus sit, qui tanta cura de parentibus honorandis legem dedit*. Absit præterea, vt sentiamus, repulsam fuisse Virginem à Christo tanquam indignante; qui eius precibus & charitati in egentes Sponsos, vinoque ad vsum conuiuij destitutos, paulò post

Quibus inter fuit Maria cum Christo et discipulis.

Maria consulit Sponsorū inopiæ.

Christi ad Matrem responsio expēditur.

a Molan. l. 4. de Imaginibus c. 20.

b Ioan. 2. v. 1. & seq.

c Vasq. 3. p. d. 120. c. 4. Adamus Gontzen in 2. Io. v. 4. q. 1.

d S. Greg. l. 8. ep. 42.

e Vide Theoph. Raynald. in Diptychis Mar. p. 1. pun. 9 & de Christo l. 5 sect. 5. c. 15.

f Guerric. serm. 4. de Assumpt.

rum conspectu. Nam præterquam quod pictoribus audendi quidlibet potestas semper fuit; significari tantum ijs imaginibus dixerim, Christum & Ioannem fuisse synchronos, licet nunquam ante alterius baptismum conuenerint. At verò hæc vtriusque familiæ cognatio vnde ducatur diximus in Apparatu [a] è probatâ multis sententiâ, & peruetustæ traditioni innixâ. Ex Ismeriâ S. Annæ sorore, Aprano Aaronitico nupta, natam volunt Elisabetham Deiparæ consobrinam, cui frater fuit ex ijsdem parentibus Eliudus: hic autem ab vxore Ioannâ duos suscepit filios, Martialem Lemouicensium primum Episcopum, & Emintium, à quo genus duxisse S. Seruatium decimum Antistitem Tungrensem, refert in Chronicis Sigebertus [b], cui tamen Cardinalis Baronius [c] non assentitur, cum Seruatius dicatur ab illo Emintij filius, quem ad vitandum incommodum longioris æui oportuisset dicere, non filium, sed pluribus intermedijs, ex illius stirpe prognatum. Ad eiusmodi consanguinitatem totam vnico intuitu recognoscendam, præstat arborem adire, quam Christophorus [d] Castrius in tres ramos ex vnâ radice Dauidicâ prodeuntes expandit, quorum medius rectâ ducit Mariæ ipsius proauos paternos, qui dexter est maternos; qui verò sinister ad Iosephum & Cleopham pertinet. Nobis hic diutius immorari non licet, cum præsertim ex ijs aliqua, explorata & certa omninò non sint.

S. Elisabethæ cognatio.

a Apparatum, 78.

b Sigebertus ad ann. 399.

c Baron. in notis Martyrolog. 13 Maij.

d Castrius Hist. Deiparæ c. 1. n. 11. in fine.

V. Interim ex Romanâ pariter, ac Iudæorum historiâ, Christi, eiusque Matris cognitioni, si quid opponendum occurrat more nostro expediamus. In primis Cæsarum occurrit cognatio, quæ sub hoc ipsum tempus miserè consternata cesserat in fortunæ ludibrium. In filiâ & nepotibus suam propè extinctam Augustus viderat, & mox Tiberius eius successor, idem fatum in Germanici domum immiserat, & ademptum sibi filium Drusum fraude Seiani, aulamque senserat funestatam; quasi verò Cæsarum consanguinitas vitam & sanguinem Imperatori deberet: dum è contrario Christi Deiparæque cognati viuere ab eorum consuetudine discerent, atque ad filiorum Dei felicitatem, quantò meliorem Cæsareâ! niterentur. At verò in Iudæâ Herodes Antipas, qui post obitum patris, regnum Tetrarchiæ susceperat nomine, suam cognationem nouo dedecore cumulauit: nam Philippi fratris, Itureæ & Trachonitidis regionis Tetrarchæ, vxorem Herodiadem accipere sibi per summum scelus est ausus, in quod deinde sacræ pænitentiæ præco Ioannes, è deserto diuinitus in Iudæam

Infelix Cæsarum Romæ cognatio.

Itemque Herodis in Iudæa.

Iudæam missus, tanquam prodromus Saluatoris, iustæ studio reprehensionis exarsit. Regis eiusce cognatio hoc etiam scelere infamis, conferatur cum Mariana; vt ab alterius turpitudine, & probris, alterius virtutes magis eniteant. Numerosa Cleophæ proles, Christo & Deiparæ adiuncta, fratres illi ac sorores, huic exhibet nepotes, ac neptes, omnes sanctorum felicitate donandos, cuius vtique pignus hoc tempore iam acceperant, Zacharias, Elisabetha, Ioannes Baptista, alij eorundem Christi, Mariæque cognati, duo quidem priores ante annos plures vitâ functi, tertius verò saluti multorum viuens. At Herodes fraterni thori iure violato, vxorem suam Aretæ Arabum Regis filiam dimittit, Deique in se iram prouocat, atque hominum arma, id quod petere potes ex Iudæorum [a] historiâ.

Ian. 3. c. 7

Annus Christi 29. B. M. Virginis 43. Tiberij Imp. 14.

I. NOnus atque vigesimus Christi annus, idemque tertius & quadragesimus Virginis Matris, licet cum decimoquarto imperantis Tiberij maiori ex parte concurrat; attamen antequam ex toto prætereat, init Tiberius decimumquintum perhonorificâ S. Lucæ Euangelistæ commemoratione celeberrimum, quo & Ioannem Baptistam prodire contigit ex deserto in omnem Iordanis regionem, & Christum accedere ad eius baptismum, magno vtique humilitatis exemplo. Aduentus quidem Ioannis è solitudine, atque ad concionandum aggressio, tunc Iudææ primùm illuxit, cum nonum & vigesimum ætatis annum Christus propè compleret, cuius anni menses postremi quatuor, Tiberij quintumdecimum inchoarant; iisque per octo menses reliquos ad Christi trigesimum pertinet, in quem & eiusdem à Ioanne baptismum incidisse dicemus, non sine authoritate tum veterum Patrum, tum recentioris memoriæ Scriptorum.

Rerum præparatio ad hunc annum pertinentiū.

Temporum distinctio.

II. Igitur anno Christi vndetrigesimo decurrente, cum Ioannes à puero Eremi colonus, antra & rupes inhabitaret, loci solitudinem omninò desertam frequentans, quam [b] Adrichomius ad Beniaminiam tribum pertinuisse ait, eandemque situ inter mediam Hierosolymæ, & Hierichunti, fuisse quadragenariam appellatam, à dierum fortasse numero, quibus ibidem ieiunasse Christum; inter eiusce regionis Christianos

S. Ioannis egressus ab eremo.

[b] ...rich. ...ript. ...San... ...n. 97.

 stianos

ſtianos fama percrebuit: cum, inquam, ibi Ioannes vitam ageret, qualem ſuprà deſcripſimus, per arcanum inſtinctum Numinis loquentis ad cor, iuſſus eſt illicò exire de latebris, atque ad humanos animos Saluatori parandos, publicum aggredi concionantis officium. Alij admonitum fuiſſe per Angelum volunt, vt Chriſto quamprimùm populis affuturo præiret, atque in obſequium Principis, homines ad ſalutarem pænitentiam excitaret. Vtrumque ſignificatum, ex loquendi formâ Hebræis vſitatâ habere poſſunt Sancti Lucæ [a] verba, rem geſtam commemorantis. *Factum eſt*, inquit, *verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto.* Quid proximè anteceſſerit Sancti Præcurſoris in omnem Iordanis regionem egreſſum, ex eo potiſſimum licebit colligere, quòd virum inter natos mulierum maximum Deus parabat, mittebarque primum Euangelicæ legis nuncium: ideòque quo magis appetebat illum oſtendendi tempus, eò inſtructiorem Apoſtolicis virtutibus eſſe oportuit. Itaque hoc ipſo Ieſu Chriſti anno, qui proximè eius à ſolitudine Nazarenâ digreſſum antecedit, eò ſanctitas viri peruenerat, vnde par erat illum ordiri, diuinitus ſibi præſcriptum ſacri Præcurſoris officium, cum enim vel infans, adhuc in vtero matris conſtitutus, eam Virgine Deiparâ ſalutante, illapſum plenè ſibi diuinum Spiritum excepiſſet, inchoatum iam tum animi decorem, natus deinde per ætatis gradus augere contendit, donec vitâ inter ſiluarum ac rupium horrores ſanctiſſimè ductâ, maturus euaſit dignitati, cui deſtinabatur. Erat Chriſto ferè coæuus, eique & Virgini Matri, vt ſanguine, ſic etiã animo coniunctiſſimus, licet locorũ interuallo diſiunctus. Ad dubiũ verò, an per ternas annorũ decadas, quotquot à Ioannis natiuitate decurrerant, vnquam cum Chriſto, eiuſque familiâ fuerit, antequam aggrederetur concionandi munus, ſuprà adhæſimus parti neganti, quòd ex Euangelicâ hiſtoriâ habeatur iugis eius in deſertis commoratio, vſque ad tempus prodeundi in publicum ſolem, ex eâ veluti priuatâ palæſtrâ. Vt verum hoc ſit, manet nihilominus adhuc ſub dubio, an Chriſtus ipſe, an Deipara, an denique Ioſephus dum viueret, Nazaretho quandoque ad Ioannem acceſſerint, ante eius digreſſum; vt virum ab omni hominum conſortio remotum inuiſerent, ſuoque identidem alloquio ſolarentur. Sed ſcrutari curioſius nobis non licet, quæ nuſquam in ſacris litteris affirmata reperimus, & Spiritus Sanctus occulta eſſe hominibus voluit. Certũ hoc eſt, Ioannis animum recolentem ſæpe inter ſpelæa ſiluaſque corporati Verb myſte-

[a] Luc. 3.

Eius ſanctitas è deſerto exeuntis.

An Ioannes fuerit vnquã cum Chriſto ante trigeſimum vtriuſque annum.

mysteria, Sacrosanctæ Christi familiæ, mente & cogitatione plurimùm affuisse, atque eadem cordis oculo sæpius obiectâ, solitudinis mærorem leuasse, & sustinuisse fortiùs vitæ asperitatem.

III. Cæterùm omissis ijs, de quibus affirmare nihil possumus certi, egressum Ioannis è deserto, quem incidisse dicimus in annum Christi nonum suprà vigesimum, per eas peristases consideremus, quibus potissimùm adnotatis, eum Euangelista [a] insignivit. *Anno*, inquit ille, *quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Itureæ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha, sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.* Hæc tam accurata Principum nota, maxime rem ipsam, quæ narratur, illustrat, confirmatque magis historiæ veritatem. Ità oraculis suis promendis fecisse constat sacros Vates, qui eorum initio expressos voluere Iudæorum Reges, suo æuo regnantes. Annus inprimis notatur Tiberij Cæsaris, qui ingressus iam erat in quintum suprà decimum sui principatus, ante quam Christus nonum & vigesimum ætatis expleuisset: necdum enim trigesimum attingebat, cum diuino vel monitu, vel afflatu Ioannes è deserto digressus, operi se dedit, ad quod mittebatur. Subiecta Romani imperij legibus Iudæa, redacta iam fuerat in prouinciam, ideòque Historicus, in narratione rei ad id tempus pertinentis, meminit Imperatoris Tiberij, simulque Pilati, Romani in eâ Præsidis, ac Tetrarcharum, qui eandem authoritate Cæsarum sibi ad regnum diuiserant. Prætereà notantur Principes Sacerdotum duo, Annas siue Ananus, & Caiphas, quibus tum erat præcipuè cura sacrorum; non quidem quòd ambo simul gererent summum pontificatum; vnius enim capitis ea dignitas erat, nec nisi remoto altero, sacrum alter solium ascendere poterat; sed quòd Caiphâ solum id temporis summo Sacerdote, Annas ex Collegio Synedrio septuaginta duorum (quod Deus per Mosen [b] instituerat ad grauiora iudicia) primus haberetur, Princeps quoque Sacerdotum dictus, sicuti censet amantissimus veritatis Cardinalis Baronius: vel certè, quòd ambo sibi inuicem successissent; quoniam arbitratu Præsidum Romanorum variari solitis summis per id tempus Sacerdotibus; esse facilè potuit, vt quo Tiberij Cæsaris anno, Ioannes concionari in Iudæâ cepit, eo quidem ineunte Annas substitutus fuerit in Caiphæ locum,

Tempus quo S. Ioannes è deserto prodiuis.

Cur notentur duo Sacerdotū principes Annas, & Caiphas.

a Luc. 3. 0. 1.

b Num. 11. Cap. 16.

exeunte autem Caiphas redierit in locum priorem, iterum Pontificatum adeptus. Ità sentit accuratus sacrorum Annalium Scriptor Augustinus Torniellus [a], cui sententiæ facilè assentiremur, si de illâ Caiphæ Pontificis cessatione aliunde constaret. Fieri etiam potuit, quod alij [b] dicunt, vt ità se habuerint eodem tempore Annas & Caiphas, quomodo olim regnante Sedeciâ, Saraias & Sophonias, quorum ille in libris Regum [c] & Ieremiæ [d], appellatur primus Sacerdos, hic secundus, quasi vices alterius gerens, quando illum ab obeundo munere, morbi aut aliæ causæ impedirent. Quicquid demum sit, auspicatissimus fuit Sancti Præcursoris in omnem Iordanis regionem aduentus, tanquam Phosphori solem proximè affuturum nunciantis; atque ex noctis anteactæ tenebris, diem clarissimum inchoantis; ideòque tanto cũ apparatu illum exposuit Euangelista. Denique sicuti Iesum Christum id temporis Nazarethi versantem non latuit; ità Virgini Matri plurium consciæ arcanorum innotuit; vnde alter quidem, cui per Ioannem via ad hominum salutem procurandam parabatur, exultauit vt Gigas ad eam currendam: altera verò gaudebat, humanæ redemptionis tempus appropinquare. quam verò suauis, ac iucunda piorum colloquiorum materies hinc nasceretur vtrique, quilibet sacris assuetus commentationibus facilè iudicabit.

S. Ioannis egressus instar Luciferi.

a Torniell. an. Mun. 4069.
b Idem. an. mun. 2974 num. 10. & Spondan. epit. ad Baronius an. Christi 31.
c 4. Reg. c. 25. v. 18.
d Ierem. c. 52. v. 24.

IV. Hoc eodem Iesu Christi anno, ad cuius exitum dicimus, Ioannem aggressum esse suum concionandi munus, imminente Christi baptismo, ex profanâ historiâ malum profertur congeminatum, quod visum est ingentis belli cladem æquasse. Alterum [e] ruinam præfert amphitheatri Fidenatis, quâ ad quinquaginta hominum millia, vel debilitata casu, vel obtrita feruntur: alterum Cælij montis conflagratione continetur, cui monti in pristinum decorem restituendo, Tiberius pro modo accepti damni pecunias est elargitus. An ferales eiusmodi casus, & subitæ veluti clades, præludia quædam erant idololatriæ profligandæ, eo tempore, quo venturus proximè de solitudine Ioannes, & mox etiam Nazaretho Christus, vnà cum Matre in Iudæam, bellum indicere superstitioni parabant? Certè per exitiales hosce motus ostendebat Ethnicorum barbaries, cedere se loco paulatim, cum paulò post Iudæa primùm, aliosque prouinciæ, & mox Roma ipsa mundi caput, veteres obijcere ritus, & Christianam recipere sanctitatem deberent. Ità factum viuente ac vidente Deiparâ Virgine, suis locis infrà dicemus.

Ruina amphitheatri Fidenatis, & conflagratio Cælij môtis.

e Tacit. An. 4 & Suet. Tiber. c. 40.

Quid portêderent.

Annus

Annus Christi 30. B. M. Virginis 44. Tiberij Imp. 15.

I. QVos hîc concurrere ponimus annos, ità velim intelligas, vt inchoatum Christi trigesimum quaternis ferè mensibus antecedat, tum D. Virginis quartus & quadragesimus; tum etiam Tiberij Cæsaris in imperio quintusdecimus. Illum verò Christi annum, ad quem aggredimur, per dies tredecim initum, eiusdem baptismo de Ioannis manu suscepto insignem facimus. Id quod desumptis è sacrâ historiâ rationibus, & Patrum authoritate euincere pro virili conabimur; licet insignes hoc æuo Scriptores, inito paulò aliter annorum numero, asserant, rem adeo memorabilem, anni esse proximè insequentis. Mox etiam exponemus, vbi id temporis manserit, & quid fecerit Virgo mater, exeunte de Nazarenis finibus Christo. *Propositio de Christi baptismo.*

II. Et primùm nostræ Chronologiæ ratio, nititur Euangelico testimonio S. Lucæ. Cum enim ille ex vnâ parte, Tiberij Cæsaris annum exprimat decimum quintum, quo & expiare baptismo mortales cepit Ioannes, & Christus illi sese abluendum subiecit; si inde retrocedas ad Augusti annum quadragesimum secundum à consulatu primùm inito, quo anno natum esse Christum in Apparatu notauimus; vtique eius atque Tiberij successoris annos, quibus vterque Imperator, alter post alterum, synchronus Christo hactenus fuit, ad triginta numerabis, quorum quindecim quidem ferè integris eo viuente regnauit Augustus Cæsar; quatuordecim verò cum paucis mensibus pertinent ad sequentem Tiberij principatum, vsque ad eiusce imperij decimumquintum, & nati Christi trigesimum. Ad confirmandam eiusmodi Chronologiam adeat lector eos Augusti atque Tiberij annos, expansos à Iacobo Salliano ad calcem suorum Annalium, vniuersam historiam veteris Instrumenti, resque à Christo in terris gestas complectentium: ex alterâ verò parte firmiorem propositæ veritatis probationem, ipsa S. Lucæ verba rem omninò exprimentia suppeditare videntur. *Pactum est*, inquit ille, *cum baptizaretur omnis populus; & Iesu baptizato & orante, apertum est cælum, & descendit Spiritus Sanctus*. Et mox: *Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta*. In Græco est: Καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὢν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ. Fateor quidem

Exponitur ratio nostræ Chronologię

Confirmatur ex Salliano.

Et præcipuè è S. Luca.

quidem ex hoc ipſo verborum contextu, conuinci omninò non poſſe; ineuntene, an exeunte, an potius expleto trigeſimo vitæ anno Christus baptiſmum à Ioanne ſuſceperit. Triplex enim in eum locum cadit interpretatio, vt optimè Auguſtinus Torniellus animaduertit. Prima eſt, ad initium anni trigeſimi Chriſtum acceſſiſſe, dum dicitur, quaſi eum incipere. Altera ad eundem omninò explendum, paucos defuiſſe dies, ſeu perexiguum temporis ſpatium, ideòque iam tum eius anni exitum inchoari. Tertia, paucis ante diebus trigeſimum illum vitæ annum eſſe completum; & idcircò verè dici, Chriſtum incipere tum eiuſmodi gradum ætatis, atque annos triginta natum eſſe. Nuda Hiſtorici ſacri verba triplicem hanc interpretationem admittunt, ideòque perobſcurum S. Lucæ teſtimonium, non eodem modo Doctores interpretati, trahunt ſinguli in ſuam ſententiam: at verò, ſi verbum illud incipiendi, ad annos Chriſti referatur, vt videtur omninò referendum; certè perſpicua nobis & plana ſe prodit, ſacri Hiſtorici mens. Vbi enim ille protulit ætatem Chriſti, quaſi annorum triginta, videretque adhuc dubitari poſſe, inchoaret ne illum numerum, an expleret, ſubdidit ad maiorem declarationem *ἀρχόμενος incipiens*, quod verbum non modò ſuperabundans, ſed veritati quoque contrarium erat, ſi dicere S. Lucas voluit, Chriſtum triginta annos propemodum expleuiſſe. Idcircò Vatablus Euangelicum textum ſic vertit: *Et ipſe Ieſus incipiebat agere annum circiter trigeſimum*; & mox verſionem exponens: *Ingreditur*, inquit, *trigeſimum annum, quo etiam tempore putabatur filius Ioſeph*. Illud obiter locus admonet, ex hac Ioſephi commemoratione deduci poſſe, quod diximus; Sancti Senis obitum, paulò ante Chriſti ætatem, de quâ nunc agimus, incidiſſe; quoniam hiſtoricus exprimere videtur ipſo contextu virum æui recentioris. Cæterum ea quam ſequimur huius loci interpretatio, grauiſſimorum etiam virorum eſt, qui tum noſtrâ; tum Patrum memoriâ floruerunt; ijque in vnam conſentire videntur omnes, & conſpirare ſententiam; harum nempe rerum ſcientiſſimi Onuphrius, Sigonius, Pererius, Baradius, Lyranus, Caietanus, Hugo Cardinalis, Carthuſianus, Clarius, Genebrardus, Adrichomius, Mariana, Toletus, Suarius, & Abulenſis, quorum magna ex parte verba retulit Sallianus [a]; ex antiquioribus verò S. Thomas, Beda, Euſebius, Irenæus, Tertullianus, Africanus, Clemens Alexandrinus, alijque quos videre lector poteſt, apud eundem modò laudatum Sallianum. Placet præterea hac in re Chriſtophori Caſtrij

Expenditur S. Euangeliſtæ verba.

Verior loci interpretatio

Authoritate confirmatur,

Scriptorũ recentiorum,

Et Patrum.

a Sallianus t. 6. Annal.

Castrij [a] ratiocinatio, qui in eandem sententiam omnes datâ operâ difficultates enodat. Quòd verò aliqui Euangelico testimonio, ad ea verba: *Erat incipiens annorum triginta*, notari aiunt Christum publicè docere, & concionari aggredientem, non autem eius annos definiri, pro tempore quo baptismum suscepit; non dubito quin ij vim afferant S. Lucæ verbis, rectoque loquendi modo; quoniam non Christum docentem locus exhibet, sed agit proximè de eius baptismo. Neque contrà eiusmodi sententiam quicquam euincitur, ex testimonio S. Ignatij Antistis Antiocheni, Apostolorum synchroni, qui scribens ad Trallianos, exactas memorat tres annorum à Christo decadas, cum ad Ioannis baptismum accessit; nam vsitato in sacris litteris loquendi modo, post annos triginta, idem est ac anno trigesimo decurrente; sicuti cum Christus dicit: *post tres dies resurgam* [b], innuit diem tertium inchoatum; & Euangelista, de Saluatore circumciso cum loquitur, *postquam* [c], *consummati sunt dies octo*, significat non eos omninò transactos, sed octauum agi: & alibi non semel idem loquendi vsus occurrit. Græcarum præterea Synodorum expende canonem [d], de ordinatione Presbyteri: *Si quis triginta ætatis suæ non impleuerit annos, nullo modo Presbyter ordinetur, etiam si valdè sit dignus; quia & ipse Dominus trigesimo anno baptizatus est, & sic cœpit docere*: Vbi animaduerte potissimum duo vnum quidem; impleuisse trigesimum annum, idem esse, ac in eo decurrente versari; quoniam constat, satis tunc fuisse, trigesimum inchoatum, ad Sacerdotium suscipiendum; sicuti apud nos sufficit vigesimus quintus pariter initus; alterum verò, dici Christum venisse ad baptismum quo anno nos diximus. Denique confirmari etiam potest aliunde sententia, ex Ecclesiæ nimirum consensu, apertè asserentis, sextâ mensis Ianuarij die, quâ Magis ab Oriente profectis stella dux Bethlemicam nati Dei speluncam ostendit, ijdemque munera obtulerunt infanti; bina quoque accidisse recurrentibus annis miracula, Christi ipsius à Ioanne baptismum; & aquam ad vrbis Canæ nuptias in vinum mutatam, quod signum fuit primum ab eodem exhibitum, antequam publicè docendi munus aggrederetur. Nam si dicas; Ecclesiam tria mysteria die vnâ recolere, quæ diuersis omninò diebus, ijsque incertis contigerunt, more iam pridem vsitato repetendi quandoque festa pro die aliquâ, perinde ac si fuerit solemnitatis eiusce propria, cuius memoria celebratur; licet pro rei veritate referenda sit in alteram longè diuersam: hæc optimè reijcit, refellitque

Bara-

[a] Castrius Hist. Deip. c. 14. nu. 8.

[b] Matt. 27 v. 63.

[c] Luc. 2. v. 21.

[d] Can. 20. de ordinat. Presbyt.

Cõtrà quam interpretationem malè asseritur testimonium S. Ignatij.

Confirmatur Ecclesiæ consensu.

Malè aliqui dicunt tria mysteria celebrari vna die, quæ diuersis contigerunt.

Baradius a, quoniam eâdem die Magorum aduentum, Christi baptismum, vinique miraculum contigisse, perspicuis Ecclesiæ verbis significatur. Quorsum tria simul mysteria recolantur, quæ peracta non constet eâdem diuersorum annorum die? nunquid deerant aliæ dies, eorum celebritati destinandæ? imò dicuntur vnâ eâdemque die exhibita fuisse, celebrari verò diuersis; sextâ nempe Ianuarij, sub Epiphaniæ nomine, adoratus à Magis infans Deus; eiusdemque celebritatis octauâ, Christi baptismus; & sequenti proximè Dominicâ, aqua in vinum conuersa. Non igitur affirmandum erat, illa in eandem diem incidisse, si diuersis contigerant. Quo posito, primum Christi ad nuptias Canæ miraculum, contingere non potuit, ante annum eiusdem primum atque trigesimum; quoniam à baptismo ad illud, vnde suæ doctrinæ semina spargere Christus cepit, annus saltem, & quidem integer fluxit. Neque rursus dici potest, secundo ac trigesimo proximè consequente contigisse, ne minus quam tribus annis publicam Christum egisse vitam, suamque doctrinam euulgasse dicamus, contrà communem Ecclesiæ sensum. Et hæc satis ad rem nostram, de quæstione diu apud sacros Doctores agitatâ, in quâ sententiam sequimur multorum authoritate firmatam. Sed accedamus iam ad historiam.

a Sex. Syn. Act. 18. 6. 8.

Christi à Ioanne Baptismus.

III. Exeunte anno Christi nono ac vigesimo Ioannes, vt diximus, ex eremo vbi hactenus vixerat, venit diuino monitu in omnem regionem Iordanis, ibique salutaris pænitentiæ præco sanctissimus, expiare populos baptismo cepit. Mox Christus id ætatis cum esset, in quâ se decreuerat ostendere mundo, è Galilæâ venit ad ripam Iordanis, abluendus vtique lauacro Ioannis cum peccatoribus sanctus, cum sontibus insons. Hoc iter sine Matre factum ab illo credimus, quoniam breui reuersurus Nazarethum erat, vt infrà dicemus. Virgine igitur domi manente, Christus ad Ioannem egreditur, atque ab eo modestè primùm renuente, mox verò obtemperante mandatis, baptismum suscepit, innocentissimus in turbâ nocentum; sextâ, vt dictum est, Ianuarij die, tunc quidem Dominicâ vt censuit Sexta Synodus b Bizantij coacta; & Sanctus Ecclesiæ Doctor c Augustinus; quâ nimirum annum ætatis trigesimum per dies tredecim Saluator inierat. Accepto baptismo cum ascendisset de aquâ, ac totus orationi vacaret, visum est aperto cælo Sacrosanctæ Trinitatis spectaculum, diuinus nempe Spiritus descendens suprà Dei Filium carne vestitum, sub columbæ specie; & vox æterni Patris per Angelum de nube sonans,

b August. serm. 154. de temp.

Sanctissimæ Trinitatis spectaculum coràm Ioanne.

be sonans tanquam probatum cælitus testimonium abscon-
ditæ in Christo diuinitatis. Rem totam describunt sacri E-
uangelistæ Matthæus[a] & Lucas[b], & S. Bernardus[c] Ioan-
nem laudans, spectatorem in terrâ Augustissimæ Trinitatis
admiratur. Ad hæc sancto impellente Spiritu Christus in de-
sertum profectus, vbi priùs Ioannes inhabitarat, quadraginta
dierum, noctiumque ieiunio, locum rupium asperitate, ac so-
litudine horridum consecrauit; mox accedenti ad eum ten-
tandum Satanæ, ter constantissimè restitit; primùm quidem
offerenti lapides, vt verterentur in panes, & ieiunium soluere-
tur; deinde verò suadenti præcipitium ex Hierosolymitani
templi fastigio, casumque innoxium pollicenti à parato An-
gelorum auxilio; deníque in montis altissimi vertice per os-
tensionem promissionemque regnorum omnium, ad Dæ-
monolatriam Dei Filium pertrahere conanti. Cum autem
victor triplicem hanc Dæmonis oppugnationem propulsasset,
illuc certatim Cælites conuolarunt, atque esurienti Domino
famulorum more cibos apposuerunt, quæue erant ad men-
sam necessaria ministrarunt. Eiusmodi fercula ab Angelis ad
Christum allata, S. Bonauentura[d] piè meditando asserit, ex ip-
sâ Virginis Matris domo fuisse desumpta; id quod existimat
verosimillimum Io: Stephanus[e] Menochius, vir nostro æuo
pereruditus, cum paratas per miraculum dapes, vbi procura-
ri humanitus poterant, non facilè debeamus asserere. Sicun-
de verò elaborandæ, sufficiendæque erant (vt in ijs accidit
quas messoribus destinatas, Deus mandauit, in lacum leo-
num ad Danielem[f] deferri; & Abacucus ab Angelo per aë-
rem vectus suppeditauit esurienti captiuo) vndenam conue-
nientius potuere desumi, quam ex Nazarenâ ipsius Deiparæ
domo? imò quonam cibo Christus libentius vires reficeret,
quàm Genitricis suæ sanctissimæ manibus præparato? illam
sanè cælitus commonefactam, quid ageret id temporis san-
ctissimus Filius, vbi nam gentium esset, & quâ necessitate po-
tissimum laboraret, parasse crediderim illicò cibos, ad eius
esuriem subleuandam, ijsque Angelorum ministerio delatis
pastum esse Christum. Refectionis eiusce locum, non ere-
mum ipsam, vbi ille antea ieiunauerat, sed montis fuisse cul-
men, vnde tentatorem Dæmonem victor expulerat, innuere
tacitus videtur Euangelista, quoniam post narratam Diaboli
fugam, proximè subdit, accessisse ad famelicum Dominum
Angelos, atque escas ministrasse. Ex commemoratâ hactenus
historiâ lector facilè intelliget; actionem primam, quâ

Margin notes (left): a Matt. 3. ver. 11. — b Lucæ 3. ver. 22. — c Bernard. de priuilegijs S. Io: Baptistæ sermo. — d S. Bonau. vita Christi cap. 17. — e Menoch. Hist. vit. Christi l. 2. cap. 4. — f Daniel. 14 ver. 17.

Margin notes (right): Christus à Sancto Spiritu in desertum ducitur. — Tentatur à Dæmone. — Quem & vincit. — Accipit ab Angelis cibos. — Vbi nam illi parati? — De loco eiusce refectionis.

Documenta Christianis ab hac Christi pugna.

cepit Christus se prodere, baptismum fuisse, ad Iordanis ripas de Sācti Præcursoris manu susceptū; vt palam omnibus fieret, non modò eam viam sterni, imò ianuam aperiri ad Christiana sacra; sed etiam illum ipsum, quem Ioannes abluebat, Dei esse Filium, cælesti testimonio renunciatum, atque indicio pariter descendentis è cælo columbæ Iudæis ostensum; tum præterea solitarium,& ieiunum ad dies quadraginta in deserto commoratum, pugnas sibi à Dæmone intentas verbo tanquam telo repulisse, vt asseclas suos reipsâ doceret, quâ ratione in vitæ militiâ,Satanæ sit insidijs feliciter occurrendum; denique legitimè certanti tum palmas, tum arcana mentis solatia de cælo demitti. Non deest qui sentiat [a], Iesu baptismo adfuisse Deiparam,ad Iordanem vsque de Galilæâ profectam, ibique tum cælestia signa Christum Dei Filium designantia vidisse,tum etiam conciones Ioannis,quem puerum nondum natum olim inuiserat, cum gaudio audiuisse; sed hoc non dicitur nisi diuinando, cum nusquam reperiatur scriptum:certè quicquid ibi gestum est,Deiparæ Virgini in Galilæâ degenti, reuelatum diuinitus fuisse per Angelos, negare non ausim. Cæterum tam baptismi, quam ieiunij locum insignitum deinde,& consecratum templi seu sacelli ædificio,testantur qui [b] de sacris Palæstinæ monumentis, ac de sanctiore terrâ scripserunt.

a Nuperus Author.

b Adrichomius.

Obiecta ab authoribus contrariæ sententiæ.

IV. Verùm antequam vltrà pergo, placet difficultates aliquas explanare, obiectas ab ijs, qui in annum Christi primum ac trigesimum reijciunt Christi baptismum. Inconueniens in primis maximum ducunt, ac proinde dissimile vero; si dicatur à baptismo Christus per integrum annum (quem ad primum vsque signum aquæ in vinum mutatæ,intercedere putamus) adhuc priuatam duxisse vitam, re nullâ publicè gestâ ad Saluatoris munus pertinente: vel certè vrgent ratiocinatione grauiori, & minimè dissimulandâ: si ab anno ætatis trigesimo,cum baptismum percepisset,illicò conciones habere cepit, quas tribus tantùm annis circumscribere solet communis Ecclesiæ sensus; inde confici,Christum esse Cruci affixum, annos agentem tres ac triginta à quatuor mensibus initos, quod iam nemo ferè concedet. Sed negamus vitam illam Christi, quæ proximè est baptismum consecuta,fuisse omninò priuatam, cum aliqua eo tempore gesta narrentur, vnde dignosci non obscurè poterat generis humani Saluator, licet neque docuerit populos, neque patrarit miracula. Aquâ enim tinctus per Ioannis lauacrum, ducitur à

Dissoluūtur.

Quid Christus egerit post baptismum.

Spiritu

Spiritu Sancto in desertum, vbi dies ipsos quadraginta ieiu-
nat; mox esuriens, ac triplici ex Diabolo tentante reportatâ
victoriâ, cibum ab Angelis sumit. Inde in Galilæam reuer-
sus ad Matrem est, vt ait S. Epiphanius [a], extremo Februario,
neque consuetudini defuit Paschæ in vrbe Hierosolymâ cele-
brandi. Præterea partim in Iudæâ, partim in Galilæâ vsque
ad Decembrem egit, versatusque identidem creditur cum Io-
m. anne in speluncâ propè Iordanem, vt sancto cuidam seni co-
Epi- gitanti Sinam fuisse diuinitus reuelatum Sophronius [b] asserit.
.1. Ad hæc Ioanni Hierosolymâ affuere legati [c], interrogantes,
n. 1. num ipse Messias esset; quâ occasione sapienter vsus Ioannes,
nunciauit eis Christum adhuc ignotum. Postridie à legatio-
ne, Sancti Præcursoris audita sunt insignia de eodem Christo
testimonia: cum enim, hunc ille venientem vidisset, illicò ad
dem 1. circumstantes; *Ecce* [d], inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit pecca-*
.29. *tum mundi.* Et rursus die alterâ ab hoc testimonio dato, duo-
bus discipulis suis idem de Christo protulit, quem item vide-
rat ambulantem; & hac discipuli voce commoti ad eundem
venerunt. Alter discipulorum erat Andreas, qui sub vespe-
ram à Christi domo digressus, inuentum fratrem illuc sine
morâ deduxit. Denique Christus postridie rediturus in Gali-
læam cum inuenisset Philippum, vocauit ad se; & ille pariter
Nathanaelem adduxit, nec plura reperiuntur gesta, anno Chri-
sti trigesimo:

V. Euangelistarum testimonijs non aduersatur, qui post
susceptum hoc anno ineunte baptismum, quinquies Chri-
stum ait celebrasse Pascha: primum quidem, cum diebus tre-
decim annum trigesimum inchoasset, à Ioanne ablutus: alte-
rum anno vertente, proximè post nuptias Canæ, insigni mira-
culo claras; neque enim fieri potest, vt eâdem eiusdem anni
die, baptismus nuptiæque contigerint, cum statim à baptis-
Mar. 5. mo, vt ait Marcus [e], in desertum Christus abiuerit; dum cæ-
vr. 12. teroqui Ecclesia eandem diem diuersorum annorum vtrique
mysterio assignat: tertium memorat Sanctus Euangelista
Ioann. 5. Ioannes [f], vbi de festo agit, ad quod Hierosolymam Christus
ascendit, & languidum ad piscinæ porticus tot annos iacentem
incolumitati restituit: festum enim eiusmodi Irenæus, Ru-
In c. 5. pertus, Toletus, Iansenius [g], alijque passim Pascha interpre-
ion. tantur. Quartum perspicuè nominat idem S. Ioannes, cum
proximè ante illud narrat insigne miraculum, à Christo pa-
tratum, per quod refecta sunt ad saturitatem quinque homi-
num millia, modico quinque panum, & duorum piscium

Quinquies celebrauit Pascha post baptismum.

commeatu. Hoc festum Paschæ nomine expressum, controuersiam de se nullam admittit; sicuti nec remanet dubium de quinto, quod vltimum Christi in terris Pascha fuit, ac eius morti præiuit.

Tiberius insula se Capreis abdidit

VI. Sub hoc ipsum tempus relictâ paucis ante annis Româ Tiberius Cæsar, cum Campaniam peragrasset, Capreas se in insulam abdidit, vbi ex mundi principe, mancipium euasit voluptatis: ea enim perpetrare est ausus in eiusmodi latebris, quæ cogitare quidem, nedum scribere pudet. Admissa in Tyrrheni maris angulo scelera, quò nulli probo patebat aditus, Romana historia satis vulgauit; nec Imperatoris probra [a], Tacitus, & Suetonius [b] dissimularunt. Sat est dicere; aulâ Orbis moderatrice cum arcanis libidinum sedibus commutatâ, ipsum terrarum Monarcham, adoratum populis caput, in belluam degenerasse. Tu mecum lector tacitus cogita, odisse lucem Tiberium, suæque turpitudini latebras quæsiuisse, quo tempore Christus ad humanam salutem procurandam prodibat ex Marianâ domo, vbi ad annos triginta cum Matre latuerat. Summa hîc sanctitas diu soli Deo pariter inhabitanti spectaculum fuerat: eâque propediem ostendendâ mundo, abscondere se prius crudelitas, & libido Cæsaris debuit; atque vtinam antro Capreensi subterraneo obruta fuisset, vt ne manasset quidem ad memoriam posterorum.

Cū Christus prodit è Mariæ domo.

a Tacitus Ann. l. 6. init.
b Sueton. Tib. c. 40.

Annus Christi 31. B. M. Virginis 45. Tiberij Imp. 16.

Summa rerū huius anni.

I. Altero post Christi baptismum anno, initium ponimus disseminatæ ab eo in Iudæam doctrinæ, primumque miraculum ad nuptias in oppido Galilææ Canâ editum, non sine interuentu, atque impetratione Virginis Matris; quam indiuiduam comitem Sanctissimi Filij conciones habentis, & legem Euangelicam promulgantis, S. Augustinus [c] appellat. Huius miraculi historiam, & res deinde à Christo gestas totius anni spatio prosequemur, has quidem obiter ad Diuam quoque Virginem ex Filio spectantes; illam verò fusius, vt præclarum Deiparæ facinus continentem.

c S. Aug. serm. 18. de temp.

De nuptijs in Cana Galilææ.

II. Cana erat in Galilæâ, milliaribus octo distans à Nazareno Virginis domicilio; ac proinde occasione nuptiarum, quas ibi ipsius Deiparæ consanguinei celebrabant, adesse illam quoque cum Filio tum loci tum sanguinis propinquitas suasit. Af-

fit. Affuere pariter diſcipuli quos paulò ante paucos Chriſtus collegerat. Quinam Sponſus, quæ Sponſa fuerit, affirmari certò non poteſt, alijs aliter ſentientibus, imò fabulantibus nonnullis apud Molanum [a] eos Ioannem & Magdalenam fuiſſe. Id videtur dumtaxat certum, in quod interpretes ſacri conueniunt, cognatione illos ad Deiparæ familiam pertinuiſſe. Quid ad eas nuptias geſtum ſit à conuiuis ſanctiſſimis Euangeliſta [b] deſcribit; vbi ad improuiſum in conuiuio vini defectum, Mariam exhibet Sponſorum inopiæ, atque rubori conſulentem; illa enim hiſtorico teſte, ſincerè, candidèque Chriſto neceſſitatem aperuit; qui viſus primùm Matrem repellere; deinde ex aquâ, quam afferri iuſſerat, vinum factum obtulit menſæ ſtructori guſtandum; atque ità clementiæ Mater, apud quam miraculorum deinceps extitit officina, primi illius miraculi adminiſtra fuit, non ſolum ad auertendam à Sponſis egeſtatis notam, ſed etiam ad vtilitatem adſtantium (inter quos diſcipuli tum primùm crediſſe in Chriſtum dicuntur) atque ad ipſius gloriam Saluatoris. Verùm placet hîc paucis perpendere, eâ occaſione redditum à Filio Matri reſponſum, quod ad ſpeciem fortaſſe duriuſculum, blaſphemè, impièque ſuo more carpunt hæretici, præſertim [c] Caluinus & Beza; deducentes inde, miraculum fuiſſe perperam, & importunè poſtulatum. Sed mendacij arguuntur ex interpretatione D. Gregorij [d] dicentis, verba Chriſti: *Quid mihi & tibi eſt mulier*, quibus reſponſum eſt Virgini, miraculum permodeſtè poſtulanti, hunc reddere ſenſum: *Vnde facere miraculum poſſum, hoc mihi ex Patre, non ex matre eſt. Ex matre enim,* ſubdit ad maiorem explanationem S. Doctor, *mori poterat, qui ex natura Patris miracula faciebat*. Concludit denique: *Ait ergò: Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea. Quod eſt dicere: In miraculo quod ex tua natura non habeo, te minimè matrem recognoſco; ſed cum hora mortis venerit, cognoſco te matrem; quia vnde mori poſſum, hoc ex te habeo*. Præterea tantum abeſt, vt minus honorificè locutum eſſe ad Matrem Chriſtum eiuſmodi reſponſo, Orthodoxi ſentiant: etiam neotericus quiſpiam inſignem potius, & ſuprà quam credi poſſit, ac debeat, exaggeratum B. Virginis honorem inibi deprehendit [e]. *Abſit* ergò, dixerim ego cum Guerrico [f] Abbate, *vt Matrem aſpernatus ſit, qui tanta cura de parentibus honorandis legem dedit*. Abſit præterea, vt ſentiamus, repulſam fuiſſe Virginem à Chriſto tanquam indignante; qui eius precibus & charitati in egentes Sponſos, vinoque ad vſum conuiuij deſtitutos, paulò poſt

Quibus inter fuit Maria cum Chriſto et diſcipulis.

Maria conſulit Sponſorũ inopiæ.

Chriſti ad Matrem reſponſio expẽditur.

a Molan. l. 4. de Imaginibus c. 20.

b Ioan. 2. v. 1. & ſeq.

c Vaſq. 3. p. d. 120. c. 4. Adamus Contzen in 2. Io. v. 4. q. 1.

d S. Greg. l. 8. ep. 42.

e Vide Theoph. Raynald. in Diptychis Mar. p. 1. pun. 9 & de Christo l. 5. ſect. 5. c. 15.

f Guerric. ſerm. 4. de Aſſumpt.

lò post cessit; ex aquâ pluribus hydrijs ingestâ, vinum, quod deerat, factum abundè suppeditans: quo miraculo ipsius Christi gloria, cælesti ad Iordanem testimonio non multis præostensa, pluribus in Iudæâ tandem innotuit, discipulisque in fide firmandis de Christo Saluatore, plurimùm profuit. Cæterùm attingamus causam, cur verbis quæ asperiora viderentur, à clementissimo Domino, Matri charissimæ sit responsum, cum præsertim enituerit in eâ maximè charitas; vnde non alienis aut monitis aut precibus, sed vltrò Spôsi & Sponsæ miserta, benè de illis est merita. aliquod ibi mysterium subodoramur: fortasse cum Christus tunc priuati hominis personâ depositâ, publicam Doctoris, & Legislatoris indueret, habere se maius aliquid significabat, quàm quod ex Virgine desumpsisset, docuitque mirabilium rerum efficientiam, non ab homine, sed à Deo proficisci. Neque tamen negasse illum Matri, ait Cyrillus [a], sed expectare voluisse patrandi miraculi oportunitatem. At Maximus [b] Deiparam prophetico afflatam spiritu dicit, quæ Domini voluntate præcognitâ, sollicita ministros admonuit: *quodcumque dixerit vobis facite*. Ante Maximum Gaudentius [c], veram Christi interpretem describit. Eusebius Emissenus [d] Sanctum agnoscit & veneratur Spiritum, in pectore Virginis habitantem, quo magistro Filium illa præmonebat, vt id iam faceret, quod anteà faciendum decreuerat. Iustinus [e] denique Martyr Euangelicum locum interpretatus, responsum Christi ad Virginem satis leniter effert, illumque ità cum matre agentem inducit: *Non nos*, inquit, *delecti sumus, quibus consumpta in nuptijs vina curæ essent; ex singulari tamen charitate, si vis ne eos vinum deficiat, ministris dicito, vt quæ præscripsero faciant; & videbis quemadmodum sit eorum necessitati subuentum*.

Cur Mariæ responsum à Christo sit verbis in speciem duriusculis.

a *Cyrill. l. 2 in Ioã. c. 23.*
b *Maxim. Hom. 1. in festum Epiphan.*
c Gauden. *tract. 2. de electione Euangelij, qui est in ordine nonus.*
d *Emiss. in 2. Ioan. explicat.*
e *Iustin. l. Quæstion. q. 136.*

II. Illud hoc loco præterire non possumus, quod ex prænarrato aquæ in vinum conuersæ miraculo factum esse, nec sine nouo miraculo in aliquibus fontibus, Epiphanius [f] testatur, vt nimirum eius memoria perseueraret. *Etiam*, inquit, *in multis locis vsque in hunc diem hoc fit*; in vrbe Catiâ ad Cyberis, seu Cibyres fontem, atque ad Gerasenum in Arabiâ, qui eâdem horâ, quâ Christus mutatam in vinum aquam magistro conuiuij iussit afferri, vini saporem accepisse dicuntur, eoque non aquâ fluxisse quotannis, cum dies recurreret. Rei se probatæ testem ab experientiâ profitetur S. Doctor [g]. *Nos*, inquit, *bibimus de Cyberis fonte; fratres verò nostri, de eo qui est in Gerasa*. Rursus ex aliorum testimonio subdit, idem accidisse in

Nouum in aliquibus fôtibus miraculum.

f *Epiphan. Hæres. 51.*
g *S. Epiph. ibid.*

se in Aegypto ad fluuium Nilum, atque octauo [a] idus Ianuarij aquam inde haustam seponi consueuisse in vsum vini. Id quod etiam de fonte in Andro insulâ, Nonis [b] Ianuarij factû, prædicat Plinius [c], licet vnius diei spatio discrepet; alijque de alijs scriptum reliquerunt, vt refert Card. Baronius [d]. Sed nos interim res cæteras hoc anno gestas prosequamur.

III. Exhibito in Galilæâ primo miraculo Christus, cum diuinam sibi inesse virtutem ostendisset, publicam Euangelicæ doctrinæ promulgationem aggressus est, varijsque per vicos & castella peregrinationibus, commissum sibi ab æterno Patre Magistri ac Saluatoris munus obire cepit. Matre ad ministrandum indiuiduâ comite, & filij vestigia, conspectum, diuinosque sermones consectante; quam assiduam Virginis curam indicant identidem Euangelistæ, in eandem sententiam à Gersone [e] Cancellario relati; & insuper apertè tradunt Epiphanius [f], Metaphrastes [g], Hildephonsus [h], Guerricus [i] Augustinus [k], alijque quorum testimonia Christophorus [l] Castrius verbatim recenset. Ergò secuta filium mater, relictâ Canâ, Capharnaum in vrbem nobilissimam, & Galilææ metropolim biduano itinere proficiscitur, vt perspicuè docet S. Ioannes [m]. *Post hoc* (editum in vrbe Canâ vini signum,) *descendit Capharnaum ipse* (Christus) *& mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus*. Illuc, tanquam ad ciuitatem suam, iuisse Dominum, asserunt non semel Euangelistæ [n]; ideòque ipse, & cognati domum in eâ creduntur habuisse, vt sacri in hunc ipsum locum interpretes animaduertunt. Chrysostomus [o] quidem: *Bethleem*, inquit, *Christum tulit: Nazareth educauit; sed Capharnaum, perpetuum ipsius erat habitaculum*. Theophylactus [p] verò: *Bethleem peperit; Nazareth educauit; Capharnaum præbuit domicilium*. Simeon [q] denique Metaphrastes duas vrbes simul conferens, Nazarethum, atque Capharnaum: *illam Deiparæ habitaculum, hanc eius filij charum, & consuetum diuersorium* appellauit; quare mirum non est, si in hac ipsâ ciuitate à Christo tanquam à ciue didrachma exegerint publicani, vt narrat Matthæus [r].

IV. Non multis ibi diebus mansisse cum Matre, cognatis, atque discipulis Iesum, notat expressè S. Ioannes [s]; quoniam cum Paschæ solemnia recurrerent, Hierosolymam ad ea celebranda profecti sunt; sicuti consueuisse diximus per singulos annos: si enim concedimus, quod Euangelista testatur; Mariam in Azymorum festo accessisse quotannis Hierosolymam,

Iesus aggreditur concionãdi munus.

Comitatur Filium Mater.

Christus it ad celebrandum *Pascha* vna cum Matre.

e Gerson. tract. 11. sup. Magnificat.
f Epiphan. Hæres. 78.
g Metaphr. de dormit. Deiparæ.
h Hildeph. serm. 1.
i Guerric. serm. 4. de Assump.
k August. serm. 18. de temp.
l Castr. hist. Deip. c. 15. num. 1.
m Ioan. 2.
n Matt. 9. v. 1. 17. ver. 24.
o Chrysost. Hom. 13. in 19. Matth.
p Theophyl. in 9. cap. Matth.
q Metaph. orat de vit. & dormit. Deip.
r Matt. 17. ver. 24.
s Ioan. vt sup.

solymam, ante quàm Christus concionandi munus aggrederetur; quis neget, satisfecisse illam religioni, & consuetudini suæ, postquam eius Filius ad trigesimum annum ætatis, Magistrum agere cepit. Hoc ipsum de Virgine scribens apertè Gerson [a]: *Credenda*, inquit, *est ascendisse cum Christo Hierosolymam*, quo tempore videre potuit Filium Mater eijcientem è templo negotiatores, strictò in eos seuerè flagello (quod miraculum omnium maximum, vocat S. Hieronymus [b]) itemque alia multa spectauit, quæ occasione eius festi, secundi nimirum Paschæ [c] post baptismum, ad frequentiorem panegyrim Christus patrasse narratur. Præterea domi Nicodemum sensit [d], Principem Iudæorum, nocte intempestâ subeuntem, ad audiendam Christi doctrinam; & plures legem Euangelicam suscipientes, visis eiusdem Christi miraculis, ad veram fidem conuersos.

a Gerson. Tract. 11. in Magnificat.
b Hieron. in cap. 21. Matth.
c Ioan. 2.
d Io. 3. v. 1.

Post Pascha Christum comitatur per Iudæam Mater.

V. Exactis interim Paschæ solemnijs, Hierosolymâ discedens Deipara, haud dubiè Filium per Iudæam terram prosequitur; cum conueniens vel maximè fuerit, ait Gerson [e], tali, tantoque Filio, iter ad populos docendos agenti, Matrem accedere comitem, & obsequium maternum concionanti præbere; cum is neutiquam renueret, alias mulieres, quarum ad itinera ministerio, & facultatibus vteretur. Cum ergò in eâ terrâ commoratus, Matrem secum, ac discipulos haberet aliquot; ad abluendas animorum noxas, baptismum instituit suum, de quo paulò ante fuerat ad Nicodemum loquutus, eumque ad Iordanis ripas per discipulos tum primùm adhibere cepit, vt ex Euangelico colligitur testimonio, quo Ioannes cum indicasset; in Iudæâ Iesum baptismo expiasse crimina populorum, dicens [f] de eo: *illic commorabatur, & baptizabat*. Id quo pacto sit intelligendum declarat; *quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius*, quod generatim, vniuersèque dictum existima, cum cæteroqui traditum sit, aliquos ab ipsâ Christi manu suscepisse baptismum. Scripsit enim Euthymius [g], quosdam Apostolorum temporibus proximos, litteris consignasse; Virginem Deiparam, & Petrum Apostolorum principem à Christo fuisse baptismo tinctos. Certè Euodius Antiochenus, teste [h] Nicephoro, scriptum reliquit: Petrum dumtaxat ablutum à Christo fuisse; idemque expresse confirmat Alexandrinus Clemens [i]: quo antiquiorum Patrum testimonio non exclusam Mariam censet Gabriel Vasquius [k], quoniam dictum interpretatur non absolutè, sed comparatè ad Apostolos, & reliquos omnes, præter solam Dei genitricem.

Prima sacri baptismi institutio.

e Gerson. Tract. 11. vt sup.
f Io. 4. v. 1.
g Euthym. in c. 3. Io.
h Ni[illegible] l. 2. hi[illegible]
i Cle[illegible]
k V[illegible] 3. p. disp[illegible]

Verùm

Verùm quicquid ſit de peruetuſto, allatoque per Euthymium documento, quod optimè Lucas VVaddingus [a] expendit; par erat, Mariam ſacrâ illâ aſperſione ablui, non quia munda omninò non eſſet, vt potè quæ candorem habuit ſemper illibatum; ſed quia per baptiſmum Fideles admittuntur in myſticum corpus Eccleſiæ, cuius præcipua pars Deipara futura erat. Præſtat legere de eius baptiſmo præclarum opus, paulò ante editũ ab eodẽ Luca VVadingo eximio Seraphici Ordinis Theologo, & Chroniſte, vbi vir de D. Virgine optimè meritus, eruditâ diſſertatione oſtendit, eius illibato conceptui non aduerſari baptiſmum, illuſtrans vtique Dei Matrem ſcribendo, vt alter olim Lucas pingendo. Inſuper ſi ſentiunt ſacri Doctores, Mariam ſæpe vitali Euchariſtiæ venerabilis dape fuiſſe refectam, Ioanne Euangeliſtâ, quo cum habitabat, miniſtrante, recepiſſe quoque baptiſmum, qui reliquorum Sacramentorum eſt ianua, conſequenter affirmant. Addit in eandem ſententiam Petrus [b] Caniſius, exemplo Chriſti (qui cum Sanctus Sanctorum eſſet, Ioannis ſemet baptiſmo ſubiecit) excitatam fuiſſe præcipuè Virginem Matrem ad illum ſuſcipiendum; cum præſertim veteris legis, & cæremoniarum obſeruantiſſima, Hebræorum puerperis in ritu purificante, vulgarique hominum turbæ ſtatis temporibus Hieroſolymam ad certas ferias aduentanti, ſeſe impigrè conformarit. Denique ad ſingulare, eximiumque eiuſdem Virginis decus ſpectat, non aliâ manu quàm Filij, ſalutaribus vndis fuiſſe perfuſam; Deumque ipſum illi ſe tanti lauacri præbuiſſe miniſtrum. Id verò cum conferretur; quàm ſubmiſsè, quàm reuerenter puriſsima columba ſe geſsit! qualem fidei ardorem, quantam obedientiæ alacritatem cum baptiſmo coniunxit! quàm promptum animum attulit ad nouæ legis Sacramenta!

Virgo expers cuiuſcumque maculæ, & ritè baptizata.

Caniſius anal. l. 1 p. 9.

VI. Tempus verò percepti à Virgine Matre lauacri, licèt certò ſciri non poſsit, vt potè nuſquam expreſsò antiquiorum litteris indicatum; cenſemus tamen valdè probabile, hunc ipſum annum fuiſſe, quem ætatis Chriſtus trigeſimum primum, Virgo quintum & quadrageſimum agebant: cum enim paulò ante Chriſtus in nocturno ad Nicodemum colloquio, apertè docuiſſet, in cæleſte regnum neminem ingreſſurum, quin prius fuiſſet *ex aqua & Spiritu Sancto* renatus; (quam Chriſtiani baptiſmi inſtitutionem primam ſacri Doctores agnoſcunt); exinde ad Iordanis ripas accedens, per eos, quos tunc collegerat diſcipulos, expiandis ritè populis ſalutarem ablutionem exercuit. Quamobrem non leuis hinc ducitur

Hoc anno baptizata Virgo probabiliter dicitur.

.3. v. 5.

citur coniectura, Deiparam Filij per Iudæam peregrinantis comitem, statim aquâ illa se aspergendam ibidem [a] obtulisse, quamuis illibato mentis candore vel Angelis anteiret; vt nimirum obedientiæ exemplum Fidelibus vltrò præberet, seque obseruantissimam præ omnibus ostenderet nouæ legis à Christo promulgatæ. Igitur baptismo percepto, vt credere sanè par est cum plerisque hoc æuo Doctorum, non minimam sensit Sacramenti virtutem; quoniam licèt nullas expiarit noxas, quibus vel minimis semper omninò caruit; *tamen*, ait Canisius [b], *auctior illi gratia contigit, creuitque maiorem in modum sanctimonia, quòd sacro baptismi charactere, mens eius pulcherrimè insigniretur*. Euodij quoque Antiocheni testimonio diximus ipsum Petrum inter Apostolos à Christo idem Sacramentum suscepisse, sicuti decebat eum, qui iam tum destinaretur in principem Apostolorum, Deique in terrâ Vicarium; dignum sanè, qui cæteris Apostolis baptismum conferret. An verò Ioannes Baptista, qui Christum abluit, ab illo fuerit vicissim ablutus, incertum est. Negat Abulensis [c]: affirmat Angelicus Doctor [d] ex ipsis Christi verbis, quibus Ioanni renuenti illum aquis intingere, & dicenti: *Ego à te debeo baptizari*, responsum est: *sine modò*, quasi innueretur, affuturum aliquando tempus, quo expiandus ipse foret Christi baptismo: ex Authore [e] operis imperfecti in Matthæum, quod tribuitur Chrysostomo, confirmatur interpretatio: *Sine modò, ostendit, quia postea Christus Ioannem baptizauit*. Et quidem par erat, hoc Sacramento Ioannem quoque, vt de Virgine Deiparâ eius consanguineâ diximus, nobilissimum Ecclesiæ membrum constitui. Si autem dicatur, non esse intinctus aquâ, certè flaminis baptismo non caruit, qui recipitur per aduenientem Spiritus Sancti virtutem; imò nec sanguinis, quandò in odium eximiæ sanctitatis, venerandum eius caput, fuit à lictore amputatum, & puellæ traditum saltatrici: ideoque Damascenus [f]: *Ioannes*, ait, *& imposita diuino Domini capiti manu, & suo etiam cruore baptizatus est*.

An Ioannes à Christo baptizatus.

a Ioã. Steph. Menochius in vita Christi l.2.c.3.n.9.

b Canis. ib.

c Abulens. q.78.in c.3. Matth.

d S. Thom. 3.par.q.38. art.3.

e Author operis imperfecti in S. Matth.

f Damasc. l.4. de Orth. fide c.10

VII. Interim ad Christi præscriptum eius discipuli, accedentem vltrò populum baptismo lustrabant, necdum Ioannes dimiserat suum opus abluendi sontes; quod præstabat non amplius ad Bethaniam, siue Bethabaram, vti ceperat [g]; *sed in Aenon iuxtà Salim, quia aqua multa erant illic*; cum Sancti Præcursoris discipuli nuncium afferentes magistro, de turbis certatim accedentibus ad suscipiendum Christi baptismum; testimonium de Messiâ præclarissimum ab eodem Ioanne audiue-

Aliæ res à Christo & Deipara gestæ hoc anno

g Ioan. 3. ver. 23.

diuerunt; dicebat enim apertè Baptista; Christum venisse de cælo; Dei Filium, & Ecclesiæ Sponsum esse; omnibus præcellere; omnia in potestate habere, verissimamque doctrinam tradere, cui fides sit ab omnibus adhibenda. At peregrinatio, quam Christus ipse hoc anno per Iudæam terram obiuit, matre eius vestigia sectante, ab Aprili vsque ad Decembrem, nouem circiter menses tenuit: donec Ioannes in vincula coniectus est, Herodis Antipæ iussu, ægrè ferentis, argui se ab integerrimo viro; de incesto cum Herodiade fraternâ vxore coniugio. Carcer Macherunte fuit, in oppido ad Galilææ fines sito, vt Iosephus [a] tradit; eâque occasione Christus cum suo discipulorum comitatu, in Galilæam reuersus est; & secuta Filium seorsim cum pijs mulieribus creditur etiam Mater. Itinere per Samariam suscepto, Christus solus ad Iacobi puteum, propè ciuitatem, cui nomen Sichar, diuertit, ibique fessus consedit: mox habito cum muliere Samaritanâ colloquio, veram illi fidem, animique salutem aperuit; & biduum in proximâ ciuitate commoratus, plurimos Samaritanorum Euangelicæ legis veritatem edocuit. Creduntur hæc sub extremum Decembrem contigisse, ex ijs Christi ad discipulos verbis [b]: *nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit?* vbi confertur futura Maio mense nouarum frugum messis, cum spirituali animarum, quæ præsens iam erat, in Samaritanis ad Christum conuersis. Interim de Samaria Dominus in Galilæam migrans, honorificè ab indigenis exceptus est, qui viderant signa ab eo Hierosolymæ exhibita. In oppidum verò Canam cum venisset, vbi primum aquæ in vinum conuersæ miraculum patrauerat, occurrit ei Regulus, cuius filium ægrotantem sanauit absens, totamque familiam reddidit sibi fidelem. Hæc anno ætatis primo suprà trigesimum peracta à Christo, censet Sallianus [c], cui libenter subscribimus: quo tempore sanctissima eius Parens, ità concionantem secuta est, vt (quod scribit non incongruè Metaphrastes [d]) *curam gereret mulierum, quæ ministrabant*, ipsa ad alienam institutionem *morum decore, pro sermone vsa*, vt ait Andreas Hierosolymitanus [e]. Assertionis probabilitatem spero non negaturum, qui Hebræorum morem, & Mariæ pietatem, comitatum fratrum Domini, & insignium fæminarum consideret.

Ioannes Baptistæ vincula, et carcer.

Alia Christi itinera.

Comite labo rum Matre.

a Ioseph. 18 ant. c. 7.

b Ioã. 4. v. 35.

c Sallianus Annal. Eccles. ann. m. 4083.

d Metaphrast. orat. de Deipara.

e And. Hierosol. de salutat. Angelica.

VIII. Sub hoc ipsum tempus Galilæam miserè funestabat, Herodis Tetrarchæ scelus, raptâ Philippo fratri Herodiade coniuge, quæ iustum tanti facinoris censorem Baptistam

cum ferrè vltrà non posset, eius cædem adultero suadebat; sic mulier non minus incesta quàm vafra, Herodem prius ad violanda fraterni thalami iura; mox ad tollendum de medio sanctum Præcursorem induxit, quod scelus anno proximè consequenti patratum, suo referemus loco. Interim capto per illecebras Principe, sacrilega thori socia, lites & iurgia in domū, bella & clades in populum tanquam Erinnys immisit; dum è contrario comes itinerum Christi, sanctissima Mater, Iudæam pariter & Galilæam lustrans, illam Euangelicæ legis sementem à Filio factam, suis quoque sudoribus irrigabat. A Christo & Mariâ Terræ Sanctæ cognomentum iam tum sibi asciuit Palæstina, quam Herodes & Herodias, similes planè flagitijs, vt nomine, non vno maleficio polluebant.

Scelus Herodiadis in Ioannem Galilæam funestat.

Quam Virgo mater Christi itinerum comes lustrat.

IX. Nec multum dissimilis eodem erat tempore Aulæ Romanæ conditio, cum inglorio ad Capreas Tiberio Cæsare, Liuia Augusta eius parens, vltrà annum octogesimum vitâ productâ, tandem defecit. Quæ mors ipsi Tiberio ad omnem intemperantiam, & crudelitatem effuso, vt vltrà in deterius rueret, fræna laxauit, nam vitæ fastus, morumque superbia, quâ omnibus sui æui fæminis Augustam præstitisse, narrant historici [a], nunquam à populo vltrò obsequente, nunquam à Tiberio vel inuito obseruantiam desiderauit. Christo in genus humanum sensim crescebat imperium, ad extremos vsque terræ fines amplificandum; at Romano Monarchæ vnà cum viribus decrescebat: ab hoc mortuæ matri honores denegatos fuisse, ait Tacitus [b], quos Senatus vt Augustæ decreuerat: Christus viuentem Matrem suam, maximis dignatus est honoribus, quia secum habuit semper, & post exitum vitæ mortalis rediuiuam, suprà Cælites omnes, proximè ad Dei solium euexit.

Liuiæ Augustæ mors, Tiberio vitæ deterioris occasio.

Is mortuæ honores negat dū Christus Matrem viuentem honorat.

a Dio l. 18.

b Tacitus Ann. lib. 5.

Annus Christi 32. B. M. Virginis 46. Tiberij Imp. 17.

I. CVm Christus anno ætatis trigesimo primo exeunte in Galilæam venisset, vt diximus; Nazaretho relicto, vrbem Capharnaum in quâ habitaret sibi delegit, teste Matthæo [c]; & deinceps habitis publicè per vniuersam Galilæam concionibus, inuitare populos ad pænitentiam cepit, id quod fecerat antea Sancti Præcursoris in deserto clamantis vox, tunc Herodianis in vinculis tacita. Ad audiendam cæle-

Christi itinera non sine Matre.

c Matt. cap. 4. ver. 13

stis

ſtis Magiſtri doctrinam vndique populi confluebant; ideoque ab egregijs fæminis Ieſum inſequentibus, commodior viarum occaſio Virgini matri parabatur, cum præſertim conſuetudinis Iudaicæ foret (vt ait Beda [a]) nec duceretur in culpam ſi more gentis antiquo, mulieres de facultatibus ſuis, victum, & veſtitum præceptoribus miniſtrarent. Obita à Chriſto per Galilæam terram itinera, atque euulgata per Synagogas Euangelicæ doctrinæ myſteria, patratis omnium morborum curatione miraculis neutiquam caruere; & exinde Saluatoris fama, vt ait Matthæus [b], latè permanauit in Syriam: Sed eodem tempore aſſumpſit ſibi concionum & miraculorum adminiſtros Apoſtolos, Petrum, Andream, Iacobum, & Ioannem piſcatores; primis duobus iam antè innotuerat; Andreæ quidem apud Ioannem; mox verò per Andream, Petro eius fratri; At ex hoc ipſo tempore ambo reculis ſuis relictis Ieſu firmiter adhæſerunt, confirmati præſertim prodigioſâ piſcium capturâ. Reliqui duo Zebedæi filij, ipſius Chriſti & Deiparæ cognati, paulò poſt à piſcatu, quem vnà cum patre exercebant, piſcatores hominum ſunt effecti. Deinde cum his quatuor ingreſſus Capharnaum Chriſtus, docuit Sabbato in Synagogâ, admirantibus ijs qui audiebant; & occupatum à Dæmone, à quo vltrò nunciabatur *Sanctus Dei* indicto ſilentio, liberauit.

a Beda ad 8. Luc. cap.

b Matth. 4. ver. 24.

Res hoc anno geſtæ à Chriſto.

II. Poſtquam verò ijſdem comitibus de Synagogâ eſt egreſſus, introiuit in domum Petri, eiuſque ſocrum febri correptam ſanitati reſtituit: mox veſpere facto, ad ianuam domus, vbi poſt Sabbatum oppidani conuenerant infirmos & dæmoniacos omnes curauit. Poſtridie valdè diluculo ſeſe ad orandum recepit in deſertum locum, vnde reuocatus à ſuis, ſe contulit ad proximos vicos, & concionatus eſt in Synagogis, doctrinâ vbique miraculis confirmatâ. Cumque à confluentibus vndique turbis opprimeretur, iuſsit diſcipulos traijcere ſecum Geneſarethanum lacum, tribuſque offerentibus ſeſe ad eum ſequendum, non vnâ ratione reſpondit. Itum eſt ergò trans lacum; ſed cum inter nauigandum Dominus obdormiſſet, coortam ſubitò tempeſtatem excitatus à ſomno ſedauit. Vbi verò nauicula ſtagnum tranſmiſit, ventum eſt in regionem Geraſenorum, Galilææ oppoſitam, ibique Chriſtus energumenos binos, à vexatione incolumes reddidit, immundis ſpiritibus in gregem porcorum abire iuſsis. Sed incolæ veriti Syrorum indignationem, ad quos pertinuiſſe creditur grex, impetu ſpirituum inuadentium in mare demerſus, Ie-

Sequitur earundem narratio.

ſum

ſum vt inde recederet, rogauerunt. Quare conſcensâ ille nauiculâ Capharnaum rediit, hominique à paralyſi languido peccatis dimiſſis, membra quoque ſanauit, vireſque dedit idoneas, quæ domum vſque lectum referrent, repreſsâ pariter eorum calumniâ, qui peccata dimittenti auſi fuerant obtrectare. Poſtmodum ad mare exiens Matthæum è telonio vocat, atque apud eum cibum ſumit, Scribis & Phariſæis obmurmurantibus, quos & ſapienter reprimit, & quærentibus nihilominus, cur eius diſcipuli non ieiunarent, dum reſpondet; rogatus ab Archiſynagogo Iairo, defunctam eius filiam vitæ reſtituit, ſanatâ prius in viâ ad fimbriæ ſuæ contactum Hæmorrhoiſsâ. Deniq; à Iairo digreſſus cæcis duobus viſum, reddit, hominemque ex infeſto Dæmone mutum, à malo ſpiritu liberat, & linguæ defectu, non ſine blaſphemâ calumniâ Phariſeorum.

III. Hæc ſecundo ac trigeſimo Chriſti anno ineunte, trium nempe menſium interuallo confecta eſſe, cenſet [a] Salianus, quæ obiter à nobis & curſim expoſita, non aliena cenſenda ſunt à re noſtrâ; quoniam glorioſa Chriſti facta cedunt etiam in gloriam Matris, quæ conſcia omnium fuit, imò & fortaſſe ſpectatrix, ſi Filij itineribus indiuidua comes acceſſit, vt ſuprà ex Auguſtino [b] docuimus. Itaque in eâdem expoſitione pergentes, aſcendiſſe mox Chriſtum dicimus Hieroſolymam ad diem feſtum Ioanne [c] teſte (creditur fuiſſe Paſcha, & quidem tertium à baptiſmo) ibique ad probaticam piſcinam, hominem octo ac triginta iam annos ægrotum ſanauit; mox habitâ cum Iudæis diſputatione, abiens per ſata die Sabbati, defendit ab inepta Iudæorum criminatione diſcipulos. Altero item Sabbato, in Synagogâ areſactam hominis manum, integritati reſtituit; vnde frementes Phariſæi, de eo perdendo, cum Herodianis deliberant. At Ieſus ſequentibus diſcipulis in Galilæam ad Tiberiadis mare ſeceſſit, vbi confluentes circumquaque turbas, & congregatas ad littus, è nauiculâ docet, ne comprimatur à multitudine, pariterque infirmos valere iubet. Secuta eſt deinceps duodecim Apoſtolorum electio, cum prius in oratione pernoctaſſet: habuit etiam ad eos, alioſque diſcipulos in monte Galilææ prolixiorem ſermonem, quo omnem propè Euangelicam doctrinam complexus eſt; petat illum lector ex Sancto Matthæo [d], atque ex interpretatione Doctorum arcana cognoſcat. Concinnam ſermonis eiuſce paraphraſim ſuis inſeruit Annalibus Salianus [e]. Eo abſoluto cum Dominus ex monte deſcendiſſet, reliquam

Quæ Chriſtus à tertio poſt baptiſmum paſcha geſſit.

a *Salianus ad a. 4084.*
b *S. Aug. ſer. 18. de temp.*
c *Ioann. 5. ver. 1.*
d *Matth. cap. 5. & ſeqq.*
e *Salia. to. 6. An ad ann. 4084.*

etiam

etiam multitudinem docere placuit in loco campestri, alterum sermonem exorsus, vt interpretes [a] nobilissimi sentiunt,
ietus & pleraque repetijt eorum, quæ fuerat in monte prolocutus.
14. Petere hunc licebit è Sancto Lucâ [b], & quibus potissimum à
lius t. 1. priore discrepet animaduertere. Vtrumque planum facit in
c. 6. vitâ Iesu Christi Io: Stephanus Menochius [c], ad quem lecto-
xb. vita rem amandamus.

c. 7. IV. Interim cum iret Christus Capharnaum versus, hominem vltrò rogantem à leprâ mundauit, atque ingressus in oppidum, Centurionis seruum paralysi laborantem integritati restituit. Mox Naimo dum appropinquat, defunctum viduæ filium, atque inferendum sepulcro surgere viuum è feretro iussit. Quæ miracula, cum Ioannes in vinculis accepisset, duos eorum nuncios ex discipulis suis, misit ad Iesum, vt se ad eius disciplinam conferrent, quasi præsagus non diu se in viuis futurum; de quo præclarum testimonium Iesus ad eosdem discipulos fecit. Addit continuò Lucas [d], peccatricis mulieris pænitentiam, exhibitumque Christo in Pharisæi domo obsequium. Offertur deinde Saluatori dæmoniacus cæcus, & mutus, quem tribus ipse beneficijs simul affecit, & miraculum tripartitum cum admiratione turba inspectauit, sed Pharisæi de more calumnijs blasphemis insectati sunt, quos Christus sapienter redarguit, & signum petentibus, signum dedit Ionæ Prophetæ, professus eos in iudicio condemnatum iri à Niniuitis. **Continuatur narratio.**

V. Locum, vbi hæc peracta fuerint, non exprimit sacra Euangelistarum historia; ego cum pluribus dicerem fuisse Capharnaum in quâ ciuitate frequentissimâ, & Galilææ totius emporio, Christus cum Matre, & cognatis postremos vitæ annos egit, & miraculis illustrauit non ipsam modò, sed agrum quoque circumiacentem. Inibi igitur, vel certè loco parùm distante cum Pharisæorum calumnijs responderet, repente mulier de turbâ audientium exilamauit, in eius, Matrisque sanctissimæ laudem; *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti*. Vt habemus ex testimonio S. Lucæ [e]; vbi nos, qui res à Christo gestas leuiter attingimus, decet immorari parumper, considerando mulieris dicto, quod continebat elogium Virginis Matris. Auctorem dicti Liranus [f] ex publicâ famâ, Marcellam facit S. Marthæ pedisequam; additque in terræ Sanctæ descriptione Burchardus [g], designatum ab indigenis locum, non longè à Tyro fuisse, ostendique solitum peregrinis: *Ante Tyri ianuam*, inquit, *ad ortum sitam; iactu duarum*

Capharnaũ ciuitas multis Christi miraculis illustrata.

Exclamatio subita mulieris in laudẽ D. Virginis.

rum sagittarum inter spinosas arenas ostenditur Christi prædicationis locus, vbi mulier exclamauit: Beatus venter &c. In eandem sententiã scribit Adrichomius [a] in Theatro terræ Sanctæ. At verba iam ipsa, exclamantis mulieris, expendamus. Ventrem primò Virgineum, beatum vocat, quòd selectus à Deo sit, in diuersorium, atque adeò vehiculum, thalamumque infantis Filij sui; cuiusmodi beatitatem Ecclesia hymno pulcherrimo concinit: *Beata mater munere, Cuius supernus Artifex, Mundum pugillo continens, Ventris sub arca clausus est.* Cælum empyreum, beatarum mentium regio, ac sedes, ab inhabitante Orbis Moderatore, Deo Trino, & Vno, beatum audit, ac dicitur: quid ni Marianus venter? cum primum in terris hospitium præbuerit Numini humanâ carne vestito, de quo Petrus Damiani [b]: *Iacet intrà materna viscera paruulus, qui cum coæterno Patre, rerum omnium iura gubernat immensus.* Ideòque venter ille sacrum continuit pignus, mundo maius, & qui saluâ virginali integritate concepit, & peperit, is post partum etiam integer omninò permansit. Neque in ventrem solùm, sed in vbera etiam virginea, beatitatis laudem contulit mulier; quoniam editum illæsâ virginitate infantem Diua Mater lacte nutriuit; licèt id pernegare sint ausi insani quidam Sectarij, quos à se auditos Tolosæ scribit [c] Catharinus. cum cæteroqui spectatis SS. Patrum documentis, dubitari non possit; quin D. Virgo Christum lactauerit. Ità Nyssenus [d], Augustinus [e], Rupertus [f] alijque plures. Et quidem Deiparæ vbera plena de cælo fuisse dicuntur; non quòd nouum id miraculum esset, distinctum à beneficio conceptus & partus absque iacturâ virginitatis (cum fæmina statim atque est fætum enixa, à naturâ lac habeat) sed quòd spectatâ conceptus per miraculum obtenti ratione, quem consecutus est partus, & lactis copia; referri ad prius donum debeant, vbera Virginis lacte manantia: posito enim conceptu partuque, naturale fuit lac affluere. Contrarium docuere aliqui apud [g] Salmeronem in sacris Euangelicæ historiæ commentarijs, ac teste Delrio [h] sacrorum Canticorum interprete Gulielmus Paruus, qui miraculum & quidem æquale agnoscit in lacte virginei pectoris, atque in partu virginei ventris, cum potius hoc diuinitus concesso, illud eiusdem beneficij vi consecutum sit. Verùm de virginibus, quæ non pepererunt, eorum ratiocinatio benè concludit, vt expressè de S. Liduuinâ [i] narratur, cum virgo nocte recurrente dominicæ natiuitatis, lacte redundarit diuinitus exorto; id quod etiam paulò superiore memoriâ, vrbem in Pi-

Verborum, quæ Mulier dixit expositio.

Cur beatus venter.

Cur beata vbera.

Lac in Virgine Deipara non fuit miraculum distinctum à conceptu.

Contrarium aliqui sentiũt

a Adrich. in descript. Tribus Aser. nu. 85.

b Pet. Dã. serm. 1. de Nat. Virg.

c Cathar. lib. de consumata Christi, & SS. gloria, sub initiũ.

d Nyssenus Hom. de Nat Dep.

e Augusl. serm. 9. de temp.

f Ruper. l. 3 in Cant.

g Salmero to. 3. tract. 35.

h Delrius in c. 4. Cãt. sect. 1. v. 10.

i Acta S. Lidua. l. 1. cap. 4.

a Ex vita scripta a Ioanne Serrano eius Confessario

in Piceno Septempedam, vulgò Sancto Seuerino cognominem illustrauit; vbi piæ virgini Franciscæ de Serrone[a] eius diœceseos pago, publicâ famâ tributum est, atque apud certos Iudices ritè quæsitum, lactis ex vberibus sponte manantis donum, cum enim infantes illicito editos concubitu, proijcere matres meditarentur, Francisca plurimis ope diuina ab interitu liberatis, domumq; receptis, lac ad tempus è suo pectore creditur suppeditasse. Ea quidem, si vera sunt, fuere miracula, quoniam eiusmodi virgines lac à naturâ non habebant, sed suprà eiusdem naturæ debitum & efficacitatem illud diuinitus acceperunt: cum è contrario Virgo Deipara, postquam diuinâ tantùm virtute concepit, ac peperit, naturali origine lac habuerit, nouo neutiquam interueniente miraculo, quod sit ab illo priore distinctum.

Suauitas considerationis Christi lactati.

VI. Cæterùm si quis perattentè meditetur Christum infantem, ad materna Virginis vbera purissimo lacte nutritum, eam considerationis suauitatem percipiet, quam ad mulieris Euangelicæ imitationem exhibet B. Petrus Damiani[b], dum exclamat: *O beata vbera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum, & hominum pascunt. Exiguum exprimunt liquorem, & mundi reficiunt Creatorem. Qui sua virtutis imperio marium procellas mitigat, qui fluminibus indeficientem aquarum impetum subministrat, qui aridam terram, innumeris vbique fontibus irrigat, raras de Virgineo pectore guttas lactis expectat. Manat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris.* Eandem ex hoc loco suauitatem eliciunt Patres, dum in eiusmodi considerationem labuntur: præstò vbique sunt elogia, quæ illi virgineis Deiparæ Christum nutrientis vberibus conferunt, nobisque mysterium pariter animo recolentibus eandem contemplationis suauitatem inspirant. Quali verò, quantâque dulcedine Mater ipsa perfunderetur, dum lac purissimum infunderet Filio, exprimit S. Cyprianus[c], vel apud eum auctor Sermonis de Christo nato, si placet alterum ab illo censere: *Paruulus, inquit, sugens vbera, pura alimonia vtebatur, & fons sacri pectoris, defæcatum edulium ori mundissimo infundebat. Sed & cor Matris, quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum imbuebant, eratque vtrinque mira iucunditas, cum pia Sanctæ Matris, & deuota humilitas, & Sancti Sanctorum immensa benignitas confœderatis affectibus mergerentur.* At verò vberum Marianorum decora latè persequitur Dionysius Carthusianus[d], alijque Doctores; cum merita Virginis apud Deum, ex eo quòd Dei filium lacte

b Pet. Dã. ... ... Vir.

c Cypri. ... Nat.

d ...lib. ... ar. 18

Vberum Mariæ laus.

nutriuerit, passim extollunt; tum illud frequentissimè repetunt, hoc præsertim titulo Deiparam dici Aduocatam pro nobis apud Deum agere, exhibendo vbera; id quod egregiè docuit Arnoldus [a] Bonæ vallis: *Securum, inquit, accessum iam habet homo ad Deum, vbi mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Christus nudato latere, Patri ostendit latus, & vulnera. Maria Christo pectus & vbera; nec potest vllo modo esse repulsa, vbi concurrunt & orant omni lingua disertius, hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia.* Sed redeamus ad institutum.

a Arnoldus Encomio Deipara.

VII. Ad subitum encomium inter Pharisæorum obtrectationes à piâ muliere ex intimo animi sensu prolatum, cum ità commendaretur Christus, vt laus expressò in Virginem Matrem redundaret, illicò fuisse ab ipso Christo responsum ait Lucas [b]. *Quin imo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Et reddi verba sic possunt; beatum quidem esse Deiparæ Virginis ventrem, beata vbera, ob genitum, atque enutritum Dei Filium; at non minus beatos appellandos esse eos, qui exceptum auribus diuinum mandatum, iugiter operibus reddunt; atque hoc ipso titulo beatiorem esse Deiparam; *cui,* inquit S. Augustinus [c], *nihil materna propinquitas profuisset, nisi felicius Christum corde, quàm carne gestasset. Beatior ergò Maria, percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* Attamen beatissimam appellare Mariam meritò libet, quòd Dei sit mater, quoniam ad eiusmodi dignitatem euecta est, per custodiam diuinarum præceptionum exactissimam; animæque pulcritudinem singularem, virtutum omnium veluti choro circumscriptam. Ideò Damascenus [d] Deiparam cum vniuerso Sanctorum choro componens, ait illos ante mortem beatos dici non posse, quem Virgo titulum à diuino conceptu, partuque est illicò consecuta. *Omnium enim,* sequitur proximè S. Doctor, *bonorum initium, medium & finis; securitas item, & vera confirmatio, in illa seminis experte conceptione, in illa diuina inhabitatione, in illo denique à labe omni remoto partu posita fuit.*

Christi responsum ad exclamationem mulieris.

b Luc. 11. ver. 27.

c S. Augustinus l. de S. Virginitate.

d Damasc. orat. 1. de dormit. Deip.

VIII. At verò S. Lucas, qui exclamantis [e] de mediâ turbâ mulieris verba recenset; narrat [f] etiam ad Christum loquentem, accessisse cum Matre cognatos, atque ad ianuam aulæ stantes, optasse ad illius alloquium introduci; conueniunt in eâdem narratione reliqui Euangelistæ Matthæus [g] & Marcus [h]. Quo potissimum consilio Christi Mater, vnàque cognati tunc interpellare concionantem Dominum auderent,

Matris, & cognatorũ ad Christũ concionantem aduentus.

e Luc. ibid.

f Luc. 8. v. 19.

g Matt. 12. ver. 46.

h Mar. 3. ver. 31.

rent, sacra non exprimit pagina. Titus quidem [a] Bostrensis motos fuisse censet ex desiderio Christum videndi, alloquendique, quem à multo tempore fortasse non viderant. Canisius [b] verò aduersus Hæreticos hoc Mariæ factũ impiè criminantes docet, illi animum non fuisse, sacrum Christi docentis officium impediendi; nec tam seriò agentem Filium molestè interpellandi; sed potius voluisse eidem significari; se quidem præ foribus expectare; ipse verò vt pro suo nutu quid vellet decerneret, ac iuberet; fore præterea sibi pergratum, si vnâ cum cognatis obtineret inter auditores locum. Caietanus [c] denique atque Baradius rem aliò detorquent; cum ille dicat, eò Deiparam Virginem cum consanguineis venisse, vt Filium à docendo defatigatum; cibo reficiendum curaret; quoniam præ multitudine audientium, teste S. Marco [d], manducare panem non poterat: alter verò, metuisse censeat sanctissimam Matrem, ne fortè Scribæ & Pharisæi, de quorum inuidiâ constabat, Christo nocerent; ideòque ad auertendum, quod suboriri poterat, ab ardore disputationis incommodum, non venisse solum ad locum, vbi Filius turbam docebat, sed extrà domum ipsam, vel aulam vocandum illum curasse, nuncio summisso. Certè ex testimonio S. Marci [e] deduci potest, ad Christum id temporis accessisse cognatos, quòd eum mente emotum, aut in furias actum suspicarentur: *dicebant enim* ait Euangelista, *quoniam in furorem versus est*. Itaque eorum aduentus eò fortasse spectauit, vt remoueretur à disputandi occupatione Christus, in quo ardorem illum docendi non probabant, vnde sibi ipsis quoque periculum metuebant; nondum enim, vt ait S. Ioannes [f], credebant in Christum. At hîc Lector animaduerte in Deiparam ista non cadere, cui, inquit Canisius [g], nihil commune cum eiusmodi cognatis fuit. Quærebant quidem simul Christum; sed in Mariâ mens, fides, religio sincera, ac perfecta; in illis non ità, quibus fortasse Virgo se tunc comitem addidit, quòd optaret sperare tque, optimam aliquando mentem consecuturos. Sacrorum Euangeliorum interpretes Maldonatus [h] & Cornelius à Lapide dubitare videntur; verène Christum furore correptum consanguinei existimarint; an potius finxerint ità se credere, vt eo artificio, Scribarum & Pharisæorum inuidiæ docentem subtraherent. Quòd verò antequam disputatio absolueretur, postularunt à Christo audiri, id factum videtur ex metu, ne adhuc loquenti periculum aliquod crearetur. Et fortè Deiparam secum illi duxerunt, vt per eam Christo facilius discessum

Causa eius aduentus, & missi ad Christum nuncij.

a Titus Bostr. in Catena Sancti Thomæ.
b Canisius Mar. l. 4. de Deip. c. 21.
c Caiet. & Barad. in cap. 3. S. Marci.
d Mar. 3. ver. 20.
e Mar. 3. ver. 21.
f Io. 7. v. 5.
g Canisius lib. 4. Marial. c. 21.
h Maldonatus, & Cornelius in cap. 12. Matth.

sum suaderent. Vtcumque sentirent; crederentne reipsâ, an se credere simularent, aliquod id temporis amentiæ genus in Christo; certum est, Deiparam ne suspicari quidem de Filio potuisse, vel minimum hac parte defectum, cum optimè nosset, qualis & quantus esset. Cognatos eum vel per vim aliò abducere cogitantes comitata est, atque vnà cum ijs misit docenti nuncium; vt periculo, si quod imminebat, occurreret, neque secuta vllatenus creditur violentiæ adhibendæ consilium, quod à cognatis non fuisse illi communicatum, verosimile est.

Christi ad nuncium responsio.

IX. At Christi, ad eum qui Matris & consanguineorum aduentum nunciabat, responsionem, cadere in contemptum Virginis, impiè contendunt Hæretici, pièque confutantur apud Canisium [a]. Cum enim respondit Christus [b]: *Quanam est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Et mox addidit, suos qui astabant discipulos indicans: *Ecce mater mea, & fratres mei: quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* significare proculdubio voluit; se neque matris, neque cognatorum habere rationem, dum eo munere fungeretur, quod æterni Patris mandato peragendum susceperat, præsertim si forent sibi impedimento, aut aliquatenus inceptum officium retardarent. Tunc esse sibi consanguineorum loco eos, qui idem opus exercerent, atque animarum salute procurandâ secum occuparentur. In hoc genus hominum amorem suum maximè ferri, ac si fratres, sorores, & mater essent. Eam Christi responsionem, non Matre sanctissimâ indignam, aut eius sanctitati minus decoram, neque ad vllum Deiparæ contemptum prolatam fuisse, probant fusè Patres apud Canisium [c]. Quinam fuerint ij fratres, seu consanguinei Saluatoris, qui cum Virgine Matre ad eum concionantem accesserunt, tum exprimunt Euangelistæ, tum nos suprà docuimus. Iam reliqua hoc anno per Christum gesta obiter percurramus.

Responsionis expositio

a Canis. l. 4. Marial. c. 21.
b Matt. 12 ver. 48 49. 50.
c Canisius ibid.

X. Secuta est eodem die concio ad mare habita [d], quò egressus Iesus, confluentem circumquaque turbam, de nauiculâ publicè docuit, parabolis allatis de semine Zizanijs, Sinapi, fermento, thesauro, margaritâ, & sagenâ. Hasce parabolas cum enarrasset, Nazarethum [e] in patriam suam venit, ibique concionatus in Synagogâ ex Isaiæ Prophetæ libro, cum propter ciuium incredulitatem perpauca edidisset miracula, ciuitate eiectus, ductusque est ad verticem montis, vnde Nazareni præcipitem agere voluerunt. Tum peragrat proximos vicos

d Matt. 13 ver. 1. Mar. 4. v. 1 Luc. 8. v. 4
e Luc. 4. v. 16. Matth 13. ver. 54. Mar. 6. v. 1

vicos docendo [a], aliàque etiam Galilææ loca, ſequentibus duodecim Apoſtolis, & miniſtrantibus neceſſaria ad victum mulieribus, quas ipſe ſanauerat. Ab eiuſmodi comitatu, abſuiſſe non potuit Virgo Mater, quæ amore ac ſtudio ergà Filium ſanctiſſimum omnibus anteibat, ſocia laborum Christi à SS. Patribus [b] appellata. Vocatos præterea [c] in vnum Apoſtolos, mittit binos, cum poteſtate patrandorum miraculorum, ad erudiendos populos in vniuerſam Iudæam; ſimulque omnes inſtruit egregijs præceptionibus, quas Euangeliſtæ tres Matthæus, Marcus, & Lucas tradunt. Miſſi [d] circumeunt oppida, concionantur, hortantur homines ad pænitentiam, eijciunt è corporibus dæmones, ægros oleo vngunt, & ſanant.

a Mar. 6. ver. 6. Luc. 8. v. 1.

b S. Auguſtinus Gerſon.

c Matt. 10. ver. 1. Mar. 6. v. 7 Luc. 9. v. 1.

d Mar. 6. ver. 12. Luc. 9. v. 6.

XI. Interea dum Chriſtus in Galilæâ conciones habet, atque Apoſtoli de Iudæâ, tanquam de vineâ Domini fructus colligunt, cædes contigit Ioannis Baptiſtæ, quem anno ſuperiore diximus fuiſſe coniectum in vincula ab Herode Antipâ Galilææ Tetrarchâ, non ferente Sancti viri admonitionem de adulterâ dimittendâ. Perpetrati facinoris hiſtoriam narrant Matthæus [e], & Marcus, atque etiam perpaucis indicat Lucas. Hanc præterire taciti omninò non poſſumus, quia Ioannes, vt Mariæ Virginis conſanguineus ex matre, ipſius Deiparæ conſobrinâ, pertinet ad Marianos Annales. Conſtat amputatum illi fuiſſe ſacrum caput in carcere, Herodis iuſſu ſua natalitia celebrantis, & quidem ad ſacrilegum puellæ poſtulatum, quæ in conuiuio coram primatibus Regi plurimùm ſaltando placuerat; cum in præmium laſciuientium chorearum, obſtrictum iureiurando ipſum haberet, ad reddendum illicò ſibi, quicquid petijſſet. Erat hæc filia Herodiadis, quam ablatam fratri vxorem ſibi Herodes inceſtè copularat. Matris autem inſtinctu procax puella maximi Vatis caput optauit cui tandem inter epulas ferales appoſito, illa ipſa quæ filiæ tanti ſceleris auctor fuerat, acu diſcriminali extractam palato linguam, ictibus centies ingeminatis infodit, vti ſcriptum reliquit S. Hieronymus [f]. Scelus in hac cæde admiſſum à matre & filiâ, vnàque ab Herode; impunitum non reliquit iuſtiſſimus vltor Deus; nam Herodes quidem accuſante Agrippâ à Caio Caligulâ principatu deiectus, cum adulterâ Herodiade exul in Gallias abijt: imò & cum illâ, quaſi duce maleficarum effectâ poſt mortem, mulierculæ à Dæmone illuſæ falsò credidere, ſe noctu ad deteriora exilia circumuagari: ſaltatricula verò puella, cum aſtrictum gelu fluuium [g] pertranſiret, ruptâ ſub pedibus glacie, abſcindendum cruſtis caput dedit;

De cæde S. Ioannis Baptiſtæ.

e Matt. 14 & Marc. 6 & Luc. 9. ver. 9.

f Hieronym. Apolog. adver. Ruff.

g Nicephorus Cal. hiſt. Eccl. cap. 20.

etiam tunc subsiliens portentosum in modum, atque ad sceleris vltionem, vel aquis in mucronem conuersis iugulata. Sancti Præcursoris caput apud se retinuit Herodias, & Hierosolymæ in ipsâ regiâ clam sepeliendum curauit, verita, ne si reliquo corpori admoueretur illi rursus adhæreret, & Ioannes, cuius sanctitatem ferre non poterat, reuocaretur ad vitam. At ipsum corpus à capite disiunctum, abstulere secum teste Marco [a] Sancti Præcursoris discipuli, & Sebaste, quæ est eadem cum Samariâ, Regum Israelis sede, terræ mandarunt. Doluisse hac cæde Deiparam, quæ Filium concionantem secuta non longè aberat, piè credi potest; quoniam si nato olim Ioanne gauisa est, nondum ab ædibus Elisabethæ digressa, vt diximus probabiliore sententiâ, & Saluatoris proximè affuturi aduentum præsentiens; certè cum audiuit extinctum, non potuit non dolere, videns in eius casu, non longè abesse necem Filij sui, cui Ioannes tanquam prodromus facem viuendo prætulerat. Discipuli autem, qui tanto Magistro parentarunt, cum sacrum corpus Sebasteno sepulcro mandassent, cædis nuncij venerunt ad Iesum; cuius etiam disciplinæ vltrò seipsos commiserunt. Verùm adfuisse illum morienti, nonnullorum opinio est apud Petrum Ribadeneiram [b], qui eam non improbat, vt potè testimonio sanctorum innixam, & cognitam ab ijs inter orandum, acceptâ de cælo notitiâ. Tunc ergò reuersos ex Iudæâ Apostolos Christus trans mare Tiberiadis secum venire iubet in desertum Bethsaidæ locum, vt à laboribus requiescerent. Itaque ascensâ omnes naiculâ veniunt ad vlterius maris littus, quò de ciuitatibus pedestres virorum atque mulierum copiæ conuenerunt, omniumque ad quinque millia ferè capitum esuriem, quinis tantum panibus, & duobus piscibus Christus expleuit, colligenda insuper relinquens, & cophinis duodecim domum reportanda fragmenta. Signum admiratæ turbæ, eò beneuolentiæ ergâ liberalissimum Dominum sunt progressæ, vt Messiam esse in lege promissum palam deprædicarent, eumque pariter Regem constituere simul decernerent; quamobrem Iesus ipse discipulis fretum nauiculâ transmittere iussis, turbisque dimissis, solus in montem se recepit. Interim discipulorum nauis, medio mari se credit, in quam coortâ subitò tempestate cum periclitarentur vectores, Christus periculi conscius, venit ad eos ambulans super aquas, idemque miraculi beneficium Petro in mare desilienti concedens, excitatam paulò ante procellam nouâ tranquillitate permutat. Mox in nauim receptus, freto transmis-

Quid factum de corpore S. Ioannis.

Deiparæ sensus ad cædẽ S. Ioannis.

Varia hoc anno à Christo gesta.

a Mar. 6. ver. 29.

b Ribaden. vit. SS. 29. Augusti.

transmisso, venit in oram Genesarethanam, ægrosque sanat fimbriæ tactu. Inde vrbem Capharnaum, eiusque Synagogam ingressus, inuenit quos refecerat in deserto, docetque prolixò, se esse panem vitæ, & carnem suam esse cibum, quod præludium fuit sacræ Eucharistiæ instituendæ.

XII. Dum hæc agerentur, miraculorum fama ad Herodem peruenit, qui Ioanni paulò ante iusserat amputari caput, vt saltatriculæ satisfaceret; ideòque vrgente sceleris conscientiâ, dubitare cepit, num à Sancto Præcursore in vitam reuocato ea miracula patrarentur, concepta de tanti viri virtute opinio, id vel maximè suadebat, dicebat enim; vt ait Marcus [a]. *Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis resurrexit*. Idem etiam apud alios percrebuerat rumor, cum sanctitas nulli non cognita, eiusmodi prærogatiuam promereri crederetur. Sed memoria nullo vnquam æuo abolenda viuebat, terrâque obrutæ sacri corporis reliquiæ, iam tum sibi honores vindicabant, qui deinceps consecuti sunt. Nam caput quidem, cum diu in occulto Herodianæ regiæ loco sub Angelorum custodiâ latuisset, diuinitus tandem innotuit, reuelatum Monachis duobus, qui Hierosolymam venerant, ad sacra Terræ Sanctæ monumenta visenda. Eorum operâ extractum è latebris, in vrbem Phæniciæ Emesam fuisse asportatum, ibique diu Fidelium cultui expositum tradit verosimilior fama; donec Sapore Persarum Rege Christiana sacra insectante, Emeseni clam ex vrbe eductum aliò, custodientibus Angelis, abdiderunt. At sub Valentis imperio rursus inuentum, Hæreticus Imperator deferre Constantinopolim frustrà tentauit, id quod fecit religiosissimus Theodosius eius successor, ex Coslai vico Chalcedoni proximo, in Basilicam Constantinopoli splendidissimè extructam, venerandum inferens pignus, quod inuoluit imperatoriâ purpurâ sibi detractâ. Meminere huius translationis Auctores plurimi S. Prosper [b], Sozomenus [c], Nicephorus [d], Cedrenus [e], alij. Deinde sæuiente in sacra Constantino Copronymo, & Monachis Constantinopoli eiectis, inde etiam sacrum Baptistæ caput aliò auectum fertur, ne quos ab impio Imperatore iurato Sanctorum hoste pateretur insultus; fama est, in Monasterio Spelei aliquandiu asseruatum, demum in templum suum Emesæ situm, fuisse restitutum, vt scriptum in suâ historiâ reliquit Theophanes [f], atque in annum Domini septingentesimum sexagesimum refert Card. Baronius [g]. Sed cum Turcarum excursionibus diripi ac deuastari ceperunt Orientis vrbes, translatâ prope dixerim

Herodis Antipæ dubium de Ioanne.

Honores habiti ergà reliquias S. Ioannis.

Prima sacri capitis inuentio.

Altera.

Item variæ trãslationes.

a Marci 6. ver. 16.

b S. Prosp. in Chron.
c Sozom. hist. l. 1. c. 21.
d Niceph. l. 12. c. 49.
e Cedre. in Compen.
f Theophanes in Hist.
g Baronius tom. 9. an. 760.

in Oc-

in Occidentem religione, illuc pariter per Christianos, Monachosque profugos, Sancti Præcursoris caput delatum est, & Romæ in vrbe orbis Christiani principe collocatum. In æde peruetustâ Sancti Syluestri, quæ non longè visitur à viâ Flaminiâ, colitur in hunc vsque diem: cum enim ibi cœnobium foret, in quod recepti fuerant exules ab Oriente Monachi Græci, sæuitiem fugientes Constantini Copronymi Imperatoris hagiomachi; idcircò facilè fuit eiusdem instituti Cœnobitis eò inferre venerandum pignus. Post Monachos in eius loci curam successere S. Claræ Moniales, quæ ex maiorum documentis testes sunt, tempore Borbonicæ cladis, cum Roma ab exercitu Cæsaris diriperetur, atque efferata militum rabies in Sancti Syluestri Parthenonem irrumperet, Baptistæ caput illæsum ab hostibus non sine miraculo permansisse. Cum verò scriptum nonnulli reliquerint, Alexandriâ fuisse translatum in Gallias, censet Cardinalis Baronius [a], non illud Baptistæ caput, sed alterius Ioannis Martyris, patriâ Edesseni extitisse, qui olim cum Cyro Alexandriæ necatus, insignis habebatur. Acta [b] Metaphrastes ex antiquis monumentis descripsit, & eadem recitant Lippomanus [c] & Surius [d]. An deinceps verum Sancti Præcursoris caput, iterum atque iterum transferri contigerit, incertum est; sicut etiam, an fuerit diuisum in partes, eæque in varias Ecclesias sint distributæ, vti docuit in peculiari tractatu Robertus [e] Theologus Parisiensis, sciri certò non potest; cum caput ferè integrum Romæ ostendatur, ad S. Syluestri; & mentum, quod solum illi deest sub vtrâque maxillâ, vt animaduerti facilè potest, Augustæ Prætoriæ in Subalpinis, asseruari credatur. Eorum certè laudanda est pietas, qui sacrosanctis hisce pignoribus sibi vindicandis, tanti Præcursoris peculiare patrocinium ambiunt.

Vltima Romam.

Et in ædem S. Syluestri, nunc Monialium S. Claræ.

a *Baron. in Not. ad Mart. 29. Augusti.*
b *Metaph. 31. Ianuar.*
c *Lipp. t. 5.*
d *Sur. to. 1.*
e *Vide Spondanum ep. Baron. ad an. 1025. n. 2. & Ioannem Giacchettum Tract. Kailogia Præcursoris.*

XIII. Reliquum corpus, quod tumulatum Sebaste, seu Samariæ diximus à discipulis inter duos sacros vates Eliseum, atque Abdiam, ibidem miraculis illustratum venerationi Fidelium patuit, vsque ad Iulianum Augustum, veræ fidei ac religionis desertorem, cuius iussu exhumatum, atque igni ab Ethnicis traditum est; mox dissipatos, dispersosque cineres, atque ossa semiusta, clam Christiani legerunt tuleruntque Alexandriam; vbi ab Athanasio Episcopo Sacrosancta Lipsana reuerenter accepta, atque in templum augustissimum, super Serapidis ruinam erectum, excauato sacrarij pariete inclusa sunt, sicuti describit Ruffinus [f]. At minor erat tantorum pignorum meritis Alexandria: illa multis ciuitatibus vbique

f *Ruffin. l. 2. cap. 28.*

prope-

propemodum excepit orbis terrarum, ſuas ſingulæ partes habuere Syria, Gallia, Hiſpania, Germania, Italia. Index Melliæ digitus ab igne ſuperſtes Melite conſtitit, vbi Hieroſolymitanis equitibus viam victoriarum, ac triumphorum, atque adeò æternæ ſalutis oſtendit. Collectos præterea decenter ſacculis cineres, expeditione ſacrâ Hieroſolymitanâ, Genuenſes Myrâ ex vrbe Lyciæ, tanquam inſigne ſuæ fortitudinis, ac pietatis monumentum, Genuam tranſtulerunt. Ipſam denique magni Baptiſtæ necem accidiſſe conſtat imminente ſolemnitate
29. Aug. Paſchali; ſed eius memoriam Eccleſia recolit, quarto [a] Kalendas Septembris, quo nimirum die caput venerandum Conſtantinopolim in Hebdomum fertur translatum ſub ſeniore Theodoſio, vt dictum eſt.

XIV. Sed antequam vltrà pergamus, decet Heroi maximo, Deiparæ cognato, Chriſtique conſobrino, & Præcurſori, ſuum obeliſcum erigere.

Marianum Heroëm
Vel ipſius teſtimonio veritatis, inter homines maximum
Ioannem, ab exhibito fontibus cœleſti lauacro, Baptiſtam Elogium S. Io: Baptiſtæ.
Siſtimus æterna memoria poſterorum.
Diuini Verbi ad corda clamantis vox fuit,
Venturi nuncia Numinis, Echo ipſius Dei.
Ad Mariæ conſpectum diuinitus ſata
Nunciare geſtijt ex vtero matris Chriſti Seruatoris aduentum
Quem vt præiret officio, ſeipſum virtute præiuit
Saltu corporis prolocutus,
Inter infantiæ rudimenta, ſapientia & ſanctitate maturus.
A cunis tranſlatus ad nemora, Deo & Angelis vixit.
Cœleſtibus paſtus delicijs animus
Eſcam corpori locuſtas, & mel ſylueſtre reliquit.
E ſyluis, tanquam è carceribus prodiuit ad curſum
Quo non puluerem collegit, ſed palmas,
Pœnitentiæ præco, criminum expiator, oraculum veritatis.
Regiam libidinem libera vltus eſt lingua,
Qua reciſo capite ad ſaltatriculæ votum obmutuit.
Sed vltor ſcelerum ſanguis, ſuam in parricidas edidit vocem,
Cœna Tyranni natalis in emortualem tranſijt ſcenam.
Epulas iterum Thyeſtaeas exhorruit natura,
Cum ſacrum in lance caput, menſæ ferculum fuit.
Cædis auctores miſeram de ſe dedere tragœdiam,
Herodes & Herodias exilium nacti

Et filia fatali suprà glaciem saltu necata.
Plaudite mortales triumpho Ioannis,
Cui Maria cognato, Iesus consobrino, Cælites commilitoni
Dant vnanimiter plausum.

XV. Ex historiâ Romanâ incidit in hunc annum Seiani casus, quem opponere possumus S. Ioannis Baptistæ cædi. In illo inconstantia rerum humanarum, & fortunæ ludus apparet; in hac exhibetur Heroicæ constantiæ, & Christianæ libertatis exemplum. Seianum [a] Tiberius alteram à se personam in imperio fecerat: at potiturus Orbe terrarum Christus ante se Baptistam dimisit. Alterum Cæsar suum in consulatu collegam, è Capreensi secessu, datâ ad Romanum Magistratum epistolâ neci dedit: alterum regiæ libidinis iustum censorem, Rex adulter in saltatriculæ gratiam lictori subiecit; illum quidem apud posteros infamem; hunc verò maximè gloriosum. Vtriusque carceri, & supplicio adiuncta sunt valdè diuersa. Oneratus à populo maledictis ac probris Seianus moritur: Baptistæ bonorum omnium lacrymis, & Cælitum obsequijs parentatur. Ille mulctatus capite, in Gemonias proiectus, tres ipsos dies ludibrio habitus, in Tyberim mergitur: hic abscisso capite, atque ignibus tradito corpore, vbique terrarum signis clarescit. Eò etiam euasere Seiani pœnæ, vt liberi quoque post patrem necati sint; imò filia Claudij nato desponsa, non ferrum modò, sed vim indignissimam à carnifice tulerit; vxor prætereà Apicata dudum exclusa, quòd totam de Drusi morte tragœdiam Tiberio patefecisset, sibi necem consciuerit; amicos denique eadem inuoluerit tanquam vno fasce calamitas. E contrario vniuersa S. Ioannis Baptistæ cognatio, sicuti magnam accepit ab eo nato lætitiam, ità alterum & quidem feliciorem in morte natalem considerans, longè maximam habuit gaudendi materiem: quanta consanguineorum Sanctitas Ioannem illustrat! Zachariæ patris, Elisabethæ matris, Deiparæ materteræ, Iesu consobrini, & reliquorum, quos longâ serie cum eo coniunxere sanguis & virtus.

Seiani cædes opposita neci S. Ioannis

Vtriusque collatio.

[a] Tacitus in Annal.

Annus Christi 33. B. M. Virginis 47. Tiberij Imp. 18.

I. Libet à quarto Paschæ festo res narrare, quas exinde Christus gessit ad quintum vsque, quod proximè ante

ante mortem cum Apostolis vltimum celebrauit: nam quæ ad superiorem annum gesta postremo exposuimus loco, ad huius initium reipsâ spectant, si à Kalendis Ianuarij recensio ducatur. Affuisse Hierosolymæ Deiparam ad Paschæ solemnia negare non possunt, qui sacrum iter ab eâ repetitum affirmant statis anni temporibus, cum consueta Hebræorum festa recurrerent. Itaque hoc etiam titulo Filij comes Sanctissima Mater, pleraque ab illo peracta spectauit, quæ more nostro obiter narraturi sumus, gloriam ex Filio suam Matri captantes.

Rerum huius anni sūma.

II. Cum ergò Iesus, vt diximus, Eucharistiæ Sacramento paulò post instituendo quasi proludens, de illo apud Capharnaitas disseruisset, multi discipulorum, sermonis mysterio
5. nondum percepto offensi, Magistrum deseruere, qui mox cum duodecim Apostolis Galilæam perambulans, Scribis &
15. Pharisæis ex Iudæâ profectis occurrit. Accusabat hæc natio
7. eius asseclas, quòd contrà seniorum scita illotis manibus cibum sumerent: sed in auctorum reprehensionem accusatione retortâ, sapientissimus Magister plura de traditionibus docuit. His enarratis Matthæus, & Marcus subtexunt iter Chri-
15. sti in fines Tyri & Sidonis, vbi mulieris Syrophenissæ, Chananaei de stirpe, filiam à Dæmone liberauit. Inde regressus ad mare Galilææ propè Scythopolim, surdo & muto auditum pariter ac loquelam restituit; & mox post ascensum in montem, tum alios debiles sanat, tum sequentibus turbis, nec habentibus quod manducarent, imò tridui itinere famelicis abundè satisfacit, multiplicatione panum repetitâ, cum septem tantùm essent, & pauci pisces, capitum ferè quatuor millibus in annonam appositi. Dimissâ turbâ, vt ait Matthæus, ascendit in nauiculam, & lacu traiecto venit in regionem Magedanam, qualem suo tempore nominatam fuisse ait S. Hieronymus [a], circà Gerasa: hic Pharisæi, & Sadducæi signum ab eo petentes reijciuntur; ijsque relictis Iesus, cum discipulis redit cìs mare, quos pariter monet, cauere ab illorum doctrinâ. Inde venitur Bethsaidam, vbi cæco extrà vicum educto redditur oculorum vsus: In itinere autem circà Cæsaream Philippi, confessionem Christi celeberrimam edit Petrus, ob quam laudatus à Domino, ac destinatus est in petram Ecclesiæ Catholicæ, paulò post fundandæ; audiitque pariter regni cælestis claues sibi apertè & clarè promitti per ea verba: *Tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum.* Deinceps prædicêtem suos cruciatus & mortem

Res à Christo gestæ post quartum Pascha.

Hierosolymæ subeundam, cum idem Petrus horreret; redarguitur, doceturque singulis ferendam esse crucem, vt salutem consequantur. *Marc. 8. Luc. 9.*

Sequitur narratio rerum eodem tempore à Christo gestarum

III. Post octo fermè dies Christus in Thaborio monte tribus discipulis Petro, Iacobo, & Ioanni se transfiguratum ostendit, vestibus instar niuium candidis, & splendente instar solis vultu; vbi cum Mose, & Eliâ apparentibus sermonem habet de excessu Hierosolymæ complendo; & specimen gloriæ à cruce expectandæ, discipulis datum est. Quâ de re cum silentium ille mandasset, descendit de monte; & postridie turbis inspectantibus lunaticum puerum curat, eiecto dæmone, quem eiicere discipuli paulò ante non potuerant; mox verò iter inde faciens per Galilæam, iterum mortem suam, ac resurrectionem prædicit. Ingressus Capharnaum, inuento statere in ore piscis, ex eo soluendum iussit exactoribus didrachmum, pro se vnum, alterum pro Petro, ne vlli esset offensioni (id tributum Iudæis impositum ità fuit, vt singuli deberent sicli dimidium, duos nempe denarios argenteos ex nostratibus). Ortam in itinere inter discipulos contentionem domi corripuit, & quærentes, quis eorum maior esset, de amandâ humilitate constituto in medium paruulo, studiosiùs erudiuit; docuit cauenda pusillorum scandala, corripiendum peccantem fratrem, & quæ peccata in nos fuerint, prompto animo condonanda, additâ de seruo parabolâ, decem millium talentorum debitore, à quo Dominus propter inhumanitatem in conseruum, vltrò repetijt debitum semel dimissum. *Luc. 9. Marc. 9. Matth. 17. Luc. 9. Marc. 9. Matth. 18.*

Res à Christo gestæ post festum Scenopegiæ.

IV. Post hæc Tabernaculorum imminente festo, cum Iesus à cognatis admoneretur de profectione in Iudæam, dicto audiens esse noluit; attamen post eorum discessum illò iuit quasi in occulto. Cum verò per Samariam transiret, negatum à Samaritanis hospitium nequaquam vltus est, sicuti discipuli suadebant. In eo itinere elephantiacos decem mundauit, inter quos vnus tantum Samaritanus reuersus est gratias acturus medico suo, laudem ab illo eâ grati animi significatione promeritus. Cum autem Dominus Hierosolymam peruenisset, festis diebus venit in templum, vbi coram populo & Pharisæis de suâ doctrinâ disseruit. Sermonis exitus fuit, plurimorum ex ijs qui audierant, altercatio, Nicodemo partes Christi propugnante. Vespere cum in suam quisque domum reuerteretur, perrexit Iesus in montem Oliueti, & diluculò iterum venit in templum, quò adductam à Scribis & Pharisæis mulierem, quæ deprehensa in adulterio fuerat, ab eorum *Ioan. 7. Luc. 9. Ioan. 8.*

accu-

accusatione clementissimè liberauit, digito in terrâ scribens ad confusionem accusatorum. Mox resumpto sermone docere rursus cepit, ostenditque quis esset. Altercantibus verò contrà ipsum Iudæis, & postremò volentibus lapides iacere,
Ioan. 9. egressus de templo est. Occurrit deinde homini ab ipsâ natiuitate cæco, cui misso ad fontem Siloës, & oculis luto illitis, visum impertijt; hunc animosè pro Christo disputantem eiecerunt de templo Pharisæi, at inuentum Christus ipse inter suos recepit.

V. Altera secuta est cum Pharisæis disputatio, quam ex-
Ioan. 10. hibet S. Ioannes: in eâ de mercenario Dominus differens, ostendit se bonum esse Pastorem. Post hæc Hierosolymâ relictâ, Iudææ ciuitates, ac vicos peragrat, designatis etiam, præ- *Alia Christi acta ex Ioâne, Matthæo, & Luca.*
Matth. 11. missisque duobus ac septuaginta discipulis, & quidem in sin-
Luc. 10. gula loca binis, quos præceptionibus probè instruxit, & potestate prædicandi, curandique infirmos ornauit; quibusdam verò ciuitatibus peruicaciam exprobat, ac diffidentiam. Quantum temporis hæc missio tenuerit minimè constat: certè reditum eiusmodi discipulorum paulò post S. Lucas recenset. Gloriantes sibi vel in Dæmones potestatem fuisse, docet Christus submisè de se ipsis sentire, ostenditque quâ de re gaudere potissimùm debeant. Tum Patrem laudat, quòd fidei mysteria paruulis aperuerit. Mox eum adijt legisperitus quidam, animoque non satis æquo, viam petijt consequendæ salutis. At Christus hominem docuit misericordiam in proximos, allatâ parabolâ viatoris, qui in latrones inciderat, & semianimis iacens, à Sacerdote, & Leuitâ prætereuntibus derelictus, à Samaritano curatus est. Subdit præterea S. Lucas, Christum in Iudæâ iter habentem, atque hospitio exceptum Bethaniæ, otium Mariæ sanctum, ministerio Marthæ sollicito prætulisse, & mox rogatum à discipulis eos orandi docuisse formulam, qualem antea quoque docuerat, atque orationis perse-
11. uerantiam inculcasse. Denique à Pharisæo quodam vocatum ad prandium, vitia obiurgasse Pharisæorum, & reprehendisse præposteram eorum munditiem.

VI. Ex eodem S. Lucâ habemus, tum monitionem fa- *Alia Christi acta ex S. Luca.*
ctam discipulis de vitandâ Pharisæorum hypocrisi, constantiâque parandâ aduersus mortis, & egestatis metum; tum dehortationem ab auaritiâ, ac rerum temporalium curâ, addito etiam officio serui fidelis aduersus absentem dominum. Oc-
12. casione autem Samaritanorum (quos Galilæos nuncupatos è Iudæ Galilæi disciplinâ, Pilatus iussit occidi, quòd ab impo-
store

ſtore deluſi, in montem conueniſſent ad ſacrificandum, ſacroſque theſauros effodiendos) occaſione, inquam, eius cædis docuit Chriſtus, ſub ſterilis ficulneæ parabola, omnibus agendam eſſe pænitentiam, nec patientiâ Domini abutendum. Subditur obiurgatio Phariſæorum obmurmurantium, quòd Chriſtus die Sabbati, mulierem iam octo & decem annos inclinaram erexiſſet. Inde pergens Hieroſolymam, cum rogaretur, an pauci ſint ſaluandi; amplitudinem regni cæleſtis itá declaraauit, vt nihilominus dixerit, anguſtam eſſe portam, quæ aditum ad illud præbeat; excluſum iri multos, qui videbantur admittendi; multoſque in ſinu Abrahæ recubituros, qui videbantur excludendi, vbi notatur reprobatio Iudæorum, Gentiumque vocatio. Admonitus de Herodis inſidijs, prædicit ſe occiſum iri Hieroſolymæ, cuius deſolationem lamentatur. *Luc. 13.* Inuitatus ad prandium à principe Phariſæorum, hydropicum contactu ſanat, docetque inſuper conuiuas, non ambire primos accubitus, ipſique conuiuij domino inſinuat miſericordiam in pauperes, additâ magnæ cænæ parabolâ, ad quam, inuitatis varias occupationes cauſantibus, quominus venirent, ingens pauperum multitudo vocata eſt. Docuit in itinere turbas ſequentes, nuncium humanis rebus remittendum, ſi inter ſuos diſcipulos ac ſectatores vellent admitti. *Luc. 14.*

Res à Christo geſtæ poſt Encæniorum feſtum, ex Ioanne, Matthæo, Marco, & Luca.

VII. Superueniente Encæniorum feſto, quod in fine noni menſis recurrebat, cum Dominus rurſum Hieroſolymam aſcendiſſet, atque in templo ad Salomoniam porticum ambularet; à Iudæis circum adſtantibus rogatus, vt palam ediceret, num eſſet Chriſtus, ſua dixit opera id teſtimonium perhibere; ſed per hæc illos ad fidem non adduci, quòd ex ouibus ſuis non eſſent. Cum tamen progreſſu ſermonis, ſe Patri æquaret, rurſum Iudæi lapides in loquentem intentant, quorum conatum cum rationis expertem verbis oſtendiſſet, ſubtraxit ſe tandem aduerſariorum iræ, ſeceſſitque in fines Iudææ, trans Iordanem, in locum Ioannis baptiſmo inſignem; nec ibi tamen latere potuit, quin ad ipſum plurimi conuenirent, quos pro more, & docuit, & curauit. Cum ergò ad illum publicani & peccatores accederent multi, & contrà Phariſæi & Scribæ obloquerentur, tribus parabolis, de oue, drachmâ, & filio prodigo perditis, ſed poſtea inuentis, oſtendit quàm grata & iucunda ſit Deo & Cælitibus peccatorum conuerſio. Subiecit deinde parabolam de diſpenſatore iniquo, qui cum intelligeret ſe de diſpenſatione priuandum, prudenter de bonis Domini ſibi conſuluit: inſinuabat hæc parabola, bonis tempo-
Ioan. 10. *Matth. 19.* *Marc. 10.* *Luc. 15.* *Luc. 16.*

porali-

poralibus amicos parandos, per quos postea benè nobis sit; & maximè eleemosynis insistendum, auaris Pharisæis hæc irridentibus, qui cum tentandi animo rogarent, num licitum
Matth.19. esset diuortium, ostendit Dominus matrimonij vinculum esse
Marc.10. omninò indissolubile; quare cum inde discipuli colligerent coniugij difficultatem, de cælibatu disserens, illum quidem
Luc.11. nuptijs prætulit, sed quem non omnibus præeligere contingat. Adiecit his, vt Pharisæorum auaritiam, & luxum notaret,
Luc.16. parabolam de diuite epulone, qui in vitâ felix, cum nullam pauperi Lazaro misericordiam exhibuisset, post mortem infelix, nullam vicissim à Lazaro felici consecutus est. Rursum sermonem infert apud discipulos de scandalo vitando, de fratre monendo, atque in gratiam recipiendo; de fidei item
Luc.17. virtute differit, atque humilitate exhibendâ post præstita multa bona opera, atque etiam de perseuerantiâ orationis, quæ duabus parabolis ponuntur ob oculos, alterâ quidem de iniquo Iudice, & Viduâ, alterâ vero de Publicano & Pharisæo orantibus in templo, quæ à S. Lucâ referuntur. Cum inter
Luc.18. loquendum paruuli ad Christum deferrentur, increpitis discipulis qui id ipsum indignabantur, illos nihilominus iussit
Matth.19. accedere, docuitque iterum paruulorum simplicitatem, atque humilitatem imitandam Cælitum candidatis. Cæterùm cum
Marc.10. post hæc inde Dominus abijsset, in viam egressus, adolescentem diuitem, qui rationem æternæ salutis obtinendæ sollicito animo requirebat, præter obseruationem mandatorum, ad perfectionem consiliorum inuitat; sed cum duriusculum id adolescenti visum esset, de difficultate disseruit, quam diuitiæ afferunt hominibus, ad consequendum Dei regnum, & felicitate eorum, qui propter ipsum omnia relinquerent. Postea
Matth.20. parabolam proponit de patre familias varijs diei horis operarios in vineam conducente, quibus omnibus sub noctem ille reddi voluit æqualem mercedem, concludens sic fore nouissimos primos, & primos nouissimos, quando etiam interro-
Matth.19. ganti Petro de præmio discipulorum, qui cuncta reliquissent, centuplum promisit, & vitam æternam.

VIII. Hæc obiter de rebus à Christo gestis, traditâque hoc anno doctrinâ; quæ omnia nolim lector accipiat, tanquam habeatur omninò certum tempus ipsum, quo contigerunt. Item meminerit, hosce Christi publicè conuersantis annos à nobis ità distingui, vt sequamur historiæ seriem atque ordinem, quem Euangelistæ primùm, mox etiam grauiores eorum interpretes comprobarunt. Neque præterea *Monitum de rebus enarratis.*

censeri

censeri debet aliena à Marianis annalibus, hæc de Christo intermixta narratio, cum vtriusque parentis gloria sit, filius vndecumque gloriosus. Cæterùm pleraque eius itinera hoc ipso anno comitata est Virgo Mater, præsertim in Galilæâ, ad fines Tyri & Sidonis, ad Decapolim, ad Magedanam regionem, ad vrbem Philippi Cæsaream, & vicum Berhsaidam, quæ loca sita erant propè Capharnaum, vbi mansisse cum filio Deiparam diximus; & verosimile est, comitem Christi indiuiduam, vnà cum pijs fœminis, quæ Domino de suis facultatibus ministrasse leguntur, eius sectatam esse vestigia, audiuisse sermones, spectatricem ac testem fuisse miraculorum. Ad transfigurati spectaculum licet Thaborio non adfuerit, locus tamen ipse, & mysterium illam adumbrabant, *quia*, vt scripsit S. Antonius Patauinus [a], *se ipsum Deus in hoc monte, scilicet B. Virgine, transformauit*. Ad Scenopegiam, seu festum tabernaculorum, licet Christus occultus abiuerit Hierosolymam, Deipara palàm eò contendit ex more gentis, neque in eo itinere omninò diuulsa est à Filio; quamdiu enim transmisso Iordane, inibi moratus est, turbis vndecunque sequentibus, tamdiu cum illo fuit Mater, ne minus videretur in filium religiosa, quàm turbæ. Martha verò & Maria occasione festi, Christum præuenientes, in Bethaniam sunt profectæ, illuc Christus, & discipuli, & Maria, & nobiles aliæ fœminæ diuertunt; ab ijs sororibus, & parantur, & ministrantur, quæ Hierosolymæ necessaria erant. Eo Autumno insequitur Maria Iesum, auditque docentem per diuersa Iudææ loca, & videt miracula subinde patrantem; ad Encænia verò Hierosolymæ de more celebranda mense Nouembri, vel Decembri Filium sectatur pariter Mater, vt præsens recolat expiati à Iudâ Machabæo [b] templi monumentum. Censent aliqui nec immeritò, auditam fuisse à Virgine lamentationem Christi suprà Hierosolymam [c].

De Christi itineribus, quæ comitata creditur Virgo.

IX. Cum hoc anno duos ac septuaginta discipulos Christus designarit, eoque vt diximus, binos præmiserit, in varia Iudææ loca, quò erat ipse venturus; cumque aliquorum Doctorum [d] opinio sit, inter eos discipulos fuisse D. Lucam, *cui laus est in Euangelio*, inquit [e] Paulus, & pictor extitit suo æuo nobilis; quæri de eo potest, num hoc ipso anno, qui vitæ Christi in terris vltimus fuit, eius sacram effigiem ex prototypo delinearit, ad consolationem Fidelium; equidem censeo, incertum esse, an S. Lucas hoc anno id opus ediderit, sicuti incertum pariter est, an duorum & septuaginta discipulorum in

De Christi imagine à S. Luca depicta.

cætum

a S. Ant. Pata. in Euang. Dñ. 2. Quadrages.

b 1. Machab. c. 4.

c Luc. 13. ver. 34.

d Origen. Epiphan. Gregor. Sim. Metaphrast.

e S. Paulus 2. Cor. c. 8. ver. 18.

cætum sit cooptatus. Quòd si hoc ipsum cum Origene, Epiphanio, & Gregorio affirmemus; non erit, vt arbitror, improbabile, Sanctam nostri Saluatoris effigiem, hoc anno fuisse ab illo primùm delineatam, vt scribit in suo Chronico Benedictus Gononus [a], sic enim excepta fuisse dicetur ex ipsâ facie Christi viuentis, paucis mensibus ante quàm neci traderetur; & post ipsius Lucæ reditum ex Iudææ ciuitatibus, quò missus à Domino cum reliquis discipulis fuerat. Circumferebatur id temporis, alia eiusdem Saluatoris imago, quam non manu delineatam humani pictoris, sed admoto tantùm ad vultum linteo diuinitus expressam, Christus ipse ad Abagarum Edessæ Regem misisse fertur; & diu in eâ ciuitate seruatam, Constantinopolis primùm, deinde Roma, vt à plerisque creditur, inter sacra monumenta recepit. Accidit Constantinopoli, teste [c] Baronio, insigne miraculum: cum enim Constantinus Porphyrogenitus in Oriente Imperator, suasu Sancti Anachoretæ Pauli, eidem iconi velum lineum æqualis cum tabulâ magnitudinis applicuisset, impressa illicò, & congeminata ibidem est sacrosancti vultus effigies; vnde fortasse factum est, vt Genua non minus quàm Roma, nostro hoc æuo possidere se, atque ostendere Fidelibus eandem imaginem Saluatoris Edessenam glorietur, cum videatur verosimilius, prototypum ab alterâ, ab alterâ congeminatam, vt diximus, imaginem possideri. Cæterùm effigiem quoque Deiparæ à S. Lucâ fuisse coloribus expressam, & quidem non vnâ tantùm vice, sed pluribus, constat tum ex testimonijs antiquorum, tum etiam, ex pluribus eiusmodi imaginibus, quæ ad nostram ætatem integræ peruenerunt, atque orbe Christiano ferè toto disseminatæ leguntur. Decebat enim esse illam vbique picturâ, si non poterat corpore, vt Christiani præsertim absentes, depicto saltem eius aspectu fruerentur, & sacræ faciei lineamenta in simulacris euulgatis agnoscerent. An verò S. Lucas hoc anno aggressus sit ea primùm exprimere, an potius post Christi mortem, incertum est, Sed de hisce imaginibus plura suis locis.

[a] Gonō. An. Christi 33.

[b] Niceph. lib. 2, cap. 7.

[c] Baronius an 944.

An hoc anno

Imago Christi Edessena.

Eius congeminatio.

Effigies Deiparæ per S. Lucam coloribus reddita.

X. Interim quod superest, ex Romanâ historiâ Tiberius occurrit, solo nomine Imperator, exul ab aulâ voluntarius, qui nimirum cum insulâ Capreis sedem Palatinam permutarat. Is, Christo generis humani vindice peragrante Palæstinam, & de mortalibus benemerente, in angulo Tyrrheni maris, sibi turpissimè morem gerens, horrendam in subditos, in amicos, & cognatos crudelitatem exercet: varios Christus lan-

Tiberius Capreis latens ad scelera.

Opponitur Christo Palæstinam ad salutem mortalium peragranti.

guores ex infirmis corporibus eijcit; integra Tiberius mutilat, excruciat, necat. Alter mortuos ad vitam reuocat: alter innumeros addicit morti, siue inediâ, ac solitudine in carcere maceratos, siue post longa & exquisita tormenta in mare demersos, siue vnco ad Gemonias miserandum in modum raptatos. Tradita hoc anno à Christo veræ sapientiæ, ac religionis magistro doctrina, primùm à discipulis excipitur, mox per eosdem totâ ferè Palæstinâ disseminatur, vt segete vitiorum abolitâ, florere tandem incipiant Christianæ germina sanctitatis: at eodem prorsus tempore violatis à Tiberio naturæ legibus, opprimuntur intolerabili iugo populi, atque omni genere crudelitatis sæuitum est. *Nullus*, inquit Suetonius [a], *à pœna hominum cessauit dies, ne religiosus quidem & sacer: accusati damnatique multi cum liberis, atque vxoribus suis. Interdictum ne capite damnatos propinqui lugerent. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum, simpliciumque verborum. Citati ad causam dicendam, partim se domi vulnerauerunt, certi damnationis, partim in media curia venenum hauserunt; & tamen colligatis vulneribus, ac semianimes, palpitantesque in carcerem rapti. Mori denique volentibus vis adhibita viuendi.* Hæc ex historici testimonio, Tiberius contrà ius, fasque in omnem crudelitatem effusus opponebat, Christo de omnibus benè merenti, atque inducenti in mundum Euangelicæ doctrinæ sanctitatem. Virgo mater magno cum gaudio Filium sequebatur, eiusque beneficentiam, patrata miracula, exempla sanctissima, oracula omnia suspiciebat; dum è contrario Roma querebatur, sordescere Cæsarem in suo illo secessu, volutari propemodum in luto, & per scelera cædesque ad exitium tendere generis humani. Studiosus historiarum lector, perpendat obsecro, cum ista in mentem venerint, quantum intercesserit vtrique parti discrimen, dum Christus palàm Matre spectante pro mortalibus ageret, atque in occulto Tiberius, Româ gemente, nil nisi perniciem, cladesque cogitaret; nobis hîc diutius immorari non licet.

a Sueton. in Tib. c. 61.

Annus Christi 34. B. M. Virginis 48. Tiberij Imp. 19.

Vltimus in carne mortali annus.

I. AD annum peruenimus Christi in carne mortali postremum, quo eius in cruce mortem humano generi salutarem contigisse, nondum tribus ab initio mensibus

exactis,

exactis, communis & constans est sacrorum Scriptorum opinio. Ferebatur hic vltrà quatermillesimum ab orbe condito, ætatis Christi quartus ac trigesimus tantùm inchoatus, & cùm octauo suprà quadragesimum Virginis Matris, Tiberijque Cæsaris decimonono concurrebat. Erat ab Vrbis Romæ natali septingentesimus octogesimus quartus, atque Olympiadis ducentesimæ tertiæ ferè ineuntis, sicut ex calculo quem suprà duximus in apparatu, certâ supputatione colligitur. Eo igitur anno inter reliquos celeberrimo, nobis occurrunt Christi cruciatus, & mors, dolor matris filio cruci affixo adstantis, ad peracerbum spectaculum eiusdem constantia; gaudia ad Filij rediuiui gloriosam anastasim; ad triumphum ascendentis in cælum; ad illapsum sibi cælitus, vnàque Apostolis Sancti Spiritus ignem; atque ad primordia nascentis Ecclesiæ.

Illustratur alijs temporum notis.

Summa rerũ huius anni.

II. Iam vt instituto prosequamur cursu; cum Pascha hoc anno celebrandum immineret, Christus trans Iordanem, ad cuius fines paulò ante secesserat, adhuc morabatur, ibique accepto de Lazari infirmitate nuncio, quem Maria & Martha sorores infirmi miserant, non prius in Iudæam profectus est, quàm eius mortem fama vulgasset. Tunc verò Bethaniam migrans, ante dies quatuor extinctum, terræque mandatum, è sepulcro reuocauit ad vitam, pluribus Iudæorum eo spectaculo ad fidem adductis, vt fusè narrat S. Ioannes. Hoc itinere Virginem Deiparam Filij vestigia sectatam esse, atque vnà cum illo venisse in Iudæam, aliqui sibi facilè persuadent ex eo, quòd recurrente Azymorum & Paschæ festo, soliti essent Filius & Mater Hierosolymam proficisci, vt suprà docuimus. Tam insigne miraculum Lazari rediuiui, sicuti multis occasio fuit amplectendæ veræ fidei, itâ Pontifices & Pharisæos vehementer commouit, vnde Sinedriorum collecto concilio, de Caiphæ sententiâ qui tunc Pontifex erat summus, decretum de occidendo Christo prodiuit, simulque edictum est, vt quæreretur ad necem. Itaque Iesus ipse ad modicum secessit in ciuitatem, quam Ephrem vocabant, ibique cum discipulis suis aliquandiu est commoratus. Cum verò tempus appeteret, quòd æternus Pater cruento Filij sacrificio præfinierat, iter suscipit Hierosolymam versus, & discipulis sequentibus secretò enunciat, quæ sibi mala imminebant, nec illi tamen intellexerunt. Tum Ioannis & Iacobi filiorum Zebedæi accessit mater, & postulans illis primas in regno Christi sedes, audit magistri responsionem, docentis discipulos humilita-

Res à Christo gestæ post excitatum à morte Lazarum, ex quatuor Euangelistis.

Ioan. 11.

Itinere in Iudæam suscepto, comes Christi Virgo Mater.

Matth. 20. Luc. 18. Marc. 10.

tem sectari, exemplo suo, cum ille prius tum ambitionem ineptam repudiasset, tum reliquos petitioni duorum indignantes commonuisset. In ipso itinere, antequam oppidum Hierichuntem ingrederetur, cæco visum restituit, qui vel prohibente turbâ, Domini clementiam implorabat. eò autem ingressus, Zachæum principem publicanorum ex arbore sycomoro, in quam cupidus videndi Iesum ascenderat, vocat ad se, & mox domi exceptus, ad bonam frugem conuertit. In progressu itineris, cum Hierosolymæ appropinquaret, Apostolis existimantibus, ostensum iri quàm primùm Dei regnum, quod ipsi fore temporaneum suspicabantur, parabolam exhibet de homine nobili, qui in longinquam regionem abierit, ad accipiendum sibi regnum, & interim dederit seruis suis mnas ad negotiandum; de quibus post reditum ratione cum illis initâ, collaudauit seruos frugi, reprobauit inutilem, hostesque interfecit, in regno nimirùm suo, quod iam immineret, similia euentura significans. Eodem tempore Hierichunte digressis, duo cæci occurrerunt, qui sicut & prior ille voti compotes facti sunt. *Luc. 19.*

Acta Christi proximè ante quintum Pascha ex quatuor Euangelistis.

III. Denique Bethaniam peruentum est, senis ante Pascha diebus, & ibi Christus perhonorificâ excipitur cœnâ, in domo Simonis, cui cognomen Leproso fuit, fortasse ex morbo olim vel ipsius, vel progenitorum. Excitatus à morte Lazarus aderat inter conuiuas: ministrabat Martha; & Maria Christi pedes, & caput vnguine pretioso perfudit, contrà Iudam, aliosque iacturam ægrè ferentes ab eodem Christo defensa. Confluxerunt eò præterea multi, vt Iesum viderent, & Lazarum rediuiuum, quem ideò Principes Sacerdotum occidere cogitarunt, quòd crescentem inde Christi gloriam ferre non possent. *Matth. 26. Marc. 14. Ioan. 12.*

Ingressus in Hierosolymam.

Postridie, Dominicâ nempe die, eâdemque vt creditur, Martij mensis vigesimâ, insidens asinæ Iesus, ab Apostolis iussu ipsius adductæ, per viam ramis instratam, cum acclamatione populi gratulabundâ, gloriosè ingreditur Hierosolymam, sed ante ingressum, excidium futurum ciuitatis deplorat. Commota est ad eius aduentum popularis extrà pomœrium turba, Iesu Prophetæ Nazareno gratulata, Pharisæis interim suo more frementibus. *Luc. 19. Marc. 11. Matth. 21.*

Et in templum.

Exinde cum Christus introiuisset in templum, claudos ibi, cæcosque sanauit, Scribas reprehendit indignantes puerorum cantum; Ethnicisque, quibusdam ipsum videndi desiderio flagrantibus, mortem suam imminentem, & fructum ex eâ oriturum prædixit, quando & vox audita de cælo ad confirmandum oraculum. *Ioan. 12.*

Post

Matth. 21. Marc. 11. Post salutares deinde admonitiones, cum nemo auderet hospitio Iesum excipere, rediit ad vesperam cum suis Bethaniam. De Virgine Deiparâ hic animaduertere obiter possumus, quod etiam aliis probabile visum est; hoc itinere Bethaniâ Hierosolymam, & rursus Hierosolymâ Bethaniam, iuisse pariter ac rediisse, cum piis mulieribus, ipsam Dei Genitricem sanctissimam; spectasse triumphalem filii ingressum in Sanctam ciuitatem; lacrymas ad eius conspectum effusas; claudos, caecosque persanatos, aliaque miracula; sub vesperam denique se iterum cum Filio recepisse Bethaniam, vbi apud Martham, Mariam, & Lazarum patebat hospitium.

Reditus Bethaniam comite Deipara.

IV. Posterâ luce, quæ feria erat secunda, & quarta dies ante Pascha, Martii vigesima prima, ex supputatione cui modò stetimus, reuertens Bethaniâ Hierosolymam Christus, orbam fructibus ficulneam arefecit; ingressusque in templum, mercatores iterum expulit, Sacerdotum principibus & Scribis grauiter commotis. Rursus ad vesperam egressus est ex ciuitate, fortasse Bethaniam versus, aut ad Oliuarum collem. Cumque manè, feriâ nimirum tertiâ reuerteretur, mirantibus arefactam ficum discipulis, fidei vim & sanctarum precum exposuit. Mox verò cum docendi gratiâ rediisset in templum, à Scribis & senioribus interrogatus, quâ potestate mercatores eiiceret, & sibi à turbis permitteret acclamari; alterâ eos interrogatione perstrinxit: essetne è cælo Ioannis baptismus, an ex hominibus? at aduersariis ignorantiam fatentibus, negat se responsurum quæstioni. Ad eos quoque redarguendos vsus est parabolâ hominis duos habentis filios, quorum alter verbo tantùm inobediens fuit, alter facto; vnde inferebatur, Scribas coram Deo à peccatoribus superatum iri. Et rursus alteram parabolam protulit patrisfamilias, qui vineam suam locauit agricolis homicidis: at verò cum Pharisæi se perstringi sentirent, iniecissent in illum manus, nisi populum timuissent. Tertiam præterea adiecit de Rege faciente in filii gratiam nuptiale conuiuium, ad quod noluerunt inuitati venire, imò seruos regios, per quos vocabantur contumeliis & morte affecerunt, nec impunè; eos enim immissâ militum manu Rex perdidit; alii verò recepti sunt, qui prius inuitati non fuerant; sed vnus cænatoriâ seu nuptiali veste carens, supplicium non euasit. Hisce parabolis reprobatio Iudæorum, & vocatio Gentium obscurè significata est. At illi ab eâ doctrinâ non modò non profecerunt; at etiam studio perdendi Doctorem suum, rogant eius sententiam de tributo Cæsari persoluen-

Res à Christo gesta quarta ac tertia die ante Pascha.

Marc. 11. Matth. 21. Luc. 19. & 20.

Matth. 22.

soluendo: verum quæstione sapienter solutâ, interrogant pariter Sadducæi super muliere septem virorum vxore, cuiusnam ex illis in resurrectione vxor esset futura? sed quæstio prudenter discussa, & resurrectionis, quam Sadducæi negabant, fides probata. Successerunt & Sadducæorum æmuli Pharisæi, de primo legis mandato rogantes, quibus fatentibus, benè Magistrum dixisse, ipse vicissim quæstionem proposuit; cuius filius esset Christus? at nescientes corporati Verbi mysterium Pharisæi, cum satisfacere quæstioni non possent, non ausi sunt deinceps interrogare. Illis ergò cessantibus, & confusis, monuit turbas, suosque discipulos Christus, cauendum esse à prauis Scribarum, & Pharisæorum moribus, seruandam tamen eorum doctrinam. In eosdem verò inuehitur adeò seuerè, vt extrema iterum, iterumque comminetur, additâ nihilominus paternâ commiseratione in Hierosolymitas, quibus cæsorum Prophetarum vltio impendebat. Tum ad Gazophylacium oblatione pauperculæ viduæ suprà cæteras laudatâ, egressus de templo est. At demonstrantibus discipulis structuræ magnificentiam, sacræ illius molis, atque vniuersæ ciuitatis prædixit excidium. Paulò post sedens in monte Olivueto (cum ab ijsdem rogaretur; quandònam ea calamitas esset futura, & quo signo foret ipsius Christi iudicis aduentus prænotandus) subnexuit res iustorum aduersas vsque ad mundi finem, & plura nominatim de Antichristo, de signis imminentis iudicij, deque altero suo aduentu, docens ignotum esse eius diem. Subdit quâ ratione se ad illum possint comparare mortales, allatâ de virginibus decem parabolâ, quarum quinque prudentes in nuptialem domum à sponso, sponsâue receptæ sunt, cæteræ ob oscitantiam exclusæ; & alterâ de distributis talentis in seruos, ex quibus bini lucrum fecerunt, vnus inutilis fuit; ac proinde honore illi sunt affecti, hic pænâ. Mox verò relictâ parabolâ, quam seuerum futurum sit iudicium, & quæ de probis, improbisque ferenda sententia, apertissimo sermone pronunciat. Et hæc feriâ tertiâ contigerunt, quæ incidit in secundam & vigesimam Martij diem. Eo tempore Virgo mater Bethaniæ morabatur, apud Mariam, & Martham, parata nimirum itineri Hierosolymam versus, quæ non admodum inde distabat, tum ad proximum Pascha de more celebrandum; tum etiam vt sanctissimo Filio, cui semper fuisse comitem diximus, cum pijs mulieribus ministraret.

Marc. 12. Matth. 22. Luc. 20.

Matth. 23.

Marc. 13. Matth. 24.

Luc. 21.

Matth. 25.

Vbi hoc tempore Virgo Mater.



V. Feriâ autem quartâ denunciauit Dominus fore Pascha post

cha post

Luc. 22. Matth. 26. Marc. 14.

Acta Christi biduo ante Pascha ex Luca, Matthæo, & Marco.

cha post biduum, computatâ nimirum die præsenti vigesimâ tertiâ Martij, & proximè consecuturâ vigesimâ quartâ, dixitque se traditum iri Iudæis, atque affigendum cruci. Tunc enim in atrio Caiphæ Principis Sacerdotum, Seniores conuenerunt, ad deliberandum de eius comprehensione, ac cæde; quando Iudas vnguenti iacturâ in conuiuio iamdudum offensus, suam illis ad tantum facinus operam obtulit, mercede pactus argenteorum triginta Magistri caput. Subsequente verò proximè feriâ quintâ, appellatâ à S. Lucâ Azymorum die, quia inde eorum esui dabatur initium, & Luna erat mensis decimaquarta, quâ iubebantur Iudæi Typicum Agnum comedere ad vesperam, Christum Bethaniæ manentem, vbi noctem transegerat, aut certè euntem cum suis Hierosolymam versus, interrogarunt discipuli; vbi nam parari Agnus deberet ex legis præscripto comedendus? at ille præmisit Petrum & Ioannem in ciuitatem, domumque ad eiusmodi apparatum opportunam designauit, in quam ipsi, ad vrbis ingressum, hominem cum aquæ lagenâ introëuntem vidissent: hîc nimirum edixit parandum Pascha, patresfamilias facillimè consensuro.

Cuiusnam foret domus à Christo designata ad Pascha celebrandum.

VI. Verùm antequàm vltrà pergo, quærendum hîc est, cuiusnam foret hæc domus? quando eius dominum Euangelistæ non exprimunt. Neque importunam lector quæstionem duxerit, quoniam ex eâ pendet, habitatæ deinceps à Virgine Deiparâ domus, perquam exacta notitia. Patrum nonnulli dominum agnoscunt Ioannem Apostolum Zebedæi filium, qui ex venditione paternorum bonorum coëmptam domum vltrò Christi, Deiparæ, & Apostolorum addixerit vsibus; cum præsertim constet è sacris litteris, Filio Dei à mortalibus in cælum digresso, Virginem Matrem se apud Ioannem recepisse. Ità apud Nicephorum [a] Euodius, quem secuti sunt Ioannes [b] Damascenus, Simeon [c] Metaphrastes, & Georgius [d] Cedrenus. At opponitur illis peruetusta traditio, ex quâ scimus eam domum, non Ioannis Euangelistæ, sed alterius fuisse Ioannis, cognomento Marci, Mariæ filij, opulentæ, ac nobilis fœminæ, materteræ S. Barnabæ. Is ergò Ioannes, cuius meminit S. Lucas [e] in Apostolorum Actis, & Paulus [f] in Epistolis non semel, consobrinus Barnabæ fuit, vtriusque Apostoli in laboribus atque itineribus comes, vsquequò ambo Antiochiâ Sancti Spiritus iussu sese receperunt in insulam Cyprum, atque inde in Pamphiliam: vbi vel periculis territus, vel itinerum iam pertæsus, vel etiam fortasse

huma-

a Niceph. l. 2. hist. Eccles. cap. 3. b Damasc. orat. in Assumpt. B. V. c Metaphr. orat. de Dormit. Deip. d Cedrenus in comp. e S. Lucas Act. 15. ver. 37. 38. f S. Paulus ad Coloss. c. 4. v. 10. ad Timo. c. 4. ver. 11. ad Phile. v. 24

humano affectu ergà parentem viduam, Hierosolymæ relictam, à duorum Apostolorum societate subduxit sese. Sed tandem consideratis rebus à Paulo & Barnabâ præclarè gestis, iterum se illis adiunxit, & Bibli in Phæniciâ Episcopus persanctè obijt [a]. In huius domo, quæ Apostolis in diuersorium, & Deiparæ in habitaculum cessit celebratum fuisse à Christo cum discipulis suis postremum Pascha, scriptum reliquit Alexander [b] Monachus, qui sub annum nostræ salutis octingentesimum floruit, probaturque sententia Baronio, Iansenio, & alijs quos recenset, & sequitur Cornelius à Lapide [c]. Qui verò ad Euangelistam Ioannem rem trahunt; eos innixa auctoritate ratio quoque conuincit: Etenim cuiuscumque fuerit domus, duplex esse non potuit, sed vnica tantum in Sionis monte sita. Constat id ex Doctorum sensu ferè communi, qui inibi fuisse cœnaculum aiunt, vltimâ Christi cum discipulis cœnâ memorandum, vbi à Domino eorum pedes abluti, vbi in vnum congregatis idem rediuiuus apparuit, vbi post Magistri ascensum in cælum, cum Virgine matre manserunt, & Spiritu Sancto repleti sunt, vbi denique Maria cum Ioanne vitam duxit, & plena dierum occubuit. Hîc ad quæstionem claudendam Christophorus [d] Castrius ità ratiocinatus: vel, inquit, Ioannes Euangelista, domum illam habuit, emitque ante vltimam Christi cœnam, vel certè post aduentum Spiritus Sancti. Primum dici omninò non potest: neque enim tunc missus cum Petro ad parandum Pascha, inscius fuisset designatæ à Christo domus, aut necesse habuisset ab eodem edoceri, exhibito signo hominis lagenam ferentis, si domum suam vtpotè notissimam petere iubebatur. Præterea habebat illa patremfamilias, quem Euangelista [e] vocat *Dominum domus* vnum reuerà ex discipulis, cum ei renunciandum fuerit Christi mandatum per hæc verba: *Magister dicit*. Quamobrem ante vltimam cœnam, domus esse non potuit Euangelistæ Ioannis: Neque post illapsum Apostolis diuinum Spiritum in eius potestatem cessit, tum quia pauper erat, minusque aptus comparandæ, instruendæ, habendæque percommodæ domui: tum quòd ex Apostolorum Actis à S. Lucâ [g] conscriptis satis apertè colligitur, domum illam, in quâ tot exhibita mysteria sunt, pertinuisse ad Mariam, matrem alterius Ioannis cognomento Marci, cum hæc pia mulier libenter obtulerit in Deiparæ & Apostolorum hospitium. Id quâ occasione & quando sit factum infrà dicemus.

VII. Eâdem feriâ quintâ, dieque ex calculo suprà inito vigesi-

a *Martyr. Rom. 27. Septemb.*

b *Alexan. Monach. orat. de S. Barnabæ apud Metaphr.*

c *Cornel. in cap. 26. S. Matth.*

d *Castrius Hist. Deip. cap. 26.*

e *S. Marc. c. 14. v. 14.*

f *Luc. & Marc.*

g *S. Luc. Act. 12.*

Lur. 22. Matth. 26. Marc. 14.

vigesimâ quartâ Martij; sub vesperam, cum in eâ domo quæcumque necessaria erant ad esum Agni parata forent, adueniens illuc ex itinere cum Apostolis Christus, excipitur perhumaniter, & Agnum sacrificio mactatum, assatumque cum ijsdem Apostolis comedit, ritu & cæremonijs exactè seruatis, quæ in Exodo [a] præscribuntur. Sic legi satisfactum cum esset, volens Christus agno typico figurisque substituere veritatem, & magnum Eucharistiæ Sacramentum in æternum sui amoris pignus instituere, relictâ cænâ, vestimentisque depositis, semet ad abluendos discipulorum pedes abiecit. Restitit aliquandiu præ modestiâ Petrus; & Iudas, tam exaggeratæ demissionis exemplo, ad eiurandum sacrilegæ proditionis scelus, quod animo voluebat, nihil est omnino commotus. Interim Christus insinuato discipulis humilitatis, & charitatis fraternæ studio, itemque animi indicatâ munditie, quâ sumi decet Eucharisticam cænam, sub specie panis ac vini, saluberrimum sui corporis, & sanguinis epulum conficit, distribuitque omnibus præcipiens, vt idem deinceps facerent in sui memoriam; quo illos præcepto Sacerdotes, & idoneos tanti Sacramenti conficiendi, distribuendique ministros constituit. Mysterij celebritatem consecuta est cæna communis, in quâ prædixit Dominus, se tradendum Iudæis ab vno eorum, qui tunc secum essent in mensâ. At omnibus nuncio perculsis, singulisque de se sollicitis, & Præceptorem interrogantibus, ille dilecto Ioanni, per intinctum embammati panem, & Iudæ porrectum; quis auctor sceleris foret, indicauit; & mox hominem à cænâ dimisit, non quidem apud sodales traductum, sed ipsâ sceleris conscientiâ increpitum, vt consilium saluâ nominis existimatione mutaret. Hinc intelligere ex ipso rerum ordine possumus, & Iudam fuisse cum cæteris Eucharistico pane refectum, & præbitam illi in signum proditoris buccellam, minimè ad Eucharistiam spectasse; quamuis introeuntem in se Satanam post eiusmodi buccellæ esum suscepisse dicatur, plenius nimirum ab eo possessus, atque ad executionem actus concepti criminis, vt D. Augustinus [b] interpretatur. Proditore digresso, cum Christus illustratum se diceret, ac denuò illustrandum, exortam iterum inter discipulos de primatu contentionem, cohibuit amantissimâ ad humilitatem parænesi, cuius ipse virtutis iam exemplum dedisset; additâ etiam communis honoris promissione, hominum nempe iudices constituendos in diem supremi iudicij. Denique habito ad eos longiori sermone, vt mæstos consolare-

[a] Exod. 12.

Ioan. 13.

[b] S. Aug. tract. 62. in Ioan.

Luc. 13.

Luc. 22.

Esus Agni Paschalis.

Abluti discipulorum à Christo pedes.

Eucharistiæ Sacramenti institutio.

Cæna communis.

tur, atque aduersus imminentem procellam confirmaret, plurima salutis monita dedit, tunc singulis maximè necessaria; de suo enim discessu locutus, cuius ipsi comites esse non possent, simulque mutuam iterum dilectionem nouo mandato præcipiens, cum animosior Petrus se carceri ac morti paratum offerret, futuram illi noxam trinæ negationis prædixit, quæ cum ipsum Petrum, cæterosque omnes vehementius perturbaret, solari & confirmare contrà crucis scandalum voluit. Sermonem S. Ioannes aliquot capitibus explicat, & fusè in eum Sacri Doctores. Oratione ad Patrem sermo Domini clauditur, quâ oratione discipuli, & quicumque per eos credituri in Iesum erant, diuinæ Maiestati commendantur. Dicto mox in gratiarum actionem hymno, ex eâ domo discessum est. Potest hinc satis probabiliter conijci, omnia quæ in sacro illo cænaculo gesta sunt, vsque ad secundam aut tertiam circiter horam noctis perdurasse: nam si ad solis occasum typicum agnum comederunt, sicuti mos erat lege [a] iubente, & Sacrosanctum Eucharistiæ mysterium Paulo [b] teste nonnisi nocte institutum fuit; proculdubio tam multa, quæ ibi interuenerunt, esus agni, pedum ablutio, institutio Sacramenti, cæna vulgaris, & sermo longior à Ioanne descriptus; aliquot horarum spatium tenuerunt.

Sermo Christi ad discipulos ex S. Ioanne.

Temporis spatium, quo hæc sunt gesta.

a Exod. c. 12.
b S. Paul. ad Cor. c. 11

VIII. Bethaniâ venisse Hierosolymam etiam Deiparam cum pijs mulieribus Christo ministrantibus; constat ex consuetudine illuc eundi quotannis repetitâ, ad celebrandum Pascha; quare nulla ratio cogit existimare non exceptam hospitio in eâ ipsâ domo, in quâ Filius cum discipulis diuersabatur; imò placet tanquam verosimilis assertio Simeonis Metaphrastæ [c] dicentis, in diuerso eiusdem domus cubiculo Dei genitricem cum mulieribus seorsim à viris cænasse. *Discipulos quidem*, ait ille de Christo, *cum mysteria, & humilitatis summæ traderet doctrinam, vnà habuit accubantes; Matrem autem iussit curam gerere mulierum, quæ ministrabant, tanquam per eam ipsas benignè accipiens, & simul cum eis vescens.* Ità Metaphrastes. Quod verò Barradius [d] addit de missâ Eucharistia per S. Petrum ad Virginem Deiparam & mulieres, sic seorsim comedentes, gratis assumitur, & voluntaria videtur esse diuinatio, vt optimè Theophilus [e] Raynaudus. Nec rursus probari potest, quod censet [f] Card. Vigerius, de eâdem Virgine discumbente ad vltimam Christi cænam, atque vnà cum Apostolis conueniente ad sacram Synaxim; altum enim omnium retrò Doctorum silentium eâ de re; & cæna vltima ab Euan-

Aduentus Deiparæ Hierosolymam.

Duo quæ dicuntur ab aliquibus de Virgine, sunt omninò falsa

c Metaphr. orat. de vit. Deip. in Sur. 15. Augusti.
d Baradius t. 4. l. 1. c. 17
e Theophil. Rayn. in Diptychis p. 1. pun. 9.
f Vigerius Chords 7. cap. 19.

.. 14. .. 48. Euangelistis descripta solos admisisse videtur Apostolos, qui post epulum Eucharisticum, Sacerdotio sunt initiati, & iussi facere, quod Christum viderant facientem; idque extrà omnem dubitationem in Virginem Deiparam non cadit.

IX. Interim egressus de cænaculo, deque eâdomo cum discipulis Christus, exactâ iampridem alterâ noctis horâ, secessit in montem oliuarum, hortumque Gethsemanes, quò se recipere noctu consueuerat: hic de suis octo in prædio manere iussis, Petrum, Iacobum, & Ioannem secum duxit in montem, quos ad orandum hortatus, magnamque verbo tristitiam professus, ipse ad fundendas seorsim preces progreditur. Hic summâ cum humilitate, atque angore animi corporisque versatus, non solùm positis humi genibus orauit, vt Lucas ait, sed procidit etiam in faciem super terram, vt habent Matthæus, & Marcus. Semel, iterum, ac tertiò Patrem rogauit, vt à se imminentium cruciatuum amarissimus calix amoueretur, paratum nihilominus, promptumque exhibens animum ad obtemperandum eius voluntati. Mox in vltimum certamen spiritus deficientis adductus, cum oraret prolixius, sudore sanguineô madere cepit, cuius in terram guttæ defluebant, quando Angelus de cælo affuit mærentem Dominum consolatus. Inter hæc cum ille ter ad dormientes discipulos rediisset nocte concubiâ, accessere ad innocentem comprehendendum, à Principibus Sacerdotum & Pharisæis, ministri cum cohorte militari, cuius ductor Iudas osculo Iesum prodidit armatæ turbæ, hic verò obuiam generosè progressus, satellites primùm verbo prosternit, deinde erigit etiam verbo, factâ sui capiendi potestate, & suis abire permissis. Petrus resistere frustrà conatus, auriculam absciderat seruo, quam cum Dominus peramanter integram restituisset, tandem magno tumultu capitur ferè sub mediam noctem, iniiciuntur insonti crudelissimè vincula, trans torrentem Cedron raptatur, & Hierosolymam à furente turbâ reducitur. Ad Caipham Pontificem milites raptim, ingentique clamore ferebantur; sed placuit primùm, suadente commoditate viæ, aut certè dignitate personæ, coniectum in vincula Dominum, raptatumque Annæ sistere, qui Caiphæ summi Sacerdotis socer erat, idemque Pontificius, atque è Synedriorum conuentu. Domus Annæ in ipsâ viâ occurrebat, quâ transeundum erat ad Caipham, & quia vir magnæ apud Iudæos existimationis, Christi comprehensionem vehementer expetiuerat, ideò ostendere illi captiuum in transitu voluerunt, vt hoc solatium

Left margin: ..n. 18. / ..c. 22. / ..tth. 26. / ..rc. 14.

Right margin: Christi egressus in hortũ, & quæ in eo gesta ex quatuor Euangelistis. — Christi comprehensio. — Sistitur Annæ mox ducendus ad Caipham.

primus acciperet. S. Cyrilli [a] sententia est, atque inter Neotericos Francisci Lucæ [b], apud Annam Iudæ persolutam fuisse sacrilegæ proditionis mercedem. Ab Annâ itum est ad Pontificem ipsum, in cuius domo Christus palam de suâ doctrinâ ac discipulis interrogatur; cum verò permodestè respondisset, ab impio ministro alapâ percutitur coram Pontifice; deinde concilio ibidem coacto, ad quod Scribæ & Seniores, ex acerrimo in Christum odio, vel nocturni conuenerant, falsò multorum testimonio perperam accusatur. Præterea ab ipsomet Pótifice Caiphâ interrogatus, cum se Dei Filium confessus esset, tanquam blasphemus, & reus mortis, communi omnium consensu iudicatur, non sine plurimis, & grauissimis iniurijs vndecunque in ipsum illatis. Denique in custodiam traditus, ab efferatâ satellitum custodientium turbâ, quod supererat noctis, creditur fuisse multipliciter diuexatus, præter id quod à Petro pertulerat, cum is Apostolorum princeps designatus, reliquis discipulis in fugam conuersis, comprehensum ab hostibus Dominum, eminus comite Ioanne secutus, in domo Pontificis, vbi temerè se militibus immiscuerat, ad ancillulæ seruorumque obiurgatorias voces, ter magistrum, ante alterum galli cantum, vt ille prædixerat, pernegasset.

Vbi Iudæ proditori persoluta merces.

a S. Cyrill. lib.
b Francis. cus Lucas.
Ioan. 18.
Matth. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.

Petri negationes.

X. De Matre Sanctissimâ tempore comprehensi à Iudæis Christi, incompertum est quid ageret; cum ab Euangelistis nihil prodatur. Attamen ex ijs quæ diximus, probabile ducitur, ipsam id temporis Hierosolymæ commoratam, occasione festi, quod tunc à Iudæis celebrabatur; absolutâ apud Mariam Ioannis Marci matrem cænâ, vnâ cum pijs mulieribus comitibus suis, continuisse se domi; tum quia tempus nocturnum non permittebat fæminas per vrbem vagari; tum etiam quia conscia imminentis Filio suo crudelissimæ mortis, diuinæ voluntati omninò conformis, exitum tantæ rei præstolabatur, interim mentem exercens inexplicabilis contemplatione mysterij. Et sanè quis credat, à Christo vltimum cum discipulis Pascha celebraturo, non fuisse præmonitam charissimam Genitricem, tot cæteroqui arcanorum, anteactâ vitâ participem? quod ille noluerat discipulis esse omninò ignotum, ideòque non semel prædixerat, vel non plenè ab ijsdem intellectum, num de eo cælatam Virginem Matrem voluisse dicetur? Itaque ab eius conspectu vltimùm recessurus, siue Bethaniæ, siue alibi foret, innuit amantissimus Filius; se post non multum temporis spatium, inter hostium manus excruciatum,

Quid, aut vbinam ageret Virgo Deipara tempore comprehensionis Christi.

tum, atque è patibulo pendentem ab ipsâ videndum. Et hæc fuisse dixerim à Christo ad mortem abeunte exhibita Matri per mutuam salutationem officia. Cæterùm sacrarum litterarum intelligentiâ probè instructam, & assiduè ab ipsâ pueritiâ versatam in Prophetarum oraculis, facillimum fuit, teste Bernardo [a], percipere à Filio dominicæ mortis arcanum, quod Apostoli haud ità facilè perceperunt. Ergò dum agnouit, quopiam ex discipulis nunciante, aut certò Angelorum monitu, comprehensum ab hostibus esse Christum, & iam ad hunc, illumue iudicem totâ Hierosolymâ captiuum circumduci, venit illicò in mentem, eum comitari, & cum mulieribus, quæ secutæ eundem fuerant concionantem, ad extremam quoque vitæ mortalis lineam sequi. Constat eo animo omnes domo exijsse, cum acto in crucem Christo, atque expiranti præstò fuisse ad Caluariæ montem, ex testimonio S. Ioannis [b] certum sit. Sed quibus potissimum locis, insontis Dei pœnas, & cruciatus inspectauerint, antequam Caluariæ iugum ascenderent, petere ex probatis authoribus infrà licebit.

Quæ officia Christi ad mortem abituri ergà Matrem.

a Bernard. ser. ad verba, Signum magnum.

b Ioan. 19. ver. 25.

XI. Sextâ igitur feriâ illucescente, summoque diluculo diei Azymorum primæ, quintæ & vigesimæ Martij, Caiphas coacto rursus pleniore concilio, ex senioribus populi, Principibus Sacerdotum, & Scribis, interrogandum iterum publicè Iesum censuit, an esset ipse Christus, qui cum id non negasset, se Dei Filium professus, vt superiore nocte iam fecerat, illi satis se instructos rati, ad sistendum Pilato Præsidi reum, eiusque damnationem exigendam; vinctum ad profanum Iudicem adduxerunt. Interea proditor Iudas, cum magistrum videret morti adiudicatum, atque à suo scelere tantum scelus exortum, iniquâ ductus pænitentiâ, triginta argenteos, pretium proditionis, proiecit in templum: eo autem per voluntarium suspendium interempto, post miserò diruptum corpus, & viscera effusa, ex relictâ pecuniâ emptus est ager figuli, ad sepulturam externorum; quem agrum Adrichomius [c], propè Sionis montem ad meridiem situm esse testatur; eundemque S. Helenam Magni Constantini parentem, muro vndique claudendum curasse. Subdit, agri terram id habere virtutis, vt sepulta ibi cadauera spatio horarum quatuor & viginti, in puluerem redigat; imò eandem retinere vim si aliò transferatur: sicuti nostro hoc æuo contingere fama est in eâ eiusmodi terræ parte, quæ S. Imperatricis iussu Romam delata, propè Vaticanam Basilicam, in locum cui Campo Sancto nomen,

Acta in Christum sexta feria ex quatuor Euangelistis.

Sistitur Pilato Præsidi.

Iudæ suspendium.

c Adrich. in descript. Hierosolymæ.

Ager emptus ex pretio proditionis.

Eius terræ vis in cadauera.

nomen, coniecta ac sparsa est. Sed vt redeamus ad institutum, Christus ad Pilatum ductus, à Sacerdotum principibus atque Scribis in crimen agitur violatæ maiestatis, vel vndecunque Sanctissimus, ad audiendos falsos accusatores exeunte Pilato foras, cum in Prætorium introire illi non sint ausi, ne labe inde contractâ ab esu interdicerentur Paschalium victimarum, cæteroqui suo scelere maximè impuri. At Præses cum eorum criminationes ex odio prolatas, nullo niti fundamento videret, cuperetque se à causâ innocentis hominis expedire, statim atque audiuit Galilæum esse, ad Herodem Antipam eius prouinciæ Tetrarcham, tum Hierosolymæ commorantem misit. Sed Herodes, cum ab eo nullum posset responsum elicere, contemptum, indutumque in amentiæ signum veste albâ, remisit illicò ad Præsidem, cui reconciliatus etiam est, quòd hoc facto exhibitum sibi honorem arbitraretur.

Christus apud Pilatum accusatus. *Ioan. 18. Luc. 23. Marc. 15. Matth. 27.*

Et mox apud Herodem.

A quo contemnitur.

XII. Itaque reductus ad Pilatum Christus, cum ad extorquendam eius necem, nouis Iudæorum accusationibus peteretur; Præses alterâ viâ liberare innocentem aggreditur; nam occasione festi, & priuilegij, quo populus gaudebat, dimittendum proposuit, si annueret. At verò turbæ Scribis & Pharisæis persuadentibus, auctori vitæ integerrimo teterrimum sicarium prætulerunt. Quare Pilatus suâ spe deiectus, vt Iudaicam rabiem exsaturaret, atque horridâ innocentis laniena lethum auerteret, alligatum columnæ Iesum cædi crudelissimè flagellis iubet, mox quasi in pœnam affectati regni, indecoram humeris purpuram, sceptrum manibus arundineum, & coronam capiti spineam à militibus apponi permittit; denique indignissimis excruciatum modis, ac toto deformatum corpore ostendit populo, ad commiserationem eliciendam, iramque mitigandam. Verum sua eum spes, & opinio fefellit; nam Iudæi nihil eo aspectu clementiores effecti, inconditis clamoribus postularunt, vt crucifigeretur is, cui ante paucos dies ingredienti Hierosolymam, *Hosanna filio Dauid*, acclamauerant. Reluctabatur adhuc petitioni Pilatus, tum reclamante intus conscientiâ, tum admonente foris vxore; sed Cæsaris metus in illo præualuit. Obuersabatur animo Tiberij crudelitas, & recens erat memoria occisi paulò ante Seiani; imò quod videbatur magis metuendum, sciebat Præses, multa sibi crimina à Iudæis imputari. Itaque hominis innocentiam iterum protestatus, iniustâ eum sententiâ condemnauit, addixitque cruci ad petitionem eorum, qui sibi suisque

Lucas, Marcus, Ioannes, Matthæus ibid.

Reductus ad Pilatum Barabbæ postponitur.

Flagellis cæditur, & spinis coronatur.

Ostenditur populo. *Ioan. 19.*

Condemnatur.

suisque vltrò vindictam clademque perpetuam de cælo accersentes, clamarunt [a]: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*. Abluit quidem ad eiusmodi condemnationem Pilatus manus, illam ad se nequaquam pertinere professus; sed expiare animum à scelere ablutio ista non potuit. Ergò Iudæi vt viderunt suæ traditum potestati Iesum per latam à Præside sententiam mortis, purpurâ ioculari exuentes, pristinis iterum vestibus induunt, vt ex illis cognito, & per vrbem circumducto maior esset confusio. Accessit tormentum gestandæ crucis, quam vel languenti imposuerunt, & societas duorum latronum, qui cum eo ducti sunt ad supplicium. Sub grauissimo crucis onere, ne quod supererat vitæ omninò deficeret, additus est adiutor Cyrenensis Simon. Sic denique inter crebra satellitum conuicia, inter clamores insanientis turbæ, & Iudæorum ludibria eius sanguini inhiantium, per spatium, vt apud Adrichomium [b] leges, trium millium trecentorum ac trium pedum ad Caluariæ rupem pertractus est. Vbi verò ad supplicij locum peruenit propinatum sibi myrrhatum vinum, tum damnatis dari solitum, sed felle mixtum cum prægustasset, bibere noluit, fortasse ne ab amarissimâ potione citius interiret. Exutus deinde ac nudatus coram populo, clauis affixus est cruci, & pari supplicio ad eius latera affecti latrones, vt notum est.

a Matth. c. 27. v. 25.

Baiulatio Crucis, & Crucifixio.

b Adrichomius.

XIII. Actum hunc luctuosæ tragœdiæ postremum, sicuti certum est, ex Euangelico testimonio [c] à Deiparâ fuisse spectatum, ità non nisi per coniecturas sciri potest, aut ex pijs sanctorum commentationibus, arcanisque cælitùs reuelatis, quidnam ex illatis hucusque Domino ac Filio suo cruciatibus illa viderit. Simeon [d] Metaphrastes, atque Nicephorus [e] censent, egressam domo iuisse ad ipsa tribunalia, ad quæ Filius raptabatur, & singula ibi gesta spectasse; liber de visis D. Brigittæ [f] docet, incurrisse primùm in atrium Pilati, cùm Christus flagellis cæderetur, & D. Bonauentura piè meditatur per Hierosolymæ plateas obuiam factam esse, ferenti immane crucis pondus, & seorsim à ferociente turbâ consecutam, vsque ad Caluariæ rupem. Et sanè, si Filio in crucem sublato in confertissimâ populi multitudine, generosè constanterque astitisse, Euangelicâ traditur historiâ; cur non credatur, si non omnium quæ præcesserant, at aliquorum saltem tormentorum spectaculo interfuisse, & atrox magnâ ex parte certamen vidisse pro mundi salute susceptum, quemadmodum de Machabæorum [h] Martyrum parente, sacris est litteris consignatum.

An, & quæ Filij tormenta viderit Mater.

c Ioan. 19. vers. 21.

d Metaphr. in. de vita, & dormit. Deip.

e Niceph. l. 1. hist. c. 30.

f D. Birg. Reuel. c. 10

D. Bonauen. cap. 77 Meditat.

h Machabæor. 2. c. 7. 10.

gnatum. Cum igitur actus esset in crucem Christus, transfixusque clauis ex ligno penderet, *Stabant*, inquit S. Lucas [a], *omnes noti eius à longe, & mulieres, quæ secutæ eum à Galilæa fuerant, hæc videntes.* Id certè videtur præcipuè intelligendum de Virgine Deiparâ, inter notos Iesu, & mulieres eius sequaces principem locum gerente; quæ verò hîc spectata dicuntur, possunt probabiliter de ijs intelligi, quæ gesta sunt ad Iesum excruciandum, in Caluariæ monte; vbi propè crucem, Christumque illi affixum, stetisse Matrem, expressè notat S. Ioannes [b]. Mulieres Virginis Sanctissimæ in hoc spectaculo comites, ab Euangelistis Matthæo [c], & Marco [d] ex parte nominantur, Maria nempe Magdalene, & Maria Iacobi & Iosephi, seu Iosetis mater, quæ etiam à viro Cleophâ nomenclationem accepit; atque vxor Zebedæi Salome; aliæ insuper, quarum nomina à duobus illis Euangelij Scriptoribus non exprimuntur, cognosci possunt ex [e] Lucâ, numerante mulieres à Galilæâ Iesum secutas post beneficium receptæ salutis; eæ sunt Ioanna vxor Chusæ, quem procuratorem Herodis historicus vocat, & Susanna. Hic obiter Christophorus Castrius ratiocinatus, *Cum mulieres*, inquit, *hæ secutæ sint Christum à Galilæa in Iudæam; & hic fuerit extremus Christi aduentus è Galilæa; sequitur hoc eas tempore fuisse Christum secutas. Et cum annumeretur illis Maria mater Iesu, profectò pias fœminas comitata, & ipsa tum venerat è Galilæa. Quamuis enim hoc Euangelistæ non asserant, videtur nihilominus asserendum: siquidem & alij Euangelistæ solum meminere mulierum, quæ erant propè crucem, & tamen inter eas fuit Mater Iesu, vt refert S. Ioannes* [g], *quare intellectam putabant sub alijs mulieribus.* At verò ea mulierum turba, quæ, vt ait Lucas [h], ascendentem sub crucis pondere in montem Caluariæ Iesum non sine planctu sequebantur, alia omninò fuit ab hac, de quâ loquimur. Illæ enim Hierosolymæ appellantur à Christo filiæ, tanquam ortæ ibidem, atque vrbis eiusmodi ciues: item meritò reprehenduntur, quòd naturali quadam commiseratione commotæ (vt sentit D. Leo [i]) Christum, quem miracula patrantem paulò ante viderant, contemni à vili plebeculâ, odio haberi à principibus, atque à militibus tam indignè tractari dolerent. Pati hæc mala inuitum credebant; ideòque ad eorum lacrymas conuersus Christus dum pergeret ad supplicium, falsam accusauit opinionem, & imminentium malorum ignaras admonuit; eos fletus conuerti oportere ad impendentia miseris parricidis mala; non se lugendum esse, qui per cruciatus & mortem

De mulieribus adstantibus Christi Cruci.

Inter quas erat Dei Mater.

De alijs mulieribus Christum lamentantibus.

Cur eæ à Christo reprehensæ.

a Luc. 23. ver. 49.

b Ioann. vt sup.

c Matt. 27. ver. 55.

d Marc. 15 ver. 40.

e Luc. 8. v. 2.

f Castrius Hist. Deip. cap. 16. n. 7.

g Ioan. vt sup.

h Luc. 23. ver. 28.

i S. Leo ser. 10. de pass. Domini.

mortem properaret ad gloriam, ſed potius earum filios, qui propter immane parricidium, in nepotibus ac poſteris forent extrema paſſuri; ignominiam crucis à ſe innocentiſſimo ſpontè ſuſceptam, documenta præbere, quomodo metuendus ſit Deus, ſcelerum vltor iuſtiſſimus, qui grauioribus pænis rebellem populum reſeruaret. Peruetuſta etiam traditione circumfertur, eodem ad Caluariam itinere, Berenicem ſiue Veronicam occurriſſe Chriſto, eumque ſudore plurimo, & cruore manantem cum vidiſſet, laneo ſeu lineo velo ſanctiſſimam faciem abſterſiſſe; itemque Dominum, vt ſui amoris pignus aliquod piæ matronæ relinqueret, eiuſmodi amiculo, imaginem impreſſiſſe ſui vultus, puluere ac vulneribus deformati, qualem verbera ac ſpinæ reddiderant. Sacrum monumentum, quo Hieroſolyma videbatur indigna, fama eſt ipſam Veronicam attuliſſe Romam, quo tempore Tiberius Chriſti miracula edoctus, de eo inter Numina recenſendo apud Romanum Senatum egit, ſed fruſtrà. Certè ſub Angelorum cuſtodiâ vſque ad noſtra tempora ſeruatum eſt Romæ, primùm quidem in æde S. Mariæ ad Martyres, deinde in Vaticanâ Baſilicâ, vbi piâ Fidelium veneratione nunc colitur, ſtatiſque anni diebus publicè conſueuit oſtendi. Cenſent nonnulli oblatum à Veronica Chriſto amiculum, non ſimplex fuiſſe, ſed duplicatum, atque vtrâque parte ſacram effigiem reddidiſſe; cum præter eam, quæ Romæ viſitur, altera Giennij in Hiſpaniâ, à priore non diſſimilis, oſtendatur. Cæterùm oppugnanti Caluino probatam eiuſce traditionis famam, quod plures Sancti vultus expreſsiones exhibeat varijs in locis orbis terrarum, reſpondet eruditè Gretſerus [a], vnam quidem ex illis habendam eſſe, tanquam prototypum à Veronicâ Romam delatum, cæteras verò, ſi quæ ſunt, tanquam exemplaria inde deſumpta.

De S. Veronica, eiuſque in Chriſtum officio, vetus traditio.

SanctiVultus effigies ab ea Romam allata.

a Gretſerus tom. 1. de Cruce l. 1. cap. 97.

XIV. Interim, vt redeamus ad Chriſti myſteria pendentis è cruce, quæ in eâ geſta ſunt, obiter percurramus. Additus eſt cruci titulus, *Rex Iudæorum* Hebraicè, Græcè, Latinèque conſcriptus, frementibus licet apud Pilatum Iudæis. Eorundem acceſſere blaſphemiæ & conuicia in affixum patibulo Deum; atque inter milites veſtimenta diuiſa, conceſsáque ad potiorem aleæ iactum inconſutilis tunica, cum ipſe manſuetiſsimus Dominus, inaudito clementiæ exemplo perſecutoribus ſuis, tanquam ignaris, quid facerent, à Patre veniam immaniſsimi ſceleris poſtularet. *Hic cum vnus latronum, qui ad eius latera, ſuam pariter in crucem ſublati fuerant,*

Myſteria Chriſti cruci affixi.

Ioan. 19. Marc. 15. Luc. 23. Matth. 27.

adſtantium veſaniam imitatus, Dominum maledictis inceſſeret, ſocij primùm ad meliora conuerſi reprehenſionem audiuit, & mox eundem vidit Chriſto humiliter ſupplicantem; quo charitatis & humilitatis officio, hic ex latrone Apoſtolus regni cæleſtis illicò promiſsionem accepit, altero à temporariâ pœnâ ad æternam tranſlato. Præſto fuiſſe Deiparam Latroni Sancto ſuis apud Deum precibus, ex quo prima eius in Chriſti fauorem vox erupit, veroſimile cenſent aliqui [a], quibus & nos ſubſcribimus; cum enim Virgo adſtaret tum Crucì, quando bonus Latro, ſocium Chriſto maledicentem obiurgauit, mentem illam diuinitus inditam confirmaſſe dici poteſt, enixè rogans æternum Patrem, vt opus in latrone inchoatum perficeret; vnde videtur poſtmodum conſecuta eiuſdem latronis ad Chriſtum apoſtrophe [b]: *memento mei, dum veneris in regnum tuum*. Atque ità Virginem Deiparam, in auxilium eius peccatoris, quem Sancti quaſi primitias redemptionis appellant, idem dicemus præſtitiſſe, quod circà alios paſsim; cum hac ipsâ de cauſâ *Pons peccatorum à terra in cælum* in hymnis [c] Græcanicis nominetur. Cæterùm, quis certò aſſerere audeat, ad primum gratiæ præuenientis illapſum in Sanctum Latronem, Deiparæ preces interueniſſe, per quas obtigerit tanta conuerſio? Ad vmbram Chriſti de cruce pendentis, quam in ſe S. Latro ad eius dexteram collocatus exceperit, refert ſecutus alios id aſſerentes S. Vincentius [d]; cum enim ea foret poſitio Crucis Dominicæ, vt facies Saluatoris ad occaſum obuerteretur, quod Ioannes [e] Molanus confirmat ex Damaſceno [f], Bedâ [g], & Sedulio [h]; hinc factum videtur, vt horâ ſextâ, ſiue circà meridiem, ante obſcuratum ſolem vmbra ex obiectu excitata corporis Chriſti, ab Auſtro ad Boream porrigeretur, incideretque in S. Latronem dextrorſum pendentem, eius animæ ſalutaris idcircò futura, non minus quàm vmbra refoſſæ crucis, ægrum ſanauit auctore Alexandro [i] Monacho, aut quemadmodum vmbra S. Petri, accurrentibus cateruatim ad ipſum ſaluti erat, vno eorum contacto, ità enim [k] Lucæ hac de re teſtimonium interpretatur D. Chryſoſtomus [l]. Quicquid ſit de hac latronis conuerſione per vmbram Chriſti cruci affixi; certè cogitare cuicumque licet, quàm ſalubre ſit, ſub eiuſmodi vmbrâ ſedere, quam ſibi Sponſa gratulabatur, interprete Origene, cum diceret: *ſub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi*. Et meritò; nuſquam enim vmbra Chriſti, feſſo generi humano ſalubrior, quàm ex Cruce. Huic Virgo Deipara, vnàque Ioannes Apoſtolus,

Vt Deipara iuuerit Latronis conuerſionem.

a *Theophilus Raynaudus lib. de S Latrone c. 6. n. 13*
b *Luc. 23. ver. 42.*
c *Butro latinè ſcrip. p. 91. & 117.*
d *S. Vincent. in Paraſc. & ſer. in fer. 4. Maior. Hebd.*
e *Molan. l. 4. de imaginib. cap. 4.*
f *Damaſc. lib. 4. de fid. orth. c. 13.*
g *Beda in Luc. c. 23.*
h *Sedul. l. 5. Paſch.*
i *Alex. Mon. orat. de Cruc. inuent.*
k *Luca c. 5. ver. 15*
l *Chryſ. in eum l.*
m *Orig. hom. 3. in Cant.*

Relicta S. Ioannis cura Deiparæ.

ſtolus, & piæ mulieres appropinquarunt, poſtquam Chriſti cruciatus à longè ſpectauerant; neque accedendi opportunitas defuit, cum turba Iudæorum, & milites recedentes ſpatium aliquod ſub cruce vacuum reliquiſſent, Domino adhuc viuente. *Stabat ergò iuxtà crucem Ieſu mater eius*, inquit Euangeliſta [a], qui & ipſe aderat; cum Ieſus ex illo quaſi ſolio Rex dolorum, coniectis in parentem, atque diſcipulum oculis, vt moriturus vtrique conſulat, Ioanni parentem optimam, & viciſſim matri Ioannem commendat, alteri quidem dicens: *Mulier ecce filius tuus*; alteri verò: *Ecce mater tua*. In quæ verba, & Virginis ad ea percepta ſenſum, piè admodum diſſerit Laurentius [b] Iuſtinianus. Virginem ſibi commendatam Ioannes, illicò accepit *in ſua*, curamque illius deinceps geſſit, perinde ac ſi eſſet eius filius, nullo officij vel obſequij genere prætermiſſo, quo Sanctiſſimæ Viduæ Saluatoris Matri leuamen aliquod poſſet afferre. Fuit nimirum, eius cuſtodiæ deſignatus nouus hic in carne Angelus, vt ipſa Deipara apud Guerricum [c] loquitur, cum Ioſephus Sponſus, vt ſuprà docuimus, è viuis ante hæc tempora deceſſiſſet. Eiuſce commendationis cauſas expreſsit Arnoldus [d] Bonæ vallis: *Hoc ſtupẽdum*, inquit, *quòd expiraturus Ieſus Matrem tanto affectu honorat victor ſuppliciorum, & quaſi ſui immemor, ad Matrem de cruce conuertitur, & colloquitur, intimans, quantum apud eam meriti eſſet, & gratiæ, quam ſolam in illo puncto reſpiceret, cum iam capite vulnerato, foſſis manibus & pedibus, in vltimis eſſet. Mouebat eum Matris affectio, & omninò tunc erat vna Chriſti & Mariæ voluntas, vnumque holocauſtum ambo pariter offerebant Deo; hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis*. In idem myſterium ingenioſè ſubdit Ambroſius [e]: *Teſtabatur de Cruce Chriſtus, & inter Matrem atque diſcipulum diuidebat pietatis officia*. Ad gerendam parentis ſuæ curam ex diſcipulis adoleſcentiorem elegit, & virgini Apoſtolo, virginem virginis Domini Matrem conuenienter aſsignat, pietatis nobis formâ relictâ, cum eſt de illâ ſollicitus, vt optimè SS. Paulinus [f] atque Hieronymus [g] expendunt. Denique eandem allocutus, mulierem appellat, non matrem, tum ne blando nomine magis percellat; tum ne carni indulgere videatur, dum totus eſt in implendâ Patris æterni voluntate; ſiue potius, quia apud aduerſarios nomen mulieris, minus inuidioſum erat, quàm matris.

a Ioan. 19. ver. 25.

b Laurent. Iuſtiniã. de triumphali Chriſti agone cap. 18.

c Guerric. ſer. 1. de Aſſumpt.

d Arnoldus Laudatione B. Virg.

e Ambroſ. epiſt. 25. ad Vercellenſem Eccleſ.

f S. Paulin. ep. ad Aug.

g Hierony. l. 1. con. Iouinianum, & Epitaphio Marcellæ.

XV. Poſt hæc Dominus, in ſummâ cordis deſolatione conſtitutus, à Patre ſe derelictum lamentatur; itemque ſanguine exhauſtus & viribus, cum ſitim ſuam apertè profiteretur,

Christi mors eiusque adiuncta ex quatuor Euangelistis.

tur, aceto potatus est; mox exantlatos iam labores, expletasque pœnas animaduertens, ex diuinæ voluntatis præscripto; atque etiam impleta de se Sacrorum Vatum oracula, *Consummatum est*, pronunciauit. Insuper ad extremam vitæ lineam, cum tres ipsas horas crucis acerbissimos cruciatus pertulisset, quibus deficiente solis luce, per oppositam prodigiosè lunam, exceperunt tenebræ medium diem,

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem [a];

Spiritum suum Patri sonorâ voce commendans, inclinato capite, in signum obedientiæ ad mortem vsque seruatæ, illum emisit. Horam huiusce mortis notant Euangelistæ [b] nonam, sicut & fuisse quasi sextam, cum sedens pro tribunali Pilatus, Christus innocentem condemnauit, ait S. Ioannes [c], & spatio ferè eiusdem sextæ decurrente, exortas cælo tenebras, subdit S. Lucas [d]; quibus testimonijs, cum dissentire Marcus [e] videatur, asserens horâ tertiâ Christum cruci affixum, animaduertenda diligenter est eiusmodi horarum apud Euangelistas acceptio, ad eam dissonantiam ablegandam, quam in sacras litteras digito Dei conscriptas perperam inuexere Sectarij. Videntur enim sacri Euangeliorum Scriptores, non intellexisse horas diei vulgares, quas ad eum vtiliter distinguendum, communiter exhibent horologia; sed illas potius, quas ipsorum tempore, certis diei partibus, mane ac vespere, prima Christianorum Ecclesia, precibus ad Deum fundendis addixerat, ac proinde horas orationis vocabat. Erant hæ potissimum quatuor, Tertia, Sexta, Nona, & Vesperæ; earumque singulæ ternis horis vulgaribus explebantur; traductâ ad Ecclesiasticum diem similitudine ab vsu militari, qui noctem in totidem vigilias distinguebat. Mos verò paulatim inualuit obtinuitque, vt quatuor hæc tempora ab eâ diei horâ nomen acciperent, in quâ explebantur, non vnde ducebant initium. Quare satis congruè S. Ioannes dicere potuit, horâ quasi sextâ, latam esse contrà Dominum sententiam mortis, quia tunc longè propinquius erat initium sextæ, quàm tertiæ, de quâ duæ tantùm horæ vulgares effluxerant; & pariter benè scripsit S. Marcus, Iesum horâ tertiâ cruci affixum, nimirum propè iam desinente; itemque S. Lucas, horâ ferè sextâ tenebras cælo exortas orbi terrarum incubuisse, scilicet paulò ante inchoatâ.

Per quas horas tempus Dominicæ mortis Euangelistæ describant.

Orationis horæ in primitiua Ecclesia.

[a] Virg. Geor. 4.

[b] Matt. 27 ver. 46. Mar. 15. v. 34. Luc. 23. v. 44.

[c] Ioan. 19. ver. 14.

[d] Luc. ibid.

[e] Marc. 15. ver. 25.

Post Christi mortem prodigia.

XVI. Post Christi mortem noua superuenere prodigia, Sol suæ luci restitutus, reuersâ lunâ ad locum vnde recesserat; velum templi geminas discissum in partes, siue quod ad obtegen-

tegendum Sanctum expandebatur, siue quod idipsum à Sanctis Sanctorum penitiore adyto separabat: tum terræmotus, & petrarum scissio, quibus prodigijs plurimi adstantium permoti, in communi luctu naturæ, suum scelus lugentes, tunsoque præ pœnitentiâ pectore domum reuersi sunt. Nominatim Centurio de Christi innocentiâ nobilissimum edidit testimonium: *verè filius Dei erat iste*. Cum autem imminente proximè Sabbato oporteret corpora de cruce deponi, cruribus vtrique latroni perfractis, vnus militum, siue vt exploraret, siue vt perficeret Christi mortem, *lancea latus eius aperuit*, vnde quod supererat sanguinis, aquâ permixtum effluxit. Secuta sunt suprema in defunctum officia, quæ ad eius perhonorificam sepulturam, viri nobiles Iosephus, & Nicodemus impenderunt, cum ex grato in Magistrum animo, quem occultè colebant, tum etiam ad solandam orbitatem Matris: alter quidem obtinuit à Pilato facultatem tollendi de cruce sanctissimi corporis, emit eidem inuoluendo sindonem mundam, nouumque monumentum, in petrâ excisum, ad sepeliendum exhibuit: alter verò ex aloës & myrrhæ mixturâ libras ferè centum, & aromata comparauit, quibus Hebræorum more conditum, sepulcro inferretur. Neque defuit hîc Filio dulcissimo vitâ functo, Virgo parens, quam cum pijs mulieribus & Ioanne, paulò ante luctuosum spectaculum Christi morientis intuitam, spectasse quoque sacrum corpus de cruce depositum, benè colligit ex Euangelicâ historiâ Christophorus [a] Castrius. Insuper æquè piè ac verosimiliter credi potest, acceptum vlnis ab eâdem Deiparâ charissimum pignus, aspersum lacrymis, abstersum linteis, atque opera præstita ad illud sepulcro condendum. Admixtas Christi sanguine glebas, sub cruce collectas à Magdalenâ, atque post vnum, aut alterum annum in Galliam asportatas, Massiliæ seruari nunc aiunt [b], perque vitreum vasculum, auro circumquaque commissum, ostendi quotannis populo, recurrente Dominicæ mortis memoriâ. Addunt præterea, ad sextam sanctioris hebdomadæ feriam, vbi recitetur in sacris Euangelica S. Ioannis historia, de cruciatibus Christi; ad ea verba: *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua*, sanguinem ipsum ebullire à terrâ seiunctum, ac si subtus ignis arderet; & rursus passionis Dominicæ recitatione absolutâ concrescere in glebam. Romæ in Lateranensi Basilicâ, inter sacra Lipsana, ampullæ vitreæ visuntur duæ, cum sanguine aquâ permixto, quem ex Christi latere manantem ipsamet Deipara & S. Ioan-

Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15.

Ioan. 19. v. 34.

Christi sepultura ex eisdē Euangelistis.

Cui adstitit Mater.

a Castrius Hist. Deip. c. 16. n. 12. 13.

b Petrus Cluet in vita S. Mariæ Magdal.

De Sanguine Christi terræ admixto narratio.

& S. Ioannes collegisse feruntur, vt scribit Nicephorus [a], fuitque à Virgine reuelatum D. Birgittæ [b].

a Niceph. l. 1. c. 30.
b S. Birgit. l. 1. Reuel. cap. 112.

XVII. Non patitur mea in eandem Virginem pietas, vltrà me progredi, ante quàm dolores tantæ Matris exponam, ad spectaculum peracerbum patientis filij, quos dolores è suo multi sensu metientes, dicunt illis imparem fuisse Virginem, quoniam in Caluariæ monte non semel semianimis in terram abalienatâ mente corruerit. Accedere huic sententiæ videntur pictores exprimentes illam ad spectaculum crudele prolapsam. Extremum dolorem, quem putant per gladium, animæ intima trāsuerberantem, à Simeone olim prædictum, *Spasmum B. Virginis* vocant, illique accidisse in primis volunt, cum ferenti crucem Filio, & præ magnitudine ponderis in terram collapso Mater occurrisset. Huc etiam referunt, quòd vti virginei casus monumentum, inibi templum extructum prodatur ab ijs, qui de Terrâ Sanctâ, aut vrbe Hierosolymitanâ scripserunt, cui templo *Sanctæ Mariæ de Spasmo* nomen inhæserit. Præterea rursus simili casu correptam Virginem asserunt, cum auctus est eius dolor, ex confixo clauis Christo, quare huius quoque lapsus memoriam, recoli quotannis optarunt, atque ex indulto summi Pontificis diem festum instituì. Inter eos, qui sacras ediderunt in lucem commentationes de cruciatibus Christi Domini, notat Franciscus Suarius [c] eò euasisse nonnullos, vt mortuam id temporis præ dolore Virginem, & paulò post vitæ restitutam fuisse, affirmarint, itá nimirum interpretati vaticinium Simeonis. Verùm vt hoc postremum sine vllo dicitur fundamento; itá indecorum videtur, siue animo Virginis vndecunque composito, siue corpori optimè constituto, quod de spasmo in eam illapso anteá notatum est. Nam neque neruorum dira contractio, atque ex eâ proueniens corporis languor, quæ propria est apud Græcos spasmi significatio; neque vlla syncopa, seu cordis defectio, quæ intelligi eâdem voce populariter solet, cadere in Deiparam potuit, vt optimè Caietanus [d] ratiocinatur. Ecquis conuulsos neruos, atque intemperiem corporis tantam admittat in eâ, quæ non fuit vlli morbo obnoxia per totam vitam, & quæ id præsertim temporis stetisse legitur iuxtà Crucem? Item & si animi viriumque deliquium minus indecorum Virgini foret; tamen cum vsum rationis impediat, neque sinat mentem in rerum occurrentium consideratione versari, illud non est Deiparæ tribuendum, quam id temporis Christo condolere, atque ad voluntariam immolationem

De Matris doloribus ad spectaculum excruciati Filij.

An inter eos fuerit Spasmus.

Refellitur sententia affirmans.

c Suarius in 3. par. disp. 4. sect. 3.

d Caietan. tom. 2. opuscul. tract. 13.

tionem innocentissimæ victimæ par erat diuinam in genus humanum clementiam attentâ meditatione perpendere. Fateor sanè negari non posse, acerbissimo dolore tactam fuisse patiente filio, verèque transfixam doloris gladio, sicuti prænunciauerat Simeon, & quod tristitiæ defuit parienti, cum Filius nasceretur; id, cum moreretur, matri repositum indignissimam necem spectanti. Attamen pernego quicquam ab eâ admissum esse, quod argumentum foret animæ mollioris, aut minus firmæ, neque virginei pectoris cæleste robur deceret; vnde rectè conficit Card. Vigerius [a], exibilandos quosdam, vel seriò, vel poëticè prædicantes, illam moriente Filio lacerasse sibi vnguibus genas, pugnis contudisse pectus, dissipasse comam, omnia inconditis questubus, & insanis vociferationibus complesse; Iudæis, Iudæ, militibus maledixisse; nec minus dignos reprehensione ac censurâ arbitratur alios, qui Deiparam sedulò curasse dicebant, vt à subeundâ cruce natum auerteret, supplicasse Iudæis; se pro Filio obtulisse necandam; per vicos & compita deerrasse, more insanarum matrum intemperijs obnoxiam, atque in Filij morte propè actam in furias. Hæc omnia ableganda penitus à Deiparâ sunt, quæ tum sui maximè potens, & internorum motuum omninò domina, tum Spiritus sacrarium ferebatur; ideòque sibi moderata plenissimè ad regulam diuinæ voluntatis, adeò sedatè pertulit Filij necem, vt in summâ doloris acerbitate, nihil rectæ rationi non consentaneum, nihil non vndecumque decorū admiserit, parata nō minus, quàm olim Abrahamus [b], accedente diuino mandato, suis ipsa manibus natum occidere, vt ex D. Anselmo refert S. Antoninus [c], & S. Bonauentura [d] subscribit. A dolore qui rationem opprimat, nec ab illâ regatur, Virginis laudes non esse captandas, fusè docent Gerson [e], Abulensis [f], Iansenius [g], Canisius [h], Toletus [i]. At verò si qui adducantur Patres pro sententiâ asserente, Deiparam sub cruce deliquium animi, viriumque passam, exponi mitius possunt, dum dicantur significare tantùm voluisse summum Virginis in Filij morte dolorem; at citrà syncopen, & indecoros quosuis motus; itá vt virtute constantissimi pectoris, magnâque in diuinas promissiones fiduciâ, vires sustinuerit, quæ cæteroqui facilè defecissent. Sic interpretatur Mallonius [k] reuelatum D. Birgittæ mysterium; sic etiam accipiendi sunt Patres, vbicumque de Virgine semianimi ad Filij cruciatus loquuntur, expressuri nimirum acerbissimum dolorem, cuius magnitudo aliter explicari satis non potest; eodem

Exponitur vera magnitudo doloris in Virgine.

Reprehenduntur ponentes in ea aliqua minus decora.

Quomodo intelligendi sunt Patres, si qui fauere videantur opinioni de Virginis Spasmo.

a Vigerius Chorda 7. cap. 13.

b Gen. 22. ver. 2.
c S. Anton. 4. par Sum. Theo. pt. 15. cap. 4.
d S. Bonau. in 1. dist. 48. q. vlt.
e Gerson. tract. 2. de cant. decach.
f Abul. qu. 14. Prologi Matth.
g Iansen. in Concor.
h Canis. l. 4. Marial. c. 28.
i Tolet. in c. 2. Luc. an. not. 57.
k Mallon. ad c. 6. Palaot. de sacra Syndone.

eodem consilio pictores Virginem exhibent inter brachia Magdalenæ collapsam, operâque adiutam piarum mulierum, Christo extremum ducente spiritum inter crucis probra. Imò vt septem præcipuos Deiparæ dolores notent, proponantque Fidelibus recolendos, totidem illam gladijs ad pectus transfixam pingunt, quam constat veris nunquam mucronibus vulnerandam patuisse, sed solum sensu dolorum intimo fuisse tactam, cum primum circumcisi Filij vulnus spectauit; cum iussa est vix natum in Aegyptum asportare; cum toto triduo quæsiuit amissum; cum deformato vulneribus, & crucem ferenti occurrit; cum vidit ab illâ pendentem, clauisque transuerberatum; cum inter brachia extinctum accepit; cum interfuit sanctissimi corporis sepulturæ. Sed peculiaris dolendi materies, & quidem perampla Virgini ad Caluariæ rupem fuit, vbi quicquid toto corpore pertulit Christus, animo Mater excepit; & spinæ, lancea, claui, alteri membra, mentem alteri penetrarunt, suo vtrobique vulnere relicto. Christi cruciatuum hæc luctuosa instrumenta, quo animi sensu Virgo tractauit! quo dolore vestes à se nato confectas, diuidi inspexit in milites collusores, & inconsutilem præsertim tunicam, opus manuum suarum sortitò adiudicari! hanc fortasse Christo iam adulto sedula Mater postremam texuerat, non ex partibus, vti fit, inter se consutis, sed eo tantùm artificio, quo interulas quasdam & caligas ex filo gossipino, laneoue, aut etiam serico, duobus ferreis veluti stylis alternatim sibi inuicem inter digitos recurrentibus, passim videmus confici. Perculit præterea summopere Virginis cor perlatus ad eam nuncius, de Petro ad ancillulæ voces Magistrum nobilissimum negante, sibique ignotum esse mentiente, cuius & lacrymis ad culpam expiandam effusis præstò fuit pia Mater, & sonti veniam criminis impetrauit, vt habet celebris de Christo Patiente Tragædia, quæ Gregorio Nazianzeno ascribitur. Cæterùm quæ ad commendationem Deiparæ dolentis in morte Filij excogitarunt nonnulli, asserentes eam præ doloris vehementiâ sanguineas lacrymas profudisse; aut certè attonitam ad horrendum spectaculum hæsisse, atque omninò doloris, sensusque expertem, in saxeam obriguisse duritiem, benè castigat & reijcit Theophilus Raynaudus [a], tanquam sine vllo legitimæ auctoritatis fundamento prolata, atque in hac materiâ doctrinæ furfures. Ergò concludere tantùm liceat; in quod sacri Doctores ferè omnes conueniunt; Virginem nostram, Martyrum Reginam, & plusquam Martyrem patiente Filio

Septem Deiparæ dolores per totidem gladios repræsentati.

Summa dolorum Deiparæ.

Descriptio inconsutilis tunicæ.

a Raynaud. Dipticho Mariani p. 1. pun. 9.

Filio extitisse; tum quia reliquorum in carne dolor, longè minor fuit; quàm Deiparæ in animâ, sensu doloris acerrimo transfixâ; anima verò ipsa spiritualis cum sit, doloris vim experitur acutiorem, ità Sophronius [a], Ildephonsus [b], Bernardus [c]: tum quia ex Anselmo [d], inde Martyres suum decus omne, atque præstantiam obtinent, quòd corpus pro Christo fortiter prodigant, cruciatibus & neci exponentes: cum autem dolor ex rei cuiuspiam amissione subortus, rei eiusdem amori respondeat; nemo Martyrum ità suam vitam, sicuti Virgo sanctissima vitam Christi dilexit, quamobrem maiorem ex Filij nece, quam illi ex suâ, dolorem persensit. Versat hoc argumentum egregiè Petrus Antonius [e] Spinellus, Virginis Deiparæ studiosissimus, ad quem Lectorem amandamus.

a Sophron. sub nomine Hieron. ser. de Assump. b Ildephon. serm. 2. de Assumpt. c Bernard. super Signũ Magnum. d Anselm. de excell Virgi. c. 5. e Spinellus Thro Dei. cap. 9.

XVIII. Duo insuper ad commendationem diuinæ Matris adstantis cruci afferunt alij; vnum quidem, quòd per sacrum Dominicæ mortis triduum, fides etiam externa, atque adeò Ecclesia in illâ solâ permanserit: alterum verò, quòd capitis in pectus demissio, à S. Ioanne [f] oculato teste, de Christo moriente descripta, cesserit in Matris gratiam, eoque signo Dominus ostendere voluerit, se maternis precibus exoratum, fontibus peccata condonaturum. Primum confirmari posse censent ritu ab Ecclesiâ seruato inter tenebras maioris hebdomadæ, cum in recitatione matutinarum horarum omnes candelæ, vnâ demptâ extinguuntur, eòque etiam referunt addictum Deiparæ cultui Sabbatum. Alterum decus ab alijs excogitatum probare auctores nituntur, ex eo quòd Christus, non vt cæteri mortales, quibus illicò post emissum spiritum [g], *defecta vigore ipsa sibi est oneri ceruix, humeroque recumbit;* sed etiamnum viuens demisit caput, dicente Euangelistâ: *& inclinato capite tradidit spiritum,* quibus verbis Chrysostomus, ac Theophylactus significatum volunt, emissioni spiritus, inclinationem capitis præcessisse, vnde non videtur hæc morti tribuenda; sed potius Mariæ precibus ad clementiam natum flectentis. Verùm vtrumque decus reijcitur, vt commentitium; neutroque indiget ad sui exornationem Virgo [h]; neque enim fidei professio & Ecclesia superstes in Deiparâ tantùm fuit, cùm Christus pateretur, sed piæ mulieres, Virginis comites, præsertim Magdalena, non videntur amisisse fidem; Apostolos licet ex metu Iudæorum, à Magistri latere seiunctos atque dispersos, nemo dixerit infideles euasisse. Et Petrum ipsum peccasse tantùm contrà externam fidei professionem verior

f Ioan. 19. ver. 30.

Duo, quæ hic afferunt aliqui ad commendationem D. Virg.

g Ouidius.

h Theophilus Raynaudus loco suprà laudato.

Reijciuntur.

 senten-

sententia docet [a]; Multi denique Iudæorum & Gentium Euangelicâ lege nondum promulgatâ retinentes veram fidem, superstitem quoque seruabant in seipsis Ecclesiam. Candelæ vnius inextinctæ lumen, ad Ecclesiasticos ritus officij tenebrarum, per hebdomadam sanctiorem, Christi gloriam aduersus omnes fremitus, post tenebras deuictas superstitem, idoneo symbolo notat ex Gulielmo [b] Durandus. De Sabbati Deiparæ addicti origine infrà erit nobis sermo. Quod verò dicitur de Christo ante mortem inclinante caput in Matris gratiam, cum nullo nitatur fundamento, est voluntaria diuinatio, aut ingeniosum acumen, Poëtarum more efferendum, non ad veritatis historiæ regulam, quam ratio postulat suscepti à nobis instituti.

a Roffensis ad art. 25. Luther. & Turrian. lib. 2. de Eccles. c. 9.

b Durand. lib. 6 Ration. c. 72. num. 26.

Christi animæ descensus ad inferos.

XIX. Feriam hanc sextam, quâ & mortuum, & sepulcro conditum Iesum diximus, in diem Martij [c] quintam & vigesimam incidisse, non improbabile reddit, celebrata eâdem die ab Ecclesiâ S. Latronis [b] memoria, quem constat vnà cum Christo supplicio crucis extinctum. Ipsa verò Saluatoris anima à corpore seiuncta, ad subterranea loca descendit, vbi in Abrahami sinu (sic vocant) Sanctorum Patrum animas, aliorumque iustorum, qui ante ipsum in pace decesserant, suo aspectu beauit; mox accedentem quoque Sancti Latronis animam, inter illas adnumerauit, omnésque simul sui in cælum triumphi comites assumpsit. Interea sanctæ mulieres, quæ cum Iesu venerant de Galilæâ, vt dictum est, Ioannes Apostolus, alijque Fideles, de loco sepulcri, vbi condi sacrum corpus viderant, & pio operi præstò fuerant, Deiparam deduxerunt in Ioannis Marci domum, commune tum Christi asseclis hospitium, vbi illa pro fide, quâ prædita erat certissimâ, Filium resurgentem expectauit. Neque enim satis firma videtur eorum sententia, qui asserunt sacro illo triduo Deiparam hæsisse sepulcro: nam si mulieres eius comites, domum reuersæ ab Euangelistâ [d] dicuntur, vt pararent aromata, si Ioannes in cuius cesserat curam eòdem redierat; vtique redijsse & ipsam oportuit, animo quidem ad sepulcrum remanente. Destinatum postridie quieti Sabbatum, quiescere coëgit omnes ab opere, ideòque *siluerunt propter mandatum*, vt ait Lucas [e]. Sed Principes Sacerdotum de Christi corpore malè solliciti, conuenerunt Pilatum, atque impetratâ ab eo militari custodiâ, sepulcrum armatis muniunt, adhibitâque principis tesserâ, lapidem sepulcralem obsignant. Quis non execretur nebulonum nequitiam? ingredi paulò ante in prætorium se non

c Martyr. 25. Martij

Reditus Sanctarum Mulierum, & Ioannis Apostoli Hierosolymam cum Deipara.

Et in Ioannis Marci domum.

d Luc. 23. ver. 56.

e Luc. ibid.

non posse iactabant, prohibente id Paschæ festo; nunc à violando Sabbato nulla illos religio prohibet. Interim conuenerunt Sanctæ mulieres vespere, vt emerent aromata in sequentem diem, ea sacro corpori inungendo adhibituræ. Dominus autem summo mane surrexit, cum prima hebdomadæ illucesceret dies, (prima Sabbati dicta est à Iudæis) quæ dies in honorem Dominicæ resurrectionis, Dominica vocitari deinceps cepit. Anima enim victrix Tartarorum & mortis, liberatis ex inferno carcere iustorum animabus, rediјt ad sepulcrum; resumptoque corpore, Christus rediuiuus exinde prodijt, suæ diuinitatis virtute. Tunc ingens terræmotus Iudæam concussit, & lap. de sepulcrali ad Caluariæ hortum intacto, alia multa alibi aperta sunt, ex quibus extincta iam pridem Sanctorum corpora, pariter surrexerunt ad vitam, vt illi Hierosolymam venientes, multisque probis visi, diuinam Christi anastasim prædicarent, sicut milites eius sepulcrum custodientes, atque ad terræmotum collapsi, testes euasere miraculi: neque enim mortuorum ex apertis vltrò tumulis excitatio, quæ cum editis ad Christi mortem signis à S. Matthæo [a] recensetur, id temporis accidit; cum minimè resurgentem Dominum antecesserit, ex communiori sententiâ sacrorum Doctorum, qui docent; terræmotum, velique in templo, & petrarum alibi scissionem, accidisse quidem in obitu Christi; at verò rediuiua Sanctorum corpora, quæ nunciatura resurgentem, aduenerunt Hierosolymam, è sepulcris prodijsse, postquam ille surrexit. Ecquis enim probet; iacente etiamnum exanimi sub terris auctore vitæ, reduces à mortis regno Sanctos in hoc mũdo morari? item eorundem animas ex Abrahami sinu ad sua corpora redijsse, priusquam suo illuc descensu anima Christi, carceris eiusmodi claustra reserasset? fauet huic opinioni nonnihil Euangelicus S. Matthæi [b] textus, vbi dicuntur *exeuntes de monumentis post resurrectionem eius*, nempe Christi, venisse in Sanctam ciuitatem, & multis apparuisse gloriosam Domini anastasim nunciantes. At maior nos vrget difficultas; nec facilis est futura responsio, si quæratur; surrexerint'ne illi ad vitam immortalem, an potius iterum morituri? sacrarum interpretes litterarum varias scinduntur in partes, dum alij censent, iterum succubuisse morti, post nunciatum Saluatoris rediuiui mysterium, cuius gratiâ reuocati in vitam fuerant; ità SS. Augustinus [c], & Angelicus Doctor Thomas [d]. Eiusdem videtur esse sententiæ D. Birgitta, id sibi reuelatum asserens à Deiparâ hisce verbis: *Scias quòd*

Gloriosa Christi resurrectio.

Terræmotus. Apertio sepulcrorum, Resurrectio Sanctorum.

Ante ne, an post resurrectionẽ Christi resurrexerint.

Immortales ne, an morituri surrexerint.

Diuersæ de hac quæstione sententiæ.

a Matth. 27 ver. 52.

b Matth. ibid.

c August. ep. 99. ad Euod.

d S. Thomas 3. par. q. 53. ar. 3.

nullum corpus humanum in cælo est, nisi corpus gloriosum Filij mei, & corpus meum. Ità etiam ex Neotericis Barradius [a], & Franciscus [b] Lucas. At verò innumeros contrarium sentientes recenset Pineda [c], quibus neque rationes desunt, cur id potissimum asserant; nihil enim futurum aiunt, quod agerent inter viuos, qui diuinæ iam gloriæ gustum acceperant; eorum quoque conditionem fore peiorem, quàm si nunquam fuissent exuscitati, si à sinu Abrahami, vbi magnæ quietis erãt participes, vtpotè Sancti, ad vitam turbarum plenissimam redijssent, morti rursus obnoxij, imò & cum periculo amittendæ salutis æternæ, cuius iam certi fuissent: neque dicturum Euangelistam, apparuisse multis, sed potius vulgò omnibus, si iterum morituri surrexissent, quemadmodum Lazaro [e] accidit, & filio [f] Viduæ Naimensis, quos suscitauit Christus, & reliquis ab Eliâ, & [g] Elisæo reuocatis ad vitam: cum verò non omnibus visi esse dicantur, sed tantùm quibus nunciandum per ipsos erat mysterium Saluatoris rediuiui, inde deduci, non redijsse mortales; ità & Christum qui ad immortalitatem resurrexerat, paulò post rediturus in cælum, non omnibus, sed solis Apostolis, alijsque Fidelibus, *vt testibus præordinatis à Deo* [h] visum esse, neque deinceps humano more versatum, sicuti fecerat ante mortem. Equidem hanc sententiam cum Maldonato, & Cornelio à Lapide probabilem censeo, ijsdem ductus rationibus, quibus illi ad eam confirmandam vsi sunt. Ponamus igitur cum resurgente Christo, ad immortalis vitæ gloriam Sanctos exuscitatos esse complures; qui nam fuerint, designare certò non possumus, cum in Euangelicâ historiâ non exprimantur. Hanc nonnulli prærogatiuam tribuunt ijs, qui Christo atque Deiparæ fuere consanguinei, & paulò ante ad plures annumerati, nondum penitus excesserant è Iudæorum memoriâ, ideòque ad faciendam illis dominicæ resurrectionis fidem magis idonei videbantur. Quòd si opinionis probabilitati sit insistendum, nemo non videt, quantum id quod de multis prædicatur, S. Iosepho Deiparæ Sponso, & Christi in hominum existimatione patri conueniat, præsertim cum tanti viri, cui corporatus Deus suam in terris Matrem, & se ipsum commisit, nihil vsquam ex corpore reliquum sit, ac proinde Fidelium pietas sentiat, illum suo quasi iure ad vitam immortalem ante præscriptum cæteris tempus resurrexisse. Equidem in hanc sententiam facilè venio, quæ in sanctissimæ Virginis gloriam cedit, & maximè Marianos Annales illustrat. Sed redeamus ad Christi de morte triumphum.

Probabilior ratiocinatio.

Quosnam dicemus surrexisse?

Opinio valdè probabilis de S. Iosepho.

a S. Birg. lib. 7. Rec. cap. 21.
b Barrad. lib. 7. c. 21.
c Frã. Luc. in S. Matt.
d Pineda in Iob. cap. 19. ver. 25.
e Ioan. 11.
f Luc. 7.
g Ex 3. & 4. Reg.
h Act. 10. ver. 4.

XX. Re-

XX. Redijt ille triduo nondum exacto ad vitam omnibus gloriosi corporis dotibus magnificè prædıtus, eoque gerens instar gemmarum, totidem clarissima quinque vulnerum signa. Illicò, vt piè creditur, visendæ, consolandæque affuit Matri; quæ post Filij mortem fidei, speique plenissima, gloriosum hunc reditum præstolabatur. Neque vero dubitari iure potest; quin prima omnium viderit Dominum rediuiuum; cum ità Fideles sentiant, & sacri Doctores, apud Suarium [a]. Fateor quidem, dicere Marcum [b], Magdalenæ primò apparuisse: at benè notat Rupertus [c] Tuitiensis, Euangelistam eas tantùm ostensiones commemorare, quas sui fecit post anastasim Dominus, ad eius fidem stabiliendam; neque in hunc finem, testimonium Matris videbatur idoneum, quoniam hominibus singulos ex se metientibus, facilè suspectum fuisset, habitumque tanquam commentum materni amoris. Et quidem apud diuinum historicum, ad ommittendam hanc Christi apparentis primùm Matri narrationem, plus valuisse videtur, eorum qui credituri erant, salus; quàm ad eandem commemorandam priuatum quorundam ergà Virginem studium, & obseruantia. Seligi enim ac nominari debuere dumtaxat tanti miraculi testes, quos nemo posset iure aspernari ac reijcere, tanquam fidei non sinceræ: nec sanè decebat, pri us alijs, quàm Matri Christum rediuiuum ostendi, quæ summopere Filium diligeret, ideòque iure sibi, primos apud eundem honores, amorisque prærogatiuam vindicaret. Gaudium, quod ex hac optatissimâ ostensione Deipara sensit, maximum esse oportuit, quoniam respondere dolori debuit, inter Filij cruciatus, mortemque percepto, vnde plusquam Martyr audire meruit. Itaque tantam instar torrentis lætitiam animo Virginis subeuntem, admirabilem Angelis, hominibus inexplicabilem fuisse ait S. Anselmus [d]; atque inter septem gaudia, quibus totâ vitâ illam affectam recolit Fidelium pietas, hoc certè vel maximum iudicamus. Gauisa quidem est Sacrosancto diuini Verbi conceptu, salutatæ Elisabethæ mysterio, partu virgineo inter Cælitum plausus, oblatis suo Filio externorum Regum tributis, eodem inuento inter Doctores, & denique in cælum ascendente. Sed gloriosum Christi à sepulcro rediuiui spectaculum, longè præstantissimam illi lætitiam attulit, tanquam debitam amori ergà Filium summo, summoque dolori ex eius morte percepto mercedem. Norunt ista satis, qui sacris iugiter commentationibus, mentem exercent.

Christus resurgens apparet Matri.

Gaudiũ SS. Matris ex viso Filio.

Septem Deiparæ gaudia.

a Suar. t. 2. in 3. par. S. Thomæ disp. 49. sect. 1
b Marc. 16 ver. 9.
c Ruper. l. 7 de diu. off. cap. 25.
d Anselm. de excellēt. Virg. cap. 6

XXI. In-

Sanctæ mulieres de Christi sepultura sollicitæ

XXI. Interim sanctæ mulieres cum emissent aromata, vt dictum est, siue ante initium Sabbati, siue ipso transacto, postridie valdè diluculo venerunt ad monumentum, quo tempore commemoratus à Matthæo terræmotus contigit, cum Angelus Domini descendens è cælo, sepulcri lapide reuoluto consedit, exanimatis præ metu custodibus. Eò Maria Magdalene, altera Maria, & Salome peruenientes, paratæ quidem ad perungendum Domini corpus, at sollicitæ de lapide remouendo, sepulcrum apertum præter expectationem inueniunt, ibique ab Angelo assidente Christi resurrectionem edoctæ, iubentur Petro, cæterisque discipulis nunciare; atque iter indicere in Galilæam: hîc cæteris Magdalene feruentior, ad Apostolos nuncia præcucurrit; duæ verò sociæ ingressæ in sepulcrum, cum corpus non inuenissent, inde pauidæ recesserunt. At verò in ipsa fugâ ab Angelis duobus virili sub specie, iterum admonentur, Christum resurrexisse, eius promissione in memoriam reuocatâ. Mox id ipsum nunciaturæ discipulis, cum fortasse fugâ & pauore fessæ paulùm alicubi substitissent: veniunt interim Petrus & Ioannes, itemque Magdalene cum eis. Perlustrant discipuli sepulcrum vacuum, & linteamina vident, quibus inuolutum fuerat Domini corpus, ac deinde reuertuntur domum. At Magdalene remansit foris plorans, ibique primùm Angelos, & mox Angelorum Dominum sub olitoris specie vidit, agnouitque; quin etiam cum illicò rueret in amplexus, prohibita est eo nomine, quòd antequam ille in cælum ascenderet, tempus futurum erat, atque opportunitas vlterioris alloquij. Tum demum reliquis mulieribus in itinere apparuit Christus, & salutatas, admissasque ad pedum oscula iubet, Apostolis cæterisque fratribus suam nunciare anastasim, seque ab omnibus in Galilæâ videndum. Sic ergò dicere possumus, iam secundâ vice illum apparuisse, ipso die quo resurrexit, modò demator ostensio facta Matri, quam & primam omnium, & sæpius credimus fuisse salutatam à Filio per hos dies. Post sanctas mulieres, quarum insignis pietas Deo maximè placuit, visus est Petro Dominus, ad eius abstergendas lacrymas, quas vbertim ad culpæ expiationem profuderat; ità colligi videtur è S. Lucâ [a], narrante duos discipulos Emaunte reuersos Hierosolymam, id ab vndecim Apostolis audiuisse, exuscitatum verè Christum, & ostensum esse Simoni. Quartam eodem die Saluatoris apparitionem, eisdem discipulis duobus Emauntem profectis credimus contigisse, cum sub peregrini schemate Iesus accedens, eos comiter

Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20.

Aliæ Christi rediuiui apparitiones.

Apparet Magdalenæ.

Et aliis mulieribus.

Mox Petro ad solatium pœnitentiæ.

Et duobus discipulis Emauntem euntibus.

a Luc. 24. ver. 1

ter interpellauit, tum de sermonibus, quos haberent in viâ; tum de tristitiâ, quam vultu præseferrent; mox de duritiâ ad credendum leniter increpitis, sacrorum oraculorum, quæ de Christo erant, interpretationem aperuit; denique inuitatus ad cænam, vbi fregit, distribuitque panem, agnitus est. Quinta ad vesperam contigit, postquam illi duo Hierosolymam redierunt, ad Apostolos in cænaculo congregatos; quibus cum narrarent, visum à se in itinere Dominum, domique agnitum super mensam, superuenit ipse ianuis clausis, atque in medio constitutus, omnibus salutem impertijt, & mox vt verè se rediuiuum probaret, manibus præbuit attrectandum; coram eis cibum sumpsit, & potestate remittendi, retinendique peccata omnes donauit. Ad hanc ipsam ostensionem pertinere aliqui [a] putant, ea S. Marci [b] verba: *Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit*. Ast alij postremam intelligentes, non quidem primæ ipsius à dominicâ resurrectione diei, sed potius quadragesimæ, quâ Dominus ascendit in cælum, eò etiam referunt S. Lucæ [c] testimonium, de Christo apud Apostolos comedente: *Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur*. Vt vt se res habeat, cum eiusmodi ostensioni Apostolis in cænaculo exhibitæ non interfuisset Thomas, neque ad eam credendam sociorum testimonijs acquiesceret; octauo post die iterum ianuis clausis ingressus Dominus, se videndum offerens, vnàque tangendum, aberrantem à recto sensu discipulum ad fidem adducit; atque hæc in serie à nobis initâ, sexta est apparitio.

Apostolis in cænaculo cōgregatis absente Thoma

a Iansenius Sillanus. b Marc. 16 ver. 14.

c Luc. 24. ver. 41.

Ijsdem præsente Thoma.

XXII. Elapsis Azymorum diebus, sanctarum nuncio mulierum, atque ex Magistri præscripto abierunt discipuli in Galilæam, quò profecta pariter Deipara probabiliter creditur, ad suam vtique cognationem, & domum; tum quia frequentiorem ibi discipulorum cætum, Domino promissâ sui ostensione consolaturo; par erat cum pio mulierum comitatu, Sanctissimam Matrem adesse: tum etiam, vt sacram terram, vbi à tenerâ ætate Filium tot annos ipsa nutrierat, nouo resurgentis honore illustratam videret. Ecquis præterea sibi non persuadeat, regresso in Galilæam Ioanne, illuc redijsse quoque Deiparam, eius curæ commissam; cum præsertim vrgeret ipsius Christi mandatum, atque ex Galilæis plurimi in eundem credidissent? Septies in Iudæâ ostensum discipulis, pijsque mulieribus Virgo resciuerat, & quod gaudium omnium prima experta fuerat eo viso, cæteris communicari ad diuinam maximè

Eunt discipuli in Galilæā ex Christi præscripto.

Iuisse pariter Deiparam, videtur probabile.

Sensus eiusdē ad hasce apparitiones toties repetitas.

maximè gloriam lætabatur. Sperabat prætereà maius futurum in Galilæâ, in quâ multitudo discipulorum permagna, optatissimum simul aspectum præstolabatur; vt auditâ gloriosi Magistri doctrinâ, tyrocinia poneret Ecclesiæ toto terrarum orbe amplificandæ. Interim milites ad custodiendum sepulcrum postulatu Iudæorum conducti, cum ad terræmotum, lapidisque sepulcralis excussionem diù consternati iacuissent, surgentes tandem, Sacerdotum principibus nunciauere miraculum, testes ipsi quoque dominicæ resurrectionis, sed apud improbos & peruicaces; qui ne mysterij veritas vulgaretur, certam pacti pecuniam, impetrarunt ab ijs, vt se obdormiuisse fingerent, & Christi corpus furto sublatum. Eò igitur libentius Apostoli in Galilæam migrarunt, quò certius à Iudæis periculum imminebat furti rumore vulgato.

De sepulcri custodibus.

XXIII. Ergò dum ibi manerent, obtulit sese illis videndum iterum, atque iterum Dominus, & primùm quidem septem dumtaxat ad Tiberiadis mare piscantibus (Petrum, Thomam, Natanaëlem, & Zebedæi filios Iacobum, & Ioannem exprimit Euangelista, reliquos duos non ità) ij iactis ad eius, quem nondum nouerant, iussum retibus, cum immensam vim piscium conclusissent, tandem Magistrum agnouere. Mox sumpto pariter cibo, post communem ille mensam, Petro ter amorem ergà Christum professo, suas oues pascendas commisit, vti pollicitus pridem fuerat; & sic Apostolorum princeps, visibile Ecclesiæ caput, & Pastor Christiani gregis vniuersi renunciatur. Cæterùm haud obscurâ significatione suæ mortis auditâ, de Ioanne sollicitus, iussus est à Domino eam curam deponere, sed Iesu vestigijs tantùm insistere. Dum adhuc Apostoli in Galilæâ morarentur, iterum Dominus videndum se præbuit, in eius prouinciæ monte, quem antea designarat, die pariter ostensionis faciendæ condicto, mons creditur communiter fuisse Thaborius, vbi transfigurati Saluatoris mysterium, Petrus, Iacobus, & Ioannes inspectarant. Huc ergò Apostoli primùm vndecim, cum duobus, & septuaginta discipulis, deinde ex Fidelibus plurimi vndecumque collecti conuenerunt, videntesque Dominum mortis victorem, flexis humi genibus adorarunt. Hanc fuisse non improbabiliter perhibent, Christi rediuiui ostensionem omnium celeberrimam, cuius meminit ad Corinthios S. Paulus [a]: *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt*. Neque solum multitudo eorum quibus facta est, illam illustrat, verùm etiam

Christi apparitionis in Galilæa.

Discipulis prima piscātibus.

Ioan. 21.

Apostolis, ac septuaginta duobus discipulis, alijsque in mõte.

a Paul. Corinth. 1. c. 15.

Hæc apparitio omnium celeberrima.

etiam adiunctorum præstantia: nam & pronunciata fuerat semel ab ipso Domino ante mortem [a], & iterum [b] postquam surrexit; atque insuper per Angelos mulieribus, & per mulieres Apostolis, quorum præscripto diem designatum existimamus, vt omnes conuenirent, ad spectaculum iucundissimum. In hac sui ostensione Dominus, coram frequentissimâ spectatorum panegyri, accedens ad discipulos suos, vt scribit Matthæus [c]: *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in cælo & in terra*, tum indicat eis baptismi Christiani formam, doctrinam in populos vbique disseminandam, & se cum ipsis semper futurum. Ità in eo qui tunc ibi coaluerat Fidelium conuentu, genitam Christi laboribus & sanguine Ecclesiam, ipsemet antequam in cælum ascenderet, suis formatam monitis voluit; cum præsertim deinceps vniuerso terrarum orbe diffundenda, paratos vbique in suam perniciem haberet Christiani nominis hostes. Certè non potuit ibi tum deesse Maria, tanquam præcipuum Ecclesiæ membrum, Christoque digresso, Apostolorum magistra per plures annos in terris futura. Et ratio cæteroqui Sanctissimæ Virgini peculiaris erat, sacri cætus adeundi; quoniam in Galilæâ cogebatur, terrâ sibi natali, & concionanti, docentique Filio adesse prius consueuerat, cum ille versaretur in carne mortali: iam verò in corpore glorioso degentem, vltimisque ferè verbis allocuturum Ecclesiam, quam relinquebat in terrâ, multò auidius exceptura videbatur, Mater simul, atque discipula; ad suscipiendum humani generis patrocinium vocata. Post communem hanc ostensionem, alterius Apostolus meminit, quâ vel tacentibus Euangelistis, dicit Christum visum esse Iacobo, nempe minori, cui Iusti mansit, & Fratris Domini cognomentum. Causa cur illi soli concessum id sit, præter eximiam viri virtutem, potior alia non suppetit.

XXIV. At verò Apostoli, vnàque spectatores Christi complures, cum illum in Galilææ monte vidissent, reuersi Hierosolymam sunt, magnâ saltem ex parte, ibi supremum visuri triumphum ascendentis in cælum, & illuc redijsse oportuit Virginem Matrem, quam interesse par erat tam læto spectaculo, cum generosè constanterque acto prius in crucem Filio adstitisset. Imminente igitur quadragesimo post resurrectionem die, seu potius iam decurrente, apparuit postremùm Apostolis in cænaculo congregatis, atque ad mensam simul accumbentibus; si eam amplecti sententiam velimus, quæ probabiliter asserit, hanc ipsam Christi rediuiui ostensionem

Marginalia: a Marc. 14 ver. 28. b Matth. 8. ver. 10. c Matth. 8. ver. 18. Interfuit huic apparitioni Deipara. De apparitione facta Iacobo. Paul. 1. ad Cor. c. 15. v. 7. Apostolorum reditus in Iudæam. Itemque Deiparæ. Vltima apparitio Christi.

sionem descriptam à S. Marco ijs verbis [a]: *nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit*. Vbi exprobratâ illis incredulitate, cordisque duritiâ, haud dubiè quam priùs saltem aliqui habuerant, præsertim Thomas; ire omnes iussit in orbem terrarum, atque enunciare Euangelicæ legis mysteria; mox salutem credentibus pollicitus, & pœnas incredulis comminatus, signa docuit, quibus alteri ab alteris dignosci possent. Denique cum dixisset, vt ait Lucas [b], Euangelij promulgationem Hierosolymæ inchoandam, sacras de se scripturas interpretatus, per Spiritum Sanctum Doctorem, & Paracletum cælitùs illabentem omnes confirmandos promisit, eosdemque iussit cæleste donum Hierosolymæ præstolari. Inde extrà ciuitatem deduxit, Bethaniam vsque, siue eos sit apertè comitatus; siue dumtaxat locum condixerit in quem illicò conuenirent ipsi; aliosque discipulos conuocarent. Et fortasse antequam in Oliuarum collem ascenderent, diuertere eos longiore flexu Bethaniam voluit, vt dilecta sibi capita Magdalenam & Martham, vnàque Lazarum ad gratissimum spectaculum inuitarent, imò & Virginem ipsam Deiparam, si fortè tum Hierosolymæ non adesset, è Sanctarum sororum hospitali domo, cum pijs mulieribus Christum olim secutis, sumerent itineris comitem. Vbi ergo ad Olïueti montis verticem Sacrosanctus ille cætus ascendit, Christus, qui hactenus [c] *Sicut Gigas exultauerat ad currendam viam*, suâ virtute rediturus de terrâ in cælum, Matri potissimùm, & cæteris qui aderant salutatione impertitâ, dexteram sustulit benè precantis in morem, vt omnibus benediceret; mox paulatim toto corpore in altum sublatus, & nube interiectâ subductus ab inspectantium oculis, semet tandem intulit cælo, vnàque Sanctorum animas, quas eduxerat ex Abrahami sinu, tanquam suæ trophæa victoriæ, in regnum æternum euexit.

XXV. Ad perpetuum insignis triumphi monumentum, terra in summo colle, vbi ascendentis Christi pedes steterunt, exhibere fertur teste Hieronymo [d] eiusdem impressa vestigia, quæ labentibus deinceps sæculis, integra permanserunt, neque vllo vnquam casu deleta sunt, vel toties loco percalcato, humo effossâ, & positis ibi Romanorum castris ad Hierosolymæ vrbis excidium. Accedit Bedæ [e] venerabilis præclarum testimonium, quo dicitur ædificatum ibidem ab Helenâ Augustâ templum, rotundâ specie, ternas per circuitum cameratas porticus habens, cuius tamen interior domus, quâ parte Dominicum corpus ascendit, concamerari desuper,

ac tegi

Marginal notes:

Ducuntur Apostoli Bethaniam.

Et inde ad Oliuetum.

Christi in cælum ascensus.

a Mar. 16. ver. 14.

b Luc. 24. ver. 48.

c Psal. 18. ver. 6.

d S. Hieró. de loc. Hebraic.

e Beda de loc. Sanct. cap. 7.

ac tegi fornice vllo, seu lacunari non potuit. Addit, ibidem quotannis Sacrosancti ascensus recurrente memoriâ, re diuinâ peractâ, consueuisse validi flaminis desuper excitari procellam, & quotquot in templo tunc essent, territos humi affligere. Insuper ait, totâ illa nocte visas cælo ardere lucernas, & montem vndique complere luminibus, ac si ductum circumquaque incendium grassaretur. Sed hæc, aliaque miracula apud sacros historicos obuia. Nos subducto ex humanis tam gloriosè Christo Seruatori, vnde omnis Mariæ nostræ gloria, perexiguum pietatis tributum offerre par est, breue quidem, at plenum elogium, non alij incidendum obelisco, quàm cordi lectorum & meo.

Iesu Christi Dei & Hominis, Elogium

Verbum æternum, carne vestitum
Tanquam Solem in nube,
Oculis intueri mortalibus liceat,
Partum diuinæ mentis, & fructum virginei ventris.
In cælo sine matre genitum, in terra sine patre;
Ita natum ex patre, vt nasci desinat nunquam,
Omnium bono natum ex Matre, semel nascendo.
Venturus in mundum Deus, Matrem sibi parauit illibatam;
Fœcundam voluit esse, sed Virginem,
Quò admissus iā pridē fuerat per spiritū, eò admitti quæsiuit per corpus
Vnde viator factus, rectà incedentibus occurrit in via.
Ab aula cælesti, in agrestem caulam translatus,
Vt vbi locus ei non erat, sua sede posthabita versaretur;
Quin imò ab ipsa infantia peregrinus,
Sanguine, exilio, sudoribus, ærumnis callem sibi strauit ad Crucem.
A primo vulnere Saluatoris nomen adeptus,
Athleta nobilis, cum hoste generis humani teterrimo luctatus est;
Donec victum ab vsurpata possessione deijceret,
Tunc maximè victor, cum victus videretur.
Ad æternum cæli, terræque imperium,
Diuturnis obsequijs, & seruitute prolusit.
Priuatim subditur Matri, & Fabri filius audire vult,
Omnipotens mundi molitor ac rector.
Quin etiam sapientissimus Cælitum, hominumque Magister,
Domi ad sextum tacet quinquennium,
Foris ad vnicum triennium publicè docet.
Vsque adeò diuturniora fuerunt exempla, quàm verba.
In officina lignaria fabrum agit,
Cui mercedis loco humana sunt corda.

Demum in solem prodit, ipse Sol mundi,
Et Nazarenum domicilium, omni circà Iordanē regione permutat.
Vbi tinctus Ioannis baptismo, homines ad aquas allexit.
Vt qui designabat hominum piscatores,
Prouidè in eorum saganas prædam immitteret.
Veritatis Oraculum
Ad mare Tiberiadis scholam aperit generis humani capacem;
Doctrinam cælum, dæmones, miracula comprobant,
Factique è terra stolonibus, Gentium repentè Magistri.
De omnibus vbique benemerentem,
Totque signa prodentem diuinitatis
Iudæorum natio ingrata, cæca addicit Cruci.
At non vulneribus, non sanguine,
Non infamis patibuli probris,
Obliterari aut minui potuit morientis gloria,
Cui vita, certamen; mors, victoria; triumphus, anastasis fuit.
Sanguis innoxius, per summam fusus iniuriam
Cessit in pretium humanæ salutis.
Lateris effossi partus, Ecclesia,
Gaudet se sponso placere, eius cruore purpuratam.
Virgo Mater indiuidua viuentis Filij comes,
Gladio doloris, propè cruci confixa cum mortuo,
Eo resurgente lætitiæ particeps, ac triumphi;
Ascendentem in cælum amore prosequitur,
Eiusque vestigia gaudet, non humi solum, sed cordibus impressa;
Nec de moribus vnquam Christianorum obliteranda.

Deiparæ & Apostolorū reditus Hierosolymam post Christi ascensum.

Domus ab ijs habitata.

XXVI. Reuerso in cælum per admirabilem ascensum Christo, Sacrosanctus discipulorum cœtus, vnàque Dei Mater, nondum oculos auerterant à spectaculo; cum à duobus Angelis admonentur, Dominum, quem euehi in altum vidissent, rediturum in nube ad supremum generis humani iudicium. Itaque cælo illatum reueriti, sese Hierosolymam receperunt, itinere non longo distantem, Ioannis Marci domo, in Sionis monte sitâ ad hospitium vsi. Hanc Maria eius mater, filij accedente consensu, cum Christo primùm, Deiparæ, Apostolis, pijsque mulieribus aperuisset, mox talibus consecratam hospitibus, vbi nouorum Christianorum facultates vltrò ad Apostolorum pedes abiectæ, in communem Fidelium vsum cedebant, eisdem dedit possidendam; vnde factum videtur, vt nata paulò ante Ecclesia, sub auspicijs Virginis Matris primam ibi sedem inuenerit. Eius domus in templum

plum

plum conuersæ meminit S. Hieronymus [a], atque eò delatam ait columnam; ad quam Dominus flagellis est cæsus; id quod etiam ad loci commendationem scriptum reliquit Beda [b].

a *Hierony. epist. 27.*
b *Beda de loc. sanct. cap. 3.*

XXVII. Hîc ergò cum ad centum viginti conuenissent, vt narrat Lucas [c], Petrus Apostolorum Princeps, atque à Christo Vicarius in terris relictus, vt publico Ecclesiæ bono consuleret, ex collecto ibi cætu substituendum proposuit aliquem in Apostolatus gradum, vnde proditor Iudas exciderat, voluntario suspensus laqueo, & corpore toto disruptus. Huic electioni duos potissimum maximè idoneos exhibuit chorus ille Sanctorum, Iosephum cognomento Iustum, & Matthiam, ex duobus, & septuaginta discipulis vtrumque. Primus Iacobi minoris, & Iudæ Apostolorum creditur frater, Alphæi seu Cleophæ filius, ipsius Christi consobrinus, Iosephi Deiparæ Sponsi nepos ex fratre, atque etiam Virginis eius Sponsæ. Alter Matthias fuit, qui ex notione nominis, Dei donum sonat, *quasi omen* inquit Beda [d], *in nomine fuerit, ab Apostolatu, qui ei collatus est.* Datâ enim ambobus sorte, quam diuino quodam signo constitisse, ait Dionysius Areopagita [e], vnde voluntas Dei in re propositâ insinuaretur Apostolis, id signi cecidit super Matthiam, qui omnium suffragijs assumptus est in Sacerdotium à Iudâ relictum. Tantæ deliberationi fusæ vnanimiter ab vniuerso cætu ad Deum preces non defuere, quibus præuijs negotia vel sorti commissa, fortuita minimè sunt: quoniam Salomone [f] teste, *Sortes mittuntur in sinum; sed à Domino temperantur.* Hanc sortem ab Apostolis datam, quæcumque illa fuerit, rexit quidem hominum ex parte prudentia; at si rem altiùs intueamur, præcipuam eius ducem fuisse diuinam prouidentiam, facilè cognoscemus, certumque documentum licebit inde percipere, non ex iure cognationis, aut aliâ sanguinis prærogatiuâ Sacerdotia distribuenda, considerantibus Iosephum, vel Christi & Deiparæ consanguineum, à moribus iustum; nihilominus postpositum fuisse Matthiæ, vbi ab integerrimo cætu actum est, de Apostolatus dignitate alterutri conferendâ, quoniam ità faciendum declarauit, consultum diuinæ voluntatis oraculum. Item addiscendum nobis est insigne Christianæ moderationis exemplum ab eodem Iosepho, qui non solùm non ægrè tulit, se alteri posthaberi; quia etiam vel non cooptatus inter Apostolos, Apostolicis deinceps laboribus non pepercit, operâ donec vixit egregiè præstitâ in Ecclesiæ vtilitatem; neque eos est imitatus, qui eiusdem hostes euaserunt, quòd ab insulis,

c *Luc. act. 1. ver. 15.*
d *Beda.*
e *Dion. Areop. de Eccles. Hierar. cap. 5. par. 3.*
f *Prouerb. cap. 16. v. 33*

S. Matthiæ in Apostolū electio.

Data in electione sors.

Insignis Iosephi iusti virtus.

insulis quas ardenter ambiebant, fuerint ante reiecti. Ità fecisse constat anteàctis retrò sæculis Tertullianum, Nouatum, & proximè superiore Lutherũ honorum frustrà percupidũ.

XXVIII. Decimo post Christi ascensum die, atque à resurrectione quinquagesimo, quo apud Hebræos in memoriam datæ diuinitus in monte Sinâ legis, Hebdomadarum, seu Pentecostes solemnitas recurrebat; illapsus est in sacrum illum cætum Spiritus Sanctus, ignitarum linguarum formâ, non sine fragore aëris à vento commoti; donum cælitùs in terras missum, eâque vbertate discipulis superfusum, vt repente quasi diuino incendio immutati, nouos sensus induerint; *repleti*, vt ait Lucas [a], *omnes Spiritu Sancto*. Quo tempore in signum accepti diuinitùs amplissimi muneris, pluuiæ instar linguarum faculæ singulorum capitibus insederunt; vnde sacra pectora suprà conditionem humanam sapere, diuinæque charitatis maximos concipere ardores ceperunt. Vis cælestis doni plenior, vberiorque in B. Virginem descendit, tanquam magistrorum magistram, & gratiarum exuberantiâ Sanctis omnibus anteferendam. Apostoli præterea, cæterique discipuli, quoad facultatem intelligendi, tantum habuere luminis, quantum satis erat id temporis ad enunciandam Euangelicam veritatem, nouâ deinceps accessione semper illustrandi. Infusæ cælitus doctrinæ vim ostendit subitum donum linguarum, quibus ità locutos sacra docet historia; vt nationes variæ, quæ tunc Hierosolymâ conuenerant, dicta cum admiratione perciperent; siue vna foret eorum lingua, quæ in audientium externorum auribus ità sonaret, perinde ac si proprio vniuscuiusque idiomate loquerentur, vt censuere ex antiquis Arator [b], Chrysostomus [c], Oecumenius, Carthusianus, ex recentioribus Gaspar Sanctius [d]. Seu potius verè imbuti variarum cognitione linguarum, singulis vterentur, pro nationum varietate, ad quas sermo habebatur; sicuti videtur innuere S. Lucas [e], dum ait: *cœperunt loqui varijs linguis*. Idemque de Apostolis Christus apud Marcum [f] prædixerat: *linguis loquentur nouis*. Quod etiam Sancti Patres confirmant esse factum, Augustinus [g], Ambrosius [h], Leo [i], Gregorius [k]. At hîc suboriri cuipiam dubitatio posset: an ex cætu sacrosancto, in quem diuinus illapsus est Spiritus, omnes centum viginti eo contenti, etiam Virgo Deipara, piæque mulieres, donum pariter linguarum acceperint? Negat Caietanus [l] eâ ductus ratione, quòd eiusmodi donum concionatoribus tantùm videtur concessum, tanquam necessarium euulgandis in omnes

Sancti Spiritus in Apostolos allapsus.

Atque in Deiparam.

Quomodo Apostoli varijs loquerẽtur linguis.

An Virgo Deipara, & mulieres habuerint donum linguarum.

a *Luc. Act. 2. ver. 4.*

b *Arator Poetica Actorum paraphrasi.*
c *Chrysost. Oecumen. Carthus. in Acta Apost.*
d *Gaspar Sanctius ib.*
e *Act. 2. v. 4.*
f *Marc. 16. ver. 18.*
g *August. tract. 93. in Ioann.*
h *Ambros. in Psal. 18.*
i *S. Leo ser. 1. de Pent.*
k *Gregor. Hom. 30. in Euang.*
l *Caiet. in 3. p. S. Tho. qu. 27. ar. 5.*

nes gentes fidei Christianæ mysterijs, neque id muneris ad Virginem Matrem, mulieresque spectabat, dicente Apostolo [a]: *Docere autem mulierem non permitto*. Affirmant nihilominus SS. Antoninus [b] & Magnus Albertus, quos laudat, sequiturque Suarius; quia & si ad concionandum in orbem terrarum vnà cum Apostolis missa Virgo non est; fieri tamen potuit, imò factum probabiliter censent; vt susceptis vbique gentium Christianæ fidei sacris, ad eam inuisendam ex longinquis regionibus multi fideles accesserint, quibuscum agere illam par erat, atque expedité loqui per ipsorum linguæ vsum. Ità accidisse ex Patrum testimonijs, & sacrà historià Suarius colligit, & nos infrà docebimus. Quin etiam probabile censet idem Doctor; ante illapsum in Apostolos Spiritum Sanctum, dono linguarum ornatam fuisse Deiparam, & siue Magos Bethlemum profectos, siue Aegyptios, cum illic egit, suo ipsorum idiomate loquentes intellexisse. Rupertus [c] Abbas opinatur, quandoque publicos habuisse sermones, sed hoc certum non est. Equidem credo ductum iri ab omnibus inconueniens; ipso Pentecostes die, coram tot nationibus Apostolos varijs linguis loquentes, perceptos à Deiparà non fuisse, illamque hoc dono caruisse, quam vt que *omnibus gratijs abundasse* scribit S. Athanasius [d], Cornelius verò à Lapide [e] hanc variarum linguarum intelligentiam singulis esse concessam ait in eum cætum coactis, siue viris, siue mulieribus, & præter Deiparam, de quâ diximus, fuisse præsertim hoc dono præditam Magdalenam, quæ Apostolos imitata, Christum Massiliensibus enunciauit, neque idipsum licet negare de Marthâ, cum testimonia Scriptorum, commendantium Sanctarum sororum labores in vineâ Christi, neutri desunt.

Affirmans sententia probabiliter.

a S. Paul. 1 Tim. c. 2, v. 12.
b S. Antoninus, & Albertus Magnus apud Suar. to. 2. in 3. p. disput. 20. sect. 2.
c Rupertus l. 5. in Cãt.
d S. Athan. orat. de Deip.
e Corn. a Lapide in Acta Apost.

XXIX. Post illapsum Sancti Spiritus exeuntes domo Apostolos cum vniuerso comitatu, ilicò excepere miracula. Nam rudes antea, & illitterati piscatores, eloquentià planè cælesti diuina mysteria enunciarunt: audientes verò ex omni natione Iudæi, qui Hierosolymam ad festum confluxerant, suam singuli linguam à Galilæis interlocutoribus perceperunt. Denique ad confertissimam turbam verba primùm faciente Petro, tria hominum millia adiuncta sunt Christo. Gaudium hinc conijcere licet Sanctissimæ Virginis, tantum ad Christianam fidem fieri accessum videntis: nam quæ magnâ animi consensione, sicuti Lucas [f] testatur, in precibus cum sacro illo cætu perstiterat, vt Deus adesset Apostolis, cæterisque Euangelicæ legis sacramenta promulgaturis; lætata pluri-

Egressus Apostolorum è cænaculo.

Vis eorum in loquendo summa.

Deiparæ lætitia ex Ecclesiæ incrementis.

f Act. 1. v. 14.

plurimùm eſt, cum imploratam à ſe diuinam opem, vtique præſentem agnoſceret? excipiebat, vt vera mater, quotquot Chriſtiana ſacra ſuſciperent, & ſolâ, quam ſpirabat, pietate, nouos naſcentis Eccleſiæ partus fouebat formabatque, cunctis illius memoriæ viris ac fœminis tum admirationi, tum venerationi, vt S. Ildephonſus [a] ait. Sanctitas primorum Chriſtianorum eximia, quâ *perſeuerantes* teſte Lucâ [b] *in doctrina Apoſtolorum*, ſiue Dei verbum ab Apoſtolis promulgatum auidè ſuſcipientes, operibus comprobabant, fructus quidem erat, Chriſti ſanguinis paulò ante fuſi, & ferè adhuc in memoriâ iuſtorum ebullientis; at etiam viuo Deiparæ exemplo referri poteſt accepta; quæ nimirum Virgo ità cunctis præibat, omni virtutum genere, vt Filij iam in cælo regnantis quaſi ſpeculum videretur; ſumendo quotidie ſub ſpecie panis ſanctiſſimo Chriſti corpore, fundendis ad Deum aſsiduè in templo precibus, atque exercendis fraternæ charitatis operibus, ſignum egregiè præferens Angelicæ illi Reipublicæ, à Diuo Chryſoſtomo [c] deſcriptæ. *Ecce Ieſu aſcendente*, inquit præterea Sophronius [d] *cum quibus Virgo vacat in ſchola virtutum, & meditatur in lege mandatorum Dei, vt & ipſa ſit forma diſciplinæ Chriſti, & exemplum perfectionis hominibus.* Et paulò poſt: *Inuenitur prima B. Maria inter primos ſummi Regis cohæredes.* Viuebat illa de communibus bonis, more cæterorum; cum noua Fidelium multitudo, verè [e] *cor vnum, & anima vna* venditis facultatibus, pretioque ad Apoſtolorum pedes proiecto, tantum acciperet, quantum ſingulis ad victum, veſtitumque ſatis eſſet: vnde conficit Beda [f]; ità diſtributum fuiſſe Ioanni Apoſtolo, quod opus erat; *vt illic etiam B. Mariæ tanquam matris, portio poneretur.*

Sanctitas primorũ Chriſtianorum quomodo ad Deiparam poſſit referri.

Vnde eiuſdẽ victus?

[a] S. Ildef. ſer. 5. de ſump. V. ad Ioan.

[b] Act. 2. 42.

[c] Chryſoſt. Hom. 7. in Act. Apoſt.

[d] Sophron. ſerm. de Aſſump.

[e] Act. 4. v. 32.

[f] Beda in 19. Ioan.

XXX. Gaudium Virginis de cætu Fidelium in dies creſcente, dolor ſubinde coortus interpellabat, cum animaduerteret, Iudæorum primates ex inueterato in Chriſtum odio, diſcipulis Magiſtri doctrinam enunciantibus minaciter obſiſtere; iam Petrum [g] & Ioannem ad examen vocatos à magno Synedriorum concilio, quòd ab ipſis natalibus claudum, in Ieſu nomine perſanaſſent; iam omnes ſimul Apoſtolos coniectos in vincula, affectos contumelijs, & flagris cæſos dimitti. Quis non credat, ſacram familiam à vinculis & carcere liberam, illicò domum ad Virginem Deiparam rediiſſe? nunciaſſe quæ pertulerit? opportunâ conſolatione leuatam, robur & vim ad imminentem cladem recepiſſe? Interim propagandæ ac ſtabiliendæ in vrbe Hieroſolymâ fidei rurſus intenta precationes

Dolor Virginis de prima perſecutione à Iudæis in Apoſtolos excitata.

[g] Ex Act. Apoſt. c. 3. & 4.

cationes statis horis repetendas instituit, vnde mos in Ecclesiam inuectus, sacras seu Canonicas, vt vocant, Horas recitatione, aut cantu celebrandi; qui mos à Clericis etiamnum seruatur ac Monachis. Prima hæc Apostolorum instituta, & probasse Deiparam, & operibus integrè seruata exhibuisse omnibus in exemplum, quotusquisque non videat? At verò profusam opum largitionem, quas omnium vsibus profuturas, sponte proijciebant ad pedes Apostolorum primi Christiani, excepit Ananiæ [a], & Saphiræ mendacium, & consecuta per interitum pœna: cum enim ex agro vendito partem tantùm pretij Petro detulissent, mentientes totum esse, illicò exanimati sunt; vnde exortus in omnibus est diuinæ iustitiæ metus. Cum verò Hierosolymæ augeretur in dies Fidelium numerus; Iacobus Alphæi, Iesu Christo, vt sanguine & moribus, ità vultu simillimus, eius vrbis Episcopus à Petro institutus [b] est: nam & si Episcopatum à Christo Apostoli receperunt, amplissimo Sacerdotio insigniti, quod Iudæ proditori fuisse testatus est S. Petrus [c], cum indictà alterius subrogatione, dixit: *& Episcopatum eius accipiat alter*: attamen idem Petrus, vt Christi in terrâ Vicarius, potuit certam Iacobo Ecclesiam designare, atque eiusdem consecrationi adhibere socios Iacobum alterum, & Ioannem; vt ritus instituendi Episcopi posteris traderetur, cum ex Anacleti [d] epistolâ testatum habeamus; id tum fuisse ratum, vt electus Antistes, non minus quàm à tribus Episcopis consecraretur.

Prima Horarum Canonicarum institutio.

Ananiæ et Saphiræ mēdacium, et mors.

Iacobus Alphæi Episcopus Hierosolymæ.

a Act. 5.

b S. Ioann. Chrysost. in Act. Hom. 87.

c Act. 1. v. 21.

d Anaclet. epist. ad Episc.

XXXI. Postquam malè accepti sunt in concilio Synedriorum Apostoli; & redeuntes gloriæ sibi duxerunt flagella, & probra; malus Dæmon insidiarum ac fraudum sator, cætum illum nouorum Christianorum vnanimem, aliâ viâ aggredi cepit; vt in partes scinderet, sibi inuicem diffidentes. Cum enim ex omni ferè natione Iudæi in Christum credidissent, ortum est diffidium inter eos, qui ex Græcis; eosque qui in Palæstinâ nati Christiana sacra susceperant. Conquerebantur alteri, inquit Lucas, de alteris, externi de indigenis, quòd distribuendis quotidie in cætum Fidelium alimentis, potior cura vergeret in viduas indigenarum, ijs posthabitis, quæ ad Græcos spectarent. Huic dissidio prouidè occurrerunt Apostoli, præpositis ministerio communis victus diaconis septem, qui mensas curarent, & singulorum necessitati diligenter, exactèque consulerent. Primus ex eo numero Stephanus fuit, quem sub disciplinâ Gamalielis ad Mosaicæ legis peritiam vnà cum Saulo informatum, mox ad Christi signa traductum,

Dissidium in Ecclesia à malo Dæmone.

Act. 6. v. 1.

Septem Diaconorum electio. Quorum primus Stephanus.

ctum, in præclarâ eius confessione, coniectis tumultuosè lapidibus, Iudæorum furor oppressit; ex numeroso, qui deinceps secutus est, Sanctòrum Martyrum choro antesignanum. In huius nece illud præcipuè huius est loci, quòd Virgo Deipara, id temporis Hierosolymæ commorata, rerum à nouis Christianis præclarè gestarum spectatrix fuit, patrona, atque auxiliatrix bellantium; ac Stephanum maximè Martyrum principem, ad excipiendos lapidum ictus, mortemque pro Christo generosè obeundam, suis apud Deum precibus præsens adiuuit. Testantur id multi [a], qui sacra Palæstinæ loca descripserunt, & peregrini [b] indidem redeuntes confirmant; nam extare adhuc lapidem aiunt, extrà vrbem Hierosolymam, non procul ab Ephraimi portâ, (deinde fuit à S. Stephano nomen) super quem lapidem flexis Virgo genibus, Ioanne Apostolo comite Deum precata, Stephano affuerit, dum à lapidum iactu, eminus inspectato, Martyrum primipilus moriens certamen absolueret. Tantâ ille adiutrice, specimen ingens edidit heroicæ fortitudinis. Expende, quot sint in vno certamine mira. Inter saxa obrutus ipse sibi trophæum, & corona fuit. Os Angeli, si beatæ mentes corpus induerent. Apta flectendis Iudæorum cordibus eloquentia, nisi iam obduruissent in saxa. Cælum apertum, & Iesus agonotheta, quasi ad pugnam stando paratus, si in regiâ summæ tranquillitatis vlla victori ac triumphanti pugna superesset. At nihil mirabilius, quàm sub ictum mortis preces pro percussoribus fundere: hosce de cælo spiritus in suum militem Christus immittebat, at precibus magnæ Virginis impetratos. Saulus in eo conflictu, Stephanum suum olim apud Gamalielem in litterariâ palæstrâ commilitonem, manibus persecutus omnium, quorum vestes custodiebat, non precibus ipsius Stephani tantùm, sed & Virginis Deiparæ, datus Ecclesiæ creditur, & permutatus in Paulum: cum enim sub cruce Virgo, Sanctorum mater in personâ S. Ioannis, à Christo fuerit constituta: quid mirum, si inter summos dolores, quos à cæde Stephani, & percussorum scelere tunc patiebatur, Paulum quasi Beniaminum alterum, nempe dexteræ Christi filium, fusis ad Deum precibus genuerit; eundemque Benonium, doloris sui filium, appellare potuerit? Par erat, Virginem Martyrum Reginam, adesse Martyrum primipilo, sub lapidibus coronando; & purpurati Sanctorum agminis, cui Stephanus præibat, suscipere patrocinium: par erat, vt illi Ecclesia, non Stephanum modò, sed Paulum quoque deberet, destinatum à Deo Gentium Apostolo-

Protomartyr à Deipara precibus apud Deum adiutus.

Insigne monumentum Marianæ pietatis.

In Stephani certamine mira.

Rogat Deum pro Saulo etiam Deipara.

Paulus ad Deiparam doloris filius

a Burchar. in itinerario. p. 1. c. 7. b Io. Zual. l. 3. itin.

Apoſtolum, Petri comitem, & *Vas electionis* ad populos Idololatras. Cæterum quartus hic atque trigeſimus Chriſti annus, eiuſdem ſanguine abundè reſperſus, ante quàm claudatur, auget Seruatoris triumphum Protomartyris cædes, tanquam primitiæ ſacrorum Heroum, oblatæ Deo, non ſine interuentu Virginis matris.

XXXII. Denique ex hiſtoriâ profanâ non deſunt, quæ more noſtro rebus hucuſque narratis opponantur. Tiberius primùm tot ſceleribus per hos annos infamis, ſæuit cæde nobilium, & maximè cognatorum; dum verus Cælitum, hominumque Imperator Chriſtus, ſuo merſus ſanguine, mundum expiat, ſuiſque vulneribus Eccleſiam parit, toto terrarum Orbe amplificandam. Deinde Roma plurimorum ciuium ſupplicia lugere cogitur, Principis crudelitate nondum exhauſtâ, cum Virgini Deiparæ, cæli terræque Reginæ, in vnius cæde Filij, qui eſt inſtar plurimorum, doloris gladius, à Simeone prænunciatus, peruadit animam. Romæ vncus, patibulum, ſcalæ Gemoniæ paſſim exhibent cæſorum ſpectacula, eandemque viuis lanienam minantur; dum Hieroſolymæ crux imbuta ſanguine morientis Dei, ſurgere vel mortuos ad vitam iubet. Viuentis adhuc ad Capreas inglorij Cæſaris fama, orbem vndecunque circumuolat, nec abditæ ſpeluncæ probra diſſimulat; dum occumbentis in Iudæâ Numinis nuncius, non modò per prodigioſam Solis defectionem, quam Dionyſius Areopagita [a] annum ætatis agens quintum ferè ac vigeſimum, præter naturæ ordinem, Heliopoli ſe vidiſſe teſtatur, aut per [b] vrbes terræ motu collapſas; ſed per auditam quoque ad Echinadas [c] vocem: *Magnus Pan mortuus eſt*, Gentes in admirationem, luctumque excitauit. Romanum imperium, quod ferè mundi principatus omnes exhauſerat, & populus Hebræorum, olim Deo ſuprà cæteros gratus, Chriſto iam per crucem regnum exordienti, eiuſque Apoſtolis vel ludibrio habitis ſibeſſe incipit; dum iſti clientes Virginis audiunt, & ille [d] *Filius hominis* nominatur. Illud præterea taciti præterire non poſſumus, opportunè à Salliano [e] indicatum, quo tempore verus mundi Dominus, ac generis humani vindex, ſanguinem ſuum ac merita inæſtimabilis pretij in Sacramenta diſtribuit, eodem Tiberium, trabeatum voluptatis mancipium, egregiam populo vſuris oppreſſo liberalitatem præbuiſſe, diſpoſito per menſas millies Seſtertio, factâque mutuandi copiâ per triennium ſine vſuris. Sic in annum à Chriſti meritis quæſtuoſiſſimum, profuſa quoque concurrit

Humana huius anni, ſacris opponũtur.

a Dion. Areop. Epiſt. ad Polycarpum.
b Plinius l. 2. c. 84.
c Plutarchus.
d In Euãgeli.
e Sallianus An. mun. 4086.

Romani Principis munificentia, quâ ferè quinquies centena millia populo donata, supputauere nonnulli.

Annus Christi 35. B. M. Virginis 49. Tiberij Imp. 20.

I. ALter à Christi in cælum ascensu vertitur annus, qui & ab ortu quintus suprà trigesimum numeratur; cum auctâ Hierosolymæ mirum in modum Fidelium multitudine, certam ediderunt Apostoli Fidei regulam, quam ex collatâ à singulis sententiâ, Apostolorum symbolum dicimus, quasi veræ tesseram Religionis, & rerum Synopsin credendarum. Certè iam tum euulgatam fuisse oportuit, discipulis Christi, in multas terræ partes proximè dispergendis, & sacræ culturæ vbique noualia Domini paraturis. Quare Clemens Romanus [a] illis nondum digressis Hierosolymâ, symbolum ab Apostolis conditum asserit post allapsum Sancti Spiritus, adhuc in vno positis. Sic opportunè parata fertur antidotus, aduersùs falsorum dogmatum venena quamplurima, quæ consecuturis deinceps temporibus, à stygijs anguibus immissa, doctrinam Euangelicam tentarunt inficere. At probabile etiam videtur, post editam fidei regulam, collatumque symbolum, illicò inter Apostolos haud dubio Numinis instinctu, orbis distributas esse prouincias, quibus suo singuli tempore Christum annunciarent; quoniam symboli constitutio, eò tendebat, vt Apostolis peregrè in varias mundi regiones profecturis, ad Christianam Religionem propagandam, norma foret, ac summa sacræ doctrinæ populis tradendæ, & ijs, qui conuerterentur ad Christum, tessera fidei susceptæ: ideòque S. Augustinus [b]. *cum*, inquit, *per aduentum Spiritus Sancti, discipuli Domini linguis omnium loquerentur, ad singulas quasque nationes, vt Dei verbum prædicarent, ituri ac discessuri ab inuicem, normam priùs sibi futuræ prædicationis statuerunt*. Præterea hæc facta esse, cum adhuc Hierosolymæ morarentur Apostoli, nemo negabit: atqui post hoc ipsum tempus, vel non fuere illi vnquam simul omnes, vel certè definire non possumus, quando potissimū eâ in vrbe simul morati sint. Si denique vti verum assumimus; tunc distribuisse inter se Apostolos mundi regiones, diuini verbi promulgatione excolendas, cum delatum est Iacobo minori Hierosolymæ Sacerdotium, in quo sua illi prouincia quodammodo contigit: & cùm certum sit; post

Edita ab Apostolis regula fidei.

In eosdem variæ Orbis prouinciæ distribuũtur.

a Clemens epist. 1. ad Fratres Domini.

b S. Aug. serm. 181.

post aduentum Sancti Spiritus, vno ferè, aut altero anno, Iacobum Alphæi, constitutum fuisse Hierosolymæ Antistitem; cur non eodem tempore destinatam dicas Petro Romam, Ioanni minorem Asiam, Andreæ Achaiam, Philippo Asiam superiorem, Thomæ Indiam, Bartholomæo Maiorem Armeniam, Matthæo Aethiopiam, Iacobo Zebedæi Hispaniam, Simoni & Iudæ Mesopotamiam, Matthiæ Iudæam; licet de singulorum discessu Hierosolymâ atque aduentu in prouincias, nihil affirmari certius possit, quàm non omnes statim, nec simul itineri se dedisse, Palæstinâ relictâ? Huic sententiæ subscribit Christophorus [b] Castrius post accuratum quæstionis examen, in quo eam vltrò & amplectitur, validisque rationibus firmat.

a Euseb. in Chron. & l. 3. hist. Eccles. c. 1. & 11. & l. 7. cap. 16.

b Castrius Hist. Deiparæ c. 18. nu. 6. in fin.

II. Sacra rerum ab Apostolis gestarum historia, quam scriptam reliquit S. Lucas, innuit clarè Deiparam Hierosolymæ affuisse, cum rei Christianæ initia, cœtus ab ipso Christo institutus ibidem curaret, quod idcircò factum censemus, probante Amedeo [c] Lausanensi, vt postquam Iesus ad Patrem rediit, Apostoli materno solatio, & eruditione fruerentur; qui & si plura & magna didicerant à Spiritu Sancto, adhuc tamen à Virgine poterant edoceri, de cuius vtero diuina Sapientia prodiit carne vestita. Quis ergò neget, susceptum iam tum à Deiparâ nascentis Ecclesiæ patrocinium, ad excolendum agrum Domini confirmatos Apostolos; & nouos Christi athletas ad rem benè gerendam consilijs, ac monitis incessanter adiutos? de eius in primos illos Euangelicæ veritatis præcones magisterio, infrà nos fusius. Interim, antequam de nidulo prodeant, volaturæ ad extremos mundi fines columbæ, excipiuntur atque fouentur à Virgine [d] *sub vmbra alarum suarum*, post hoc tempus, vt videbimus, non facilè in vnum omnes colligendæ. Nemo autem miretur, descriptâ Apostolorum historiâ, atque à Christi triumpho ad quartum vsque Neronis annum perductâ, de rebus à Deiparâ gestis, tradi tantùm initio perpauca, quòd nimirum in Sionis montem receperit sese, cum vniuerso discipulorum cœtu, diuini spiritus aduentum præstolatura; quòd in communi illo Ecclesiæ negotio Deum precata constanter sit, documentum omnibus præbens, quomodo cælestis Pater possit ab hominibus exorari: nulli, inquam, hoc mirum sit; quoniam in eâ historiâ præcipuum Scriptoris consilium erat, propagatam per Apostolos Christianam fidem, & primæ Ecclesiæ incrementa litteris consignare; & vitam à Virgine gestam, tanquam insi-

Initio nascentis Ecclesiæ fuit Hierolo-lymæ Deipara.

c Amedeus Lauf. Hō. 7. de Dep.

Apostoli sub patrocinio Sanctissimæ Virginis.

d Psal. 16. ver 8.

Cur perexigua de illa mentio in Actibus Apostolorum.

gne

gne mysterium, magnâ ex parte hominibus incognitam esse volebat Deus, vt dixit Toletanus Antistes [a] Ildephonsus. Datum hoc modestiæ Virginis, datum humilitati, cuius illa exemplum fuit; vt, quæ plurimùm Ecclesiæ primordijs profuit, exemplo, consilio, precibus, & operâ præstitâ, vix passa sit in Apostolorum historiâ recenseri.

a S. Ildephon. ser. de Assump. B. Mariæ

III. S. Stephani cædes, non modò non sedauit excitatum Hierosolymæ in Christi sectatores paulò ante motum; quin potius initium fuit, vnde Iudæi primam in Christianum nomen belli facem accenderent; & iterum vetus Simeonis vaticinium nouus euentus comprobaret, cum Christus, vt olim in se ipso, sic iterum in suis patuit persecutorum furori, nouisque dolorum gladijs animus Matris. Gens ergò ad oppugnandam veritatem obdurata, postquam impetum in Stephanum fecit nimbo saxorum; quot quot Christo nomen dederant, eiecit omnes Hierosolymâ, præter Apostolos, teste Lucâ [b]; sic diuino consilio exules primùm in varias Iudææ, & Samariæ regiones Christiani; & mox etiam aliò; contribulibus Iudæis additi habitantibus vbique terrarum, nouas ex illis accessiones fecere Christo; atque Ecclesiâ Dei feliciter propagandâ, viam strauerunt Apostolis ad labores. Illi interim Hierosolymæ restiterunt, Deo sanctæ ciuitati potissimum itá consulente, vt abstinerent ab eorum insectatione Iudæi, fortasse quòd populo grati, nouæ promulgatione doctrinæ, & miraculis passim editis, sine tumultu exturbari non poterant. Cæterorum eiectio per Saulum effecta est, qui exilio Christi discipulis indicto, militari licentiâ domos ingressus, & latebras quascumque scrutatus, si quos inuenisset è ciuitate nondum egressos, conijciebat in carcerem, supplicio afficiendos. Imò etiam Hierosolymâ profugos persecutus, acceptis à Sacerdotum Principe litteris, Damascum contendit, vt quoscumque nactus esset Christiana sacra professos, reos Hierosolymam ad vincula, pænasque pertraheret. In itinere contigit eius ad Deum conuersio, cuius seriem fusè S. Lucas [c] recenset, cum visus illi de cælo Christus circumfulgente luce cursum inhibuit, perculsoque pariter, atque prostrato lumen, quod abstulit ad tempus in corpore, æternum in mente restituit. Emissæ pro percussoribus à Stephano moriente voces, atque adeò sanguis, de terrâ clamans, ex Saulo Paulum Ecclesiæ dedit, repente ex lupo agnum, Christique asseclam ex Iudæo: pro ministerio in vestium custodiâ lapidatoribus exhibito, hæ redditæ vices. At Virgini Deiparæ vtrumque debemùs, quoniam illa

Prima Christianorũ persecutio à Iudæis.

b Act. 8. v. 1.

Eorundem eiectio Hierosolyma.

Maximè per Saulum.

c Act. 9.

Qui in itinere Damasceno ad Christum conuertitur.

illa pro vtroque (vt diximus aliorum secuti sententiam) orauit, & perorauit. Cæterum Paulus ductus Damascum à suis, apud Ananiam Christi discipulum, quem vis persecutionis Hierosolymâ expulerat, salutem corporis, animique suscepit.

IV. Verùm dispersis per Palæstinam Fidelibus, mox etiam aliò abituris, adhuc conuenientes in vnum Apostoli, Hierosolymæ se continent, dum Sancto Spiritu duce, Ecclesiæ optimis institutis stabiliendæ vacant. Sed difficultas occurrit non facilè expedienda manserit'ne Deipara cum Apostolis; an potius eidem cum cæteris procellæ cedens, Hierosolymâ relictâ, aliò se receperit. Nuperus auctor, expenso S. Lucæ de Iudaicâ persecutione testimonio, ostendere ratiocinando se credit, amandatam à Ioanne ad tempus fuisse Ephesum. Sed cum è sacro Historico habeatur, ad Iudææ ac Samariæ regiones fugisse Fideles Hierosolymâ pulsos, manentibus ibi tantùm Apostolis, tota corruere videtur assertio, neque enim ex eo vim vllam acquirit, quòd ferè compertum apud omnes iam sit; D. Virginem recepto in cælum Christo, Ephesi aliquandiu commoratam esse cum S. Ioanne, id quod haud obscurè testati sunt Ephesini Concilij Patres [b]; quoniam tum illa migratio semel fuit, tum etiam ex communi Scriptorum sententiâ in aliud tempus reijcitur, vt infrà docebimus. Interim probari posse dicimus ex Apostolorum historiâ; anno Christi quinto ac trigesimo, non mansisse Deiparam Hierosolymæ: *nam Saulus*, inquit Lucas [c], *deuastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres, tradebat in custodiam.* Sauli furor vel in fæminas sæuiebat; ideòque verosimile non videtur, permisisse Ioannem & Apostolos, vt erumpente in primos Christi sectatores acerrimo Iudæorum odio, D. Virgo in vrbe Hierosolymâ resideret, vbi periclitabatur vita, & libertas ipsius. Patientem olim Dominum piæ mulieres, absque vllâ offensâ, intrepidæ secutæ sunt ad Caluariæ locum, ac denique per militarem custodiam adiere sepulcrum. At nunc quæruntur ad carcerem, & deposcuntur ad necem. Quòd si Maria & Martha, sororum par Christo gratissimum [d], cum fratre Lazaro, Marcellâ pedissequâ, Maximino, alijsque comitibus, sub hunc ipsum annum cymbæ imponuntur, velis remisque detractis, atque ad certum naufragium demittuntur in pelagus: *quantò magis impetu illo tanquam fluuij obijces primùm transilientis, inuasuros fuisse Iudæos in Dei Matrem dicemus, in quam eò crudelius nationis odium, quò illustrior eius fama ferebatur? Ad hæc designare locum, quò profecta* ad tem-

Fideles dispersi vi persecutionis præter Apostolos.

An eiectis Hierosolyma Fidelibus, manserit ibi Deipara.

Pars negans admittitur.

a Act. 8. v. 1

b Epist. ad Cler. Constantinopolitanum.

c Act. 8. v. 3

d Ex tertio Actu.

Quònã Virgo profecta sit. ad tempus sit, dum persecutionis flamma deficeret, difficilimum est, cum certi aliquid nusquam prodatur. Attamen probabile ducimus, non exiuisse illam de Palæstinâ, vbi non vno in loco domos, & cognationem habuit; cum præsertim afferat S. Lucas [a], eiectos Hierosolymâ Fideles, in regiones Iudææ & Samariæ se recepisse. Neque verò abeunti Virgini comitatus defuit piarum mulierum, quæ eius lateri iam pridem adhæserant, ideòque procellæ impetum feliciter euaserunt. At enim Ioannes tunc Hierosolymæ mansit cum reliquis Apostolis, teste Lucâ: id vtique non negamus, neque incommodum vllum ducimus; si Deipara id temporis aliquò profecta ponatur, ibique commorata aliquandiu sine Ioanne: nam vbi Samaria [b] concionante Philippo Diacono Christi sacra suscepit, missus est eò cum Principe Apostolorum Ioannes, nec tamen eòdem pariter accessisse Virginem vllus dixit, quòd non ità firma foret, ac perpetua Euangelistæ Deiparæque coniunctio, quin identidem ex causa disiungerentur, quæ causa tum certè accidit maxima, cum omnibus, solisque Apostolis, post obrutum lapidibus Stephanum Hierosolymæ remanentibus, cæteri qui in Christum credidissent, omnes abigerentur, ne fœminis quidem relictis, quod tradit expressè Sanctus [c] Lucas. Redditâ verò Ecclesiæ pace, auctoque per Iudæam & Galilæam Fidelium numero, ad Virginem inibi degentem Ioannes se contulit, eamque secum reduxit ad destinatum Sionis habitaculum. Neque leuis est coniectura suscepti ab Apostolo in hunc finem itineris, quòd quarto ab hinc anno, octauo nimirum, ac trigesimo post Christum natum, Hierosolymæ ille non erat, cum Paulus elapso à suâ ad Deum conuersione triennio, vt ipsemet scribit [d], venit in sanctam ciuitatem, Petrum Apostolorum Principem visurus, atque apud eum mansit diebus quindecim; nec tamen visum ibi à se ait ex Apostolis cæteris vllum, *præter Iacobum fratrem Domini*: ecquis credat, non visum iri à Paulo Ioannē, & multò magis Deiparam, si ambo Hierosolymæ moram id temporis facerent, vbi eâdem vterentur, quâ Petrus & Iacobus domo?

a Act. 8. 1

b Act. 8. v. 14.

c S. Luc. ib.

d Paulus Gal. 1. ver. 19.

V. Interim Christi discipuli, quos Iudaicæ persecutionis turbo per Palæstinam primùm, mox etiam per totam Asiam dispersérat, nouam Euangelij sementem faciebant, inter quos Samariæ Philippus Diaconus, verbum de generis humani Liberatore faciens, Samaritarum plurimos, aliquatenus religione Iudæos, sed omninò Iudæis infensos, ad Christiana sacra conuertit, eosque baptismo lustratos Petrus & Ioannes illuc pro-

Samariæ ad Christū conuersio.

profecti, impositis capiti manibus a, & virtute Spiritus Sancti cælitùs superfusâ confirmarunt, vnde mos in Ecclesiam inductus est, ex institutione Christi, Fideles post baptismum sacro chrismate inungendi, tanquam athletas cum Dæmone luctaturos. Inter cæteros, quos salutari lauacro Philippus expiauit, adnumeratus est Simon Magus, qui deinde sibi non constans ex oue degenerauit in lupum. Nam cùm videret lustratis baptismo Fidelibus, Apostolos per impositas capitibus manus Spiritum Sanctum infundere; ausus est sacram illam potestatem cælestia charismata conferendi, auri argentique pretio licitari. At verò sacrilegum licitatorem execrante Petro, illicò arripuere hominem furiæ, & ferè abalienatum à mente in Apostolos, eorumque sectatores concitarunt. Quare Samaritas primùm suos fabulis, & commentis aggressus, insitam animis Apostolicam doctrinam eradicare conatus est; suumque Virgini Matri bellum indixit. Iactabat impostor se Deum cælo delapsum, ad Iudæos quidem, vt Filium, ad Samaritas verò vt Patrem; atque vt Spiritum Sanctum ad Gentes: sed & Selenen quandam vulgati corporis fæminam ex Phænicià secum circumduxit, quam, decepturus populos, nugis instar oraculorum prolatis, primum suæ mentis conceptum esse dictitabat; Angelorum, hominum, rerumque omnium genitricem, sed ab Angelis ægrè ferentibus alterius se progeniem haberi, terreno carcere detentam esse prædicabat, ne ad cælum patrium remearet. Vesanis hisce commentis nebulo, alijsque popularem auram aucupatus, vsque eò prouexerat sese, vt diuinitatem ementito erigerent populi statuas, atque *Simoni Deo Sancto* passim inscriberent. Asseclas habuit, atque discipulos plures, eiusdem farinæ viros, similia elocutos, atque adeò deteriora mendacia. Hinc ortum habuisse dicunt, non solum sacra per sordidos homines ad mercedem, & quæstum abducta, sed etiam multiplicem Hæreticorum perfidiam, qui in varias subinde sectas distributi, puram Euangelicæ doctrinæ sementem, iam excrescentem in triticum, superinductis errorum veluti Zizanijs corruperunt. Hæreseos sæpe fuisse fertur comes Magia, quâ cum multorum illa capitum Hydra, vnique auulso substituens alterum, in exitium veritatis geminatum virus euomuit. Ea pestis congeminatio in Simone Mago primùm apparuit, Hæreticorum in Ecclesiam insurgentium coriphæo, quos Deipara Virgo edito in lucem Iesu Christo, sapientiâ Patris æternâ, confecisse prædicatur, titulo Gigantum domitricis dignior, quàm in fabulis

a Act. 8. v. 17. & seqq.

Simonis Magi lapsus in hæresim, & Magiam.

Errores ab eo dissemi-nati.

Simoniaci quæstus origo, & Hæreseos.

Itemque Magiæ.

Vtriusque victrix Maria

Pallas; quo Simon capite fuerit in Dei Matrem iniurius, & quâ tandem ratione ceciderit, infrà dicendum.

Eunuchi per Philippum Diac. cõuersio.

VI. Ad hæc recedentibus Samariâ Petro ac Ioanne, Philippus substitit, & mox vocatus ab Angelo, Eunuchum Candacis Reginæ Aethiopum ad Christi fidem traductum, lustrali abluit fonte, sicuti fusè Lucas [a]; qui subdit raptum inde eundem Philippum, Azotum primùm, & mox Cæsaream venisse ad ciues vtrobique Euangelicâ luce imbuendos. Sub hoc ipsum tempus, anno ferè post ascensum Christi ad cælum altero, concurrisse aiunt aliqui non tam asseuerando, quàm coniectando insignes, trium vocatus ad fidem, Eunuchi à Philippo, & Pauli à Deo, & Cornelij Centurionis à Petro, ità quidem, vt si non simul, certè interuallo temporis non admodum longo Christiana sacra susceperint. Expedit hac in re accuratam Gasparis Sanctij [b] tractationem perlegere, qui putat S. Lucam in describendis Apostolorum Actis, vsum non vnâ inter narrandum prolepsi, plura anticipatò recensere, vt & historiæ legibus, & legentium commoditati subseruiat. Nam incepit [c] ab Eunuchi baptismo seriem rerum euoluere, quæ ferè simul acciderant, & semel absoluit gesta Philippi, de quo nihil erat postmodum allaturus, licèt non eiusdem temporis essent. Deinde fusius egit de Saulo non sine miraculis ad Christum adducto, itemque subdidit, quæ primum illud ab eius conuersione tempus sunt subsecuta, donec reuersus Hierosolymam adimeret de se Fidelibus metum, quibus noui Apostoli in Christum pietas perspecta nondum fuerat. Denique ad Cornelium, Angeli monitu se Petro sistentem, descendit; neque narrationis filum abrumpit, donec absoluatur tota de eodem narratio, quæ etiam vltrà hoc tempus extenditur. Et sanè si textus Historici sacri spectetur, affirmari probabiliter poterit, ferè sub eundem annum, tres illos, Candacis Eunuchum in itinere Gazam versùs, Saulum non longè à Damasco, & Cornelium in vrbe Ioppe adiunxisse se Christo, quo tempore Petrus vnaque Ioannes, expiatâ per Euangelij promulgationem Samariâ, Hierosolymam redirent; & varias pariter in eo itinere regiones lustrarent. De Eunuchi baptismo sicuti minor videtur esse dubitatio, ità de Saulo & narrationis ordo, & temporis ratio hoc ipsum significat: quia si anno post cædem Stephani primo, accessit ille ad Christi partes, idem ferè tempus consumptum oportuit à Philippo prius, deinde à Petro & Ioanne in Samaritis instruendis, & regionibus aliquot Samariæ, & Galilææ lustrandis. Nec de Cornelio le-

Sauli, & Cornelij Centur.

Ferè sub idẽ tempus.

Confirmatur assertio.

[a] Act. 8. v. 26.

[b] Gasp. Sanct. de Prædicatio. ne s. Iacobi in Hisp.

[c] Idẽ tract. 1. c. 10. & 11.

uis est

uis est coniectura (licet alij aliter sentiant) ex eo præsertim capite, quòd S. Lucas hisce Petri Hierosolymam redeunt s excursionibus enarratis, subdat aduentum in Ioppen, & Cæsaream, atque in ipso Cornelio ad Christi fidem traducto, apertum in Ecclesiam Gentibus aditum; id quod non ità intelligas velim, vt tunc primùm licuerit Apostolis agere cum Ethnicis de suâ ipsorum salute, cum, sicut colligunt è sacris litteris viri doctissimi, id factum sit, non modò post oblatum Petro linteum brutis cuiuscumque generis animantibus plenum, cæloque demissum in ferculum epulare; verum etiam viuente Christo; qui & Magos per stellam ab oriente vocauit, & Reguli domum sanato eius filio totam conuertit, Ethnicis hospitibus refertam: sed ità potius intelligendum videtur, vt ante quàm Cornelium Petrus in Ecclesiam admiserit, conuersio Ethnicorum probata non fuerit insigni aliquo testimonio de cælo, neque permissum Fidelibus, habere cum illis liberè communis mensæ, atque conuictus societatem [a]. Sic ratiocinatur hac de re Gaspar Sanctius, quem consulere lector poterit, si plura cupit. Nobis satis fuit, quædam veluti fundamenta iacere, ad stabiliendam celeberrimam historiæ Marianæ partem, quæ & aduentu S. Iacobi maioris in Hispaniam, & Virginis per eum cultu inibi amplificato continetur, id quod infrà suis locis præstabimus.

Quomodo in Cornelio Centurione apertus Gentibus aditus ad fidem.

a Sanctius tract. supra laud.

VII. Ad hoc ipsum tempus referendum videtur, quod Tertullianus [b], Eusebius [c], Orosius [d], Turonensis Gregorius [e], alijque tradiderunt; Tiberium Cæsarem, Pilati Iudæorum Præsidis admonitu, cognitis iis, quæ ad Iesu Christi condemnationem, & miracula ab illo patrata spectabant, retulisse ad Senatum, vti tantus vir Dijs reliquis accenseretur: sed abnuisse Senatores, quòd non ad Senatum prius, quàm ad Imperatorem relatum esset; quin etiam decreuisse, vt Christiani Româ eijcerentur; quod decretum nihilominus executioni mandari Tiberius vetuit, cum sanxisset edicto sub pænâ capitis, ne quis accusare Christianos auderet. Auersam autem à Christo Senatorum voluntatem meritas subijsse pænas censet Orosius [f], cùm solitâ crudelitate Tiberius in ipsos grassatus est, tot tantisque neci addictis, vt iam qui magistratum gererent, vix reperirentur, & forte ducti prouinciarum Præfecti in plures annos destinarentur, cùm non suppeterent successores. Quis credat, perditissimis moribus Cæsarem, hac vnâ tantùm parte visum esse humanitatem induere, atque nequitiæ, luxusque cæteroqui mancipium, mentem accepisse

Tiberius refert ad Senatum de Christo.

b Tertull. c. 5. & 21.
c Eusebius hist. 2. c. 2.
d Orosius l. 7. c. 4.
e Gregor. Turon. l. 1. cap. 24.

f Orosius, vt sup.

Cæsare dignam? tribuatur sanè id ipsius Christi virtuti, quæ in se primùm, & mox in suis adeò clara fuit, vt vel cæcos latere nequiuerit. Si quis eius Matrem Virginem, si quis Apostolos & sectatores aspiceret, radios inde & fulgores emanare tanti solis agnosceret vel inuitus. Hoc eodem anno Tiberius successorem sibi designauit in imperio Caium Caligulam, Germanico & Agrippinâ genitum, suumque ex Druso fratre abnepotem, eo, vt vulgauit fama, consilio, quòd illum pessimè victurum præsentiret, suaque facinora, deterioribus Caij flagitijs occultatum iri; & reliquam Senatus partem se mortuo absumendam speraret. Vide quò summum totius ferè mundi labatur imperium, dum suum Christus vbique terrarum viuente Matre confirmat; in illo vitia, in hoc virtutes sibi succedunt. Sanctorum myriadas in regno Christi futuras istæ promittunt; dum altera Cæsari iam consenescenti, iuniorem substituunt, de quo dictum est, Suetonio [a] teste: *nec seruum meliorem vllum, nec deteriorem dominum fuisse*. Denique inter huius anni euentus memoriâ dignos, numerant Historici plures, allatum Romam ex Aegypto Phænicem, atque in celeberrimo populi conuentu propositum: de eo Tacitus [b], Plinius [c], Dio [d], sed dubiæ fidei narrationem aliqui suspicantur. Vt vt res sit, id certè nemo negabit, eximiæ Sanctitatis Phænicem vnicum in Palæstinâ tunc fuisse, Angelis, atque hominibus suspiciendum, Sanctissimam nempe Virginem Dei Genitricem.

Humanæ huius anni res collatæ cum nostris.

Phænix ex Aegypto Romam allatus

a *Suet. in Caio Calig. cap. 10.*

b *Tacitus l. 6. Annal. circà med.* c *Plinius l. 10. Histor. nat. cap. 2.* d *Dio l. 58.*

Annus Christi 36. B. M. Virginis 50. Tiberij Imp. 21.

I. HOc anno, cùm Virgo Deipara Hierosolymâ abesset, eius cultus vnà cum ipsâ Christi fide amplificatus in varijs orbis partibus creditur; cum enim per Fideles dispersos sanctissimum Christi nomen vbique resonaret, tunc etiam excitata in eius Matrem Virginem veneratio, longè lateque permeauit. Virginei vultus, atque ipsius Christi icones, à S. Lucâ, vt diximus, delineatæ ad viuum vtriusque exemplar, exceptæque ab alijs ligno vel telâ, circumferri ceperunt, ad eorum solatium, qui Christianis fuerant initiati sacris, neque aut Christum, aut Matrem de facie nouerant; inde retinuit Ecclesia sacrarum imaginum cultum, decretis etiam Conciliorum sancitum; sicut enim vel vmbræ [e] Sanctorum

Cultus Deiparæ amplificatus.

Per imagines sacras.

e *Act. 5. v. 15.*

ctorum inesse vim voluit Deus, ad persananda ægra mortalium corpora, in quæ illa saltem ex proximo incidisset; ità eorundem imaginibus venerationem exhibendam, per sacra Patrum scita mandauit. Tunc etiam non solum Christo cum Cælitibus gloriosè regnanti, sed etiam Matri Sanctissimæ adhuc in terris manenti, erecta sunt templa, cum vtriusque nomen Fideles religiosè inuocarent. At vel ad ipsum Christi ortum, hunc adorandæ Deiparæ morem per condita templa referendum censent [a], qui ab vno è tribus Magis id factum asserunt, vt nos suprà monuimus ad annum tertium nati Saluatoris; omissis interim ædibus, quæ apud Ethnicos ignaros mysterij extructæ feruntur ante natam Deiparam, & dicatas fuisse, non sine Numinis instinctu, *Virgini parituræ* docuimus in Apparatu.

Et templa.

a Suprà anno Christi tertio, ac Deipara de tempore ex Osorio.

II. Sub hoc ipsum tempus omnes Hierosolymæ Apostoli constituti, haud dubio Sancti Spiritus ductu, ijs legibus formabant Ecclesiam, quæ nunc ex Apostolicâ traditione seruantur. Tunc præcipuis ex Iesu Christi vitâ mysterijs, votiuæ festæque memoriæ sunt institutæ: tunc indicta ieiunia, quæ hactenus statis anni temporibus recurrentia exactè reperimus: tunc sacri ritus inducti plures, qui ab Apostolis manasse creduntur. Pleraque ità ad Christum spectant, vt Virginis etiam Matris honorem augeant. Sed quia primus labor Apostolis à Christo mandatus Iudæos petebat, interdum exire aliquot Hierosolymâ oportuit, vt Iudæam modò, modò Galilæam, terras per impressa jam ante Christi vestigia cõsecratas, excursionibus alternis obire [b], *ad oues quæ perierant domus Israël.* Inter hosce labores consultum Mariano cultui fuisse crediderim, cum domum Nazarenam, pernobile Galilææ monumentum, & natale Dei genitricis habitaculum, à patre & auo hæreditarium, ritè Apostoli consecrarunt. Domus enim arcanorum conscia mysteriorum, iam ipsa per se templum videbatur, ideòque ab omni humano vsu deinceps eximendam, & solis addicendam Sacris iudicarunt. Ergò ferè sub hunc annum, quò Iudæam identidem, & Galilæam lustrabant, dixerim ego virginale cubiculum, templi sumpsisse formam, atque Apostolorum operâ fuisse sacris addictum, arâ positâ, & simulacro Virginis cedrino inibi collocato, in quo S. Lucas B. Mariam stantem, & puerum Iesum eius gremio insidentem expresserat; insuper additâ parietibus ligneâ Christi è cruce pendentis imagine; quæ in hunc vsque diem omnia Laureti visuntur aduecta diuinitùs vnâ cum sanctâ domo. Loci inaugu-

Primi Apostolorum labores in Ecclesia probis instituis formanda.

b Matth. 10. ver. 6.

Nazarenam Virginis domum Apostoli in templũ permutant.

Eiusdem Virginis effigiẽ cedrinã ibidem collocãt.

Rem sacram faciunt.

augurationem excepere sacra ibidem ab Apostolis mysteria celebrata, obitæ Fidelium peregrinationes, fusæ continenter ab ijsdem preces, rei diuinæ vsus Apostolis præeuntibus frequentari ceptus. Ibi ab hoc tempore religio nouis subinde crementis est aucta, ex memoriâ mysteriorum tum Deiparæ, tum Iesu Christi, quæ ibi gesta sunt; quoniam eorum cogitatio Apostolos primùm ipsos, veræ fidei præceptores, mox viros etiam Apostolicos impulit, vt magis cælo, quàm terrâ dignum monumentum persanctè colerent, atque exemplo suo frequentandum proponerent. Ideò Baptista Mantuanus[a] Theologus, & Poëta suo æuo nobilis, illud pereleganter laudat, factâque collatione præponit terrestri paradiso, vbi Eua ex Adami latere formata est; Sinæ monti, vbi data lex; Salomonis templo Dei inter mortales sedi; Speluncæ Bethlemicæ, vbi Christus natus; Thaborio monti, vbi transfiguratus; Oliueto vnde in cælum triumphator ascendit; & sepulcro, vnde triduo mortis nondum exacto, restitutus est vitæ. Cæterùm de reliquâ sacrosanctæ huius domus historiâ, in quâ Tursellinus[b], alijque[c] laborarunt, suis locis redibit sermo.

a Baptista Mant. lib. de Lauretani templi religione.

b Horatius Tursell. in Hist. Lauretana.

c B. Hieronymus Angelita.

Templum in Monte Carmelo.

III. Huius quoque temporis ferè sunt alterius templi initia, quod in vertice Carmeli montis duobus, aut tribus millarijs Nazaretho distantis erectum, Sacrosancto Deiparæ nomini dicasse feruntur Eliæ Vatis asseclæ & sectatores primi. Antecesseritne annum hunc Christi sextum ac trigesimum, an subsecuta sit ea molitio, nobis est inexploratum. Certè, si qui Eliæ, atque Elisæi exemplo, eiusdem montis solitudinem adamarunt, egressis postmodum Hierosolymâ Apostolis, & Palæstinam lustrantibus, illicò horum plures ad promulgationem Euangelicæ veritatis, legi Mosaicæ tanquam obsoletæ nuncio remisso, addixerunt se nouæ. Imò scriptum[d] inuenimus, non defuisse ex ijs, qui accipiendo Christi iugo, socijs multò ante præiuerit, auditor Ioannis Baptistæ Præcursoris ab eremo digressi. Itaque viri Christum secuti, præsens Virginis Deiparæ patrocinium meruere; quòd eius Sacrosancto nomini sacellum condiderint, in eâ montis parte, vnde olim Elias[e] alumno suo spectandam obiecit ascendentem de mari nubeculam, vestigium hominis cōtinentem, postquam ille superato semel monte nihil obseruasset, & rursus in eundem Sancti Patris iussu septies ascendisset. Haud dubium Deiparæ typum agnoscunt sacrarum interpretes litterarum in paruâ nube, quæ instar humanæ volæ primùm ostensa, deinde vberrimam in pluuiam se demisit; quoniam Virgo regia post plures generationes

d Ioan. Bonifacius in Hist. Virginali l. 2. c. 1. Enochum nominat.

e 3. Reg. 18 ver. 44.

Parua nubes continens vestigium, aut volam hominis, typus Deiparæ.

nescon

nescon gradus exorta mundo, & mox Dei Mater effecta, cælestium gratiarum pelagus in terras effudit. Tantæ rei monumentum insigne, diu apud posteros mansit in æde sacrâ, quam Mariano nomini sub hæc tempora extructam fuisse, Scriptores [a] plurimi tradidere, & eleganter in suâ Parthenice cecinit Baptista Mantuanus [b].

IV. Neque ad ponendum Beatæ Mariæ viuenti templum, defuerunt exempla sub eadem ferè tempora. Vnum quidem occurrit in Syriâ S. Petri Apostolorum Principis, qui dum Ecclesiæ formandæ intentus, per varias eius regionis plagas excurrit, in vrbe Antarado, (vulgò Tortosam vocant) Deiparæ sacellum extruxit. Hoc verò licet mole non magnum, tamen ab auctore, à re diuinâ, ibi per eundem primùm factâ, ab antiquitate, à frequentiâ populi, à multitudine miraculorum maximum audit. De eo perhonorificè meminerunt, Iacobus [c] Cardinalis à Victriaco, & Raphaël Volaterranus [d]. Alterum exemplum suppeditat Aethiopia, vbi Candace eius gentis Regina, suasu Eunuchi, cui Philippus Diaconus Christiana sacra contulerat, templum exædificauit, quod magnificentissimum, & Dei Matri dicatum, testatur se vidisse Franciscus [e] Aluarez, à Thomâ [f] Bozio magnæ fidei auctor appellatus. Huc spectare saltem videtur eiusce extructionis initium, quam inchoatam credimus post reditum Eunuchi in Aethiopiam, eiusque Reginam ad Christi signa traductam.

Templum Deiparæ extructum Antaradi à S. Petro.

Et in Aethiopia à Candace Regina.

[a] Vide Georgium Colueneriũ in Kalendario SS. Virg. to. 1. ad 30. Ian. num. 4.
[b] Mantuã. l. 3. Parth. Marianæ sub finem.
[c] Iacob. à Victria. Hist. Orięt. cap. 44.
[d] Volater. lib. 11. Geograph.
[e] Francisc. Alu. de rebus Aethiop.
[f] Apud Thomã Boziũ l. 9. de signis Eccles. c. 9.

V. Sed Sanctarum sororum Mariæ Magdalenæ, & Marthæ nouam recordationem iure poscit hic locus: cum enim anno superiore dictum sit, ex Iudæorum odio eiectas fuisse, vt ferunt, cum Lazaro fratre, paucisque comitibus Hierosolymâ; atque in naui gubernatore ac remige destitutâ, tempestatibus maris commissas, vt certo naufragio perderentur; iam sciendum est; Sanctum comitatum, Deo regente nauigium, Angelisque remigum vicem explentibus, in Galliam appulisse; & per medias procellas, per sirtes & breuia portum sumpsisse Massiliæ. Nobile illud emporium, hoc appulsu quàm fortunatam excepit mercem! quâ tota Prouincia per Sanctas hospitas cælum emit. Nam ad exemplar vitæ purissimæ, quam ducebant, atque ad lumen Euangelicæ doctrinæ, quam spargebant, eiurarunt populi Ethnicæ superstitionis insaniam, atque vltrò per veram religionem dedere se Christo. Auctâ postmodum inter eos Christianâ fide, cessere Deorum cultus, & veteres aræ sunt dirutæ; substructis hortatu S. Marthæ

Magdalenæ, & Marthæ, Lazari, & sociorum in Gallias appulsus.

Conuersæ ad Deum Gentes.

Templa ibidem per Martham extructa.

thæ melioribus templis, quorum alterum Christi, alterum Deiparæ nomen prætulit; de eo quod B. Mariæ dicatum est, insigne testimonium affert ex Vincentio [a] Bellouacensi Canisius [b]; eiusdemque templi post aliquot annos decimosexto Calendas Ianuarias solemni ritu consecrati, meminerunt annales Galliæ. Hinc colligere citrà omnem dubitationem licet; natâ alicubi religione ac fide Orthodoxâ, cultum pariter

Auctus Deiparæ cultus vnà cũ fide.

Deiparæ per aras ac templa indidem surrexisse, eisdem ferè cum illâ incrementis amplificatam. Mariam & Martham sorores à Christo institutas, vitæ contemplantis alteram, alteram agentis exemplar; Lazarum fratrem à sepulcro, vbi quatriduum iacuerat, reuocatum ad vitam, Marcellam famulam, Virgineorum vberum ac ventris laudatricem; Maximinum

Vetus Galliæ traditio de aduentu in Galliam Mariæ, Marthæ, & sociorum.

ex duobus & septuaginta discipulis; Iosephum ab Arimathæa de Christi quondam sepulturâ sollicitum; Chelidonium ex cæcitate, quam ab vtero matris tulerat, luci redditum, venisse tum simul in Galliam fama est, ac vetus earum gentium traditio. Ad inducendam eò Euangelicam sementem, & Mariæ Dei Genitricis notitiam opportuni affuerunt; quoniam

Eorum ibidẽ opera.

singulis nota Christi Saluatoris virtus, & Virginis Matris præstantia. Lazarus Massiliensium Antistes constitutus, exantlatis Apostolicæ vitæ laboribus, clarus Dæmonum triumphator occubuit. Maximinus ad Aquas Sextias commissam sibi rexit Ecclesiam annis quadraginta, Christi Deiparæque cultu spargendo de ijs regionibus optimè meritus. cui Magdalena in extremis posita acceptam sacræ Eucharistiæ dapem, &

Initium Fidei in Anglia per Iosephũ ab Arimathæa.

mortua sepulcrum debet. Iosephus ab Arimathæa, ex Galliâ transmisit in Angliam, vbi Christum primus annunciasse fertur [c], atque in Auiloniâ, paruâ eius maris insulâ, dono Regis obtentâ, Deiparæ Sacellum ex viminibus construxisse, vt eius cultum excitaret, idque diuino per Angelum monitu factum esse, rerum Anglicanarum scriptores [d], & peruetusta eius gentis monumenta testantur. Chelidonius olim à natiuitate cæcus, post receptum Saluatoris beneficio, corporis animique visum, cum Maximino adhæsisset, illi in Aquensi Episcopatu successit, cultumque magnæ Matris à Magistro in-

Res à S. Martha gestæ.

ductum retinuit. Martha cum Marcellâ pedissequâ, erectis, vt diximus, Massiliæ templis, Auenionem venit; ibique pariter ac Tarasci idola subuertit; auertit à superstitione populos, submersum Rhodano puerum parentibus viuum restituit; &

Et templa D. Virgini erecta.

nemus Dracone infestum [e], occiso diuinitùs monstro, liberum reddidit. Denique vtrobique Marianas ædes extruere cœpit,

a Vinc. Bellou. lib. 8. in spec. hist. cap. 100.
b Canisius Marial. l. 5 cap. 23.
c Polydorus Virgil. l. 2. Hist. Angl. & Gildas Sapiens lib. de Excidio Britanniæ.
d Io. Tinmuchensis ex monumentis Monasterij Glastoniensis
e S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus.

pir, quibus deinceps aucta est magnificentia & religio, cultusque in hunc vsque diem vel maximus exhibetur; imò Tarasci, vbi persanctè obijt, cænobium quoque fundauit virginum, quibus præfuit ad multos annos, & prætulit insigne virginitatis, ad honorem, atque imitationem Deiparæ. Quare Petrus [a] de Natalibus: *Ibi*, inquit, *Martha remansit, & sororum multarum congregato conuentu, Ecclesiam in honorem Dei genitricis ædificauit, Monasteriumque construxit*. At verò Magdalena cum in Apostolico munere diu instruendis Massiliensibus laborasset, in horridam solitudinem se recepit, vbi ad annos triginta, cibis plerumque terrenis abstinens, & cælestibus pasta delitijs, rursus anteactæ vitæ noxas ingemuit. Post insinuatam populis Christi à Cruce gloriam, noua amoris magistra, illum in antro maximè siluisque quæsiuit. Sæpe erat animo, votisque cum Iesu Christo, sæpe Dei Matrem cogitabat. Septies in die ab Angelis in aërem rapta, illis suauissimè concinentibus, cæleste melos maturè præoccupauit. Vice detritarum vestium, ad obeundum nudum corpus creuere capilli, donec matura iam cælo Maximini Episcopi manibus, ad hoc opus cælitùs destinati, accepto in speciem panis Sanctissimo Christi corpore, migrauit è vitâ. Post mortem, earum gentium patrocinio nunquam defuit, præsertim implorata, id quod maximè apparuit in Carolo comite Andegauensi, cuius filius Carolus Claudus, à Rogerio Lorio Hispanæ classis præfecto captus, vinctus, atque Aragonijs hostibus deditus, ope diuinâ, & Magdalenæ tutelaris Diuæ, vt creditur [b], interuentu, è biennali custodiâ liber tandem euasit. En quales, quantasque merces in Occidentem induxit exarmata nauicula, quam pelago ad certum exitium dimisere Iudæi! assueta Christi disciplinæ, & miraculis capita, consuetudine & vsu Virginis Matris expolita, veram religionem euexerunt in Galliam, vbi ab illis initijs Christiana res floruit, nec florere desinet vnquam.

a Pet. Nat. lib. 6. c. 151.

S. Mariæ Magdalenæ in solitudine vita.

Eiusdē mors & post mortem gloria.

b Syluester Prieras ser. de ea.

VI. Hoc anno discessisse Hierosolymâ Iacobum maiorem Apostolum, & profectum esse in Hispaniam, habent eius gentis annales. Iter maturè susceptum, in nobilissimam regionem, vnà cum fide, peculiarem Diuæ Virginis cultum inuexit. Haud equidem aduentum illuc Apostoli, Deiparæ cognati, disputationi, aut dubitationi subijcio, quem aduentum peruetusta Catholici regni traditio, ab ipsis Apostolorum temporibus ad nostrum æuum subinde transmissa, & grauissimorum virorum auctoritas abundè confirmat, quos recen-

Aduentus S. Iacobi Maioris Apostoli in Hispaniā

ſet, in Deiparæ Hiſtoriâ Chriſtophorus Caſtrius [a], & Gaſpar Sanctius [b] in peculiari Tractatu. Aduerſus traditionem omni memoriâ ſuperiorem, cuinam liceat argumenta conuehere? præſertim cum communis in eâ ſit, & conſpirans vndecunque conſenſio, nullo interrupta tempore, nec facilè conuellenda, aut infirmanda. Quantum ſit eiuſcemodi traditionum pondus, inde colligas licet, quòd ſi contingat eas de medio tolli; cadent quoque illorum plurima, quæ nunc religioſè ſeruat Eccleſia, nec poſſunt niſi à reo violatæ religionis damnari. Si autem verbo Dei non ſcripto, quod acceptum voce tenus Apoſtolorum ex ore, per poſterorum manus ad nos vſque peruenit, plurimum ineſt auctoritatis ex Bellarmino [c]: idem quoque de hiſtoriâ non ſcriptâ, ſed conſtanti ſermone ad poſteros deductâ cenſeri debet. Verùm de luſtratâ per S. Iacobum Hiſpaniâ conſtans opinio, iam inde ab Eccleſiæ primordijs, ad noſtrum vſque ſæculum quaſi per manus euaſit, cum in omni fermè ætate reperiantur eiuſce traditionis haud obſcura veſtigia. Hippolyto Martyri, qui vixit altero ab Apoſtolorum temporibus ſæculo, de duodecim Apoſtolis librum, in quo id aſſeritur, tribuunt Cedrenus [d], Baronius [e], Franciſcus [f] Turrianus. Ex eo libro quem Syluius Antonianus Cardinalis ſibi veniſſe in manus ait, à Bibliothecâ Sirleti pariter Cardinalis, locum peculiarem de Apoſtolis ſuâ manu deſcriptum, miſit ad Sueſſanum Ducem. S Hieronymus [g] Iſaiæ oracula interpretatus, ad ea verba: *Miſit eis ſortem, & manus eius diuiſit eam illis in menſuram*, aſſerit diſtributas à Chriſto fuiſſe Apoſtolis Euangelij ſortes, vt alius ad Indos pergeret, alius ad Hiſpaniam; & vnuſquiſque in ſuæ doctrinæ prouinciâ requieſceret; vbi ſermonem eſſe de Iacobo Hiſpaniam in illâ diſtributione ſortito, extrema de ſepulturæ loco verba videntur innuere, cum conſtet ſepultum eſſe Iacobum in Hiſpaniâ, ſui Apoſtolatus prouinciâ. Eandem S. Iſidoro ſententiam aſcribunt duo ſanctiſſimi, atque ſapientiſsimi teſtes, quibus res ignota eſſe non poterat, Braulius [h] Cæſarauguſtanus Antiſtes, & Ildephonſus [i] Toletanus. Beda [k] Iſidoro ſuſcribit in Collectaneis ad eius librum, Anaſtaſius Antiochenus [l], probante Bartholomæo Laurentio Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ Canonico, meminit S. Iacobi Andiatenſes in Occidente populos erudientis, quod nomen ab Andiato, ſeu potius Andlis ciuitate deducunt, aut ab eâ Hiſpaniæ parte, quam vulgò Andaluſiam appellant, inde ad Arabas deducto vocabulo. Neque deſunt ad maiorem rei fidem, publica ſeu Summorum

Antiquitas eiuſce famæ, ac traditionis.

Quanta ſit ſacrarum traditionum auctoritas.

Exponitur traditio aduentus S. Iacobi in Hiſpaniam. A quibus auctoritatem ſumat ea traditio.

a Caſtrius c. 18. nu. 6.
b Gaſpar Sanctius Tract. de prad. S. Iacobi in Hiſpan. cap. 2.
c Bellar. t. 1 Controu.
d Cedrenus Comp. hiſt. in Herua.
e Baronius Annot. ad Martyrol. 22. Mart.
f Turrian. Cõſt. Apoſt. l. 2. c. 27.
g Hierõ. in cap. 14. Iſa.
h Braul. Præfat. ad opera Iſidori.
i Ildephon. de viris illuſtr.
k Beda ex epiſt. de Beda obitu ab eius diſcipulo conſcripta apud Sur. to. 7. 10. Maij.
l Anaſtaſ. l. de paſſiõ. Marty. Arabice.

morum Pontificum, aut sacrorum codicum testimonia. Callistus secundus tantæ in Iacobum pietatis, vt de eius miraculis librum, ac translatione condiderit, apertè id asserit in operis prolusione. Librum Innocentius Secundus probat: Leo Tertius, litteris de translato in Hispaniam S. Iacobi corpore, eius in eandem aduentum commemorat. Pius & Sixtus ambo Quinti, diuini recitationem Officij proponentes, aut concedentes, Ecclesiæ alter vniuersali, alter Compostellanæ, historiam vtroque contentam non reijciunt, quin potius diplomatis inserunt. Accedit Clemens Octauus sacri Breuiarij emendator. Quotquot denique Officium Ecclesiasticum Gothicum (quod *Mozarabum* [a] communiter vocant Hispani) vel commendarunt, vel diu retinendum censuerunt, illustri comprobatum miraculo, vt Rodericus [b] Præsul Toletanus affirmat; memoratos ibi S. Iacobi in Hispaniâ labores non negant. Insuper, ne plura congeramus, præstat testimonium afferre de cælo delatum, quod sit instar multorum. Ipsemet Iacobus sui in Hispaniam aduentus, susceptique regnorum patrocinij, Ramiro Regi haud obscurum dedit indicium, anno fundatæ salutis octingentesimo quadragesimo sexto. Cum enim Rex, bello cum Mauris infeliciter gesto, de eo repetendo cogitaret; ex lassitudine ac mærore in somnum incidit: tum verò obiecta dormienti est augusta quædam species, eumque de rerum exitu benè sperare iussit: se Iacobum esse, cui in prouinciarum sortitione, Christus Hispaniam in fidem, atque tutelam dedisset. Itaque resumpto bello, insignem ad Clauigium ope diuinâ victoriam reportauit. In cuius beneficij memoriam voto nuncupato ream fecit Hispaniam, certæ frumenti mensuræ quotannis Compostellano templo pendendæ. Votum id continetur edito Calagurri diplomate regio: vbi inter cætera Rex [c]: *Mihi*, inquit, *dormienti Apostolus ità locutus est: Numquid ignorabas, quòd Dominus noster Iesus Christus, alias prouincias alijs fratribus meis Apostolis distribuens, totam Hispaniam meæ tutelæ per sortem deputasset?* En quibus fundamentis, de aduentu in Hispaniam S. Iacobi, nitatur historia, quæ cum ab aliquibus reijciatur tantùm ex eo, quòd occiso per Herodem Agrippam, post paucos ab hinc annos Apostolo, non videatur tantùm superfuisse temporis, quo licuerit obire Hispaniam, inducere ad amplectendam Christi legem populos, formare ad eorum institutionem discipulos, atque inde tandem repetere Hierosolymam; nos ad veritatem ostendendam, ipsos numerabimus diligenter annos,

Insigne testimonium eiusdem traditionis.

Insignis victoria Ramiri Regis ope S. Iacobi

a *S. Isidorus composuit.*
b *Roderic. Tolet. lib. 4. cap. 26.*

c *Ex ipsis voti verbis à Rege nuncupati apud Gasparem Sanctium tract. 2. c. 6.*

quibus hæc omnia fieri commodè potuerint, ante cædem Iacobi.

Cur tam citò profectus in Hispaniam S. Iacobus.

VII. Quæ causa tam subitò hoc iter suaserit, curiosiùs inuestiganda non est, quandò ex idoneorum testium defectu mansit ignota; & si non deest auctor [a], in hanc rem Iulianum quendam allegans, Archipresbyterum S. Iustæ, & Alphonsi Sexti Hispaniæ Regis Historicum, à quo litteræ proferuntur inuentæ Toleti, vnde proditur missa ab Hispanis, præsertim Iudæis, anno superiore legatio, ad supplicandum Apostolis, vt eò Iacobus erudiendis ad veram fidem populis mitteretur, quem fortasse nouerant, in sortitione prouinciarum eòdem fuisse iam anteà destinatum. Quicquid sit de huius testimonij veritate; certum est, haud dubio Numinis instinctu illud iter suscepisse Iacobum, per quem parabatur iam tum in Hispaniâ Catholicæ Religionis sedes firmissima, & præcipuus Virginis Deiparæ cultus. Neque verò hàc inconsultâ inita est peregrinatio, cum Apostoli sub ipsis Ecclesiæ primordijs, eius potissimùm consilijs regerentur, quam illorum magistram appellat Rupertus [b], ac titulum præclarè confirmat Gulielmus [c] Paruus. Quare meritò Diuus Anselmus [d]: *Debet*, inquit, *Mariæ totus mundus saluationis suæ notitiam, quæ plenissimæ cognitionis Apostolis non inuiderit scientiam*; & rursus: *Apostolorum Apostola dicitur, per quam principalis ipsis fidei principibus illuxit doctrina*. Quæ viuente Christo conticuit, omnia verba conseruans, & *conferens in corde suo* [e]; ea post eiusdem triumphum in terris relicta, Ecclesiæ Patribus testimonio vocis arcana communicans, Magistra Magistrorum euasit. Itaque, vt ad Iacobum redeamus, cum is in Hispaniam migrasset, ibi gentem ad veræ fidei cognitionem excoluit; id quod factum sub idem ferè tempus in Galliâ per Sanctas sorores Mariam, & Martham, cæterosque comites, paulò ante notauimus; vt duo regna florentissima, futura Catholicæ Religionis propugnacula, tanquam missis de cælo præconibus, Christum maturè cognoscerent, & Virgini Matri supplicarent. Hæc verò, post inueterata iam diu bella, & longa populorum dissidia, quo ista scribebamus anno, exoptata bonorum votis pax tandem in vnum coniunxit. Instaurato inter duos potentissimos Reges fædere, omnes irarum flammas extinxit Deipara arbitra pacis, cui templum Romæ à Sixto Quarto Pontifice Maximo erectum, dicatumque, Alexander Septimus splendidiorem in formam magnificentissimè redegit. Quare exitus ipse iam probauit, quod additâ ad nouam templi porticum

Iuit Dei Matre consulta.

a *Biuarius Comment. in opus quod L. Dextro ascribitur.*

b *Rupert. l. 1. in Cant.*
c *Gulielm. Paruus in c. 5. Cant.*
d *Anselm. lib. de quatuor Virtutibus B. M. cap. 3.*
e *Luc. 2. v. 19.*

cum

cum è facris epigraphe optabatur; MONTES, Pontificium Chisiorum insigne, *Pacem populo* suscepisse.

VIII. At verò peruetustæ traditioni, de S. Iacobi in Hispaniam aduentu non aduersatur quod ex Apollonio perantiquo Theologo, Eusebius [a] & Nicephorus [b] affirmant: Apostolos habuisse in mandatis à Christo, ne per annos duodecim è Iudæâ discederent, ipsa præcepti verba referente Alexandrino Clemente [c]: *post duodecim annos egredimini in mundum*; euincitur enim ex Apostolorum historiâ, vel non benè loqum intelligi, vel falsò iactari tanquam ex apocrypho [d] libro desumptum; imò verius habendum esse quod Christus tradidit, & Apostoli executioni mandarunt. Siquidem ante illud præscripti temporis spatium, scimus Apostolos non in Iudæâ tãtùm versatos, sed ad exteras quoque nationes profectos esse, vt, Petrum Romam, & alios aliò. Quòd si vis aliqua concedenda præcepto est; illam arbitror admitti posse, ne omninò intrà annos duodecim desereretur Iudæa, quin aliqui ex Apostolis ad eam concionarentur, sicuti reuerâ constat ex historiâ per illud tempus non fuisse penitus destitutam. Neque interpretationi aduersatur testimonium S. Marci, anno post Christi ascensum vndecimo scribentis, Apostolos ad exteras Gentes profectos, legem Euangelicam vbique promulgasse, quoniam generatim vniuersèque locutus est Euangelista, de concionibus habitis per Iudæam, & regiones alias, in quibus permixti gentibus Iudæi degebant, & quò d gressi iam ipsimet Apostoli fuerant.

a Euseb. l. 5 Hist. Eccl c. 18. ad fin.
b Niceph. lib. 4. c. 25.
c Clem. Alex. l. 6. Strõ.
d Ex lib. inscripto Reuelatio, seu prædicatio Petri.

De egressu Apostolorũ quid Christus mandarit.

IX. Sed profana quoque historia gestit hoc anno aliquid afferre, ad facram, & præsertim Marianam illustrandam. Crescenti vbique terrarum per discipulos à Iudæâ exules, Christi, Mariæque cultui, opponitur Tiberij Cæsaris imminutum imperium, dum enim populos vero Deo per fidem Euangelica doctrina conciliat, dignaturque Deiparæ Virginis patrocinio; Imperator per summam intemperantiam luxumque, à rectâ ratione, siue à se ipso rebellis, tanquam oblitus imperij [e], integras amittit prouincias, vastantibus Parthis Armeniam, Mœsiam Dacis, Pannoniam Sarmatis, Galliamque Germanis. In Iudæâ verò Philippus Tetrarcha, Herodis Ascalonitæ filius, & Antipæ frater, sed vtrique moribus dissimillimus, sine virili stirpe decedens, eiusque ditio adiuncta Syriæ, domum Herodianam exhibent hac etiam ex parte cadentem, vnde proles non suppetit, ac Tetrarchia perit, dum Christo & Mariæ, in quorum odium ab eâ olim eductus est ensis, vbique clientes,

e Ex Suetonio in Tib. cap. 41.

Ex humanis quædam huius anni opposita rebus facris narratis.

Deficiunt à Tiberio prouinciæ.

Herodis domus infortunia.

clientes, vbique spirituales filij comparantur, atque vtriusque ditio cælo quàm terris dignior, ad extremos mundi cardines amplificatur.

Annus Christi 37. B. M. Virginis 51. Tiberij Imp. 22.

Reditus S. Pauli Damascum, & initia Mariani templi Cæsaraugustæ.

I. REditu S. Pauli Damascum, vnde in Arabiam digressus ille primùm fuerat, postquam dederat Christo nomen, illustratur hic annus; idemque ex Hispaniæ Annalibus, præcipuam continet Mariani cultus historiam, ad quam tendebant, quæ de S. Iacobo in Hispaniam profecto hucusque præmisimus. Fama enim est, proximè post accessum ad eas gentes Apostoli, & lustratam aliquâ ex parte regionem, antiquissimi templi in honorem Deiparæ Cæsaraugustani initia illo moliente iacta esse. Rem æternâ memoriâ dignam, suâ apud Hispanos traditione firmatam, nec leuibus etiam argumentis, comprobatam afferimus. Venerat Apostolus Cæsaraugustam, vrbem ab Augusto Cæsare nominatam, quæ nunc est Aragoniæ regni Metropolis, ad Iberum fluuium sita, cum sparsa feliciter Euangelicæ doctrinæ semente, collectos inde primùm discipulos paucos, in amplissimam Fidelium segetem abituros, Christo formabat. Tunc ad fluminis ripas ijs comitantibus noctu digressus, vt sacræ orationi vacaret, quod factitatum à Christo nouerat post diurnos labores; optatissimo frui spectaculo meruit, conspectæ inter orandum Deiparæ, quæ id temporis adhuc in viuis erat. Obtulit illa se Apostolo videndam suprà iaspideam columnam, cui tanquam solio insidebat, inter Cælitum choros salutationem Angelicam concinentium. Intentus in eam Iacobus, cum oculos sustulisset illicò prouolutus in genua, iussa præstolabatur Dominæ, cuius vultum agnouerat. At ipsa: bono, inquit, animo esto fili: adsum hîc laboribus tuis; tibique hunc ipsum locum designo, vbi statim meo nomini templum excites, toti Hispaniæ, cuius me perpetuam Patronam fore polliceor, venerationi, & magnificentiæ futurum. His dictis, sese ab aspectu proripuit, cum Angelico comitatu, mundi Regina; & Apostolus summâ animi iucunditate perfusus, sine morâ sacræ moli extruendæ fecit initium, quod incidisse in hunc ipsum annum putamus. Hinc extitit in primis, Apostoli operâ erectum, dicatumque venerandum illud Sacellum, vbi Virgini Sanctissimæ in hunc vsque

Celebris Diuæ Virginis apparitio S. Iacobo exhibita.

Eiusdem Virginis ad Apostolū verba.

Cesaraugustani Sacelli origo; nomé religio.

vſque diem cultus exhibitus, atque à columnâ, quæ ibidem remanſit, perpetuum beneficij monumentum, Pilariæ nomen eſt inditum. Creuit ſucceſſu temporum à modicis initijs ſacra molitio, quæ non Cæſaraugustam modò, aut Tarraconenſem prouinciam, ſed vniuerſam quoque Hiſpaniam, atque adeò Europam cohoneſtat, præſertim illuſtrata Fidelium votis, piorum liberalitate, & frequentiâ, atque ad ſupplicantium aſſiduas preces, patratis diuinâ virtute miraculis. Eiuſmodi memoriæ ac vetuſtatis templum, quando cætera deeſſent, iuge nobis teſtimonium eſſe poteſt aduentus in Hiſpaniam S. Iacobi, quoniam ſæculorum omnium conſenſus, multitudo propemodum infinita ſcriptorum, & conſtans populorum fama à maioribus accepta, non aliud tribuit illi principium; ideòque voluntas Dei fuit, vt ſtaret moles in hunc vſque diem, ab ijs infortunijs, atque incendijs intacta, quibus per hoſtes Chriſtiani nominis toties iactata fertur Hiſpania, vexata pietas, & ſacra ſunt omninò monumenta deleta. Vrgente Diocletiani edicto, Dacianus Præſes ſanguine Martyrum Cæſaraugustam impleuit, & religioſa loca ſolio æquauit: attamen nihil illi à Deo permiſſum eſt, in ædem Sacroſanctam, cuius extruendæ auctor Deipara fuit, cum viuens adhuc, atque alibi degens, videndam ſe ad Iberi ripas præbuit S. Iacobo. Eiuſmodi ſacello iam tum ab Angelis, qui cæli Reginam in eâ oſtenſione ſtipatût, Angelici cubiculi nomen fuit; & hoc ipſo Chriſti anno extructum fuiſſe, ex B. Caledonio [a] Bracarenſi Epiſcopo habetur; ipſamque ſacræ molitionis hiſtoriam refert in ſuo diplomate Calliſtus [b] Tertius Pontifex Maximus.

Mirus ſacræ molis ſtatus; inter regionis clades.

Vnde Angelica appelletur.

a B. Caled. in vita S. Petri Ratiſbenſis.
b Cal. 3. Bulla ſub Dat. Rom. 9. Kal. Oct. 1416.

II. Verùm narratio aliquibus non probatur, cenſentibus alienum ab ingenio atque modeſtiâ Virginis; neque humilitati, quæ maxima prædicatur, conſentaneum eſſe, templum ſibi viuenti dedicandum iubere; quis enim, aiunt, inducere in animum poſſit, tanquam ſimile vero; Dei parentem omnium humillimam fœminarum, honorem illum vltrò ſibi quæſiuiſſe, quo in terris homini maior eſſe non poterat. De ſe quidem tam modicè, demiſsèque ſentiebat, vt oblatum ab alijs religioſum templi cultum reſpueret; ne dum exigeret ab ijs, qui id anteà non cogitaſſent. At nihil illam egiſſe contrarium ſummæ, quâ prædita erat, humilitati, cum templum ſibi à Iacobo ædificari iuſſit, reſpondet optimè Gaſpar [c] Sanctius; quoniam planè humilis eſt, quicunque alieno iuſſu, cui nefas ſit non parere, ad ſplendidum aliquem, atque ſublimem dignita-

Mandatum Virginis de templo ſibi ædificando, non aduerſatur eius modeſtiæ.

c Gaſpar Sanc. Tractatu 3. de prædicat. S. Iacobi in Hiſp. c. 8.

dignitatis gradum attollitur. Docet hoc expreſsè Gregorius Magnus [a] de ijs, qui iubente Deo ex domeſticis, aut eremi latebris, ad ſummum aliquod sacerdotium emerſerunt; quos ſanè non tam in detrectando pertinaciter munere, quàm in admittendo obedienter, humiles fuiſſe conſtat. Ecquis neget, Deiparam iubentem ſibi templum conſtrui, diuinæ obſecutam eſſe voluntati, cum nihil aut magnum, aut nouum moliretur in terris niſi inſtinctu diuino, & Spiritus illi Sanctus agenti ſemper aſſiſteret? Præterea ſi abſque peregrinatione vllâ, vel αὐτοπροσώπως, in ſuâ nempe perſonâ, oſtenſa eſt Apoſtolo, vt de SS. mortuorum apparitionibus, ſæpe ſtatuendum eſſe docet [b] Mendoza, & de hac ipsâ Virginis Suarius [c] affirmat; vel certè diuinitus oblata tantùm eſt Deiparæ ſpecies; neutro modo ab humanâ virtute id fieri potuit, niſi annuente, atque adiuuante diuinâ. Denique ſi conſtat, Alexandriæ Marcum S. Petro viuenti, nec prohibenti, templum conſecraſſe; nec vllus aſſerit, aut ſentit, dedecere id modeſtiam, atque humilitatem ipſius Petri: quin idem de Virgine Deiparâ liceat affirmare; cum vtrunque diuino conſilio factum ſit; vt hinc homines diſcant, quo loco debeat eſſe hominibus Dei Genitricis nomen, & quanto in honore apud omnes Chriſti Vicarius?

Apparitio D. Virginis.

a Gregor. 1. Paſtoral. cap. 6.

b Mendo. quaeſt. 5. Scholaſt. à num. 7.

c Suar. l. 5. Ange. c. 21. num. 23.

III. Abſtinere hoc loco non poſſumus quin occurramus obiter argumento, quo veritatem huius hiſtoriæ, negando aduentum ad Hiſpanos Sancti Iacobi, aliqui oppugnant auctoritate præuiâ magni Præſulis Toletani Roderici Ximenij; qui cum in Lateranenſi concilio, coram Innocentio Tertio ſummo Pontifice, de ſuæ Eccleſiæ primatu contenderet, aduerſus Compoſtellanum Antiſtitem, vindicantem ſibi ius non parendi Toletano, ex priuilegio ſepulti apud ſe S. Iacobi, olim ad Hiſpanos Apoſtoli: conceſſit quidem deſtinatum hunc fuiſſe eorum conuerſioni, at neutiquam illuc iuiſſe, quoniam primus Apoſtolorum Hieroſolymæ receperit martyrij palmam, ab Herode Agrippâ necatus, antequam opportunitas eundi in prouinciam affuiſſet; cui tanti viri teſtimonio, inquiunt, nihil auſus eſt reſpondere Compoſtellanus. Itaque fuiſſe ab altero peroratum exiſtimant. Sed benè diluitur argumentum à Sanctio [d], oſtendente ea, quæ de duorum Præſulum in plenâ Synodo contentione narrantur, deſumpta eſſe, ex codice manu exarato, nullius publicæ, ac legitimæ auctoritatis, vt potè plura continente, quæ neque tempori, neque loco, neque rerum expoſitarum naturæ conſentiant. Imò

Argumentũ potiſſimum contrà hanc hiſtoriam.

Diluitur.

Manu exaratus codex nullius auctoritatis.

d Gaſpar Sanctius, vt ſup.

Imò errorem illicò præferente, vnde coniecturam facere liceat, de suspectâ incerti Scriptoris, scriptique fide. *Anno*, inquit, *Domini ducentesimo suprà millesimum, decimaquinta die Nouembris, celebrata est Sancta & vniuersalis Synodus in Ecclesia S. Saluatoris, præsidente Innocentio Papa Tertio*. Atqui constat Concilium illud coactum esse decimo octauo eius Pontificis anno, qui concurrit cum anno fundatæ salutis millesimo ducentesimo decimoquinto. At verò cum decurreret annus ille millesimus ducentesimus, quem auctor Synodo tribuit, Rodericius nondum erat Toletanus Antistes, Marianâ [a] teste, qui post annos octo, & mortem antecessoris ponit, & Rodericium subrogatum. Præterea si ea controuersia agitata in Synodo est, cur tantum in Actis de tam celebri disceptatione, ac superatâ à Toletano causâ silentium? Denique pleno Patrum conuentu improbare nunquam potuit Rodericius tâquam accepta ex anilibus fabulis, & collecta de triuijs, quæ sciebat, quotannis consueuisse recoli per Ecclesias Hispanorum, & quæ in ipso suo Toletano templo, ex Mozarabo Breuiario suprà laudato recitabantur, cuius Breuiarij auctoritatem illustri confirmatam esse miraculo, vir [b] ipsemet doctissimus litteris consignarat. Mitto, rem ab alijs diligenti disputatione discussam, vlterius agitare, ne videar illam existimare hactenus non benè conclusam.

a Marian. lib. 11. c. 21.

Vrgetur cõfutatio.

b Roder. Tom. lib. 6. Hist. c. 26.

IV. Hoc ipso interim anno cum Proconsulem in Syriâ L. Vitellius Nepos ageret, adeòque Palæstinæ præesset, ad illam adiunctæ, vt dictum est; Hierosolymam petijt, exceptus à Iudæis perhonorificè, & collatis vicissim in eos beneficijs, quæ persequitur latè Iosephus [c]. Inter hæc non vltimum, nec minimum fuit, quòd Pontificis stolam cum vniuerso eiusdem ornatu, asseruari in templo permisit à Sacerdotibus, sicuti consueuerat ante quàm Hyrcanus Pontifex eius nominis primus, in turri propè templum sibi extructâ, esse illam secum voluerit in suâ custodiâ; quam deinde turrim Herodes Ascalonita magno sumptu exædificatam, dictamque Antonij de nomine Antoniam, cum fecisset omninò suam, retinuit quoque stolam ibi Pontificiam sub potestate: idem ab Archelao filio, & successore factum. Sed mox regno in prouinciam mutato, Romani simul sunt Stolæ possessionem adepti, quam reuerenter habitam à turris Præfecto, & sacris tantùm vsibus ter in anno eductam, Vitellius omninò reddendam Sacerdotum custodiæ ac potestati iudicauit. At verò ornatus Pontificij apud Hebræos in pristinum restitutio, concessum à Ro-

c Iosephus lib. antiq. 18. cap. 6.

Reddita Iudæis à Proconsule Vitellio Pontificia stola.

Opponitur Deiparæ honori in templis extructis

mano Proconsule nationi beneficium, quid est, si conferatur cum Virgine Deiparâ, ferè simul templo per Apostolum donatâ, ad ornamentum ac tutelam Ecclesiæ? illa quidem digna est, cuius nomini, ac memoriæ conseruandæ vbique sacella, ædes, aræ dedicentur: quoniam non ter, sed centies ac millies in anno, imò quotidie, se volens ad mortalium vota demittit. Eodem tempore Vitellius amouit Caipham Pontificatu, quem mox etiam vitæ pertæsum, ferunt [a] sibi manum attulisse. Itaque is, cuius potissimum auctoritas in concilio, mortis Christo illatæ, & Virgini Matri tanti causa doloris extiterat, sibi iudex & carnifex vitam adimit, æternæ quoque mortis reus: dum è contrario illi iam calcant immortalitatis vias, alter in cælo triumphans, altera vel viuens in terris culta, & post mortem triumphatura. Est quoque ex Romanâ historiâ memorandus, inciditque in hoc tempus, Herodis Agrippæ à Tiberio Cæsare carcer. Erat ille Aristobulo, Senioris Herodis filio genitus, & diu Romæ versatus in Cæsareæ domus officijs: cum verò senescenti Tiberio mortem, & Caio Germanici filio [b] precatus esset imperium; illicò delatus ad Cæsarem, linguæ liberioris lapsum diuturnis vinculis luit. Tunc autem potiori iure Virgo Deipara acclamabatur vbique, præeuntibus Angelis, mundi Regina; nec metus tamē vllus inglorij carceris erat: imò si quis eâ de causâ Fidelibus aperiri contingeret, ille gloriosus, felix, & maximè optandus fuit.

Caiphæ Pontificis pœna.

a Clem. 8. Const. 1.

b Ex Ioseph. ant. lib. 18. cap. 8.

Annus Christi 38.
B. M. Virginis 52. Petri Antiochiæ 1.
Tiberij Imp. 23. & vlt.

I. INitio huius anni, ex nostrâ supputatione, integrum absoluitur, post conuersionem ad Christum Pauli triennium, quo nimirum decurrente, ipsemet testatur scribens ad Galatas [c], Damasco se profectum esse in Arabiam, ex Arabiâ iterum redijsse Damascum, & absoluto venisse Hierosolymam ad Petrum Apostolorum principem, & Iesu Christi Vicarium; nec S. Lucæ silentium, censetur vllâ ratione contrarium. Igitur hoc anno ferè ineunte, cum Paulus Hierosolymam accessisset, adhuc (vt ipse laudato ad Galatas loco subdit) timebant Fideles eius congressum, irarum benè conscij, quibus prius in Christi sectatores exarserat, & nescij mutatæ in illo diuinitus mentis; adeò vt à Barnabâ suo olim

Reditus Pauli Hierosolymam.

c Paul. Gal. 1. ver. 18.

olim apud Gamalielem condiscipulo introduci debuerit ad Apostolos. Sic aditum tandem ad Petrum habuit, & quindecim dierum spatio, quibus apud ipsum est commoratus, ex reliquis Apostolis nullum sibi visum ait, nisi fratrem Domini Iacobum, Hierosolymæ constitutum Antistitem; vnde colligere licet, Apostolorum neminem, demptis Petro, & Iacobo Alphæi, id temporis Hierosolymæ fuisse: namsi quis eorum, præter duos nominatos, ibidem tum adesse contigisset, & visum à Paulo, & Paulum peramanter exceptum nemo negaret. Sed multò magis ratiocinatio concludit de Virgine Deiparâ, ad cuius conspectum, & allocutionem sine vllâ dubitatione Paulus accessisset; id ipsum litteris vulgaturus, si Hierosolymæ vnà cum Petro & Iacobo manentem comperisset. Equidem neminem credo non assensurum huic argumento, quo Virginis absentia à sanctâ ciuitate, dum ibi moraretur Paulus, prorsus euincitur. Cum enim ille ad Galatas [a] testatus, neminem Apostolorum Hierosolymæ à se inuentum, duos expresè excipiat, qui ibi erant: eò expressius Virginem excepisset Apostolorum Reginam, & magistram, si ibidem pariter commorantem videre potuisset, & alloqui. At vim ex eo acquirit ratiocinatio, quòd eadem in Sionis monte domus, quæ iam pridem, vt diximus, Deiparæ & Apostolorum vsibus cesserat, omnes caperet, quandocumque simul adessent. Vbinam verò gentium tunc Apostoli versarentur, qui Hierosolymæ non erant, dicere nisi per coniecturas non possumus. Iacobum Zebedæi, iam diximus in Hispaniam diuino instinctu maturè esse profectum; Ioannes eius frater fortasse eò migrauerat, vbi erat Virgo Deipara, tandem Hierosolymam reducenda. Cæteri per Iudæam & Galilæam dispersi, Euangelicam sementem in eâ regione primam, ex mandato Domini faciebant, deinde vbi Iudæus iugum suscipere Christi renuisset, ad Gentes conuertendi. Scimus quidem eiusmodi mandati meminisse apud Eusebium [b] Cæsariensem ex perantiquâ traditione Apollonium, quasi verò, iussi fuerint Apostoli manere Hierosolymæ ad annos duodecim, vt eò iacerentur firma Ecclesiæ fundamenta, vbi sanguinem Christus effuderat. Attamen præter ea, quæ de hoc testimonio diximus suprà, esse potuit mandati vis, ne Hierosolymî discederent Apostoli ad moram stabilem alibi faciendam, nisi duodecim annis elapsis; non tamen, vt breues excursiones ad remotiores etiam terras prohiberentur, eòdem reuersuris, sicut re ipsâ factum constat è sacrâ historiâ.

Quinam ex Apostolis ibi inuenti.

Cur nõ Deipara.

a Paul. Gal. 1. sup.

Probatur absentia Virginis à sanctâ Ciuitate.

Vbinam id temporis forêt Apostoli.

b Eusebius Cæs. lib. 5. Eccl. Hist. cap. 17.

Quo sensu mandatum Apostolis; ne ante duodecimum annũ Hierosolyma exirent.

Eee 2 II. Fun-

II. Fundatæ à Petro Antiochenæ sedis initium, cuius memoriam Ecclesia celebrat octauo [a] Kal. Martij, conijcit in hunc annum Eusebius [b], licet sequenti tribuat Baronius. Dicamus nos, initum saltem nunc de re tantâ consilium, eiusque ratione habitâ, septem communiter annos integros eiusce sedis numerari consueuisse, antequam Romana institueretur.

Primum de instituenda Antiochena sede Consiliū

a 22. Feb.
b Euseb. in Chron.

Cæterùm eodem anno cum Paulus Hierosolymæ quindecim diebus hæsisset, ijs operibus diligenter intentus, quæ de eo commemorat S. Lucas [c], & agnitus tanquam verus Christi sectator, odium maximè Iudæorum incurrit; vnde adductus in vitæ discrimen, amicorum suasu Hierosolymâ digressus, atque, vt ait quidem Lucas, Cæsaream ac Tarsum in vrbem sibi natalem deductus est; vt verò ipsemet [d] ad Romanos scribens fatetur, *per circuitum vsque ad Illyricum* profectus est, vno comprehendens verbo ex interpretatione Chrysostomi [e], plures *vrbes, & gentes, & populos & regiones.* Id quod clarius explicabitur infrà, intellectum esse de tempore, antequam Apostolus Tarsi consisteret. Interim Deo fauente *per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam*, vt inquit [f] Lucas, auctus mirum in modum Fidelium numerus, à primo Iudaicæ persecutionis turbine quiescebat, & Ecclesia pacem nacta, plena Spiritus Sancti gaudio tranquillius agebat, abstinentibus ab odio in eam exercendo hostibus, metu fortasse Tiberij Cæsaris, qui (vt ait Tertullianus [g]) cum auditâ Christi fama, eum inter Deos colendum censuisset, imperatorium suffragium respuente Senatu, vltrò mansit in sententiâ, atque in accusatores Christianorum exarsit. Hinc opportunitatem extitisse crediderim Deiparæ Hierosolymam reuocandæ, id quod Apostolis eius absentiam ægrè ferentibus optatissimum accidit. Redijt vtique Virgo sub Ioannis Euangelistæ ductu, non sine comitatu piarum mulierum, quæ illi tum sensu pietatis, tum iure cognationis adhæserant. Inter hasce itineris comites adnumerare probabiliter possumus, præcipuè duas, Mariam Cleophæ suprà commemoratam, & Salomen matrem Ioannis, quæ non vno tantùm consanguinitatis vinculo, sed alijs etiam nexibus iunctæ, nunquam Virginem deseruerant, donec Christus inter mortales fuit, dum affigeretur cruci, & mortuus inferretur sepulcro, dum denique suos rediuiuus inuiseret; omninò dignæ sororum nomine. Illæ Hierosolymâ eiectæ fuerant, persequentibus, vt diximus, post necem Stephani Iudæis, & Dei genitricis credimus sectatas esse vestigia. Itaque in reditu quoque fuisse comites, redditâ Ecclesiæ pace, par erit,

c Act. 9. v. 28. & 29.

S. Pauli labores.

d Paul. Rō. cap. 15. vv. 19.

e Chrysost. Hom. 32. in epist. ad Rom.

f Act. 9. vv. 31.

g Tertull. Apolog. c. 5.

Redit Deipara Hierosolymā ductu Ioannis.

Et comitatu piarum mulierum.

par erit, opinor, credere. Denique ad sacrum Sionis montem, in consuetam domum, quæ nascentem excepit Ecclesiam, omnes se receperunt.

a 16. Mart.

b Ex Tacito, & Suetonio.

Tiberij Imperatoris obitus.

III. Ex profanis, Tiberius Imperator cedit è vitâ decimo septimo Kalendas [a] Aprilis, annum ætatis agens octauum ac septuagesimum, imperij tertium suprà vigesimum. Mors vltrò [b] accita videri potuit, non modò ex virium in extremâ senectute defectu; sed etiam ex cibo, potuque intempestiuè atque intemperanter sumpto, ad morbum dissimulandum. Sic impuram, & crudelem animam egit trabeatus ille Caprearum hospes, qui vel peritissimus artifex sui tegendi, & si latebras quæsiuit inglorius, totus tamen posteritatis oculis patuit. Caium cognomento Caligulam, Germanici filium, suumque ex fratre abnepotem, imperij & scelerum reliquit hæredem, militum voluntate, non suâ: felix, quòd Christo & Mariæ synchronus fuit; infelix, quod neque ab alterius candore virgineo, neque ab alterius sanguine pro sontibus effuso, animi maculas eluere didicit. Romæ interim absumpto per mortem vno Tyranno, non deficit alter; imperio mundi in horrendum iugum degenerante. At in Iudæâ per Ecclesiæ pacem augetur imperium Christi, mox toto terrarum orbe feliciter propagandum: & Hierosolymam Virgo, atque adeò in ipsam Sionis arcem ingreditur, tanquam Regina & Magistra, vt instruendis Apostolis, & Fidelibus adiuuandis vacet, digna planè, cui mundus dominæ seruiat, & Roma Cæsarum parens Dei parenti. Eodem anno Syriæ Præses Vitellius, Pilatum de cæde Samaritarum, quos armauerat excitata ab impostore seditio, accusatum Iudææ procuratione remouit, & substituto in eius locum Marcello, Romam misit, dicturum coram Tiberio causam: sed antequam reus in Vrbem perueniret, cesserat Imperator è vitâ. En tibi, qui crucis supplicio mundi Saluatorem adiudicauit, nunc è suo tribunali deiectus, expellitur Hierosolymâ ad reditum Deiparæ, quasi eius aspectum, ob sceleris conscientiam, ferre non possit, mox etiam grauiores pœnas daturus.

Romæ iugũ sub tyrannide Cæsarum.

Opponitur Ecclesiæ paci Maria Hierosolymam reuersa.

Egressus Pilati ab eadẽ vrbe ad reditum Deiparæ.

Annus

Annus Christi 39. B.M.Virg. 53. Petri Antiochiæ 2. Caij Imp. 1.

I. Nonus ac trigesimus ab ortu Saluatoris annus, idemque tertius, & quinquagesimus Virginis Matris, concurrit aliquâ ex parte cum primo Caij Imperatoris, qui à Martio mense anni proximè superioris mortuo Tiberio capessiuit imperium; & aliâ item ex parte cum eiusdem secundo proximè consequente. Quare ne Lector miretur, si nostra supputatio vni anno Caij, aliquid tribuat, quod ab alijs alteri proximo tribuatur, cum contingere id facilè possit, vt duarum anni vnius partium habitâ ratione, assertio vtrinque sit vera. Certè ille Christi, & Virginis annus admodum illustris est, Antiochenâ sede à S.Petro institutâ; cuius rei veritatem Cardinalis Baronius omnem exponit, reiectis quæ in contrarium afferuntur. Cum verò eius Ecclesiæ institutio, in quâ septem annis Petrus cathedram tenuit, atque ad Romanam prolusit, præclarum fuerit eiusdem Apostolorum principis opus, consultam de eâ Virginem negare quis audeat? quicquid enim aggrederetur ad Ecclesiæ nascentis bonum Christi Vicarius, ductu & consilijs vti consueuit (dum licuit) tantæ Matris; quam Apostolorum magistram vnâ voce sacri Doctores [a] appellant; & sibi reuelatum ait S.Birgitta: ideò à Christo in terris ad plures annos fuisse relictam, vt ipsi Ecclesiæ conditores vel plenissimè à Spiritu Sancto edocti, adhuc aliquid discerent ex hoc velut oraculo, oraculorum omnium capaci, vt scitè docet Rupertus [b].

Auctoris de sua supputatione nota.

a S. Anselm. S. Antoninus. S. Birgitta.

b Ruper. l. 5. in cant.

II. Et quidem exemplum afferre licet confugientium identidem Apostolorum ad Virginis sapientissimæ magisterium, ex libro, cui Brabantiæ Marianæ titulum indidit auctor Augustinus Vvichmans [c] Ordinis Præmonstratensis: desumptum est ex manuscripto codice Bibliothecæ Norbertinæ Tungerloënsis. Res fortasse, si vera, horum temporum est. Apostoli nondum à Iudæâ digressi, propè Liddam, nunc Diospolim, coëmptam in ciuitate Synagogam, conuerterant in Ecclesiam, & magnæ Matri dicatam, sacro cultui addixerant, non modico gentis bono. Id Iudæi cum ægrè ferrent, apud Præsidem, qui Cæsaris nomine Syriæ præerat, per restitutionem pretij venditione rescissâ, Synagogam pristinam repetebant. Iussit interim Præses locum claudi, vtriusque partis tes-

De Apostolis consulentibus D. Virginem Narratio.

c August. Vuich. Brab. Mar. lib. 1. cap. 3.

Exorta inter Apostolos, & Iudæos controuersia.

tis tesserâ obsignatum, atque ad quadraginta dies expectari de cælo signum, à quo pateret, vtrinam ædes diuinitus foret adiudicanda. Dum præscripti temporis spatium labitur, confugiunt Apostoli ad Sionis montem, Virginem ipsam alloquuntur, consulunt, opem implorant. Tandem de rei exitu benè sperare iussi, redeunt die condictâ cum Iudæis ad locum, vbi cum Deiparæ effigies in marmore coloribus expressa, illicò per miraculum apparuisset, cessere vltrò Iudæi. Imago tanquam alterum Palladium, diu ædi propugnaculum fuit, patuitque Christianorum cultui; imò post tria secula, Iuliani Augusti fidei desertoris, ad illam omninò delendam intenti, semper integra conatus elusit. Hæc ex perantiquo volumine manu exarato Vvichmans: qui liber quantæ sit fidei, esto lectoris eruditi iudicium. Neque in grauissimo Christiani cætus cogendi, informandique negotio, occasio vnquam Apostolis defuit, adeundæ & consulendæ Virginis, præsertim vbi vel omnes, vel eorum plerique in Palæstinâ degebant; atque ipsa Dei Mater aderat Hierosolymæ. Igitur Petrus iam pridem constitutus à Christo supremus Ecclesiæ Princeps, executioni hoc anno mandatum, Antiochenæ sedis instituendæ consilium, admodum simile vero est, communicasse cum Virgine Matre, eiusque consensu, quæ multa futura diuinitus nouerat, approbatum perfecisse.

Componitur interuentu D. Virginis per miraculū

Obuia Apostolis occasio adeundæ D. Virginis ad consilia.

III. Erat Antiochia Orientis Metropolis, eoque tempore variæ Ecclesiarum sedes, ad prærogatiuas prouinciarum, in quibus erant, suæ dignitatis mensuram sunt adeptæ: Syria autem prima Orientis præfectura dicebatur. Hinc etiam factum est, vt instituta postmodum Alexandrina Sedes, præferri ceperit, quoniam Aegyptus, in quâ fuit Alexandria, Præfecturæ Augustalis titulo fruebatur. Hasce prouinciarum dignitates attingit D. Hieronymus [a], & Baronius [b] suis ad Romanum Martyrologium notis exponit. At verò institutæ Apostolicæ Cathedræ beneficium Deo potissimum auctori, & post Deum, aliquo modo Virgini etiam Matri debemus, quoniam Petrus, qui à diuino Spiritu regebatur, consilia quoque non semel sapientissimæ Virginis audijt. Eo festo, quod Antiochenæ Cathedræ nomine celebrari quotannis consueuit octauo Kalendas [c] Martij, recolitur obitum à Petro ad vniuersam Ecclesiam Pastoris, & Principis munus, quod Hierosolymæ primùm exercuit, proximè à Christi in cælum ascensu; Apostolico Senatui, eiusque sacris comitijs præpositus, omnium ore locutus, miraculorum patrator, lustrator prouinciarum.

Prærogatiuæ Ecclesiarum vnde desumptæ.

Cathedra Antiochenæ institutio quomodo beneficium D. Virginis.

Antiochenæ Cathedrę festum.

a S. Hierõ. ep. 61.
b Barõ. 20. Octo. in Aretmio.
c 22. Feb.

rum. Deinde Iudæâ peragratâ, Syriæ Metropolim Antiochiam ingressus est; huc per multas grauesque calamitates aditu sibi ac religioni facto, templum Deo erexit, ibique Cathedram Christianæ rei moderatricem & arbitram collocauit: eò Fidelium concursus ad pedes Summi Pastoris: inde oracula petebantur, inde primùm fidei regula deriuata est ad omnes Ecclesias, donec euoluto septem annorum curriculo, non sine peculiari Numinis instinctu, sedes translata est Romam in Orbis caput. Orbi vniuerso dominatura. Tantum beneficium nec sine afflatu diuino, nec sine Virginis, vt diximus, interuentu, concessum est; & quoniam Antiochiæ primùm Christi discipuli, titulo perhonorifico Christiani sunt appellati; hoc etiam Virgini referamus acceptum, necesse est; quòd ad nos quoque sacrosanctum nomen peruenerit. Denique ità sedisse Antiochiæ Petrum intelligas, ad Ecclesiæ vniuersæ clauum, non quòd ibi integro septennio manserit, cum constet è sacrâ historiâ, more Pastoris ad gregem inuisendum alias etiam prouincias peragrasse; sed quod ibi sedem habuerit; vnde colligas licet, eum rediisse identidem Hierosolymam, atque in rebus dubiis ad Virginis Deiparæ consilium confugisse.

Petri Antiochiæ sedentis labores.

IV. Antiochenæ sedi institutæ, nouum in Iudæâ regnum opponimus, ad quod Agrippa Aristobulo genitus, senioris Herodis filio, ex carcere euectus est. Narratam à Iosepho [a] catastrophen paucis accipe. Coniectus in vincula fuerat, malèque habitus à Tiberio eâ de causâ, quam suprà docuimus; sed mox à Caio in imperium post obitum Tiberij subrogato, libertati restitutus, abstersâ carceris illuuie tonsus, nouâ indutus veste, & pro ferreâ catenâ donatus aureâ eiusdem ponderis, compedes regiâ coronâ ac titulo permutauit, ex duplici Tetrarchiâ, alterâ quondam Philippi, Lysaniæ alterâ regno conflato. At in hac felicitate nouus misero carcer, nouâ captiuitas imminebat, cuius infrà apparebit calamitas, exitium Regis, & regni: dum fundata à Petro sedes, sub præcipuâ Dei moderatoris supremi curâ, & Virginis Matris patrocinio, adeò firma ac stabilis futura est, vt ne portæ quidem inferorum, quicquam aduersus eam habituræ sint virium. Præterea ante quàm Româ discederet cum nouo regis titulo Agrippa, Vitellius Syriæ Præses, ducturus exercitum in Arabiam aduersus Aretam, postulatu Iudæorum, horrentium in Romanis signis imagines Cæsarum, abstinuit à transitu per Iudæam [b]. Quare nationem vniuersam sibi demeritus, vbi deinde

Regnum in Iudæa Agrippæ.

Opponitur institutioni Antiochenæ Cathedræ.

Vitellij Syriæ Præsidis in Iudæos beneficium.

[a] Ioseph Antiquit. l. 18. c. 8. ad fin.

[b] Ex Iosepho vt sup.

deinde Hierosolymam cum Herode Antipâ, Iudææ Tetrarchâ, Agrippæ patruo, ad publicam festiuitatem ascendit, exceptus est perhonorificè à populo. Vsque adeò æstimauere Iudæi beneficium abductarum aliò imaginum Romanarum. Opportunè quidem arceantur à Iudæâ signa isthæc profana, ad Christi, & Deiparæ effigies, ad viuum expressæ, iam à Fidelibus totâ fermè regione coluntur, quibuscum non Aquilarum, non Cæsarum, non inanium Deorum icones conuenire vllatenus possunt. Refertur ad Deiparam.

Annus Christi 40. Petri Antiochiæ 3.
B. M. Virg. 54. Caij Imp. 2.

I. PRæsens annus, quique illum proximè antecedunt, & consequuntur, insignes sunt, Apostolorum plerisque per vniuersam Iudæam collaborantibus Euangelicæ sementi faciendæ, dum è Sionis monte Virgo, quasi de speculâ, singulis in auxilium adest, tum per effusas iugiter ad Deum preces, tum per exhibita in tempore ad res agendas consilia. Illos Sacerdotio constat initiatos fuisse à Christo in vltimâ cænâ ad conficiendam Eucharistiam; & rursus potestate imbutos remittendi mortalibus peccata, cum ijsdem rediuiuus apparuit; & per oris halitum, cæleste Sancti Spiritus donum immisit in pectus. At de Episcopatu haud itâ facilis est expeditio. Præter S. Petrum renunciatum à Christo Ecclesiæ vniuersæ Pastorem, expressâ commendatione Christiani gregis, quandonam reliqui Apostoli ab eodem fuerint Episcopi constituti, non narrant Euangelistæ. Designatos certè non negabis, cum commissa ijs est Episcoporum cura omnes gentes docendi; & sic accepisse dici potest Episcopatum Iudas proditor, cui ad inferos deturbato, subrogandum alterum Petrus in pleno Sanctorum conuentu proposuit. Ad eiusce verò dignitatis fastigium euecti sunt, Petrus quidem, vt alij sentiunt, à Christo, reliqui verò ab ipso Petro inaugurati, & peculiari Ecclesiæ addicti; sicuti factum docet Chrysostomus [a] de Iacobo Alphæi per solemnem inaugurationem Hierosolymæ Episcopo constituto.

Apostolorũ labores adiuti D. Virginis precibus, & consilijs.

Apostoli quando Sacerdotes effecti.

Quando Episcopi.

a Chrysost. Hom. 87. in Ioan. idque 17. Decem.

II. Quo tempore singuli profecti sint in varias terras incertum est: sed vnum negari non potest, Euangelico testimonio confirmatum; anno ab ortu Saluatoris quinto suprà quadragesimum, quo [b] S. Marcus Euangelium scripsit, notari

De profectione Apostolorum in varias terras testimonium S. Marci.

b Mar. 16. vers. 20.

Apostolorum in varias mundi regiones iter, vt iam executioni mandatum: *illi autem profecti prædicauerunt vbique*. Igitur compertum est, ante eum annum, quo ista dictante Spiritu veritatis scribebantur, Apostolos in suas prouincias fuisse digressos. At etiam videtur mihi probabile, quod habent Hispaniæ annales: post primam sortitionem prouinciarum, non illicò omnes simul exiuisse; sed datâ singulis opportunitate, non sine impulsu Numinis eorum consilia moderantis, quod factum à Iacobo Zebedæi suprà expressè notauimus. Itaque per hosce annos certo numero quintum & quadragesimum Christi præcedentes, ponere haud improbabiliter possumus plurium Apostolorum recessum è Iudæâ, remanentibus tantùm Petro, Iacobo Alphæi, & Ioanne: primo quidem vt Ecclesiæ vniuersæ moderatore, qui iam Antiochiæ sedem posuerat, altero vt Hierosolymæ Episcopo, tertio vt relicto Virginis Dei genitricis curæ. Cætera distinguere nequimus eiusce recessus adiuncta, quia nobis inexplorata, alijs alia sentientibus.

Apostolis Hierosolyma digressis, qui, nam ibidem manserint.

Inter ea quæ sunt certa, numerari potest commune Apostolorum studium in Deiparâ venerandâ, quam recessuri non modò salutatam, vt par erat, voluerunt; sed ab illâ, quasi pro viatico, optarunt sibi benedici; monita, opem, patrocinium expetiuerunt, pari omnes voluntate, dignæ Deo Virginis cultum cum verâ in Christum fide, animis inserendi. Sic ad vniuersos vbique mortales Christo adiungendos, non solum Episcopi instituti, sed freti quoque Deiparæ ductu, accinxerunt se operi, quod Spiritus Sanctus præscripserat, maximo ardore pietatis incensi, ergà sanctissimam Matrem, verè Apostolorum Apostolam, vt vocat Anselmus [a], & Magistrorum magistram, vt Rupertus [b].

Apostolorũ studiũ ergà Deiparam.

a Anselm. l. 4. de virtut. B. Mariæ cap. 3.
b Rupert. l. 1. in Cant. sub medii.

III. At verò Petrus omnium princeps, mente diuinitus iniecta, quemadmodum in carne, Dei viuentis Filium fuerat constanter professus, ità Virginis Matris augustum nomen, accepto salutationis Angelicæ præconio, liturgicis sacramentis inauguratum, orbi Christiano persanctè proposuit adorandum. Quod illum non caro & sanguis edocuit, sed magisterium diuini Spiritus suggerentis, humanam à partu Virginis incepisse salutem, quam per crucem Christus exhibuit, eiusque mysterij memoriam, incruento sacrificio iugiter esse recolendam. Itaque hoc consilio Petrus Liturgiam instituit, in quâ *Genitricem Domini & Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, & Deiparam Dominam nostram, immaculatam, & gloriosam* nuncupauit. Id habemus ex interpretatione doctissimi viri Guiliel-

Mariani nominis cultũ S. Petrus in Liturgia proposuit.

Guilielmi Lindani Gandauensis Episcopi, qui illam edidit & & Bibliothecæ [a] veterum Patrum adtexuit. Angelica autem Virginis salutatio, quæ ibi inter cætera legitur, vtrum ascribenda sit S. Petri Liturgiæ, an potius ab alijs addita, in dubio est. Sentiunt aliqui, non à S. Petro, sed priuatâ quorundam pietate fuisse canoni immissam, sicut alia non pauca: quoniam & alieno sit posita loco, neque cum præcedentibus satis aptè cohæreat. At mihi cogitanti illam & Iacobi liturgiæ primùm, deinde & S. Marci seorsim adiectam, sanè videtur apposita tum orationis contextu, tum significatione mysterij; quoniam vtrobique inter ministrorum preces, & commemoratum Deiparæ nomen, velut spiramentum quoddam Euangelicæ gratiæ intercedit: *Aue*, inquit, *Maria gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus; & benedictus fructus ventris tui, quæ Saluatorem peperisti animarum nostrarum*. Vt quemadmodum ista quondam oratio, flexit in reparandæ salutis sententiam: ità deinceps ad augendam in animis mortalium Dei gratiam, blando quidem, sed forti conciliatu permoueat. Quamobrem, & si plura labentibus subinde sæculis à Pontificum pietate ad eam accessere liturgiam: cælestis tamen nuncij salutationem, atque Ecclesiæ totius apprecationem, ab ipsomet Petro datâ operâ, & meditatò fuisse interiectam, haud à realienum crediderim: quin verò & Iacobum, exemplo Principis Apostolorum, & Marcum Magistri imitatione, suis quoque Liturgijs eam intulisse, idque antequam ipse Romanam sedem fundaret. Cum enim, vt rectè Lindanus ratiocinatur, Petrus anno à Christi morte, atque anastasi decimo, Romam venerit, non videtur simile vero, per ipsius decennij interuallum, aut officio Pontificis functum non esse, aut Iudaico vsum ritu. Quin impium foret vel suspicari, tanto tempore citrà omne sacrificium permansisse; vnde tandem appositè conficit, alibi quàm Romæ Liturgiam compositam. Subscribit in eandem cum Lindano sententiam vir pereruditus Melchior Incofer [b].

[a] Bibl. Vet. Pat. tom. 1.

Salutatio Angelica addita Liturgiæ S. Petri.

Itemque Ecclesiæ totius apprecatio.

Ea Liturgia S. Petrus vsus.

IV. Interim inchoatas hoc anno Iudæorum calamitates à nostris Annalibus non alienas, profert eorum historia. Auctus Regis titulo Agrippa, cum reditum in Iudæam meditaretur; Aegyptiorum & maximè Alexandrinorum in Iudæos excitauit inuidiam. Illi enim infensæ sibi nationis in nouo rege felicitatem, infortunium ducentes suum, & præsertim magno ipsius Agrippæ fastu offensi; Præsidem Aegypti Flaccum in vltionem gentis armarunt, quo si minus agente, certè conni-

[b] *Melchior Incofer.Co... in e... B. Virginis ad Messanenses.*

uente, Alexandriæ Agrippam magno excepere ludibrio,& ludicrum ei regem, Carabbam nomine,fictis ornatum insignibus, ductumque per compita, inter inconditos clamores insanientis plebeculæ, opposuerunt. Ità qui paucis ante annis Dei Filium æternam in carne sapientiam, Matre eminus inspectante, vt iocularem regem habuerant, latroni Barabbæ postpositum: nunc eâdem Matre superstite vident in se recidere iocum, suoque illudi regno per oppositum scurrilem regem Carabbam, alteri vt schemate, sic nomine quoque consimilem. Neque hic fuit vltimus fabulæ actus,quoniam ludo iunctus est luctus. In Iudæos Alexandriæ degentes immissâ clade sæuitum est, vstulati plures, innumeri ferro, aut fame perempti, flagris cæsi, & vel festis diebus in crucem acti, domus direptæ, atque in rogum dominorum incensa non vno in loco domorum suppellex. Ex demum accessere calamitates, quas Philo [a] & ipse Iudæus, oculatus omnium testis fusè descripsit, tum commentario aduersus Flaccum, tum obitâ ad Caium Imperatorem legatione. Prima est hæc vltio facinoris ab ipsis patrati,in morte illatâ Dei Filio ante oculos Virginis Matris, quâ adhuc viuente extrema pænarum subeunt, tanquam doloris, luctusque præludia,& qui natum ex illâ Saluatorem colere noluerunt;coguntur vel inuiti,scelere abominando, Caij Cæsaris statuas in Synagogis dedicare. Denique cum in regnum suum Agrippa post tot discrimina tandem venisset, Herodis Antipæ patrui sui incurrit inuidiam, qui Tetrarchiæ in regnum commutandæ percupidus, vxoris suæ Herodiadis suasu, vt beneficium procuraret, Romam petijt. Sed mox Agrippæ litteris maiestatis postulatus, in Galliam relegatur, Herodiade viri exilium vltro secutâ. Sed ambo vitæ miserijs confecti,infeliciore interitu perierunt,qui geminam olim Deiparæ fecerant causam dolendi, sacrilegam Io: Baptistæ cædem, & Iesu Christi in albâ veste contemptum.

Prima Iudæorum calamitas ob Vindicis nostri contemptum, eiusq; Matris.

Ea quàm luctuosa fuerit.

a Philo cõ. in Flacc. & legat. ad Caium.

Herodis & Herodiadis exitus.

Annus Christi 41. Petri Antiochiæ 4. B.M.Virg. 55. Caij Imp. 3.

I. EVangelium ad Hebræos Hebraico idiomate à S.Matthæo conscriptum, in sacrâ historiâ memorandum facit hunc annum; Hagiographon noui Instrumẽti primum, quod de rebus à Iesu Christo gestis, Sancto Spiritu dictante prodierit. Editum fuit ad Fidelium præcipuè Hebræorum instructio-

Euangelium à S.Matthæo scriptum.

instructionem, quorum in dies numerus augebatur; Petro per Iudæam miraculis coruscante, tum ob paralyticum Aeneam Liddæ sanatum, tum ob Tabitham mortuam viuis Ioppe restitutam. Electus operi elucubrando ante omnes Matthæus, qui olim à telonio, & nummis vocanti Christo adhæsit, ex negotiatore & publicano Apostolus. Illud autem aggressus est hoc anno, non solum peculiari Numinis afflatu, sed Apostolici Senatus, & amicorum consilio, imò Deiparæ Virginis suasu ductuque; cum enim ea meritò dicatur, vt ait Anselmus [a], *Apostolorum Apostola, & Euangelistarum Euangelista*, sicut illis affuit ad expiationem animarum intentis; ità hos non deseruit sacram historiam concinnantes. In suâ plura scripsit Matthæus, quæ & deriuatam à Spiritu diuino doctrinam, & Mariæ quoque magisterium sapiunt, omnia Dei hominis arcana conseruantis, & conferentis in corde suo. Huius ille desponsationem cum Iosepho, regiam Filij, Matrisque genealogiam, Saluatoris ortum, atque infantiam ritè persequitur, quorum mysteriorum exacta notitia, per vllum mortalium meliùs, pleniùsque quàm per Deiparam, testem omnium oculatam, haberi non potuit. Eius quoque pauculis verbis plenissimum texit elogium, quo ad Virginis excellentiam prædicandam nullum præstantius: cum enim suo illam charactere designaturus, proximè agnatum Iosephum, *virum* [b] appellat *Mariæ, de qua natus est Iesus*, summam, amplissimamque Virginis nostræ laudem, perbreui verborum ambitu complexus est. Quæ verba cum pro concione exponeret S. Thomas [c] à Villanouâ, paulò ante dum hæc scriberentur ab Alexandro Septimo inter Sanctos relatus: *quid amplius quæris*, inquit, *quid vltrà requiris in Virgine? sufficit tibi, quòd Dei Mater est; quòd de ea natus est Iesus. Hæc longa & plenissima historia est*. Et alibi: *hoc breue eloquium ad omnem historiam sufficit: longiore non opus est, ad Virginem extollendam*. Auctor nobilis elogij S. Matthæus; tria sui Euangelij verba, tanquam mille libros in laudem Deiparæ confert. Neque id omittere possumus; adeò studiosum habitum fuisse, tantæ Matris publicis monumentis commendandæ; vt, Fulberto Carnotensi [d] teste, apud nonnullos audierit, post editum Euangelium, eius quoque libri Scriptor, qui de ortu eiusdem Deiparæ tribuitur D. Hieronymo. Quicquid sit de germano libri auctore, de quo ego in præsentiâ non laboro: inde solum censeo posse deduci, quale quantumque studium suum, ergà Virginem Matrem S. Matthæus vulgò probarit, dum post elucubrationem

Suasu & ductu Deiparæ.

Breue, sed maximum D. Virginis elogium.

Liber de ortu Virginis ascriptus D. Hieronymo.

a Anselm. lib. de 4. virtut. B. Mariæ c. 3.

b Matth. 1 vers. 16.

c S. Thom. à Villanoua ser. 2. & 3. de Nat. B. Virg.

d Fulbert. Carnot. ser. 1. de Nat. Virg. to. 12 Biblioth. Vet. Pat.

nem

nem Euangelicæ historiæ, auctor creditus est antiquissimi libri, & opinione aliquorum, ex Hebraico idiomate ad Latinum translati, S. Hieronymo interprete; quem cæteroqui librum, non omninò improbandum, imò magni ob antiquitatem faciendum ex Petro Canisio, Christophoro Castrio, Hadriano Lyræo docuimus in Apparatu. a In Apparatu num 79.

II. Cæterum ipsam de Christo historiam, verum opus S. Matthæi, & Euangelium editum ante reliqua, descripsisse Apostolos, qui tunc aderant, & secum tulisse in suo ad Gentes egressu, persuadent Bartholomæi, & Barnabæ exempla; de primo testimonium expressum habent, Origenes [b], Eusebius, Hieronymus, alij [c] De altero idem compertum est apud omnes, cum Zenone Augusto regnante refossum fuerit eius corpus, vnà cum Euangelio S. Matthæi, vt sacra illorum temporum historia docet. Hinc deducere licet, primum de Virgine Matre authenticum scriptum, cepisse tum ab Apostolis vbique gentium euulgari, ipsique Deiparæ cultum & venerationem conciliasse apud omnes, vbicunque Fides Christi iactis altè radicibus nasceretur.

Euangelium S. Matthæi ab Apostolis scripto exceptum.

b Origenes Eusebius Hieronymus. c Socrates Nicephorus Fortunatus.

III. Interea nouum ex profanâ historiâ monstrum occurrit, Caius Imperator eò amentiæ adductus, vt coli tanquam Deus publicè vellet, & Petronio Syriæ post Vitellium præfecto, mandatum daret, de suâ statuâ, instar ingentis colossi, Hierosolymæ in templo locandâ. At Petronius seditionis publicæ metu cunctatus, grauissimam Cæsaris indignationem incurrit. Ad honorem Cæsari deferendum non se studijs prensari, non minis cogi sinunt Iudæi, certi indignissima potius pati, quàm profanam templo statuam inferre. At verò cultus ad Iesum & Mariam eodem tempore vbique terrarum spontè deuoluitur, non modò erectis vtrique statuis; sed fundatis quoque dedicatisque templis, vbicunque vulgatum est Euangelium S. Matthæi, cui rectè tribuitur in Symbolum humana facies, quia humanam persequitur Christi generationem, quæ Filium, Matremque complectitur, & cultum apud homines vtrique conciliat.

Caij amentia, ambientis diuinos honores.

Renuunt Iudæi.

Iesu & Mariæ cultus auctus.

IV. Memorandum quoque fecit hunc annum vltio diuina de Pilato suscepta. Is paulò ante amotus procuratione Iudææ, atque accusatus multiplici de crimine, vt Philo [d] testatur, cum Viennæ Allobrogum exul ageret, ærumnarum impatiens, exitum illatâ sibi nece quæsiuit, sui carnifex, qui morti Dei Filium iudex addixerat, Iudæorum impulsu, extremoque dolore Virginis Matris; vt effectus olim ob metum Cæsaris

Pilati exitus.

d Philo de legat. ad Caium.

Cæsaris, parricida nostri Vindicis; ad vitandam Cæsaris iram, in se converteret ferrum, suoque cruore tingeret manus, quas frustrà aquis abluerat.

Annus Christi 42. Petri Antiochiæ 5. B. M. Virg. 56. Caij Imp. 4. & vlt.

I. REditum S. Iacobi Maioris ab Hispaniâ in Iudæam, hoc circiter anno contigisse ponunt, eius nationis annales; neque improbabilis videtur assertio, cum & illuc paucos ante annos profectum fuisse Apostolum, communis ferat, ac recepta traditio, (quam convellere æquum non est) & post sesquiannum constet ab Agrippâ necatum. Quænam fuerit occasio tam subita deserendæ provinciæ, atque in Iudæam redeundi, & si certò sciri non potest: tamen dum vti coniecturis liceat, Apostolo apud Hispanos agenti, suborta fortasse necessitas est, in rebus ad salutem animarum spectantibus, S. Petri Ecclesiæ vniversæ moderatoris ac principis consulendi, atque etiam Deiparæ Virginis tanquam magistræ audiendæ. Sed quoniam nihil esse fortuitum atque improvisum Deo potest, id certè videtur verius; divino factum esse consilio, vt Hierosolymam Iacobus rediret, ibi paulò post Apostolorum primus, insigni martyrio coronandus, quo affectum fuisse videbimus, nondum biennio post reditum evoluto. Et quidem positâ Apostoli ad occasum peregrinatione, & aliquorum annorum apud Iberos morâ, ità ratiocinandum est, ne quid afferatur contrarium sacræ Apostolorum [a] historiæ à S. Lucâ descriptæ, vbi Iacobi mors recensetur, Hierosolymæ sub Agrippâ, novo Iudæorum Rege suscepta. Cæterùm Hispaniam non omninò dixeris derelictam, quando ex iactis orthodoxæ fidei seminibus, inde iam messis exurgebat propè matura, cum in populis ad Deum conversis, tum maximè in discipulis, quos Apostolus suos veluti vicarios, illic Fidelium bono reliquerat. Præterea & mortuus eodem asportandus erat, vbi gloriosum sacris ossibus sepulcrum nactus, populorum religionem suo quoque patrocinio promoveret.

Reditus in Iudæam S. Iacobi Maioris

Cur is in Iudæam redierit.

Factũ id divino consilio

a Actus Apostolorum

Iacobo discedente Hispania non derelicta.

II. At non vltima fuit eius laus in peramplâ illâ Domini vineâ laborantis, insitus indigenarum animis Deiparæ cultus, adeò vt ex Chronico, quod Flavio Lucio Dextro ascribitur, docuerint aliqui; Iacobo Apostolo duce, atque auctore, illibatam Dei Genitricis conceptionem, ab illis vsque tempori-bus

Cultus D. Virginis in Hispania a S. Iacobo Apostolo

bus consueuisse votiuâ quotannis memoriâ celebrari. Sed hoc cuiuscunque Chronologi testimonium, sicuti non benè intellectum (quod asserit eius illustrator Franciscus [a] Biuarius) scandalo multis, & offensioni fuit; vt propterea vniuersam illam historiam expungendam censuerint, ità saniùs expositum, hac saltem parte omnem auertet ab auctore censuram, qui non Virginis conceptæ, sed concipientis festum ab Apostolo inductum scripsit; non conceptum ipsius passiuum. (vt cum scholis loquar) sed actiuum, quo Virgo Dei Filium sine labe concepit, iam tum recoli cepisse testatus est: & hoc ipsum mysterium nos *Filij Dei Incarnationem* vocamus. Quis enim neget in Hispaniâ à Iacobo factum, quod faciendum ex Apostolorum institutione manasset, cum sciamus decreuisse illos, vt Christi Saluatoris concepti, nati, mortui, rediuiui mysteria, statis anni temporibus recolerentur. Plures quidem, eæque vulgatæ Doctorum sententiæ, Virginem Deiparam sine originis labe conceptam tuentur: productum verò testimonium illo qualicumque Chronico, sicuti non prodest, ità nec obest opinioni piæ; quoniam non eo, quo acceptum est ab aliquibus sensu, constat auctorem locutum, sed alio longè diuerso: id quod ad mentem eiusdem Franciscus Biuarius [b] exponit in commentario, atque ex eo fideliter Deiparæ studiosissimus Hippolytus Maraccius [c], Ordinis Clericorum Regularium Matris Dei. *A Iacobi prædicatione* (habetur in Chronico) *celebratur in Hispania Festum immaculatæ Conceptionis Dei Genitricis Mariæ*; at eius conceptionis, subdit interpres, quâ Virgo sine maculâ Dei Filium ventre concepit, non alterius, quâ concepta ipsamet fuit ab Annâ matre. Nam priore sensu vsurpatum olim conceptionis vocabulum ex Menologio Græcorum [d], & Kalendario Syrorum colligimus: cum ad quintum Idus Decembres, in altero quidem, pro Virginis conceptæ memoriâ legatur: *Conceptio munda B. Annæ, Dei & Domini nostri auiæ*. In altero verò: *Anna iusta conceptio in Domina nostra Genitrice Dei*. Idem vocis significatus reperitur identidem apud antiquos Patres. Nam S. Bernardus [e], de ortu Saluatoris ex Virgine: *Attende* ait *& conceptum inuenis sine semine. Quid gloriosius, quàm sancta & sincera conceptio, in qua nihil sordis est, nihil corruptionis?* & Cyprianus [f], siue alter Cypriano synchronus: *ò Virgo iusta, cuius conceptio singularis*; quia perfecta fuit absque viri operâ. Plura huius generis Biuarius, & Maraccius, ad quos lectorem amandamus; dum ex ijs quæ diximus deducere in rem præsentem licet; Verbi in

vtero

Ab eo tempore celebrari ibidē cepit Conceptio actiua Deiparæ.

a Biuarius comm. in Chronicon Dextri.

b Biuar. ad an. Christi 308. p. 359.

c Hipp. Marac. lib. de Apost. Marian. in S. Iacobo Maiore.

d Menol. Græcorum Kalend Syrorum ad 9 Decemb.

e Bernard. ser. 4. in Vigil. Nat. Domini.

f Cyprian. ser. de Nat.

vtero Virginis corporati memoriam, sub nomine Marianæ conceptionis, in Hispaniâ quotannis fuisse celebratam, ex quo tempore S. Iacobus eam regionem lustrauit; vnde & cultus ibidem semper floruit magnæ Matris, cui regnorum amplitudinem, sinceritatem religionis, & ductam feliciter ad vtrumque solem dominationem debet Hispanus, vt infrà suis subinde locis nostra declarabit historia. Interim esto compertum; iacta ibi à Iacobo orthodoxæ Fidei semina, illicò in messem adoleuisse Christianæ pietatis, ac debitæ Virgini Deiparæ venerationis, quod præstitum abundè est per Apostoli discipulos, in Hispaniâ eius loco relictos, atque à sacris eiusdem cineribus, eò post mortem translatis, vt mox patebit.

Dominicæ Incarnationis festum in Hispania celebratũ tempore S. Iacobi.

III. Hoc eodem anno, secundo & quadragesimo post ortum Iesu Christi, consignata legitur epistola, quam Messanenses in Siciliâ, ex priuatâ maiorum suorum traditione, ad se scriptam agnoscunt, tanquam Virginis Deiparæ genuinam, cuius perpetuo patrocinio ex eiusdem epistolæ contextu gloriantur. Dicunt enim, quo tempore S. Paulus Rhegio Iulij; perantiquo Brutiorum oppido transiens, habitisque ad populum concionibus, eum ad Christi cognitionem adduxit, fuisse quoque Apostolum à Mamertinis accitum, ijsque annunciasse æterni Verbi carnem assumentis mysteria, & perpetuam Deiparæ virginitatem; vnde ad sanctissimam Matrem Hierosolymæ degentem instituta eodem Paulo duce legatio, litteras beneuolentiæ indices ab ipsa Virgine promeruerit, quarum exemplaria circumferuntur. Tempus verò suscepti ad Rhegienses itineris, aditæque Messanæ notant, non quidem id, quod indicare videtur in Apostolorum historiâ S. Lucas [a], vbi narratur, Paulus à Iudæis accusatus ad Præsidis Festi tribunal, cum Cæsarem appellasset, ex vrbe Cæsareâ Syracusas, inde Rhegium Calabriæ, atque Puteolos soluisse; denique Romam in vinculis perductus, oblatusque Neroni fuisse; sed potius aliud à sacro Historico prætermissum, quo nimirum idem Paulus Damasci ad Christum conuersus, anteactæ vitæ noxis baptismo expiatis, in Arabiam se contulit: mox elapso triennio cum Hierosolymam appulisset, acceptâ ab Apostolis fidei tesserâ, atque à Petro potestate, inde per Græciam exorsus est suæ prædicationis cursum, Italiam subinde, Romam, & Hispaniam petiturus. Ergò probabilius censent; Paulum, diebus quindecim exactis, quibus Hierosolymæ commoratus est apud Petrum, Gentium conuersioni dedisse se totum, atque inde digressum, annunciare Christi mysteria per con-

De epistola Deiparæ ad Messanenses, hoc anno cõsignata.

Messanensiũ de eadem antiqua traditio.

Tempus quo Paulus Rhegium venerit, & Messanam.

a Act. 28.

Exponuntur S. Pauli itinere.

ciones cepisse: quin imò dum Italiam, Hispaniamque meditatur, ex aliâ in aliam prouinciam dilapsum, nunc studio lucrandarum animarum, nunc populorum inuitatu in Magnam Græciam, ex magnâ Græciâ in Siciliam deuenisse, circà annum à Christo nato quadragesimum primum. Huc trahunt illi Cyrillum [a] loquentem de Pauli profectione ab vrbe Hierosolymâ, dicentemque: *regiam quoque Romam instituebat, & in Hispaniam vsque promptitudinem prædicationis extendit.* Faciunt præterea Cyrillo subscribentem Hieronymum [b], dum ait: *Paulus per Pamphyliam, Asiam, Macedoniam, & Achaiam, & diuersas insulas, atque prouincias, ad Italiam quoque, &, vt ipse scribit, ad Hispanias alienigenarum portatus est nauibus*: & putant accedere Hieronymo antiquiorem Dorotheum [c]: qui subdit: *Paulus à Hierusalem Euangelij prædicationem exorsus ad Illyricum vsque, in Italiam, & Hispaniam prædicando progressus est.* Cum verò S. Lucas [d], in narratione rerum ab Apostolis gestarum, dicat; eum dierum quindecim spatio Hierosolymæ commoratum, verba fecisse Gentibus, & disputasse cum Græcis; plerique [e] intelligunt, cum Magistro Scholasticæ historiæ, id factum in discessu Pauli ab vrbe Hierosolymâ, non vtique intrà paucos menses, sed annis circiter quatuor, vt rectè putauit Nicolaus Serarius [f], ab octauo suprà trigesimum, ad quadragesimum secundum Christi nati, quo Apostolus [g] Gentium inuentus à Barnaba Tarsi, atque inde Antiochiam deductus est.

a Cyrill. Catech. 17.
b Hieron. cap. 11. Isa.
c Doroth. in Synops.
d Act. c. 9. ver. 29.
e Apud Gaspar. Sanc. in c. 9. Act.
f Serar. in Paulo 10.
g Act. 11. ver. 25.

IV. Per id tempus, eiusdem cum legatis Messanensibus in Orientem reditum contigisse, habetur ex priuata illius Ecclesiæ traditione, quæ & Paulum Rhegio Messanam accitum, ibique de Virgine Deiparâ concionatum, Iesu Christi, Matrisque cultus populo insinuantem, atque ipsam Sanctorum Reginam Mariam non solum aditu legatos dignatam, sed datis etiam vltrò litteris remittentem ad suos proponit. Primum litterarum exemplar Hebraico idiomate dicunt à Virgine fuisse conscriptum, tum Græco sermone redditum à Paulo, ac denique post multos annos à Constantino Lascari latinitate donatum, quod postremum opus Messanæ seruatur, atque admodum religiosè colitur, extructis sub eius scripturæ titulo templis, dicatisque sacellis. Quin imò tantam ex Messanensium animis pietatem expressit, vt auctâ in Dei parentem fiduciâ, sæpe eius opem & patrocinium sint experti; sacrarum insuper indulgentiarum thesauris per Pontificum diplomata cumulari, certisque à cælo signis, in rebus aduersis defensi.

Virginis litteræ quo idiomate scriptæ.

Litterarum exemplar Latinũ quanti habitum.

ſenſi. Ipſa Epiſtolæ interpretatio latina, paſſim apud auctores occurret, cuius fideliter exceptum exemplar, non Meſſanenſes ſolum, ſed alij quoque populi, atque inter eos viri principes, ciuitatum primates, magiſtri eruditione præſtantes, ferre apud ſe religionis ergò continenter conſueuerunt. Piam Meſſanenſium de hac epiſtolâ opinionem, non conuellendam, non vllo pacto ſollicitandam cenſemus; quoniam diuinus ex eâ cultus propagatus, auctuſque Meſſanæ cernitur; & feſtum inſtitutum eſt datæ ad eos ciues epiſtolæ, quod incidit quotannis in tertium [a] Nonas Iunias, magnâque populi pietate celebratur; item eâdem de causâ recolitur ad ſextum Idus [b] Septembris primus S. Pauli aduentus Meſſanam, quo nimirum per Mamertinum fretum Apoſtolus nauigans, ad oram appulit Meſſanenſem, decimo ab vrbe lapide, cum prius ad Rhegienſes concionatus, marmoreæ columnæ poſt abſumptam candelam accenſæ miraculo, ſibi famam conciliaſſet. Propterea in eius prodigij fidem Rhegij viſitur adhuc id monumentum ſemiuſtum, atque in Siculo littore locus, qui Apoſtolum primus excepit, appellatur ab incolis, *S. Pauli deſcenſus*, conſtructo etiam in eiuſdem honorem templo, quod hodie extat. Et benè Apoſtolici aduentus memoria apud Siculos ſexto idus Septembres recurrit, quo die natam olim legimus generis humani bono Deiparam, cum ferè idem fuerit illuc acceſſiſſe, atque hac occaſione ſubortum eſſe incolarum in animis, deſiderium agnoſcendæ, colendæque Dei Matris.

a 3. Iun.
b 8. Sept.

Feſtum inſtitutum datæ epiſtolę, itẽque S. Pauli Meſſanam aduentus.

Rhegienſe miraculum ad concione D. Pauli.

V. Hæc à maioribus acceptâ per traditionem notitiâ, docent Meſſanenſes, eductiſque de publico tabulario monumentis probant; nec auctores diſſentiunt omni exceptione maiores; Mutius [c] Iuſtinopolitanus inſignis hiſtoricus, Petrus [d] Caniſius, Alphonſus Villegas [e], Martinus [f] Nauarrus. Ioannes [g] Carthagena, atque opere integro hac de re edito Melchior Incopher [h]. Alijque plures quos recenſet in ſuâ eruditâ diſſertatione Paulus [i] Bellius; hic meritò ſuæ patriæ gloriam illuſtrandam ſuſcepit, dum ſacram epiſtolam itá collocare nititur in bono lumine, vt rationibus atque auctoritate opinionem ſtabiliat, & confutatis, quæ in contrarium obijciuntur, opportunè tueatur. Neque verò in ſapientum numero deſunt, qui dubij olim, an Virginis in eâ epiſtolâ characterem agnoſcerent, argumentis, coniecturis, ac teſtimonijs, quæ Bellius affert expenſis, omne à ſe dubitationis nebulam abieciſſe teſtentur: quòd ingenuè de ſe fatetur in appro-

c Mut. Iuſtin. Hiſtor. ſac. l. 1. c. 15.
d Caniſius Marial. l. 5 cap. 15.
e Villeg. vita B. Virg.
f Nauar. Tractatu de Horis Canon.
g Carthag. l. 3. de Arcan. Deip.
h Melchior Incopher.
i Paulus Bellius.

Auctores pro traditione firmanda.

Ggg 2 batio-

batione operis Maximilianus Sandæus [a]. Equidem Messanensem hanc de legatione ciuium, deque Virginali epistolâ traditionem satis habui recitasse, tanquam anno, in quo nunc sumus, addictam; cum secundo & quadragesimo Iesu Christi data reperiatur epistola. Quicquid aduersarij contrà eam obijciunt, quâ ratione soluatur, intelliget lector ex Paulo [b] Bellio, eruditè & probabiliter omnibus respondente. Vnum ex Theophylo [c] Raynaudo, traditionem non improbante, nos addimus; neutiquam abhorrere à flagrantissima Deiparæ charitate, vt sicut illa præsentes allocutionibus, ità absentes litteris ad viam salutis capessendam, & Christum verum Deum, sine quo non est salus, agnoscendum, hortari ac iuuare voluerit: nam Christus ipse litteras ad Abagarum Edessæ Regem dedisse proditur, quas Eusebius [d] recitat, plurésque antiquorum receperunt, verasque pronunciauit S. Ephremus [e] Diaconus Edessenus.

a Maximilianus Sandæus.

b Paul. Bellio Differtat. par. 2.

c Theoph. Rayn. Diptych. par. 1. pun. 10.

d Euseb. l. 1. Hist. cap. 13.

e S. Ephr. in Testamento.

VI. Piæ verò Messanensium opinioni ac fidei de Virginalibus litteris ad se missis, nouam attulit, dum hæc scriberemus, coniecturam & probabilitatem, insignis hoc æuo Theologus Carmelita Ioannes Baptista de Lezana [f], in Annalibus sui ordinis, vbi seruari asserit Antiochiæ, scriptum Arabico idiomate perantiquum, quo scripto, testis oculatus, idemque iuratus, Iacobus Auodius Esronita, Antiochenæ Ecclesiæ Archipresbyter, contineri affirmauit amplissimum testimonium legationis, à Messanensibus duce D. Paulo initæ, ad Dei Matrem viuentem. Missus ille paucis [g] ante annis Romam à Patriarchâ Antiocheno ad summum Pontificem Innocentium Decimum, cum in itinere Messanâ transiret, coram Societatis Iesu Patribus, alijsque testibus affirmauit, habere se domi in suâ patriâ manuscriptum codicem, varia Sanctorum Apostolorum itinera continentem, & illud inter cætera indicantem, quod Paulus, cum Messanam ad Christi fidem conuertisset, Hierosolymam versùs suscepit, ducens eiusce ciuitatis legatos ad Virginis Deiparæ conspectum; quo tempore ea gens per tantum Doctorem veri Dei notitiam adepta, cum nostræ libertatis Vindicem Christum, cælo iam redditum, videre non posset, sui saltem optauit Virginis Matris aspectu. Dicebat præterea Iacobus, eiusmodi librum relictum sibi fuisse à parente suo Ioanne Auodio Sacerdote, & haberi tanquam cimelium paternæ hæreditatis; curaturum se, vt in Siciliam volumen mitteretur. Sed iam nuncius inde affertur, dum hæc in lucem edimus; codicem ipsum mitti Messanam à Petro

Accedit nouum huic traditioni robur.

Ex M. S. codice Arabico continente varia Apostolorum itinera.

f Lezana t. 4. Annal. Carm. ad an. Christi 1238. n. 3.

g An. Dñi 1654. cum litteris Io. Patriar. Antioch. datis 1. Nouemb.

tro Georgio Antiochiæ Patriarcha, qui datis [a] ad insignem illum Senatum litteris scribit, post innumeras difficultates itinerum, venisse tandem in suas manus quæsitum opus; inque eo legi Mamertinæ traditionis veritatem expresse notatam: vbi primùm licuerit, historiam suo iussu per fidum interpretem ex Arabico idiomate, Italicè redditam, se transmissurum.

a Ex litteris Georg. Petri Antioch. Patr. datis 22. Maij 1659 ad Illustrissimum Messanæ Senatum.

VII. Præter epistolam ad Messanenses, altera circumfertur perbreuis ad Florentinos inscripta, opus item, vt piè credunt, ipsius Deiparæ, quam epistolam commemoratam non vno tantùm in loco tum voce, tum scripto omnique carentem titulo exhibet Canisius [b], & Castrius [c], alijque permulti. At verò non liquet de tempore, quo scripta fuerit, cum nullus in eâ notetur annus, nullus dies. Quare suspicantur [d] aliqui, Deiparam iam in cælo regnantem, per cælestem internuncium, aut quempiam ex mortalibus Deo gratum, Reipublicæ Florentissimæ sibi dicatæ, cum ea varijs bellorum, aut seditionum tumultibus, de quibus historiæ, vt cum maximè agitaretur, perbreuem ad diuinum amorem, aliasque virtutes ritè sectandas, parænesim misisse descriptam, promisso insuper præmio, tum sempiternæ apud Deum salutis, tum magnæ apud homines gloriæ. Accipit coniectura vim ab exemplo consimili, quod legitur apud Alanum Rupensem, & Albertum Renatum laudatos à Petro Georgio Odescalco [e] Episcopo Vigeuanensi. Aiunt enim oranti Virgini cuidam Ioannæ nomine, astitisse Angelum, eique epistolam à Deiparâ scriptam dedisse, quâ exhortatio continebatur ad serti precarij, cui à rosis nomen, recitationem, ad otij fugam, ad solitudinem, paupertatem, aliasque religiosas virtutes; & animi tranquillitas, itemque felicitas promittebatur. Monita his non dissimilia inuenies in sacris reuelationibus Beatarum Elisabethæ, & Birgittæ, vnde licet argumentari, Marianam epistolam ad Florentinos inscriptam, ex characteris similitudine, cum scriptis istiusmodi conuenire, quæ litterarum in morem à Virgine in cælo regnante, atque immortali submissa sunt; ideòque fortasse eius generis esse. Verùm vtcumque se res habeat, sicubi chirographum extat, permagno æstimandum videtur; cum ad fouendam pietatem, in Virginem Deiparam plurimùm valeat; nec priuatis Ecclesiarum traditionibus, si quæ occurrant, æquum sit aduersari.

Altera Deiparæ epistola ad Florentinos.

b Canis. l. 5 Marial. c. 1

c Castrius Hist. Deip. cap. 23.

d Paulus Belius Dissertatione Laudata.

Argumentũ epistolæ.

e Pet. Georg. Odescal. in Institut. dist. 12.

Epistola cælestis cuidam Virgini missa.

VIII. Hoc eodem anno insignis contigit, Iudæorum Alexandriæ degentium ad Caium Imperatorem legatio, quam Philo [f] eiusce nationis sapientissimus, ex legatis vnus, litteris con-

Iudæorũ ad Caium Imp. legatio, à Philone ex legatis vno descripta.

f Philo Iudæus.

ris consignatam posteritati reliquit. Instituta hæc fuit, quòd Caius Iouem æmulatus, sub eius nomine statuas sibi dedicari iussit; cui mandato resistentes Iudæi, Cæsarem per legatos orarunt, ne ad statuam sacrilegè in templo collocandam adigeretur. Sed habita est derisui legatio, agente contrà Iudæos Appione Grammatico, vanissimæ eloquentiæ Oratori, ac verè (vt vocabatur) cymbalo mundi. Consolabantur miseros contribules, ij qui ex Iudaico populo in Christum crediderant, & præsentes calamitates, grauiorum præludia, ad perpetratum ante paucos annos Saluatoris parricidium referebant. Denique siue aduentu in Vrbem Agrippæ Regis, siue scriptis ab eodem deprecatorijs litteris, siue potius Tyranno per subitam cædem maturè sublato, sacrum Hierosolymæ templum cæsareæ statuæ dedicationi non patuit. At verò licet nobis beneficium referre in Deiparam, quæ cum in Sionis monte id temporis habitaret, arcere potuit abominationem à domo Dei, vel solâ præsentiâ. Illa sicut exemplo vitæ sanctissimæ, proderat Hierosolymæ plurimùm, quæ per Apostolorum culturam, paulatim in vineam Christi transibat; ità è contrario turpissima Caij Cæsaris vitia Romam infecerant, non prius à lue purgandam, quàm illuc fidem Christi, & cultum Deiparæ Petrus inferret. Vide qualis sit vtriusque concursus. Altera Christianæ demissionis exemplum, dum amat nesciri, à sapientibus consulitur, à sanctis colitur, ab Ecclesiâ honoratur, debita cælesti gloriæ, & immortalitati Regina: alter affectatâ vbique terrarum diuinitate, exigit amens à populis aras, thura, victimas, statuas, templa, nec videt ab imminente morte, æternum sibi carcerem aperiri. Ex alio capite idem annus funestissimus Iudæis[a] fuit, quos diuina vltio vbique mirum in modum afflixit: nam præter ea, quæ in Palæstinâ, quæ in Aegypto, ac Romæ perpessi sunt; Seleuciæ vnâ tantum in vrbe, conspirantibus in eos Græcis cum Syris, suprà quinquaginta millia trucidantur. Sic effuso per summum scelus Christi Saluatoris sanguine, & dolore in Filij morte Matri illato, suis ipsis calamitatibus, exilijs, cladibus, pænas, at non vltimas, luunt.

Orant Iudæi ne statua Cæsaris in templo locetur.

Obtentum beneficium refertur ad Deiparam.

Eius vita opposita Caij nequitiæ.

Magna Iudæorum clades.

a Ioseph. antiq. l. 18. c. 12.

Annus

Annus Christi 43.
B. M. Virginis 57. Petri Antiochiæ 6.
Claudij Imperatoris 1.

I. DVo incidunt in hunc annum, quæ viuenti Deiparæ ingentem lætitiam attulerunt; Christi sectatores primùm Christianorum perhonorificâ appellatione donati, & lux Euangelicæ veritatis delata ad Abagarum Syriæ Regem à morbo languentem, vti Christus ipse promiserat. Summa rerũ huius anni.

II. Occasionem nouo Christianorum nomini dedit plurimorum ad Christum accessio, Antiochiæ facta; vbi cum Fideles prius solo discipulorum titulo censerentur, placuit appellare Christianos à Christo, quoniam insurgentes varij nouorum dogmatum auctores, suos quoque sectatores, discipulos nominabant; vnde hæc appellatio facta communis, non benè eos, qui Iesu Christi disciplinam profitebantur, ab alijs sectarijs distinguebat. Christianum itaque nomen superinductum hanc vim obtinuit, id genus hominum à cæteris discernendi, vt quicunque in Christum credidissent Christiani nominarentur. Quòd verò Tertullianus [a] refert eiusmodi nominationem ad Tiberij tempora, cum nunciatis ex Palæstinâ Christi miraculis, fama eius diuinitatis, & bona Christianæ Religionis existimatio apud Imperatorem inualuit, adeò vt de Christo inter Deos colendo ad Senatum retulerit, & pœnas publicè minatus idem sit accusatoribus Christianorum; tunc enim hoc nomen, videtur sumptum, pro notitiâ & famâ sanctissimæ religionis, quomodocumque ea vitæ professio id temporis appellaretur. At quod S. Lucas [b] dixit, Antiochiæ Fideles primùm cognominatos fuisse Christianos, accipiendum non est, quasi nomen vnâ die sit inditum: sed quia crescente per hæc tempora numero accedentium ad Christi partes, eiusmodi paulatim appellatio percrebuerit; etiamsi fortè multò ante audita alicubi fuerit, & post aliquot annos Antiochenæ Synodi [c] legibus confirmata. Quantum ex eâ lætitiæ Deipara ceperit, iudicari facilè potest, si consideretur tum nominatio ipsa, tum eius occasio, atque origo: cum enim Antiochiæ potissimùm plurimi, Christi sacra susciperent; deriuatum inde nomen in omnes est; atque in singulis Matri sanctissimæ videbatur quodammodo Filius renasci, orbem terrarum impleturus: & dum illi se Iesu Christi moribus conforma-

Nominatio Christianorũ

Lætitia Deiparæ ex nomine Christianorum.

a Tertull. Apolog. c. 5.

b Act. 11. vers. 26.

c Pamph. Mart. ex Bibl. Orig.

formabant, eius induti ſchemate, non Chriſtiani modò, ſed Mariani pariter audiebant; quoniam primam in Ieſu ſpem, alteram collocauerant in Maria. Erat quoque gaudium magnæ Matris videntis auctam ſibi multitudinem filiorum, quos ſuſcipiebat in dies, eiuſdem fidei lacte nutritos; iiſque nomen imponi, quod ante plura ſæcula deſignarat Iſaiæ [a] Vatis oraculum: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit*; Ipſa Ethnicorum in id nomen ludibria, Chreſtum & Chreſtianos vocitantium, perperam pronunciatis vocabulis, tranſibant in gentis decora, quoniam nebulones ignari planè quid dicerent, à facilitate morum, à bonitate ac beneuolentiâ deducebant nomina, quæ à Chriſmate, ſiue vnctione regiâ verius deducta fuiſſent, vt notant cum Tertulliano [b] Patres: ideò Martyr Iuſtinus [c]: *Chreſtiani*, inquit, *eſſe deferimur*; *atqui* χρηστὸν *hoc eſt commodum, & bonum odiſſe, iniuſtum eſt*. Hæc omnia Virgini Deiparæ hoc tempore ignota eſſe non poterant, adeòque decus, quod inde in Chriſtum redundabat, maximè probabatur, nouique gaudij materies accedebat.

Chriſtiani nominis expoſitio.

a Iſai. c. 62. ver. 2.

b Tertull. Apolog. c. 3.
c Iuſtin. or. ad Antoninum Pium.

III. At etiam Abagari Syriæ Regis ad Chriſti ſacra conuerſio, receptàque diuinitus valetudo, ſicut huic anno aſcribitur, ità Dei Genitrici lætitiam addidit: in eo enim miraculo impleta Saluatoris promiſſio, non modò Regi, ſed populis, atque Edeſſenæ potiſſimùm ciuitati conſuluit; aperto illuc oſtio Chriſtianæ fidei per Thaddæum, ſiue Apoſtolum, vt Hieronymus [d] tradit, ſiue ex duobus & ſeptuaginta diſcipulis vnum, vt ſcripſit Euſebius [e]; Is diuino monitu ad Regem Abagarum miſſus, inhiantem felicitati, quam Chriſtus ipſe promiſerat, antequam è terris recederet; ex auitis illum eduxit tenebris, effecitque cum populo euangelicæ lucis participem. Imò vt beneficium congeminaret, pertinacem à regio corpore morbum abſterſit ope diuinâ. Ad feliciſſimum nuncium Virgo Deipara quale perceperit gaudium, colligere quiuis facilè poterit, qui Matrem conſiderabit, de Filij gloriâ per fidos præcones propagatâ, exultantem in dies. Ipſa quoque iam tum Edeſſeno Regi, eiuſque ciuitati cum Chriſto cognita, ſe matrem, atque patronam exhibere cepit, adeò vt tanto patrocinio referri debeat acceptum, numeroſum Sanctorum agmen, quod inde prodiuit, ad ſacros Eccleſiæ faſtos locupletandos. Ibi inter quotidianos Chriſtianæ religionis, fideique progreſſus, ſequentibus deinceps ſæculis voluit honorari, atque tum maximè, cum Sancti Alexij [f] ſub vili habitu deliteſcentis, & peregrini virtutem, de ſuâ, quæ ibidem colebatur, imagi-

Abagari Syriæ Regis ad Chriſti conuerſio.

d Hieron. c. 10. in Matth.
e Euſeb. l. 1. cap. 13.

Quàm læta Virgini Deiparæ.

Et per eam quàm vtilis populo.

f Ex actis Sanctorum ad 17. Iulij

imagine, palam est prolocuta; vt suo loco dicemus.

IV. Ex profanâ historiâ, geminato Virginis gaudio, opponimus vnum, Romæ ex Caij Imperatoris improuiso letho subortum: is enim anno quarto furentis planè imperij nondum exacto, ex omnium [a] voto à suis cæsus, triginta vulneribus perijt; in vltionem eius vnius, quo populum Romanum confectum optauerat. Ad obtegenda immania hominis vitia, amentiam causantur historici, illique parcunt, dum amentem vocant. Huc recidit affectata diuinitas, vt fieret vilis plebeculæ in morte ludibrium, qui sibi viuenti victimas voluit, vt Deo, mactari. Eâ clade Roma lætata est, dum Christiani nominis augmento, atque ipsius Christi notitiâ, ad Gentes delatâ, Maria gaudet. Spectat hæc Filij triumphantem vbique diuinitatem; dum Caium, quem paulò ante non capiebat Roma, plebs furens confossum raptat è solio, ac superingerit vulnera. At etiam Romanorum in morte Tyranni gaudium, luctu non vacat: quoniam eodem tempore Claudius Drusi filius, Caligulæ patruus, ad nouum humanarum rerum ludibrium, Orbi impositus, alio amentiæ genere fœdauit imperium: contemptui enim antea à Caio principe, ac Ciuibus habitus, cum peti se ad necem ratus, latebras quæritaret; ad vacuum Cæsare solium à militibus raptus est; vbi Rempublicam sapientiâ, & virtute bellicâ partam, ignauiâ & stoliditate violaret. Dum è contrario Christus per Petrum, suum in terrâ Vicarium, sacro benè consulit Ecclesiæ militantis imperio, atque auspice diuinâ sapientiâ, summum sibi principatum confirmat, mundo parem. Inter aulæ cædes Claudius irrepsit ad solium, quoniam post Caij nepotis necem & rogum, vxoris [b] quoque eius Cæsoniæ à Centurione confossæ vulnus, & filiæ parieti illisæ pœna, Vrbem funestauit: quandò ex aliâ parte Christus, cum suo crescente per Orbem imperio, voluit etiam crescere Matris sanctissimæ cultum, nec vnam tantùm vrbem, sed alias atque alias terras consecrari Iesu, & Mariæ.

Caij Imp. cædes, & Romæ ex ea gaudium.

Opponitur præsenti Deiparæ gaudio.

[a] Suetonius Dio.

[b] Suetonius.

Annus Christi 44. B.M.Virginis 58. Petri Antiochiæ 7. Claudij Imp. 2.

I. Geminatum Deiparæ gaudium, ob Christianum nomen vsurpari ceptum, atque ob lucem Euangeli-

cæ veritatis Edesseno Regi obortam, dolor excepit de excitatâ in Christi sectatores nouâ à Iudæis procellâ, sub Agrippâ Rege, quem Herodem sacra vocat historia; vnde & Iacobi Maioris Apostoli cædes, & Petri Apostolorum Principis carcer, Hierosolymæ hoc anno contigit. Vtriusque narratione Deiparam ex parte spectabimus.

Summa rerũ huius anni.

II. Post primum persecutionis turbinem, quo à Iudæorum principibus iactata est Christiana Religio, proximè ab ascensu Christi Liberatoris in cælum, obortâ pace paulùm respirauit Ecclesia. Interea temporis nemo Cæsarum ante Neronem in eam immaniter sæuijt: nam Tiberius, agens cum Senatoribus de Christo inter Deos colendo, strauisse quodammodo visus est veræ Religioni viam: insuper ipso Senatu apotheosim illam denegante, accusatores Christianorum, graui pænarum comminatione cohibuit. Caligula mortalium flagitiosissimus, in nouum assertoris nostri cultum, patrum sententijs sub Tiberio improbatum, insurgere non est ausus; & qui cædibus est circumquaque grassatus, is Christianæ gentis ceruices ferro non attigit. Reperti post eius mortem libelli duo, sub *Gladij, & Pugionis* titulo, quibus præcipua Senatorum, & Optimatium capita neci destinabantur, nihil in Christi cultores peccabant. Vel ipsi denique Ioui comminari solitus, quòd se Cæsare nullas in terram calamitates immitteret, nihil minarum in Christianos effudit. Subrogatus in imperium Claudius, licet peregrinæ religionis homines abesse Româ edicto iusserit, Iudæisque eiectis, ad idem exilium Christi sectatores impulerit; eorum tamen abstinuit cæde. Sic viuente Deiparâ propè nihil aduersi vera Religio passa est à Cæsarum sæuitie, quæ deinceps iracundiæ in Christianos fræna laxauit. Iudæi semel, obruto lapidibus Stephano, Hierosolymâ Fideles exegerunt, vt dictum est: iterùm eosdem appetiuere ferro, atque Herodem Agrippam exacuerunt, vt Iacobi ceruicibus secures impingeret; id factum esse hoc anno, qui nonus erat à Christi morte iam plenus, & mense Martio, aut Aprili circà Paschæ festum, constat ex testimonio auctorum, qui dicunt; eodem tempore Iacobum fuisse occisum, & Petrum in vincula coniectum ab Agrippâ: cum cæteroqui Apostolica historia à S. Lucâ [a] conscripta notet, habitum sub diligenti custodiâ ipsum Petrum eo consilio, vt exactis Azymorum diebus ad supplicium raperetur. Amborum casus pertinent ad annales Deiparæ, cuius nempe sub oculis à sæuitie barbari Regis simul prodierunt, & insuper Iacobus

Sæuissimi Imperatores, Ecclesiæ pepercerunt.

Beneficio fortasse viuentis Deiparæ.

Iudæorũ in Christianos persecutio sub oculis Deiparæ.

a *Act. 12. ver. 4.*

cobus vt Salomes filius, Mariam Virginem sanguine attingebat, ac Petrus vt summus Ecclesiæ princeps, Christique Vicarius, erat præcipuè charus magnæ Matri.

III. Obseruantissimus Iudaicæ legis Agrippa, postquam confirmati à Claudio Iudæorum regni beneficio elatus, Hierosolymam rediјt, nihil habuit antiquius, quàm eorum genio, ac voluntati placere. Itaque aureâ catenâ, quâ donatus à Caio fuerat, instar anathematis, templo oblatâ, vt aduersæ fortunæ olim superatæ monumentum extaret, post fædus initum cum Romanis, æreisque inscriptum in Vrbe tabulis; eò adiecit animum, vt conciliatâ sibi maximè Hebræorum beneuolentiâ, regnum stabiliret. Cum verò imminerent Paschæ solemnia; dies cæteroqui Christi olim Liberatoris sanguine consecratos, Iacobi Apostoli cæde funestauit, quem profectum ad Hispanos legis Euangelicæ præconẽ, & reuersum Hierosolymam, suprà docuimus. Is cum palam Iudæis annunciaret Christi mysteria, multosque ad eius fidem amplectendam adduceret; nationis in se odium concitauit. Quamobrem conspiratione factâ cum Hermogene Mago, eiusque auditore Phileto, Iudæi id vnum curarunt; vt Apostolus publicâ disputatione conuictus, exponeretur vulgi ludibrio, atque adeò ad Regis tribunal, capitali supplicio addiceretur. Verùm contrà eorum vota ex insperato res accidit: nam duo illi Dæmonum, ac Iudæorum, aduersus Iacobum ministri, ab hoc rationum momentis, & vi miraculorum adacti vltrò superstitionem & sceleta eiurarunt, sub Christi signa recepti: vnde irâ ac furore Iudæi magis incensi, aliâ viâ Apostolum aggrediuntur, & per militum Duces excitato tumultu, dum publicè concionaretur, vinctum pertrahunt ad Agrippam, qui vt postulatis annueret, iussit eum capite minui. Sed prius Iosias scriba, qui ante omnes Apostolo in seditione manus iniecerat, factum tandem execratus, Christo nomen dedit, in cuius confessione obtulit quoque carnifici caput amputandum, & martyr occubuit. Sic primus Apostolorum Iacobus, generosâ sanguinis profusione, sacram martyrij purpuram in Apostolicum Senatum inuexit, Hierosolymæ viuente Deiparâ hunc honorem adeptus; & quò foret Christo similior, ipsâ recurrente memoriâ dominicæ mortis; cum aut octauo [a] Kalendas Apriles, quo die conceptus fertur, ac mortuus Christus; aut certè imminente anniuersariâ cruenti mysterij recordatione, collum subdiderit securi Iacobus. Hæc cædes sicuti Deiparam latere non potuit; ità par est credere, suis illam precibus apud Deum, vnde tota

S. Iacobi Maioris Apostoli sub Agrippa martyriũ.

Is conuertit Hermogenẽ Magum, & Philetum.

Capite plectitur.

Et post eum Iosias scriba.

Suis Deipara precibus Apostolo affuit.

[a] 25. Mar.

de tota ducitur Martyrum virtus, nouo Athletæ ad palmam, momenti plurimum attulisse.

Sacri corporis sepultura.

IV. Sacrum corpus obiectum canibus, vt cederet eorum in prædam, Deus laniari non est passus; quoniam delatum illicò ad portum Ioppes, inde naui vectum à discipulis Sancti Apostoli per amplitudinem Mediterranei maris, tum per Herculeum fretum, atque Oceani littora, ad oram vsque Gallæciæ, Iriam Flauiam in vrbem eius regionis maritimam, vulgò Patronem vocant, illatum est. At non ibi fuit sacri pignoris diuturna sedes, quod tandem excepit, seruatque vsque adhuc religiosissimè Compostella, vbi cum ad annos quingentos mansisset absconditum, prodigiosis luminibus nocturno cælo collucentibus, diuinitus reuelatum est, Alphonsi Castellæ Regis cognomento Casti temporibus. Qui ædificato ibidem templo, cæterorum Regum, in Sancti Apostoli honores conspirantium, magnificentiæ exemplum præbuit; suam quoque in eundem pietatem, non solum exhibuit Hispania, seruata toties à Maurorum insultibus non sine miraculo; sed orbis etiam Christianus ferè totus, longis illuc vndecunque peregrinationibus institutis, quas nostro æuo religiosissimè obeunt, repetuntque Fideles. Heroëm Christi, & Mariæ consanguineum, ac de Mariano cultu apud Hispanos optimè meritum, decet nos, ante quàm progrediamur, breui elogio commendare; esto igitur illi laus,

Iriæ Flauiæ prima.

Altera Compostellæ.

S. Iacobi Maioris elogiũ.

Iacobo in Hispaniam peregrino
Peregrina se sistit eloquentia,
Laudatura Tonitrui Filium non sine tonitru.
Vnde magis tonare cum Pericle deceat,
Quàm vbi eximia virtutis Heros,
Sibi propriam fecit, grauidam belli fulminibus terram?
Vbi prius lingua tonuit in superstitionem indigenarum,
Et mox etiam telo in motus bellicos exterorum?
Coruscans vtrinque prodigijs,
Siue cum sacrum Oratorem egit in rostris,
Siue cum equitem cataphractum in castris.
Heroum mater Hispania, quantum huic debes?
A quo Christi fidem, & Mariæ cultum accepisti,
Ab eodem deriuat in te fonte felicitas.
Proh qualem in vltima Gallæcia thesaurum
Sub sacris Apostoli cineribus seruas!
Hunc vt inuisat, totus in te confluit Orbis terrarum,

Nec

Nec recedit, nisi auctus cælestium vena vbere gratiarum.
Qui victos olim in morte Magos subdidit Christo
Is excurrere post mortem equo visus,
Is ab aris Mauros compescuit extrema minantes,
Et Erebi motus cohibuit.
Præsagire iam licet tuum regnum in sæcula duraturum,
Quoniam vt falsò Troia Palladium, & Roma æternus ignis,
Sic verè tibi ad immortalitatem
Pro diuino munere, cinis obtigit immortalis.

V. Votiuam S. Apostoli memoriam Ecclesia Catholica recolit octauo [a] Kalen. Augusti, quo die sacrum eius corpus Iriâ Flauiâ translatum est Compostellam; sicut etiam prima translatio Hierosolymâ in Gallæciam, celebrari consueuit in Hispania tertio [b] Kal. Ianuarij ex diplomate summi Pontificis Callisti Secundi; itemque miraculorum solemnitas, quibus Hispaniam toties illustrauit S. Iacobus, ibidem recolitur quinto [c] nonas Octobris. At verò nunquam intercidet insignioris victoriæ, ad Caluigium montem, diuinitus de Mauris reportatæ memoria; cum acceptâ prius ingenti clade Ramirus Rex, ab ipso Iacobo inter orandum admonitus, vires regni collegit omnes, iterumque cum potentissimo hoste pugnauit, euentu adeò felici, vt ad septuaginta millia Maurorum cæsa sint ab Hispanis, ope quidem S. Iacobi; qui dum prælium vtrinque ferueret, visus est eques cataphractus excurrere per exercitum in hostium perniciem, iisque tandem fusis, ac debellatis suos exemit populos ab infami centum puellarum tributo, quod in singulos annos Mauris iniquâ conditione pendebant. Præterea summa in Virginem Dei matrem pietas, quam meritò profitetur Hispania, accepta fertur Iacobo, quo cum in eius nationis patrocinium videtur conspirare Deipara; vnde mirum non est, si miracula identidem vtrique simul sint adscripta; factum id aliquando, constat ex L. [d] Marinæo rerum Hispanicarum scriptore: cum enim, vt ille refert, pij olim coniuges filio comite, Compostellanam peregrinationem iniuissent, eum iuuenem furti per calumniam insimulatum, damnatumque infami supplicio doluerunt. Verùm iter postmodum relegentes, præter omnem spem viuum inuenere, vitæ vel in ipso suspendio diu seruatæ beneficiũ, debere se Mariæ & Iacobo professum: quin etiam ipsemet, qui damnauerat, Iudex, cum mensæ accumberet, à parentibus de miraculo admonitus, nec testibus credens;

a 25. Iul.
b 30. Dec.
c 3. Octo.
d L. Marin. lib. 5. de Reg. Hisp. cap. vlt.

S. Iacobi festa.

Insignis Hispanorum de Mauris victoria ope S. Iacobi.

Liberatio ab infami tributo.

Hispanorum pietas in Deiparam à Iacobo.

Ingẽs miraculum D Virgini & S. Iacobo ascriptum.

dens, appositas sibi ad cibum volucres, gallum, & gallinam, & quidem assas, renascentibus illicò plumis, reuiuiscere vidit attonitus; reddiditque illicò parentibus filium. Redeamus nunc ad procellam in Christi cætum ab Agrippâ excitatam.

VI. Mors Iacobi excepta cum plausu à Iudæis fuit, quoniam eximio veritatis Euangelicæ præcone sublato, sperabant quoque, nouæ religionis molem facilius eneruandam. At Agrippa eò studiosior gentis effectus, quò magis se videbat illi placere, id tandem consilij cepit, vt Petrum quoque Apostolorum principem, reique Christianæ firmissimum columen de medio tolleret; itaque ipsis Azymorum diebus, eum comprehendi iussit, ferreisque vinctum catenis sub diligenti militum custodiâ detineri, post absoluta Paschæ solemnia vltimo supplicio afficiendum. Ad hunc Petri casum, tanquam ad periculum capitis, vniuersum Ecclesiæ corpus indoluit, ideòque effusæ ad Deum pro tantâ necessitate non sine lacrymis preces à supplici Fidelium cætu, opportunum calamitati subsidium inuenerunt. Pridie quàm educeretur è carcere Petrus morti addicendus, cum noctu inter militum excubias, atque arma dormiret, adesse sibi cælitus Angelum videt; mox ab eo per tactum lateris excitatus, & ferreis exemptus vndecunque vinculis, pristinæ restituitur libertati; scribit miraculi historiam S. Lucas [a], & adiuncta singillatim refert, splendoris, quo apparuit Angelus, carcerem illustrantis; cadentium è vincti manibus catenarum; verborum & motus, quibus Petro excussus est somnus; portæ ciuitatis ferreæ vltrò venienti apertæ, & viæ quâ ductus est à cælesti ductore. Sic ab Agrippæ furoribus seruauit in capite Ecclesiam Christus, exoratus Fidelium precibus, & præcipuè Virginis Matris; quæ sicut cæso Iacobo, vinctoque Petro exhiberi sibi sensit geminatam doloris causam; ità duplicis quoque lætitiæ materiem nacta est, ad alterius quidem triumphum ex cæde, quæ Apostolico Senatui viam ad martyrij decus aperuit; ad alterius verò liberationem ex carcere, quæ seruauit Petrum Ecclesiæ, atque in Petro Ecclesiam.

Petri Apostolorum Principis carcer.

Vniuersæ Ecclesiæ pro eo preces.

Liberatio per Angelū.

a *S. Luc. Act. 12.*

VII. Hæc verò cum id temporis collecta esset in domo Ioannis Marci: eò Petrus à vinculis ereptus se contulit ad Deiparam cum Apostolis, Iacobo minore, & Ioanne, alijsque ibidem commorantem, & diuinâ ope precibus parandâ, vniuerso cætui præeuntem. In eâdem anteà domo solitum fuisse Petrum habitare, colligit Castrius [b] ex Apostolicâ S. Lucæ [c] historiâ, vbi vocem stantis ad ostium, & pulsantis agnouisse illicò di-

Liber à carcere Petrus, nunciat suā liberationē.

b *Castrius Hist. Deip. c. 18. nu. 8.*
c *Act. 12. v. 14.*

cò dicitur puella nomine Rhode; & insuper ipsemet Petrus, quæ sibi in carcere accidissent, confidenter omnia retulisse; nuncianda Iacobo, & fratribus intus degentibus, quos nimirum expectare non poterat, sine vllâ morâ aliò abiturus. Hic vbi ponimus collectionem Ecclesiæ primam, quis neget fuisse quoque Mariam Iesu matrem, tanquam cœtus vniuersi solatium, firmumque præsidium? Tunc verò, cum nunciatum est, adstare pro foribus liberum à carcere Petrum, sentiunt multi, non abfuisse Deiparam; nec obstat, quòd S. Lucas, nullà eius mentione factâ, Iacobum expresserit, ad quem suæ liberationis miraculum iusserit Petrus nunciari: nam is Iacobum respexit, vt Hierosolymæ Antistitem, atque ad eundem, propter personæ excellentiam, destinauit notitiæ prærogatiuam: Virginis autem Dei Matris, vel ibidem existentis, non meminit; fortasse quòd iudicaret, humanis illam nuncijs non egere, quam sciret Angelorum ministerio sæpissimè de cælestibus arcanis edoctam. Quisnam fuerit Angelus Petri liberator, & ductor, licet historicus taceat, dicitur tamen verosimiliter ipsius fuisse custos, aut certè Michaël, vt censet, nec abs re, laudatus à Surio [a] Pantaleo Chartophylax: quia sicut ille præcipuus Ecclesiæ defensor est constitutus; ità supremi in eâ principis, atque pastoris cura, eidem videtur peculiariter commendata; in quam sententiam subscribent insigniores Theologi asserentes, euectis ad fastigium aliquod humanarum dignitatum hominibus, præter custodem Angelum, cui à matris vtero prodeuntes commissi sunt, accedere alterum, in ijs nouo muneri dirigendo addictum, & summo nominatim Pontifici, cum renunciatur Ecclesiæ Hierarcha, addi cælestis militiæ principem Michaelem.

Cur ea non nunciata Deiparæ.

De Angelo qui Petrum liberauit.

[a] Pantaleo Chart. Encomio de S. Michaele apud Sur. 29. Sept.

VIII. Interim Petrus post nuncium suæ liberationis exhibitum, expediuit se ab eâ domo, & ne vestibulum quidem ingressus, Hierosolymâ Cæsaream migrauit; inde Sidonem profectus, Berytum, Tripolim Syriæ, Aradum, Antandrum, Antiochiam, lustrauit Galatiam, Cappadociam, Asiam minorem, Pontum, Bithyniam, faciens quàcunque transiret euangelicæ legis sementem, & confirmatâ in populorum animis Christi fide, Episcopos vbique ad eorum doctrinam & conseruationem instituens. Denique Romam communem gentium omnium arcem intrauit, vt Pontificiam ibi sedem statueret, totius arbitram mundi, & vicariam diuinitatis. Cæterùm subita Apostolorum Principis fuga, Agrippæ indignationem vehementer commouit; quamobrem milites primùm suppli-

Petri itinera post nunciũ sui exhibitũ.

supplicio affecit, ac si custodiæ negligentiùs inuigilassent: deinde in reliquos Christi sectatores Hierosolymæ degentes strinxit ferrum, quâ procellâ, si qui Apostolorum supererant, nondum profecti ad destinatas sibi prouincias, perculsos omnes credimus, atque dispersos in alienas terras, vno excepto minore Iacobo, quem ex peculiari Numinis prouidentiâ remansisse constat, tum quia constitutus iam pridem Hierosolymitanus Antistes, eiusce ciuitatis curâ detinebatur; tum quia ob famam sanctitatis, reuerentiam apud Hebræos magnam adeptus, facilè violentas eorum manus effugit.

Fidelium ex persecutione dispersio.

IX. At Ioannes cedere Hierosolymâ coactus; Ephesum in vrbem Asiæ minoris celeberrimam migrasse tum creditur, ductâ secum Virgine Deiparâ, quam recepto in cælum Christo, illic aliquandiu commoratam esse, habetur iam ferè pro comperto. Testantur id Ephesini Concilij Patres, scriptâ ad Clerum Bizantinum epistolâ [a], in quâ post nominatam ciuitatem, vbi Nestorius Hæresiarcha damnatus est, *Hanc*, inquiunt *Ioannes Theologus, & sacra Virgo Deipara, quandoque incoluerunt*. Et quidem ambigere nón licet de mente Concilij, si vetera exemplaria fidem habent: nam quòd editio nouissima Vaticana Græcolatina, periodum exhibet mutilatam, dempto verbo, quod tamen subintelligendum omninò adnotatur in margine, & legendum exprimitur, *aliquando habitauerunt*; nulli de genuinâ textus intelligentiâ debet iniicere scrupulum, nec dubitationi locum relinquere; quin traditione apud Ephesios vulgatâ constiterit Concilio, in eâ ciuitate habitasse Deiparam, licet loco laudato figurata per Synecdochen locutio, verbum subticeat. Nec verò opinioni aduersatur S. Epiphanius [b], cum ait, nusquam exprimi in sacris litteris, ductam à Ioanne Deiparam fuisse in Asiam; sed id absolutè prætermissum *propter miraculi excellentiam*. Nam ille quidem non negat, profectam esse Ephesum cum Ioanne Mariam; sed hoc ipsum asserit in sacris monumentis reticeri, tanquam arcanum non temerè effundendum in vulgus, sed pio potius silentio venerandum; ne fortè qui acta perperam interpretantur, occasionem inde captarent, introducendi mulieres in consortium Sanctorum.

Ioannes cum D. Virgine Ephesum proficiscitur.

Exponitur Concilij Ephesini testimonium de habitatione Deiparæ.

a Habetur in editione Pelteani. 1. Actorum c. 26.

b Epiphan. Panario Hæres. 78.

X. Per hæc eadem tempora Barnabas, vnà cum Paulo, quem Tarso Antiochiam acciuerat, crescentia ibidem in dies Christianæ fidei germina, feliciter excolebat, vnde Virgini Deiparæ noua gaudiorum materies extitit, consciæ ac propè videnti, ad Apostolorum labores Ecclesiam numero Fidelium,

Barnabæ & Pauli labores Deiparæ grati.

lium, & verâ ſanctitate proficere, cum inſuper nullis eam perſecutionum turbinibus ceſſuram, certa ſpes foret. Item Antiochiæ hoc ipſo anno inſignem illum Pauli raptum, de quo S. Apoſtolus ad Corinthios [a] ſcripſit, ex rectâ temporum notâ, atque expenſo ipſius teſtimonio, optimè deducit Thomas [b] Maſſutius. Quam mentis illuſtrationem, atque inditam animo diuinorum arcanorum notitiam, viro ante decem annos ad Chriſtum conuerſo, dudum inter Apoſtolos cælitùs cooptato, deſignatoque ad gentium ſalutem oratori, non inſciâ Deiparâ Deum conceſſiſſe putamus, in præmium ſanctitatis, atque ad Apoſtolici muneris implendi facilitatem.

a Paul. 2. Cor. c. 12. ver. 2.
b Thomas Maſſ. vit. S. Paul. l. 4. cap. 1.

S. Pauli raptus.

XI. At etiam ingens annonæ penuria, & fames toto terrarum orbe diffuſa, quam Agabus vates, Lucâ [c] teſte prædixerat, in hunc annum Claudij Imperatoris ſecundum incidit ex ſupputatione Card. [d] Baronij. Edito Antiochiæ vaticinio per Chriſti diſcipulum, qualem facit Dorotheus, [e] ſepoſuere Chriſtiani ex piorum eleemoſynis ingentem pecuniæ ſummam, quæ poſſet indigentibus opportunè diſtribui. Romæ laboratum adeò fuiſſe ferunt annonæ defectu, vt de portu ædificando tum primùm, Dione [f] teſte, ſit actum; ne in poſterum penuriæ locus daretur, ſed maturè poſſet famis periculum præueniri, conuectis illuc per nauigia frumentis. Narrat præterea Suetonius [g], vſque eò perueniſſe ciborum apud Romanos inopiam, vt medio in foro detentus quondam à turbâ Claudius Imperator, conuitijſque palam affectus, ac ſimul fragminibus panis inſtratus, ægrè necniſi poſtico, euaſerit in palatium. At Hieroſolymæ ſolatium ingruente fame non defuit; vbi præter collectas ex Antiochenorum miſericordiâ pecunias, & miſſas largè in ſubſidium egenorum; prouiſum eſt aliunde ex peculiari Numinis ope. Nam Helena Abiadenorum Regina, & filius eius Izates, regni hæres; ſiue quòd ad Iudaicos ritus tranſiuiſſent, vt ex Ioſepho [h] ſcribit Euſebius [i]; ſiue quòd Chriſtianâ fide fuiſſent imbuti, vt cenſet Oroſius [k], affirmatque Baronius [l] dubitanter, altera quidem Alexandriâ triticum, atque ex Cypro ficuum paſſarum copiam aduehi in Iudæam iuſſit, vt principi in eâ ciuitati opportuniſſimo commeatu conſuleret; alter verò ad leuandum famem populum, magnam auri vim Hieroſolymæ primatibus deſtinauit. Hinc colligas licet, imploratam à Virgine Deiparâ in communi infortunio diuinam opem fuiſſe, & frumentarium Deo largiente ſubſidium famelicis ciuibus impetratum, eâ potiſſimùm in vrbe, in quâ plurimos ad Chriſtiana ſacra

c Act. 11. ver. 28.
d Baron. t. 1. an. Chriſti 44.
e Doroth. in Synopſi.
f Dio l. 60.
g Suet. in Claud. c. 18
h Ioſeph. l. ant. 20. c. 2.
i Euſeb. l. 2. hiſt. c. 11.
k Oroſ. l. 7. cap. 7.
l Baron. ad an. Chr. 44.

Ingens in toto mundo fames ab Agabo prædicta.

Qualis Romæ fuerit.

Hieroſolymæ fami eſt opportunè prouiſum.

Helenæ Abiadenorum Reginæ, eiuſque filij beneficentia.

Refertur ad D. Virginem

conuersos vexabat annonæ caritas, nec ope miseris ac patrocinio defuisse, etsi Herode in Christi sectatores sæuiente, Ephesum vt diximus, migrauit ad tempus.

XII. Ipso præterea Petri aduentu, accidit Romæ non sine prodigio, vt belli ciuilis periculum, quod imminebat, euanesceret. Siquidem, teste Dione [a], Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiæ legatus, seditionem molitus in Claudium, legiones multas fortissimasque ad Sacramenti mutationem pellexerat. Verùm die dicto, quo die in vnum vndique ad nouum Imperatorem conueniri oporteret, neque aquilæ ornati, neque conuelli quoquo modo signa, moueri que potuerunt; vnde immutatus militum animus, in auctorem seditionis arma conuertit. Significatum eo prodigio censet Orosius [b], propter Petri aduentum Romam, propulsatum fuisse ciuile bellum, ne sacra religionis germina, quæ tum primùm erupetant, subitus turbo percelleret: dicetes Iesu Christi vicario Vrbem ingresso cessisse illicò aquilas bellatrices, ac tanquam in solidâ, stabilique petrâ, defixas hastas, atque signa stetisse immota, in pacis præsagium, quam Petrus Ionæ, siue columbæ filius, Vrbi Orbis Dominæ afferebat. Eiusdem pacis auspex fuit Virgo Deipara, cuius cultus vnà cum verâ fide Romam ab Apostolorum principe introducebatur. Illa enim tanquam altera columba gemitibus ad Deum effusis, bellicos aquilarum stridores compescuit; quod deinceps quomodo perfectum sit, suis infrà locis patebit.

Romæ prodigium ad Petri aduentum.

Quid significarit.

Præsagium pacis, cuius auspex D. Virgo.

a Dio.l.60.

b Oros.l.7. cap. 6.

Annus Christi 45. B.M. Virginis 59. Petri Rom. Pont. 1. Claudij Imperatoris 3.

I. TRia in hunc annum conueniunt; Romanæ sedis à Sancto Petro post Antiochenam institutio; Euangelium à S. Marco conscriptum; & reditus Deiparæ Hierosolymam. Singula suam symbolam conferent ad Marianos annales.

Summa rerũ huius anni.

II. Vbi Romam superstitionum omnium id temporis receptaculum, atque errorum magistram peruenit Petrus, opponere se inermis & solus, armatæ mundi Reginæ non timuit, qui prius in domo Caiphæ vnius ancillæ verbo ceciderat. Tantam à diuino Spiritu in intimum pectus illapso vim accepit; atque hortatu Deiparæ inflammatus, operi se accinxit om-

Petri in Vrbem ingressus auspicio Deiparæ.

xit omnium maximo. In ipſo itinere Romam versùs, plura reliquit monumenta ſuſcepti ad populorum ſalutem laboris: altare Neapoli viſitur, in quo rem diuinam fec.ſſe fertur; vnde dicunt alij, circumuectum mari veniſſe Liburnum & Piſas; alij terrâ profectum malunt, miſſumque cælitùs in antidotum, aduersùs Simonis magi venena, quem prius in Oriente bacchatum, mox inde eiectum vi miraculorum atque doctrinæ, audierat in Occidente palam ſuas artes venditare, & per excantationes atque præſtigias, adeò Romanorum animis imponere, vt haberetur publicè tanquam Deus, erectiſque ad Tyberim ſtatuis coleretur. Romæ primum hoſpitium S. Petro fuiſſe creditur, apud ſuos contribules Iudæos, qui regionem Tranſtyberinam iam ab Auguſti temporibus incolebant: ibi prius quàm in alijs Vrbis partibus exceptam eſſe Chriſti fidem, veroſimile eſt: tum quia ex diuino præſcripto Euangelium annunciatum fuiſſe conſtat prius Iudæis quàm Gentibus, tum etiam quia ea Romæ pars præcipuè fuit ſub tutelâ Sanctiſſimæ Dei Genitricis, cuius cum verâ fide cultum accepiſſe prima fertur, æde trans Tyberim celeberrimâ, ante quàm alibi, in eius honorem erectâ, vt ſuo loco dicetur. Exinde Petrus cum Romanis quoque Ethnicis innotuiſſet, in Viminalem collem ſe recepit, atque apud Pudentem Senatorem Chriſtianis initiatum ſacris habitauit: vbi tanti viri filijs Nouato, Pudentianâ, & Praxede, cum vniuersâ familiâ, baptiſmo expiatis, iacta ſunt Romanæ Eccleſiæ fundamenta. Tunc Senatoris perampla domus, Apoſtolorum principis hoſpitio nobilitata, in templum tranſijt S. Paſtoris titulo, quod templum in hunc vſque diem, S. Virgini Pudentianæ dicatum, ad collis Viminalis radices viſitur, & ligneum altare ſeruat, ſuper quod re diuinâ frequenter peractâ Petrus Chriſtianum populum ſtatis diebus ad ſacram ſynaxim vocabat. Hîc igitur anno poſt Chriſtum natum quinto & quadrageſimo ineunte, cum ſecundus Claudij Imperatoris nondum eſſet abſolutus, ad decimum quintum Kalendas Februarij [a] Romana Eccleſia inſtituitur, atque in eâ Pontificia ſedes erigitur. Dies futuris ſæculis planè memorandus, omnibuſque priuatis Eccleſijs toto orbe Chriſtiano feſtiuus; quo die conſtitutus Romæ cum fuerit communis Hierarcha, communis quoque eius debuit eſſe celebritas, ſicut vnus eſt in toto mundo Fidelium cætus, qui ſolâ cum eiuſmodi capite communicatione probatus, vnâ fide credit, vno ore docet, ac ſolis inſtar radios circumquaque diffundit, ſupremum in terris moderatorem ac iudicem agno-

Varia Petri monumenta in itinere Româ verſus

Primum Petri hoſpitiū Romæ trans Tyberim.

Deinde ad radicem collis Viminalis

Romanæ ſedis erectio.

18. Ian.

Romanæ sedis excellentia, & potestas.

scens eum, qui in Petri sedem ritè successerit. Humilis in câ pannosusque piscator sedit, aduersus formidata Romani imperij insignia: & erat illi propositum, plurima Deorum fana euertere funditùs, disturbare aras, abolere ritus, simulacra diffringere, ipsum inuadere Capitolium, & Christo subdere Cruci affixo. Nouam dignitatem adepta est Roma, non ex eo quòd duxerit catenatos, vt antea, ad currus triumphantium exteros Reges, sed quòd victa planè sit ab inermi; imò & de ferreis Hierosolymæ vinculis elapso. Is imperium condidit, nullâ inferorum aut hominum potestate conuellendum, & per inauditam imperantibus vim in ipsos animos deriuandum. Sacrosancti principatus initium Romæ accidit viuente Deiparâ, cuius hortatum, atque consilia secutus est Petrus, cum Romanæ sedis statuendæ negotium aggrederetur, auspicijs quoque tantæ Magistræ perfecturus. Tum verò dispersis post cædem Stephani, totâ Asiâ, Galatiâ, Cappadociâ, & Ponto discipulis, ad singulorum institutionem primam scripsit epistolam, gratiam præfatus & pacem, quæ nunc præferre solent summorum Pontificum litteræ.

Huius principatus initium viuente Deipara.

III. Interim Antiochenæ sedi præficit S. Euodium, Apostolicum planè virum, cui ab assiduâ rerum diuinarum contemplatione diuini cognomentum contigit. Hunc Antiochiæ primum à Petro præfuisse, apud plerosque Scriptorum est in confesso; licet alij ex Ioanne Chrysostomo [a] Antiocheno ciue, locum huiusmodi S. Ignatio tribuant: quam sententiarum discrepantiam nititur conciliare Card. Baronius [b], desumpto ex constitutionibus Clementis [c] testimonio, vbi Antiochenæ Ecclesiæ à Petro Euodium, à Paulo Ignatium fuisse Antistites renunciatos asseritur, nec sanè alterum post alterum, vt in cæteris consueuit, sed simul. Quod quidem tunc factum videtur, cum ortâ dissensione de legalibus inter Fideles, qui ex Hebræis, & eos qui ex Gentibus Christo crediderant, id remedij adhibitum est, vt sedens vterque vnam alter partem, alter alteram moderaretur. Sed tandem post concilium Hierosolymitanum sublato eiusce diuisionis veluti pariete, atque vtrâque Ecclesiâ sub vno eodemque Pastore collectâ, Ignatius Euodio libenter cessisse creditur, quod in summo Pontificatu fecisse Clementem aiunt, qui Lino cessit & Cleto. Vt vt se res habeat, licet Euodium asserere, in sacrâ illâ Præfecturâ fuisse Dei Genitrici charissimum, cum ob insignem seruatæ virginitatis prærogatiuam, tum præcipuè quia cultor eximius eius fuit, atque inter sui temporis insigniores Ascetas [d]; fertur

Euodius in sede Antiochena Petro succedit.

S. Ignatius simul cum eo Episcopus

a *Chrysost. de translat. S. Ignatij.*
b *Baron. t. 1. an. Chr. 45.*
c *Clemens 7. Const. 46*
d *Io. Bapt. Lezana to. 2. Annal. an. Chr. 43. num. 8.*

Neroi

Neroi montis Cænobio Virgini Deiparæ dicato præfuisse. Nicephorus [a] verò Callistus, Græcus historicus, qui vixit quarto supra decimum à fundatâ salute sæculo, epistolæ cuiusdam, sub *Luminis* titulo, ab Euodio scriptæ fragmentum recitat, atque è tenebris erutum antiquitatis, luci restituit; in quo Virginis pueritia, ac desponsatio paucis innuitur, annique vitæ vsque ad sanctissimum obitum numerantur. De eiusmodi scripto nobis infrà sermo erit.

IV. Hoc præterea anno sacrum Euangelium Romæ à S. Marco fuisse conscriptum plerique sentiunt, seu Latinâ linguâ, vt Damasus [b] & Syri [c] testantur, siue Græcâ, vt SS. Augustinus [d], atque Hieronymus [e] asserunt; siue vtrâque, quæ aliorum opinio est, ità quidem vt prius latinè editum, mox græcè ab auctore sit redditum. Scribendi occasio fuit, Christianorum commune votum, quo traditam à Christo doctrinam, & res in terris gestas, sicut à Petro audiuerant, ità litteris consignari postularunt ad publicam vtilitatem, nec ipse Petrus abnuit, imò id fieri mandauit à Marco suo discipulo, atque ad populum interprete. Descripta ab eo est Christi Seruatoris historia breuius, quam à Matthæo, cuius breuiatorem Marcum S. Augustinus [f] appellat, non quòd opere prolixiori in epitomen redacto, historiæ breuiarium concinnarit; sed quòd multa pressius proposuerit, ab altero fusius enarrata; eoque ordine seruato, quo dicta prius audiuerat ab ipso Petro, à quo post ascensum Christi Seruatoris in cælum, Christianis initiatus sacris, ad veram institutus fidem, atque ob expeditum vsum linguarum, ad interpretis munus assumptus fuerat. Excepta ex tanti magistri testimonio per Euangelistam historia, bis Virginis Deiparæ meminit; semel [g] quidem, cum accessisse ad Christum Capharnaitas pro concione docentem, (quod suprà docuimus) dicuntur eius cognati, vt fessum à laboribus recrearent; vnàque secum reducerent domum: iterum [h] verò, cum ciuium Nazarenorum inexpectatam Christi sapientiam demirantium dicta proferuntur, *Nonne hic est Faber Filius Mariæ?* Primâ vice comitatam in eo itinere cognatos Virginem ponit historicus, quasi exhibituram eos Christo, & singulorum in verâ fide defectus, si qui supererant, amoturam. Imò aduentus Virginis à Marco expositus eò potissimum spectabat, vt documento cognatis, & exemplo foret, in audiendis Magistri verbis, & moribus imitandis. Diximus eâ de re suo loco [i] fusius, quò lectorem remittimus. Hîc tantùm sacri Scriptoris consilio animum intendat, videatque quid

Euangelium à Marco scriptum.

Id Euangeliũ bis Deiparæ meminit.

Vtriusque loci expositio.

a Niceph. l. 2. Histor. cap. 3.

b Damasus in vita Petri t. 1. Cõcil.

c Syri ad finẽ Euãg. secundum Marcum ex Bellar. de Script. Eccl.

d August. l. 1. c. 2. de cons. Euãg.

e Hieronym. in præf. ad Damas.

f August. vt sup.

g Mar. 3. ver 33.

h Idem c. 6. ver. 3.

i Ad ann. Mariæ 46. nu. 8.

quid ille velit dum Mariæ proponit accessum ad Christi concionem, sequentibus vltrò cognatis; atque ab iisdem interpellatum fuisse nuncio summisso Magistrum testatur. Discendum nobis per Euangelicam narrationem à sanctissimâ Matre proponitur, præire alijs ad excipiendam Christi doctrinam, exemplo vitæ emendare alienos mores, Deumque assiduis precibus interpellare. Sic enim induere Christum possumus, sequendo, & imitando Mariam. Hoc ipsum paucis Marcus insinuat, qui acceptum ex ore Petri mysterium, fidus interpres scripto mandauit, transmisitque ad posteros, vt prodesset. Dictum verò Nazarenorum, apud eundem Marcum admirantium Christi doctrinam, eumque ex contemptu Fabrum, & Mariæ Filium vocitantium; sicuti obloquentium prodit inscitiam; ità nobis verà fide imbutis mysterium aperit; quòd nimirum collaborans Iosepho Christus in arte fabrili, Deus sit rerum omnium sapientissimus opifex, & factus per humanam carnem Mariæ Filius, illam ad Deiparæ dignitatem euexerit. Huc recidere videtur Marci narratio.

Cum Euangelium scriberet Marcus Apostoli discesserant in suas prouincias.

V. Cæterùm cum postremis sui Euangelij verbis expressè testetur; post triumphalem in cælum Christi ascensum, Apostolos Hierosolymâ profectos in omnes mundi plagas, vbique sparsisse semina Christianæ fidei, affirmandum consequenter est, hoc anno, quo S. Marcum scripsisse posuimus, sacros illos præcones digressos in suam quemque prouinciam iam pridem fuisse. Singulis inter se longè dissitis, vel ad remotissimas terrarum plagas, quodammodo præsentem Deiparam cogitare nos licet, quoniam eius monita, mores, virtutes memoriæ firmiter inhærebant: ac si magistra & mater audiretur pariter, ac cerneretur. Ipsa verò gaudebat plurimùm è filij scholâ tales ac tantos viros prodijsse, qui omni humano auxilio destituti, vnâ in Deum freti fiduciâ, Orbem vniuersum Christi legibus & iugo subdere ceperant, non eloquentiæ, aut auri vi, sed solâ laborum, atque ærumnarum tolerantiâ, quæ vndecunque ingruebant. Ephesi Virgo manens apud Ioannem, patrocinio atque ope Petro aderat, Romæ sedem Apostolicam collocanti; iisdem subsidijs per Scythiam, Græciam, Epirum, Thraciam sequebatur Andream, comitabatur Philippum per maiorem Asiam; per Indos Thomam; nec deerat alijs alibi laborantibus, Bartholomæo in maiori Armeniâ, Matthæo in Aethiopiâ, Simoni ac Thaddæo in Mesopotamiâ, Matthiæ in Iudæâ, & minori Iacobo Hierosolymæ; Barnabæ præterea, & Paulo Antiochiæ. Diua omnium veluti tutela-

Vt Deipara singulis adesset.

ris,

gis, Christi discipulos toto terrarum orbe dispersos, animo præsentes habebat, Deoque assiduis precibus commendabat. Ità instaurari cepit eorum laboribus mundus, emendati sunt populorum mores; incestæ Persarum cum matribus ablatæ nuptiæ; Hircanorum & Caspiorum abolita conuiuia, quibus delitiæ fuerunt humanis carnibus vesci; barbara Scytharum sepulcra, quæ mortua cum viuis corpora continebant, omninò clausa; Lydorum castigata impudentia, qui puellas docebant parare dotem corporis quæstu; mutuæ ciuium prohibitæ cædes, quas Lacedæmonij vtiles, ac decoras prædicabant; interdicti denique plurimi ritus, rectæ rationi contrarij, qui vbique in populos irrepserant. Hæc Orbis instauratio per Apostolos procurata non latebat Deiparam, quæ sicut assidua erat in rerum cælestium contemplatione, & vel in terris degens cum Angelis versabatur; ità siue his nunciantibus, siue Deo intrinsecùs reuelante, haud erat inscia permagni fructus, quem ex Apostolicis laboribus vbique percipiebat humanum genus; quare & gratias agebat auctori bonorum, & dilectam sui Filij sponsam Ecclesiam per Apostolos crescere lætabatur. Post scriptum Euangelium Marcus à Petro mittitur Alexandriam, ibique mandatam litteris sacræ historiæ veritatem promulgat, & cum Christo Deiparam Alexandrinis annunciat. Eius operis Latinus archetypus diu Aquileiæ asseruatus fuisse traditur, atque inde translatus Venetias.

Orbis instauratio per Apostolos.

An Apostolicorum laborum fructus Deiparæ notus.

Euangelium à Marco prædicatum Alexandriæ.

VI. Ad huius anni finem Epheso Hierosolymam Virgo Deipara à Ioanne reducitur, sicuti verosimiliter Castrius [a] ratiocinatur, quòd Apostolus sanctissimæ Matris custos à Christo relictus, se tunc in minorem Asiam recepisse videatur, non ad concionandum; sed tantùm vt Virginem comitaretur, atque apud eam esset, dum subitus Herodianæ persecutionis turbo transiret; sedatâ eiusmodi procellâ Hierosolymam cum eâdem rediturus. Et redijsse illum circà hoc tempus non leuis est coniectura, quòd deinde Paulus profectus Ephesum paucos tantùm inuenerit ex Ioannis Baptistæ scholâ discipulos, qui nondum scirent, essetne Spiritus Sanctus; vnde licet asserere, ante quam Paulus illuc veniret, concionatum ibidem Ioannem ex professo non fuisse, sed moratum aliquandiu Virginis causâ, iterum cum illâ Hierosolymam remigrasse. Redeundi opportunitatem attulit fortasse, siue hoc anno exeunte, siue altero ineunte Agrippæ Iudæorum Regis mors. Eum scribit Iosephus [b] septimo sui regni anno, ac tertio postquam illud obtinuerat à Claudio in vniuersam Iudæam,

Reditus Deiparæ Ephefo Hierosolymā

a Castr. hist. Deip. c. 18.

b Iosephus ant. lib. 19. cap. 5.

Herodis Agrippæ mors

dæam, magnificos in vrbe Cæsareâ dedisse ludos pro salute Cæsaris, atque inspectante multitudine procerum frequentissimâ, processisse mane in theatrum, sub veste argenteâ radiantem: tum verò publicè ab adulatrice turbâ consalutatum vt Deum, nec insanos plausus repellentem, subito bufonis aspectu, nunciatam sibi calamitatem intellexisse: denique ventris torminibus, & intimis præcordiorum doloribus interceptum, scatentibus è corpore toto vermibus, inter Iudæorum eiulatus, in oculis Regiæ miserandam animam exhalasse, percussum ab vltore Angelo, vt ait Lucas [a]. Vsque adeò populares acclamationes, quæ illi diuinitatem tribuebant, subitâ metamorphosi in spectaculum horrendi cadaueris funestissimum euaserunt, atque ex conditione, quam sibi suprà humanam vsurparat, celerrimè ad sepulcrum, siue infrà homines, factus est transitus. Id exortum est inde boni, vt Ecclesia Hierosolymæ collecta, deficiente persecutore Tyranno, à Iudæis in Christianos irritato, ad pacem redierit; & Ephesô Deipara per Ioannem reducta, ad pristinam in Sionis monte se receperit domum. Ità assentientibus viris doctis, ratiocinari cogimur ex non leuibus coniecturis, tum ob moram, quam suprà docuimus Ephesi à Ioanne aliquandiu factam vnà cum Virgine; tum ob quietem ex Agrippæ interitu Hierosolymæ redditam.

Expenditur supplicium Agrippæ diuinitùs illatum.

a Act. 12. v. 23.

Pax inde Ecclesiæ reddita.

VII. Ex ijs, qui ob Iudæorum persecutionem abiere profugi extrà Iudæam, numerari possunt ipsius Christi, Deiparæque cognati, cum nullo pacto permissi sint, agere Hierosolymæ, siue post cædem Stephani, Synagogæ odio in Christianos grassante; siue in gratiam gentis commoto contrà eosdem Agrippâ. Inter primam, alteramque procellam pax aliqua Ecclesiæ fuit, vt Lucas asserit in Apostolorum [b] historiâ; quamobrem si qui eâ inuitante in Iudæam ab exilio redierunt, denuò abire compulsi sunt, & fugere ab Agrippæ furoribus. Dicere de singulis, qui dispersi sunt in varias terras nihil possumus certi, præsertim si inuestigare velimus, quid tum factum sit, de Christi Domini, eiusque sanctissimæ Matris consanguineis, quorum suprà meminimus. Dignissima certè laudibus capita, spectantia maximè ad Marianos annales, breui hîc commemoratione donamus; quando eorum res per hæc tempora gestas, aut mortem obitam, nulla certò prodit historia. Cleopham præcipuè Iosephi Deiparæ Sponsi fratrem intelligimus, Mariam eius coniugem; & Salomen vtriusque filiam, de quibus suis plura locis iam diximus. Cleophæ exitum

Reditus Hierosolymâ cognatorum Deiparæ.

b Act. 9. v. 31.

tum nonnulli tribuunt, quem expresse notat Romanum
a 25. Sept. Martyrologium ad septimum Kalendas Octobris [a], quo die occisum fuisse illum à Iudæis sacræ testantur tabulæ,& nos indicauimus suprà. At verò Maria eius vxor, Cleophæ dicta, eademque Iacobi, obijsse fertur in Iudæà; & post mortem translato in Italiam Verulas corpore, apud Hernicos pluribus illustrari miraculis. De Salome, clarius apud sacros Euangelistas testimonium apparet, atque ex Ecclesiasticis tabulis habemus; Hierosolymæ decessisse vndecimo [b] Kal. Nouembris, ibi quietis præmium nactam, vbi fuerat circà Domini sepulcrum sollicita,& comes indiuidua Deiparæ. Vnum omnibus elogium esto, quoniam pertinent ad Mariam.
b 22. Oct.

Cleophæ elogium Mariæ vxoris,& Salomes filiæ.

Cleopham Iosephi Deiparæ sponsi fratrem,
Quem Iesus Patruum appellauit;
Hospes agnosce, nec illaudatum sinas
Regij sanguinis virum, ex Dauidica stirpe prognatum,
Cognatione sancta Christo & Maria coniunctissimum,
Numerosæ prolis parentem,
Quæ Christo consobrinos dedit,
Sororum ac fratrum Domini titulo nuncupatos.
Summam in eo laudum habes paucis comprehensam.
Ad plenius elogium plura leges in Cælitum annalibus,
Plura disces ex libro diuinitatis.
De Maria eius vxore,
Euangelicum non silet oraculum.
Sororem Dei Genitricis vocat,
De Christo viuente, mortuoque sollicitam laudat.
Sancta matrona exemplar absolutissimum.
Habita est Christi matertera
Vera fratrum ac sororum Domini Mater,
Deiparæ comitatu, Saluatoris cultu, & obsequio
Nobis cedit in exemplum.
Accepit id prius filia Salome
Dei Genitricis vestigia, & mores secuta.
Cuius virtutibus æquè, ac passibus inhæsit vnà cum matre.
Christo in cælum reuerso
Non diu vixit; an Apostola, an Martyr?
Vterque in eandem titulus cadit.
Decet Apostolæ nomen, mulierem
Quæ Apostolos peperit Iacobum & Ioannem.
Dolentē in Christi morte cū Martyrū Regina, quis Martyrē neget?

Sacram Hospes cognationem Iesu & Deiparæ
In Parentibus & filia suspice.
Lauda sanguinis nobilitatem, sed virtutes imitare.

VII. Ex profanâ Romanorum historiâ vnum Dio [a] contigisse hoc anno testatur, quod potest rebus opponi paulò ante narratis; nam abrogata à Claudio plura Deorum sacrificia, tertio sui principatus anno, vt scribit historicus, cum institutione concurrunt Pontificiæ sedis, quam ad sacrum mundi regimen Petrus Romæ fundauit, vnde auctum Deiparæ adhuc viuentis gaudium licet argumentari, non solum quia, tunc inchoatum in Vrbe Orbis principe vidit veræ Religionis imperium, Christi seruatoris sanguine in Petro & successoribus stabiliendum; sed etiam quia, vel agente Cæsare, Ethnica superstitio, & Dæmonum cultus eodem tempore corruere cepit. Magnum Virgini fuit extremâ ætate solatium, videre stratam quodammodo rectæ fidei viam, ab ipso Imperatore Romano, suæ molitionis ignaro; cum eius edicto complures tollerentur feriæ, cultu solemnes inanium simulacrorum; dum Petrus hoc ipsum perfectè impleturus, excutere de Capitolio Iouem pararet, & Christi Deiparæque cultum aris inferre. Erecta Dei iussu ab Apostolorum principe Romana sedes, vt Arca fœderis altera, haud passa est consistere Dagonis effigiem, quam expunctis Deorum festis, nonnisi diuino instinctu, Princeps ethnicus aggreditur deturbare. At etiam Dionis [b] testimonio nouimus, hoc anno sublata fuisse mandante Claudio omnia Caij simulacra; & numismata, quæ eius vultum exprimerent, conflari iussa, & in massam redacta. *Diuinum planè* exclamat opportunè Ecclesiasticus Chronographus [c], *& æqua lance pensatum iudicium, vt qui suam statuam titulo Iouis ære conflatam, in templum Dei inferre parasset, ipse in cunctis suis imaginibus, infame dispendium pateretur.* Imò nobis addere licet, abolitam fuisse eodem tempore Romæ impurissimi Imperatoris effigiem, & quicquid eam exprimeret omninò confusum, vt Deiparæ imagini locus daretur, quæ vulganda per Vrbem erat ad Religionis exortum, sicuti factum deinceps videbimus.

Profana huius anni historia opposita sacræ.

a Dio. l. 60.

b Dio. ibid.

c Card. Baronius ad an. Chr. 45.

Annus

Annus Christi 46. B.M.Virginis 60. Petri Rom. Pont. 2. Claudij Imperatoris 4.

I. QVoniam ex Euodij Scriptoris antiquissimi, superstite tantum fragmento epistolæ, quod Nicephorus Callistus ex antiquitatis erutum tenebris recitat, ità commemorantur anni Deiparæ, vt eius in terris ætas quinquaginta nouem expleuerit, nec prouecta vlterius sit; placet hoc loco eiusmodi testimonium expendere; vt sciatur, sitne id auctoris cui tribuitur, an verò suppositicium. Auctoritas Nicephori videtur nonnullis parum firma; tum quòd valdè remotus ab Euodij temporibus, tertiodecimo à fundatâ salute sæculo vixerit, & nullus ante ipsum eius scripti meminerit: tum etiam quòd in eo historico non pauca inueniantur minus vera, vt notauit ex Baronianis Annalibus Bellarminus [a]. Euodianæ epistolæ, cui titulus *Lumen*, pars quædam ab eodem in lucem edita, noui indiget luminis, vt haberi pro legitimâ possit; talem certè & vera continentem non negabis, si semel admittas ab Euodio scriptam, qui sicut viuente Deiparâ vixit Antiochenus Antistes, ità nec eius mortem ignorasse potuit, cum inter Apostolos, aliosque Apostolicos viros fortasse adfuerit morienti, vt suo loco dicemus. Item si plura quæ eo scripto continentur, de ingressu Puellæ trimulæ in templum, de morâ ibi factâ vsque ad annum vndecimum, de coniugio quod iniit cum Iosepho contribule, & proximè agnato, de nuncio diuini conceptus per Gabrielem allato, de anno ac die geniti Saluatoris, aliaque communiter recipiuntur vt vera; cur pariter reliqua non recipiamus, quæ per calculationem annorum ponuntur de integrâ ætate eiusdem Virginis; quæ, vt inquit apud Nicephorum auctor, *post illud Crucis supplicium, in domo Ioannis annos impleuit vndecim, vt ætatis eius anni simul collecti, sint quinquaginta & nouem*. Suboriri dubitatio posset, an fallatur Nicephorus, distans duodecim ferè sæculis ab Euodij ætate, illique tribuens scriptum, quod alterius recentioris fortasse sit. Equidem non nego posse historicum falli: at idcircò conuinci falsum esse, hoc pernego: cum non semel vel nostro æuo contigerit, inuentio antiquissimi scripti, quod sæcula superiora latuerit, & prima eiusdem editio ab auctore memoriæ valdè recentis. Cur verò repugnet id quoque à Nicepho-

De Aetate Deiparæ.

a Bellar. l. de Script. Eccles.

Expenditur Euodij epistola à Nicephoro ex parte proposita.

Vbi agitur de annis B. Virginis.

ro factum, in Euodianâ epistolâ inueniendâ, vulgandâque? eius meminit Baronius [a] in annalibus, asseritque ab antiquioribus Nicephoro nec commemoratam, nec cognitam; at non idcircò improbat, aut reijcit. Verùm, vt ingenuè fatear, grauior aliunde insurgit difficultas; cum huic annorum calculo, quem ductum ab Euodio ponimus, aliud Areopagitæ Dionysij testimonium aduersetur, qui secundo & quinquagesimo Christi anno à Paulo Athenis concionante conuersus ad fidem, post quintum ab eâ conuersione annum, quo Paulus vltimò Hierosolymam venit, ait se cum Apostolis interfuisse, contuendo efferendoque Deiparæ corpori, de quo plerique locum interpretantur, infrà à nobis pariter expendendum: vnde eius ætatem vltrà primum ac septuagesimum annum prouectam esse, clarâ ratiocinatione colligitur. Præter hanc duorum Patrum discrepantiam, quorum vterque ob antiquitatem audiendus præ cæteris foret, augent quæstionis difficultatem recentioris æui Patres, qui de tempore virginei obitus diuersa omninò scripserunt; adeò vt ad rem tantam de tenebris eruendam, necesse fuerit aliquam ab ijs lucem mutuari, quæ sancti inter orandum viri diuinitùs didicisse feruntur, cum insuper illa inter se non cohæreant. Ex occasione igitur, quâ Euodius obitum Deiparæ ponit, vel anno superiore exeunte, vel hoc cui nunc insistimus decurrente, vt eius ætas constet nouem & quinquaginta expletis, quos ille apud Nicephorum supputat; expendere hîc sincerè placet, sacrorum Scriptorum eâ de re sententias, toto cælo aduersantes, & sincerius tandem exponere, quid tutò sentiendum videatur in tantâ scribentium varietate.

Euodij testimonio aduersatur aliud Dionysii Areopagitæ.

Itemque discrepantia cæterorum Patrum.

II. Sunt qui reuelatum cælitùs aiunt, nonnisi annum vnum, & menses ferè quinque, Christo rediuiuo, atque in cælum reuerso, fuisse inter mortales Deiparam, ità vt quintum ac trigesimum à suo partu; atque ætatis nonum & quadragesimum ageret, cum naturæ concessit. Id de se ipsâ scriptum reliquit Elisabetha [b] Sconaugiensis, sanctitate vitæ, & monasticâ disciplinâ percelebris; quæ tantum temporis vixisse B. Virginem post reditum ad superos Filij, sibi diuinitùs apertum asserit. Idem testimonium, ex arcanis beato viro Bertramo Cisterciensi reuelatis, profert Massæus [c] in Chronico. Fauere huic sententiæ videtur D. Ildephonsus Toletanus, dum ait, post Christi triumphum non diu mansisse Virginem inter viuos, quoniam eius aspectum Cælites omnes voto vnanimi expetebant. Sed de veritate reuelationis non constat; vel certè vnicus

Exponuntur variæ de Deiparæ ætate sententiæ.

Prima sententia ait, Virginem obiisse altero post ascensum Christi anno

a Baron. t. 1. an. Chr. 71. n. 13.

b Elis. Sconau. suarum [...]sionum

c Mas. ad an. 36.

d I[...] ser[...] As[...]

tè vnicus vitæ annus, quem Virgini tribuit post redditum cælo Christum, aliter accipiendus est, atque communiter intelligitur. Posset enim dici per metaphoram significatum, vixisse tantùm Dei Matrem, vsque ad id tempus, quo sacræ litteræ, Euangelica nempe historia, & descripta Apostolorum acta, aliquid de eâ commemorant, quod fecit vltimò S. Lucas, cum narrat primos Fidelium conuentus, proximè post Christi in cælum ascensum, habitos Hierosolymæ præsente Mariâ, de quâ deinceps mentio nulla, ac si in terris viuere desijsset.

III. Alij vltrà hunc annum vixisse illam censent, vsque ad quartum, post quam Christus Dominus ad Patrem ascendit, & obijsse anno ætatis secundo suprà quinquagesimum confirmant, ex eo quòd Paulus Hierosolymam profectus ad Apostolos, elapso iam à suâ ad Christum conuersione triennio, nec Ioannem ibi, nec Deiparam inuenisse prodatur. Sed eodem argumento sententia falsitatis arguitur; quoniam aliâ de causâ tum Virgo & Ioannes Hierosolymâ abfuerunt, & fortè quòd altera aliò abiuerit ad vitandam Iudæorum in Christi sectatores sæuitiem; alter eòdem concesserit ad Virginem reducendam. Præterea nonnulli hanc assertionem falsò tribuunt Anselmo Cantuariensi, quem inuenimus aliter de extrema Deiparæ senectute sensisse.

Altera sententia anno Chris. 38. obijsse dicit.

IV. Alij rursus illi tribuunt non longiorem nouennio vitam, post Christi mortem; & decessisse Deiparam scribunt, anno fundatæ salutis quadragesimo tertio, ætatis suæ quinquagesimo septimo. Eiusce opinionis meminit Franciscus a Turrianus, tanquam relatæ ab Epiphanio Constantinopolitano presbytero, atque ascriptæ Hippolyto cuidam Thebano, Chronographo siue ob antiquitatem, siue aliâ quâpiam de causâ non multùm cognito. Laudat quidem Epiphanium Nicephorus b Callistus, atque B. Virginis vitam diligenter scripsisse, magno vsum studio in Græcis auctoribus peruolutandis, excutiendísque, vt de Mariæ c Dei Matris præsertim vitâ, non credibilia solùm, sed etiam certa ac firma proferret, quod ipsemet auctor de se testatur. At Hippolyti testimonio is nequaquam assentitur, qui spatium vitæ valdè diuturnius, & prouectiorem Virgini senectutem tribuit, vt infrà dicemus; & contrà hanc de nouem annis sententiam probabiles coniecturæ, & validissima argumenta non desunt, quæ suo loco proferentur.

Tertia anno Chris. 43.

a Turrian. lib. 2. pro epist. Pont. cap. 16.

b Niceph. lib. 2. Hist. Eccl. c. 23.

c Epiph. in Deip. Virg. vita.

V. Plures etiam vixisse Virginem Dei Matrem asserunt, vnde-

Quarta anno Chris. 46.

vndecim aut duodecim annos post ascensum Filij, ab eius ortu ferè sex & quadraginta, suæque ætatis circiter sexaginta. Sequuntur hi supra laudatum Euodium, cuius inhærentes vestigijs, dicunt Mariam propè sexagenariam obijsse. Eam in primis sententiam tuetur, in suâ historiâ Euodij præco Nicephorus [a], vbi litteris consignat ex luce ab altero acceptâ, anno Claudij Imperatoris quinto obitum Deiparæ contigisse. Consentit S. Antoninus [b] Archiepiscopus Florentinus, qui opinionem appellat valdè communem, & Petrus [c] de Natalibus Episcopus Equilinus probabilem suprà cæteras prædicat. Subscribunt pariter recentioris æui Scriptores, qui passim occurrent lectori. Miror sanè opinionem appellari communem omnium, & maioris inter reliquas probabilitatis, cum ex ijs quæ infrà dicenda sunt, clarè simus ostensuri cōtrarium.

Quinta 48. Chr. an.

VI. Duos insuper annos addunt nonnulli, inter quos Aretas [d] in Cappadociâ Cæsareensis Antistes, Adrichomius [e] vrbis Hierosolymæ descriptionem aggressus, Sabellicus [f] Enneadum Scriptor, & [g] Polydorus Virgilius de rerum inuentoribus agens, aiunt Deiparam duos & sexaginta annos natam ad superos abijsse, quarto suprà decimum post quam Filius illuc ascenderat; vnde id desumant, & cui potissimum fundamento nitantur, non liquet.

Sexta 49. Chr. an.

VII. At verò alij multi probabiliora loquuntur, qui eius felicissimum obitum anno ætatis tertio ac sexagesimo ascribunt, nono & quadragesimo à partu, à morte verò ac triumpho Christi, decimo quinto. Ità in suo Chronico Eusebius [h] Cæsariensis ex priuatâ reuelatione cælitùs alicui factâ, auctor est; & esse plures, qui ex traditione quadam idem affirment, innuit Card. Baronius, ad annum Christi quadragesimum octauum. Cuinam ex antiquioribus Eusebio, aut certè synchronis, ostensum id diuinitùs fuerit, nullus prodit; & mirum præterea iure videtur, rem tantam à scriptoribus prætermissam committi, non probatis veterum monumentis, sed incertis hominibus, sibi demonstratum à Deo fuisse arcanum testantibus, de cuius testimonij veritate non constat, nec scriptum id vsquam reperitur, neque per manus traditum peruenit ad posteros. Fateor sanè, S. Birgittam Viduam participem cælestium secretorum, atque tot sæculis Eusebio iuniorem, scripto de suis reuelationibus libro, docere tanquàm sibi cælitùs patefactum, reuelante ipsâmet Deiparâ, eius ætatem ad annos tres & sexaginta peruenisse; cum tantùm quindecim post Christum rediuiuum, superstes fuisse Virgo inter mortales di-

S. Birgittæ Viduæ reuelatio.

a Niceph. lib. 2. hist. Eccl. c. 21.
b S. Antonin. par. 1. histor. tit. 6. cap. 3.
c Pet. de Nat. in Catalo. 55. l. 7. cap. 65.
d Aret. in Apocal.
e Adrich. n. 10. vbi de Maria domo.
f Sabellic. Enn. 7. l. 2.
g Pol. Vir. lib. 4. c. 1.
h Euseb. in Chron.

les dicatur, quadragesimum octauum id temporis annum agens: *Apparuit*, inquit B. Birgitta [a], *mihi Virgo splendore nimio, dicens: Attende filia; ego postquam filius meus ascendit ad cælum, vixi in mundo per quindecim annos.* Sed non ità accipienda est huiusmodi reuelatio, vt pro authenticâ haberi debeat, cum nondum Ecclesia declarauerit talem, aut proposuerit omninò credendam; licet ad Fidelium vtilitatem typis vulgari permiserit; quò tantùm spectare videntur summorum Pontificum [b] diplomata, & Synodi Constantiensis decreta, vbi communicata diuinitùs Sanctæ Viduæ arcana commendantur, probanturque, vt nimirum possint imprimi, & manibus teri. Præterea dici posset, nec abs re; Beatissimam Virginem in eâ reuelatione locutam esse tantùm ex sententiâ, quæ tum erat in Ecclesiâ valdè communis, & planè vulgaris, qualem Franciscus Turrianus appellat; cum in honorem trium & sexaginta annorum, quot vixisse Deipara ferebatur, institutum iam pridem fuerit precarium sertum, confectumque ex numero totidem globulorum; ad quorum veluti calculum senæ decades salutationum angelicarum recitari consueuerunt, ad singulas intermixtâ oratione dominicâ, quæ suis pariter locis grandiori globulo prænotatur. Ideò pro eâ sententiâ multi quoque pugnarunt, & præcipuè [c] Consaluus Durantus, qui S. Birgittæ reuelationes, notis & scholijs illustrauit [d]; Dionysius quoque Carthusianus ex eâdem Birgittâ, & Marianus Scotus ex libro de ortu Mariæ, qui S. Hieronymo ascribitur, alijque complures.

a S. Birgit. lib. 7. Reuel. cap. 26.

b Concil. Constantiens. sess. Vrbanus VI. & Marti. V. PP. MM. apud Ant. Cordubam l. 1. q. 44. in 4. prob. 5. Concl.

c Consaluus in lib. 6. Reuel. c. 61.

d Carthus. lib. 4. de laudib. gloriosæ V. M. ar. 6.

VIII. At videntur verosimilius ratiocinari, qui longius vitæ spatium Virgini Deiparæ tribuunt, non quidem, qui propè octogenariam obijsse contendunt, vt ex pluribus coniecturis deducit Melchior [e] Incofer, illustrans Virginalem epistolam ad Messanenses; sed qui tantùm paulò maiorem septuagenariâ dicunt esse defunctam, annis post filij mortem viginti quatuor; quoniam hi Areopagitæ Dionysij testimonio nituntur. In hanc sententiam quamplurimi venere Doctores, tum ipsâ antiquitate spectandi, tum inter neotericos longo studio, & eruditione clarissimi, quòd minus quam cæteræ exhibere videatur difficultatis, licet ipsa quoque difficilis sit explicatu. Abstinemus nunc ab illâ examinandâ, id suo loco plenius, diligentiusque facturi.

Septima an. Chris. 58.

e Incofer. Coniect. ep. cap. 9.

IX. Interim hoc vnum in ætate Virginis certum est; inexploratum hactenus, incertumque manere mortalibus, quo potissimùm anno è viuis excesserit; ex tantâ sententiarum,

Vera ex tanta sententiarum varietate conclusio.

quas

quas recensuimus discrepantiâ colligitur, diuino consilio factum esse; vt nulli mortalium pateret arcanum, quod clarè à Cælitibus legitur in libro diuinitatis, à nobis ibidem legendum, cum Deo fauente transire licuerit, ab huius vitæ miserijs, ad æternam Sanctorum felicitatem. Rei nunc obscuritas nascitur, tum deficientibus antiquorum monumentis, vbi testimonium legitimum de veritate prodatur; tum etiam quia, si qui deinde Scriptorum, siue ex coniecturis, siue ex notitiâ cælitùs, vt aiunt, incertis hominibus communicatâ, aliquid enunciare sunt ausi; nouas quæstioni ambages addunt, cum inter se nullo pacto cohæreant; quod ex ipsâ sententiarum serie à nobis exhibitâ lector animaduertet. Non est igitur, quòd vltrà defatigentur ingenia, in re quærendâ, quam Deus in hâc vitâ hactenus voluit posteritati occultam; idem accidit de anno, quo natus est Christus, de die quo mortuus; de obitu S. Iosephi, alijsque arcanis; quæ vel post longissimas disputationes, fatearis necesse est, adhuc esse incerta; nec dissimulatâ ignorantiâ, expectandum à Deo cælestis gloriæ lumen, sub quo sine vllis ambagibus abscondita reuelentur: Certè plura de Virginis vitâ latere nos voluit Spiritus Sanctus, quidni idem dicamus de mortis anno, si quotonam ætatis contigerit, ignoratur? Et si cæteroqui certum est; & mortalem fuisse Dei Matrem, & verè mortuam, dissentientibus tantùm hæreticis, qui alterius conditionis quam humanæ illam prædicabant. Alterum, quod meâ quidem sententiâ videtur ferè certum, hîc addimus; non ante quinquagesimum nonum ætatis annum, neque post secundum, & septuagesimum, sed aliquo ex ijs, qui vtrisque intercedunt, Deiparam ex hac vitâ migrasse. Pars eiusce assertionis prima ex eo conficitur, quòd minus quam vndecim annos vixisse illam post mortem Filij, dicere nemo iam audet, qui orbitati Ecclesiæ saltem longiore tantæ Matris præsentiâ consultum fuisse velit. Roboratur altera Dionysij Areopagitæ testimonio, suprà tantùm indicato, & infrà commodius exponendo; cum præsertim accedat vnanimis eorum Patrum consensus, qui Virginem ad extremam peruenisse senectutem, & obijsse prouectæ iam ætatis affirmant, qualem fuisse non negabis, si suprà septuaginta vitæ annos, ponatur viuere desijsse; vt persuadent allatæ coniecturæ. Tertiam denique de annis à quinquagesimo nono, & septuagesimum secundum inclusum decursis, probabilem facit, non vnius auctoris ex antiquioribus assertio, sed multorum, Euodij [a] apud Nicephorum de nouem vt quinquagin-

Videtur ferè certum D. Virg. nec ante 59. ætat. annum, nec post 72. obijsse.

a [illegible]

quaginta expletis; Eusebij in Chronico de tribus ac sexaginta, cui accedit opinio ferè vulgaris, & facta D. Brigittæ, vt scribitur, reuelatio; aliorum denique plurium de secundo ac septuagesimo decurrente, quos infrà nos dabimus. Et hæc satis dicta sint, ex occasione, quam dedit Euodij testimonium in annis Deiparæ supputandis.

X. Institutâ iam ante Romanâ sede, missi feruntur à Petro plures in varias vrbes Episcopi, alijs alij temporibus, ad priuatas vbique terrarum Ecclesias constituendas, regendasque. Inter multos, quos scriptorum inopia reliquit ignotos, pauci nominatim à Baronio [a] recensentur; accepitque Sicilia Pancratium, Marcianum, Berillum, & Philippum; Capua Priscum, Neapolis Asprenum, Ptolemæum Nepe: præfuere Romulus Fesulis, Paulinus Lucæ, Apollinaris Rauennæ, alijsque Italiæ vrbibus alij: Item in Galliâ Martialem habuere Lemouicenses, Tolosani, & Burdegalenses; Maternum Tungrenses & Colonienses; Sixtum Rhemenses; Eucharium Treuirenses; Senonenses Sabinianum; Cenomanenses Iulianum, Bituricenses Vrsinum: suos habuit quoque Germania, suos Hispania, suosque Britannia domita non ità pridem à Claudio. Omnes hi, quorum nomina, atque res gestæ apud auctores occurrent, à Sancti Petri disciplinâ prodierunt, post erectam Romanam sedem, ad Orbis Christiani regimen; vnde optimè instituti ab Apostolorum Principe, priuatas Ecclesias Romanæ subiectas vbique fundarunt, atque ad Christi partes populos adduxerunt. Neque verò euulgare poterant præcipua fidei Christianæ mysteria, vt susceptam à Dei Filio humanam naturam, quin meminissent etiam Virginis Matris, ex quâ prodijt ille, ad vindicandos in libertatem mortales, Deus carne vestitus. Itaque per orbem diffusi veræ præcones Religionis, atque Apostolorum imitatores, inserebant vbique cordibus Christi nomen, atque in eius Matrem Mariam, tanquam in Patronam optimam, popularis vndique pietatis obsequia excitabant. Concionum, quas ad Gentes habuerunt, argumentum Christus erat, siue æternus ex Patre Deus, ante omnia tempora genitus, ineffabili partu; siue homo ex Matre mortalis, certo quidem natus tempore, sed temporum dominus, atque illibatæ Virginis Filius. Mysterio huic sacrosancto Numinis corporati; hominis, cui inesset vera diuinitas; fæminæ, quæ simul foret Mater, & Virgo, humanam intelligentiam arcanorum ignaram subdere oportebat, tanquam veræ fidei obsequentem. Ideò sancti viri Apostolorum

Missi à S. Petro in varias vrbes Episcopi.

a Baron. to. 1. ad ann. Chr. 46.

Ab ijs nunciatus populis D. Virginis partus.

Concionum argumentũ Christus & Maria.

rum vestigijs insistentes, vbicumque expiatos à superstitionis labe populos, ad Christi famularum informabant; Matrem quoque sanctissimam adesse monebant, ad quam confugiendum neophytis primùm foret, vt per eam ad Filium daretur accessus; quem per Mariam quærendum esse, singulis fermè concionibus profitebantur. Hinc pietas, quam ipsi prius mente conceperant, excitabatur erga Deiparam eorum operâ in populis, vel ex visâ non semel Virgine, vel certè ex auditâ eius adhuc viuentis famâ. Templa pluribus in locis, & sacella eius nomini sunt erecta, & vbique terrarum imago vulgata, oppida, ciuitates, prouincias ad Mariæ cultum adduxit. Sic Neapoli factum sub Sancto Aspreno, sacra [a] eius vrbis monumenta testantur, vbi picta primùm Deiparæ effigies, atque ædicula ad orandum constructa, à principio cognomentum accepit, quia Neapoli, & in omni fortasse Italiâ dedisse fertur, memorati Antistitis operâ cultui Mariano principium. Idem præstitum per eadem tempora à Marciano legimus in Siciliâ, idem à Materno Tungris, infrà Alpes; idem à Trophimo in Galliâ, idem alibi ab alijs, Icone virgineâ aris ac sacellis exceptâ, vt populis, quos instruebant, in Deiparâ colendâ præirent.

Cultus Deiparæ Neapoli sub S. Aspreno Episcopo.

a Bartholomæus Chiocharellus in Catal. Antist. Neap.

XI. Hic etiam annus à Christo nato sextus & quadragesimus insignis est nouis itineribus, atque laboribus à Paulo & Barnabâ susceptis, non sine consensu, monituque Deiparæ, si superstes adhuc in terris erat. Nam post collectas ex piorum liberalitate pecunias, atque ad leuandam famem Hierosolymæ in egenos distributas, redierunt Antiochiam, assumpto in societatem laboris [b] Ioanne Marco, cuius in domo & videre, & alloqui Dei Matrem potuere. Hinc duo suprà numerum Apostoli, inter cæteros diuinitùs cooptati (sicut identidem Romæ Senatoribus factum nouimus, vltrà præscriptum numerum in Senatum adlectis) Seleuciam primùm non longè Antiochiâ distantem, se contulerunt; & inde diuino pariter monitu, *nauigauerunt Cyprum*, vt ait Lucas [c]. Eorum accessus insulam expiauit, impuræ Veneri addictam, cuius execrandum nomen, falsumque Numen sacris institutis, erectisque templis publicè colebatur, vbi præses impudicitia aras polluerat; & obscænæ sedem fixerant voluptates. Et sanè destruendum tandem esse impuræ Deæ regnum, præsagia multò antè præcesserant, ciuitatum partibus in insulâ Cypro ex terræmotu collapsis, ipso conceptæ Deiparæ anno, vt ex Chronico Eusebij suprà in apparatu [d] monuimus. Hoc autem tempore, exitus præsagitioni respondit, cum accedentes ad insulam Paulus

Itinera & labores SS. Pauli & Barnabæ.

Auspiciis Deiparæ.

b Act. 11. vers. 25.

c Act. 13. vers. 5.

Insulæ Cypri per eosdem expiatio.

Domita ibidem impudicitia.

d A. 91.

Paulus & Barnabas, indixerunt impudicitiæ bellum; mox expositâ populis Christi doctrinâ, infamis Deæ, incestique Cupidinis signa comminuenda curarunt, & scelera libidinum abolenda. Id præsertim Paphi, vbi Venus studiosiùs colebatur, cessit ex voto, cùm Sergius Paulus Ciliciæ Proconsul, idemque Cypri moderator, Apostolorum hortatu Christiana sacra suscepit, suopte quidem ingenio probitatis amans, diuinique verbi audiendi percupidus, sed eò minus expeditè tendens, aliò auocantibus animum Elymæ cuiusdam magi consilijs, qui ab Apostolo Paulo increpitus, Deoque vltore oculis captus, dum Proconsuli meliora sectanti moram inijcit, vrget in se diuinum supplicium. Hanc igitur dicere possumus primam Cypri expiationem, ante annos sexaginta horribili terræmotu, lapsisque ciuitatibus præsignatam, cum conciperetur, vt diximus, Virgo Deipara, paulò post ad tollendum vbique virginitatis vexillum nascitura.

Eius victoriæ præsagiũ ad Deiparæ cõceptum.

Sergii Pauli Ciliciæ Proconsulis conuersio.

XII. Ex Iudæorum rebus occurrit anno eodem, insignis ignominia mortuo Agrippæ Regi à Cæsariensibus & Sebastenis illata, teste Iosepho [a]: quoniam præter conuicia in defunctum impudenter iactata, ab insanâ militum multitudine, regiarum filiarum statuis, ad lupanaria raptatis, turpiter est illusum; & vilis plebecula epulis publicè per vias instructis, ebriorum more gestiens, sibi florum corollis impositis, pocula Charonti libabat. Hoc exequiarum genere est Agrippæ parentatum, qui diuinos sibi honores assumpserat; cum è contrario verus Dei Filius, paucis ante annis per Crucis supplicium factus [b] *opprobrium hominum & abiectio plebis*, iam vbique terrarum per Apostolicos præcones prædicaretur vt Deus; cum etiam eius Mater, olim sub Cruce dolorum particeps, tandem in partem honoris & cultus vocaretur, vbicumque Christi fides radices ageret, supplicantibus ad eiusdem imagines populis, dum Agrippæ filias in statuis militaris licentia dehonestaret. Cæterùm Cuspio Fado Præsidi commissâ Iudæâ, Agrippa iunior, patri in regno successit: & Herodes Dynasta Chalcidis, Regis defuncti germanus, in templum, sacrumque ærarium potestatem obtinuit à Claudio, iure deinceps abusus eligendorum Pontificum, eodem Iosepho teste [c]. Sic res Iudæorum, & veterem Synagogæ magnificentiam, quotidie in deterius ruere vidit Deipara, dum quotidie augeretur, & cresceret accessionibus congeminatis Ecclesia.

a *Ioseph. ant. l. 19. c. 7.*

b *Psal. 21. v. 7.*

c *Ioseph. ant. l. 20. c. 5.*

Agrippæ Regis mortui ignominia.

Opposita Christi honoribus.

Et Mariæ Matris.

Synagogæ iactura, ad incrementũ Ecclesiæ.

Annus Christi 47.
B.M.Virginis 61. Petri Rom. Pont. 3.
Claudij Imperatoris 5.

I. Annus à Christo nato septimus suprà quadragesimum, Virgini matri primum & sexagesimum, si viueret, agenti, Paulum exhibet Iconij in vrbe Lycaonum percelebri gloriosissimè laborantem. Nam Gentium Apostolus eò tandem profectus, Theclam virginem ad Christi signa traductam, Mariæ Deiparæ in seruandâ virginitate fecit imitatricem. Et sanè mirum est, pernobilem puellam iam thalamo oppigneratam, nuptijs, opibus, cognationi nuncium illicò remisisse, ad Apostoli voces, non modò annunciantis Christi fidem; sed optimam quoque ad eum sequendum magistram & ducem, Dei Matrem ostendentis: hanc enim extulisse iam pridem virginitatis vexillum, cum Paulus prædicaret, Thecla in eius virtutis amorem exarsit, & viam sibi cælitùs ostensam secuta, insistere cepit Mariæ vestigijs, vt ad cælestem Sponsum, Doctoris Gentium primogenita perueniret: itaque terrenum dimisit, qui ei de primâ nobilitate contigerat. Cum verò eâ de causâ castitatis magister Paulus datus esset in vincula, gemmis, omnique mundo muliebri distractis, aditum sibi ad illum mercata est, eas demum æstimans gemmas, quas legeret ex ore Pauli. Mox insigni certamine, quod sponsus & consanguinei apud Iudicem mouerant, superato; ignes sibi ad rogum paratos, impetratâ de cælo pluuiâ, extinxit; leonibus obiecta, eorum naturam sui veneratione mutauit; domuit, quibus alligata fuit, vt discerperetur, tauros; in foueam iniecta, serpentes vicit. Hæc verò si statim à conuersione suâ ad Christum subiuit discrimina, dum adhuc fortasse Deipara in viuis foret, quale credimus fuisse gaudium magnæ Matri, nunciatis vtcumque Theclæ victorijs, quæ prima fæminarum, cum virginitatis candore, martyrij purpuram decoro nexu coniungeret: auspicium futuris sæculis felicissimum, quibus regnans in cælo Deipara, visura erat præeunte Thecla choros innumeros puellarum, æternas Filij sui nuptias ambientium, vel per carnificum gladios, & horrenda Tyrannorum edicta. Quare cum in eas animum intenderet insignis recentioris memoriæ vates, ad magnam Virginem [a] Hierosolymæ templo trimulam à parentibus illatam, sic cecinit.

Iconii Paulus Theclam Virginem conuertit.

Theclæ insigne certamē, & multiplex victoria.

Quam grata Deiparæ.

Theclæ exēplum secutæ deinceps plurimæ.

a Bernardinus Stephonius Soc. Ies.

Quo

Quo te cumque vocat Parentis aura
Cælestis, properè sequemur omnes.
Quicquid est hominum decentiorum,
Quicquid virgines est vbique floris,
Sequenturque greges puellularum.
Iam nunc Cæciliam, Puella, magnam,
Iam nunc Perpetuam, Vrsulamque cerno;
Agnetemque, Agathamque, Luciamque,
Theclasque, Eulaliasque, Barbarasque,
Et te Flauia, Margarita teque,
Cerno te Catherina, te Susanna;
Et quæ post alijs erunt in annis
Tibi, quà potè, proxime puella.
Harum tu glomerata Virgo cætu
Tympanistria Tympanistriarum

Cæterum Thecla tot victorijs inclyta Seleuciam venit, vbi nouis exercita certaminibus, & Apostolorum munere functa, multos ab Ethnicorum insaniâ, ad Christi sapientiam adduxit, ac tandem dierum simul & meritorum plena, nonagenaria migrauit ad sponsum, digna planè, quam Patres æternis laudibus celebrarint; & viuens Dei Mater, synchronon suis postremis annis habuerit. Vbi mulierem aliquam sanctitate præstantem encomiastæ sacri laudarunt, appellatam non semel voluerunt alteram Theclam; & concessum illi cælitùs inter pænas subsidium, optarunt sibi Martyrum plures, atque in extremo Fidelium morientium agone, suis implorat Ecclesia. Theclæ ætas, labores, & laudes.

II. Sub hæc ipsa tempora, cum Christiana fides per Apostolos, eorumque discipulos, vbique terrarum radices ageret, erumpebat in germina fidelium animarum, quæ creditis nostræ salutis mysterijs, se Christo deuouebant. Huius præcipuè, & Virginis Matris cultus, per iconas vtriusque effigiem, exprimentes, vulgatasque crescebat. Exhiberi consueuerant illæ iam pridem, initio nascentis Ecclesiæ, cum SS. tres Magi à Bethlemiticâ peregrinatione redeuntes in patriam, inuentum adoratumque Messiam, aurei sæculi restitutorem, suis populis publicarunt: tunc enim in honorem noui Regis construxerunt vnanimes monumentum, in quo insignia sua depingenda curarunt, ipsumque puerum Deum, Matris gremio insidentem, micantemque desuper stellam, exprimi coloribus voluerunt; ad perpetuam memoriam reuelati sibi paulò ante mysterij. Sic fecisse primùm omnes, certo in loco fama inter Colonienses, & Leodienses ex veterum traditione vulgauit, Sacræ Christi & Deiparæ imagines ad fidei incrementa inductæ.

gauit, vt docet Hermannus [a] Crombachius in trium SS. Regum historiâ: mox verò in suis singulos ditionibus, idem præstitisse, verosimile est; quod nominatim de Melchiore in Indiâ, ex probatis auctoribus suprà docuimus [b]. At ex Christi discipulis S. Lucas, cum arte pingendi suo æuo polleret, Saluatoris nostri, ac Deiparæ imagines non semel expressit: ex ijs vna nunc est, & quidem celeberrima Romæ ad *Sancta Sanctorum*, vt vocant, propè Basilicam Lateranensem; eamque Christi duodennis effigie exhibitá insignem, Anastasius [c] Bibliothecarius ἀχειροποίητον, non manufactam appellat; siue quòd inchoatum à D. Lucâ opus perfecerint Angelorum manus, vt scriptum reliquit Ioannes Diaconus [d]: seu potius, quòd idem Lucas, admouens tabulæ manum, cum in ductu linearum dirigi, ac doceri à Deiparà vellet, simulque à Fidelium precibus opem imploraret; ante quam picturam inciperet, vidit illicò cælitùs delineatam; quæ sententia est Alberti [e] ex ordine Prædicatorum, in libro Rosarij. Vtcumque imago fuerit absoluta, ferunt illam à Virgine sanctissimâ per hosce annos fuisse domi seruatam, atque in suomet cubiculo, precibus quotidianis, & iugi cultu honoratam. Ipsam quoque Dei Matrem, vt docet peruetusta traditio, cum Lucas aliquoties expinxisset, & plures eiusmodi iconas exceptas ad viuentis exemplar ferri in diuersa loca curasset; dedit vtique occasionem Christianis pictoribus, ex ijsdem veluti prototypis, non pauca effingendi ectypa, quæ in orbem vniuersum deferrentur; vnde consequentibus deinceps annis, quòcumque introducta est Christiana fides, eòdem in imaginibus deuectus est populorum pietati Christus Iesus, qualis antea fuerat in carne mortali; & sanctissimam pariter eius Matrem coloribus expressam videre nationes omnes, quæ Christi sacra susceperant.

Saluatoris imago Romæ ad scalã Sanctam.

III. Exinde hic mos mirificè propagatus D. Virginem vel viuentem adhuc quòcumq; in sua effigie detulit, ad augendũ recentiũ Fideliũ in eam studium, per effigiem expressam à Nicephoro Callisto, ex aliquo D. Lucæ prototypo. Visebatur enim, vt ille ait, staturâ mediocri, aut certè, quod alijs placet, mediocriter in longitudinem excedente; color triticum referebat, capillus flauus, acres oculi, quibus subflauæ, & accedentes ad oliuæ colorem pupillæ; supercilia inflexa, & decenter nigra, oblongior nasus, florida labra; facies non rotunda, & acuta, sed magis accedens ad longitudinem; manus simul, & digiti longiores; aspectus non mollis, aut vultuosus, sed ad mode-

Effigies D. Virginis ex Nicephoro descripta.

a Herman. Crom. Hist. SS. trium Magorum lib. 1. c. 16.
b Ad ann. Christ. 3. B. M. V. 17.
c Anastas. in Stephano 3. dicto 2.
d Ioannes Diaconus in vita S. Greg. Papæ.
e Albertus Ord. Præd. in lib. Rosarij apud Octauium Panzirolũ lib. Thes. Abscon. almæ Vrb.
Niceph. lib. 2. hist. cap. 23.

modeſtiam, grauitatemque compoſitus,cui plurimum inerat gratiæ. Ità reor exceptam Diuæ Virginis effigiem fuiſſe,non ex ipsâ viuente, ſed ex aliquo exemplari, quod S. Lucæ manum referret. Cæterùm an ſingula vera ſint, affirmare non auſim. Eſt id ſanè certum, per hæc tempora, Chriſti Ieſu, & Virginis Matris iconas, magno numero affuiſſe orbi Chriſtiano, non quidem ad veterem magni Alexandri ſaltum, qui pingi nonniſi ab Apelle voluit; neque ex tritâ eruditorum parœmiâ, excludente à lignis vilioribus Mercurij figuram; ſed ne vllo quidem artifice recuſato, nec materiâ quacunque reiectâ, vnde ſacra exprimi effigies poſſet; ſicut enim Filius, ità & Mater ſuam omnibus maieſtatem accommodat, non ex triuio artificem horrens; non materiam, non formam, figuramque ex obuijs, & parabilibus vllam reſpuens, vt fiat omnibus omnia. Non vna tantum ars exhibuit identidem eiuſmodi imagines; pictura, ſculptura, plaſtice; in telâ, in ſerico, in muro, in tegulâ, in chartâ; ex metallis, argento, ære, plumbo; ex marmore, ex lapidibus pretioſis; ex lignis, ex cerâ, ex argillâ. Iiſdem affingendis laborat chalcographia; adeò vt plenus iam ſit Orbis terrarum Ieſu & Mariâ; vbique per ſimulacra, aut coloribus expreſſa, aut cælo ſculpta, aut ære fuſili figurata, redditis & congeminatis, ad Fidelium ſolatia. Vt eorum promoueatur pietas, multas Eccleſia Virginis Matris figuras exhibet; eamque ad cultores ſacrorum myſteriorum patandos proponit, modò aſſenſum præbentem Angelo, diuini conceptus momento; modò infanti Deo ſeruientem; modò fugientem in Aegyptum, Ioſepho comite; modò aſtantem Cruci; modò excipientem in gremio nati corpus exanime; modò gratulantem rediuiuo. Vſque adeò creuit eiuſmodi ſacrarum imaginum cultus, poſt triumphatam iconoclaſtarum perfidiam illis inſultantem, vt iam vix angulus ſuperſit in terris vllus, in quo non occurrant expreſſi Ieſu Deiparæque vultus, pictis tabulis, lignis, metallis, ſaxis ſcalpro inciſis; variatis opere phrygio telis, ductis iaſpide aut gemmâ figuris, aut certè per graphicen in tenui papyro expreſſis. Imò vt omnibus ſe accomodet imitata Filium Mater, in varijs regionibus variè pro loci more veſtitur, vt ſinguli populi, apud quos pingitur, fingiturque ſuam faciant. In eâ exprimendâ placet ſua Græcis antiquitas, ſuus Aegyptijs color, ornatus cæteris ſuus. Pia hæc & artifex varietas, dedit occaſionem Gulielmo Gumppenberghio è Societate Ieſu, noui operis moliendi, ad recenſendas in gratiam Mariophili vbique terrarum degentis, quaſcunque

Excepta à quocunque artifice, & in quacunque materia.

Variæ eam expreſſerunt artes.

Ex materia etiam varia.

In varia etiã ſignificatione myſteriorum.

In veſtitu etiam vario pro varietate regionum.

Nouus auctor de D. Virginis imaginibus agens.

scunque Deiparæ imagines hactenus inuentas, & cultui Christianorum expositas. Edidit ille iam isagogico libello sui laboris ideam, eoque historiæ tanquam apparatu, quia Orbem vniuersum Mariæ addictum intrà paucas pagellas defert, *Atlantem*, & quidem *Marianum* appellat. Equidem pium diligentemque scriptorem amare debeo, tum quòd ex eadem Societate ambo Iesum sequimur, colimusque Mariam; tum etiam quia in hac Dei Matre honorandâ, ille recensendis, illustrandisque imaginum Marianarum historijs, egò condendis de Virgine sacris annalibus conspiramus. Deipara vtriusque argumentum, adsit vtrique ad maiorem sui Filij gloriam laboranti, quâ præcipuè tesserâ nos Sanctus Pater Ignatius insigniuit. Sed redeamus ad institutum.

Isagogicus liber, quo profert sui operis ideã.

IV. Hoc ipso, in quo sumus anno, vnum occurrit ex Romanorum historiâ, non alienum ab enarratis proximè rebus. Cum enim testetur Dio [a], Marco Vinicio & Statilio Coruino Consulibus, promulgatum à Claudio edictum in eos, qui picturâ, ære, lapideque suam effigiem publicarent: quis non videt ab Ethnico Imperatore id factum diuino planè consilio; quasi per eum vellet Deus abolere profanas hominum priuatorum imagines, vt sacris locus daretur in Vrbe Orbis principe, quæ iam Christianorum operâ recipiebat Deiparam diuersimodè expressam. Et sanè ad huius ingressum iconis, cæteras omnes, indices humanæ superbiæ cedere loco decebat. Itaque cum Romam illis impleri videret Claudius, plerasque hoc anno deiecit; interdicto, ne quis in posterum priuatus iniussu senatus auderet suam effigiem quocunque modo exhibitam exponere publico, nisi opus aliquod ædificasset, aut refecisset. Præterea insignis suo æuo Satyricus [b], iure eos reprehendit, qui virtutis maiorum immemores, gauderent pictos tantùm eorum vultus ostendere, tum etiam.

Claudii Imper. edicto profanæ imagines abolitæ.

Vt cederent sacris.

De imaginibus censura Satyrici.

Multa deducere virga
Fumosos equitum cum dictatore magistros.

& deinceps suam prosecutus censuram, *effigies quò* inquit.

Tot bellatorum, si luditur alea pernox
Ante Numantinos; si dormire incipis, ortu
Luciferi, quo signa duces & castra mouebant?

Illorum enim retinere memoriam in tabulis, aut lapidibus, non ad stimulum imitandæ virtutis, sed id iactantiam antiquissimi generis, reprehensione dignum videbatur. At verò imagines Deiparæ in Vrbem inductæ, non fouendæ superbiæ, sed humilitati, cuius in ijs eximius character, excitandæ inseruie-

a Dio l. 60.

b Iuuenalis Sat. 8.

seruiebant; & profanis paulatim cedentibus simulacris, assueta veterum superstitioni monumenta consecrabant.

Annus Christi 48. B.M.Virginis 62. Petri Rom.Pont 4. Claudij Imp. 6.

I. ADuentus Pauli & Barnabæ Lystram, & claudus ab altero ibi sanatus, post lustratam vniuersam Lycaoniæ regionem, à sacris historicis huic anno tribuitur; itemque consecutus miraculum plausus populi, ambos Apostolos, tanquam cælo delapsos Deos existimantis, Paulum Iouem, & Barnabam Mercurium esse dicentis, dum ipsi è contrario honorem sibi non debitum, & victimas, quæ ad sacrificium offerebantur, generosè constanterque respuerent. Rem, vti gesta est, persequitur Sanctus Lucas [a], qui vt ostenderet pariter humani fauoris inconstantiam, ait, populum deinde Lystrensem, impulsoribus Iudæis Antiochiâ & Iconio profectis, à plausu & veneratione in furias versum, subitam Paulo necem intentasse, iactis in eum per tumultum lapidibus, & semianimi extrà vrbis pomœrium relicto. Ad hæc, duobus Apostolis Lystrâ profectis Derben, ibique docentibus populum nouæ legis mysteria, quid rerum interim ageret Virgo Deipara, si nondum è viuis excesserat, vt res etiam plerasque ab eâdem viuente gestas, certò enunciare non possumus. Ea tantum innuere licebit, quæ tum hoc, tum alijs siue antecedentibus, siue subsequentibus annis, ad obitum vsque verosimile est illam gessisse; & quasi omnibus communia in singulos cadere potuerunt. Sensus est Doctorum vnanimis, quem confirmat exhibita D. Birgittæ [b] cælitus reuelatio; Mariam suis passibus loca illa peragrasse, quæ Iesus humanæ libertatis assertor, arcanis mysterijs, ortus, vitæ, obitus, illustrauit. Ildephonsus [c], Simeon Metaphrastes, Sophronius, & grauiores quique hanc mentem probauerunt, indicantes; Dei Matrem Mariam, reuerso in cælum Filio, Hierosolymâ, vbi sedem fixerat, Bethlemum, Nazarethum, atque Capharnaum identidem esse profectam; item inuisisse Thaborium, & Caluariæ montes, aliaque illustriora loca Seruatoris nostri vestigijs, aut sanguine consecrata, & in ijs sæpius esse versatam, non tam cognationis, quam pietatis affectu. Scribens in Isaiæ oracula S. Hieronymus [d]: *Hæreditas*, inquit, *Christi Israël, hoc est natiuitatis, &*

Lystrensium honores ergà Paulum & Barnabam

Et mox in alterum furiæ.

Obitæ à Deipara ad sancta loca peregrinationes.

a Act. 14.

b S. Birg. in lib. Reuel.

c S. Ildeph. ser. 5. de Assumpt. Simeon. Metaphr. Sophron.

d S. Hierõ. in cap. 19. Isai.

Mmm *crucis*,

crucis, & resurrectionis, & ascensionis eius loca: quin idem dicimus de Mariâ, iure materno ad eandem hæreditatem recognoscendam vocatâ? peregrinatio crebrò suscepta, & frequens accessus D. Virginis ad Palæstinæ Sanctuaria, explicari non incongruè posset, per ea quæ sanctæ olim Paula, & Eustochium mater, & filia, de semetipsis illuc peregrinantibus ad Marcellam scripsere. Imò transferre licet ad Mariam, quæ de eâdem Paulâ sanctam ciuitatem inuisente refert Hieronymus [a]. *Cum Hierosolymam venisset, cuncta loca sancta tanto studio, ac ardore circuiuit, vt nisi ad reliqua festinaret, à primis non posset abduci, prostrataque ante crucem, quasi pendentem Dominum adorabat. Ingressa sepulcrum, resurrectionis osculabatur lapidem, & ipsum corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens, desideratas aquas ore fideli lambebat. Ostendebatur illi columna infecta cruore Domini.*

Studiũ Deiparæ in visitandis Sanctis locis.

a *S. Hierõ. Epitaphio Paulæ matris.*

II. Reliqua quæ in epitaphio sanctæ eius matronæ scribit eruditus ac pius Encomiastes, satius est credere de Mariâ; cuius etiam exemplo crediderim, Apostolos ad natalem Christi speluncam, ad sepulcrum, ad Oliuarum & Caluariæ colles, ventitasse; & sequentibus subinde sæculis Sanctorum plures eòdem fuisse peregrinatos. Horum itinerum pietas à Mariâ duxit originem, quâ magistrâ & duce, didicerunt obire Palæstinam myriades peregrinorum; oppidum videre Capharnaum, miraculorum Domini familiare; Naimum ingredi, testem reuocati ad vitam adolescentis; desertum scrutari, vbi perexiguo commeatu saturata fuit quatuor hominum millia; domum Nazarenam Christi nutriculam inuisere; ad Caluariæ iugum, ad Thaborium, ad Oliuetum procumbere. Ità fecisse suo æuo [b] legitur S. Macarius Hierosolymitanus, cuius ergâ sancta Palæstinæ loca pium studium, ex eo maximè enituit, quòd tum sæpe cuncta visitando recoleret, tum etiam auctor fuerit Constantino & Helenæ Augustis, eadem sacris basilicis exornandi. Recentioris verò memoriæ S. Ignatius, Societatis Iesu fundandæ opus egregium exorsus à Deiparæ patrocinio, illud iter suscepit ex milite peregrinus, gladio prius ad D. Virginis aram suspenso, loricâ in tunicam cilicinam permutatâ, pro baltheo fune præcinctus, ac tornatili innixus baculo, claris totâ Palæstinâ sanctuarijs perlustrandis, secutus est exemplum Mariæ, ad ea sacra monumenta inuisenda, frequentissimè post Filij necem profectæ. Harum vero magnæ Matris peregrinationum, nos hoc potissimum anno meminimus, quia cum obitæ fuerint etiam alijs ante & post illum an-

Apostoli ad Sancta loca peregrinati exemplo Deiparæ.

Item alii Sancti viri.

Nominatim S. Macarius.

b *In eius Actis Martyrol. Rom. 10. Mar.*

Et S. Ignatius Soc. Iesu fundator.

nis ca-

nis cadere vtique potuerunt in eundem decurrentem. At nonnulla Sanctorum sepulcra, Ioannis Baptistæ, Stephani, & Prophetarum, quæ intrà Palæstinam erant, si quandò Deipara inuisit, Heroum decora, sortemque commendans, noua percipiebat animo leuamenta, & longè illis maiora, quæ sanctus [a] Chrysostomus ait, contigisse inuisentibus Sancti Martyris Luciani sepulcrum.

Quid D. Virgo ad sepulcra Sanctorũ

a S. Chrysost. Homilia in S. Lucian. M.

b Dio. lib. hist. 60.

III. Auctor est Dio [b], circà hunc annum, Claudij iussu interdictos fuisse nouis peregrinationibus eos, qui forte ad regendas prouincias missi, in ijs magistratum exegissent, decretumque pariter, vt alij post alios citrà excusationem ad id regimen mitterentur, quò sors illos destinasset. Factum vtrunque videtur, ne delicta, vel imperijs, vel peregrinationibus continuatis, pænam effugerent. Opportunè cessatum ab hisce profanis excursionibus dixeris, crimina obtegentibus; cum Virgo Deipara sacris se in Palæstinâ exerceret, vt præiret exemplo multis, qui eius vestigijs inhærentes, pietatis gratiâ, eòdem in posterum erant ituri. Hoc insuper tempore, cum post ingentes clades Britannis [c] sub Claudio illatas à Vespasiano duce; insularum & vrbium accessione Romanum creuisset imperium; planè indignum erat, ipsum Claudium, quem dominari decebat, vxoris Messallinæ, & libertorum euasisse mancipium, dum illa adulterijs, isti impudentiâ Cæsari illuderent. At crescente id etiam temporis mirum in modum Ecclesiâ, pluribusque Fidelium accessionibus auctâ; siue ex Iudæis, siue ex Ethnicis, quisque Christianis initiatus sacris, adhibito appetitionibus & cupiditatibus fræno, verè sui dominus erat: quâ laude Virgo Deipara cunctis præibat; cum regere seipsam nosset, ad rationis prudentiæque præscriptum, atque ad exemplar perfectissimæ sanctitatis.

Edictum Claudii aduersus profanas peregrinationes.

Opportunè ad sacras Deiparæ.

c Ex eodẽ Dione.

IV. In Iudæâ Cuspio Fado procuratore, nouum nationi negotium exhibitum fertur, de stolâ Pontificum indumento sanctiori: quam enim, vt dictum est, permissu Vitellij Syriæ Præsidis, in suam receperant potestatem Iudæi, eam Fadus ab illis vel inuitis extorquere conatus est. Res ad Claudium delata per legatos, Agrippæ iunioris precibus benè cessit [d], nam datis ad Fadum ab Imperatore litteris, confirmata est Iudæis sacræ stolæ retinendæ potestas. Sed magis mirandum est, per id tempus, Virginem Deiparam, ex quâ Verbum æternum carnem sumpsit, sub Angelorum custodiâ, ab odijs Hebræorum, Christi nomen, atque familiam insectantium tutam, varia terræ sanctæ loca Filij sui monumentis consecrata identi-

Confirmatur Iudæis Pontificiæ stolæ retinendæ potestas.

d Iosephus ant. lib. 20. cap. 16.

Opportè ad Virginé Deiparam Angelorum custodia tutæ.

dem peragrasse, Deo hostes cohibente; cuius non tam stolam, quam Matrem, in Sionis monte diu ad Ecclesiæ solatium rectè dixeris esse asseruatam.

Annus Christi 49. B.M.Virginis 63. Petri Rom.Pont. 5. Claudij Imperatoris 7.

Opinio asserens, hunc fuisse postremum in terra annum Deiparæ.

I. TErtius & sexagesimus D. Virginis annus, ex vulgi opinione, vt Franciscus Turrianus [a] ait, eius in terris fuisse postremus à pluribus creditur. Idipsum precario innuitur serto, quod Christianorum manibus teritur, & numero tot minorum globulorum confici solet, quot sunt anni Deiparæ à nobis hactenus numerati. Quibus potissimùm rationibus nitatur sententia, & quanti sit facienda, suprà docuimus. Vbi etiam adnotauimus, tum confirmatam esse ex libro Reuelationum D. Birgittæ [b], tum Eusebium Cæsariensem à Baronio adductum, qui reuelatum pariter Sancto cuidam ait arcanum, ab illâ non multum recedere. Sed reuerâ quæcunque dicantur, dubia & inexplorata sunt omnia. Itaque expositis paulò post, super hoc argumento nonnullis, quæ supersunt, erit eruditi lectoris de maiori probabilitate iudiciũ.

a Turrian. l. 2. pro ep. Pont. c. 16.

b D. Birgitta & Euseb. Cæsar. vt supra.

SS. Sabiniano, & Potentiano in Gallias profectis quid acciderit ad cultũ Deiparæ.

II. Circà hoc ipsum tempus, de peculiari ac certo anno non constat, inter reliquos è Sancti Petri institutione discipulos, missi Sabinianus & Potentianus in Gallias, excitasse feruntur [c], non sine diuino monitu, sacra Virgini Matri monumenta, quæ memoratu quidem dignissima, ad nostra vsque tempora peruenerunt; nam opus aggressi Euangelicæ veritatis ad illas gentes promulgandæ, antequam Agendicum Senonum Metropolim peruenirent, ipsâ nocte natalitiâ Christi Domini recurrente, iucundissimo pueri nati spectaculo frui per visum promeruerunt. Cum fama sit, historicorum testimonio comprobata, sanctis Episcopis orantibus, & memoriam diuinæ natiuitatis recolentibus, apparuisse infantem in præsepi collocatum, eâ prorsus formâ, ac situ, quo natus traditur in Bethlemiâ speluncâ recubuisse, & adstante cum sponso Iosepho Matre Sanctissimâ: ne verò aures suâ iucunditate carerent, auditæ sunt etiam voces Angelorum, gloriam Deo, & pacem hominibus præcinentium, sicuti factum pariter Bethlemi constat nato Iesu. Hæc fuerunt auspicia illatæ ijs regionibus rectæ fidei, quæ per ostensum cælitùs dominicæ natiuitatis

c Ex Hist. Parthen. seu Ecclesia Carnotensis, Rouillard.

ciuitatis mysterium, & excitatam in animis indigenarum Deiparæ notitiam, viam illuc sibi aperuisse videtur. Prosperis fundatæ religionis initijs, par progressus, euentusque respondit; nam Sanctorum Sabiniani & Potentiani laboribus lustratâ prouinciâ, Senonenses primùm, mox etiam Carnotenses Christianæ doctrinæ veritatem edocti, eiurarunt paulatim auitam idolorum superstitionem, & sub Crucis vexillo sese receperunt. Erecta ab illis vsque temporibus vtrobique templa, Virginis sanctissimæ Dei Matris titulum præferunt. In accessu quidem ad Senonas, vrbs primaria oppignerata quodammodo fuisse Christo videtur, & Matri sanctissimæ exhibita, cum Antistites sancti pomœrium circumeuntes, sacrarum attactu manuum, impressere muris non vno in loco Crucis signum, testante Gallicano [a] Martyrologio, *murorum lapides cessisse digitis instar ceræ*, quod licuit in omen accipere, cordium illicò ducendorum ad Christi fidem, & cultum Deiparæ. Nec res minus feliciter Carnoti cessit, vbi inter vetera inanium Deorum monumenta, in honore ab indigenis habita, aram in speluncâ inuenerunt, ante annos ferè centum, & septuaginta dicatam *Virgini pariture*, quam ex lapide notabat inscriptio. Ad hanc aram Druidæ Gallorum Sacerdotes conuenire soliti, & sacris operati gentis more; statuam ibi eiusdem Virginis puerum sinu gestantis, collocandam curarant, vt accedentium venerationi pateret: id factum ab illis est, mysterij quod latebat, ignaris. Verùm Sabiniano ac Potentiano interpretantibus, prodijt arcanum è latebris, & Druidæ primùm, multò quam antea sapientiores, mox populi didicerunt; puerum illum Dei Filium esse carne vestitum, & Virginem eius Matrem in arâ exhibitam, illibato flore peperisse. Sic videas honores Deiparæ eò delatos, antequam illa nasceretur, fuisse, quod nos etiam in Apparatu indicauimus, & inde Carnotensibus veram nati Numinis lucem obortam hoc ipso tempore; cum splendore cælitùs immisso cognouerunt, cuiusnam fœminæ simulacrum, Virginis simul & Matris, antea coluissent. Conscripta de Ecclesia Carnotensi à Sebastiano Rouillardo [b] historia id expressè docet, alijque complures testantur.

Eorundem ibidem fructus in populis.

Ara Carnotensis Virgini pariture.

a Martyrologium Gallicanum ad 11. Decemb.

b Sebast. Rouill. hist. Parth. c. 4.

III. Nec vlli difficile videatur, eiusmodi imaginem ante Christi, Deiparæque natalia, expositam fuisse in Galliâ cultui, & sacrificijs Druidarum, in auitâ superstitione viuentium: cum idem ab Indis tam citrà, quam vltrà Gangem, ab incolis Comorini, & Ceilani, apud Sinenses & Iaponas, eodem tempore factum legatur. Ortum habuisse reor ex oraculis Ieremiæ

Christi & Deiparæ imago apud Indos.

Ex Ieremia in Aegypto exule.

Antiquus mos colendi Virginem, & puerum ex ea natum.

Translatus ad Gentes.

Et nominatim ad Druidas Gallorũ.

Nec sine editis cælitùs signis.

Per Sabinianum et Potentianum innotuit verum Virginei partus mysterium.

a Doroth. in Synop. b Epiph. in vita Ierem.

remiæ in Aegypto promulgatis, cum exul ibi Sanctus vates, Iesu Christi ad salutem hominum venturi mysteria, populos edoceret, quibus etiam instinctu Numinis aperuisse fertur, sacrosanctum arcanum Virginis diuinam prolem pariturae: vnde factum est, vt ibi primùm instituti à Ierem.â Aegyptiorum Sacerdotes, quod sentiunt Dorotheus [a], & Epiphanius [b], popularibus suis sacri vatis oraculum communicarent, ijque licet non caperent virginei partus miraculum, aliquid nihilominus in illo diuinum subodorati, tam Filij, quam Parentis mutam effigiem, seu potius veram fæminam, verumque puerum exponere venerationi ceperunt, alterum quidem in lectulo, tanquam à partu decumbentem, alterum verò in præsepi collocantes. Id moris à maioribus traditum posteri acceperunt, & diu retentum, quamuis non probè intellectum, post Christi pueri in Aegyptum fugam, & moram ibidem cum Matre factam ad paucos annos, veri Numinis cognitioni viam tandem aperuit. Inde perlatum facilè creditur ad alias gentes, quæ mulieris puerum sinu gestantis imaginem, excitandam sibi non vno in loco curarunt, & cæteris, quæ colebant, idolis accensendam, vt dictum est. Gallorum quoque sapientes Druidæ, vt rerum externarum periti, auctores fuisse apud suos feruntur eiusdem simulacri conformandi, colendique certo ritu instituto, quo preces & victimæ Virgini pariture offerrentur. Locum Ecclesiæ Carnotensis historiâ celeberrimum, dicunt iam tum ab incolis paternarum superstitionum nocte obuolutis solitum frequentari, atque ad eorum preces perpetratis identidem è cælo miraculis coruscasse. Montis Leriaci comes, aut regulus, extinctum in aquis filium recuperasse viuum ad aram Virginis scribitur in eâdem historiâ, quamobrem collatis illuc liberaliter donis, suo mouit exemplo Carnotensium regulum, nomine Priscum; vt liberis destitutus, hæredem regni faceret Virginem parituram. Hæc ex peruetustis eius Ecclesiæ monumentis Rouillardus alijque testantur, antequam Virgo nasceretur contigisse; quasi ab illis vsque temporibus, si vera narrant historici, in eos populos nondum Christi luce imbutos Marianæ pietatis semina iacta sint, ad auspicium inducendæ postmodum Christianæ religionis. Et quidem accedentibus illuc D. Petri iussu Sabiniano & Potentiano, gentes antea ignaræ quid agerent, Virginei partus agnouere mysterium, quoniam animaduertentes Episcopi, veræ fidei præcones, coli ab indigenis Deiparam, quam minimè nossent, docere omnes palam aggressi, Dei Filium, mundi

mundi Saluatorem ex Virgine, quam inscij venerarentur, esse iam natum; Matrem, quoque sanctissimam, post gloriosum Filij de morte triumphum, adhuc viuere, nunciarant. Simile quiddam paulò post hæc tempora Athenis contigisse sacræ litteræ [a] docent, cum Apostolus gentium Paulus, arâ ibi visâ, quæ *Ignoto Deo* erat inscripta, aperuerit Atheniensibus Deum, quem ignorantes colebant. Vtrobique magnus populi secutus est ad veram fidem accessus; & Carnotensibus quidem circà hunc annum per Euangelicos nuncios innotuit Dei nati mysterium. At verò antiquum illud Deipatæ templum, permutatum in melius, piâ nouorum Christianorum liberalitate resplenduit, & accedente deinceps Regum & Principum munificentiâ, extructum instauratumque non semel est, vt Annales tradunt Francorum; præsertim post quam [b] ibidem asseruata religiosè fuit interula Diuæ Virginis linea, Carolo olim Magno ab Irene Imperatrice orientis dono data, & pluribus nobilitata miraculis, vt suo loco dicemus.

a Act. 12. ver. 23.

b Genebrardus in Chron. l. 4. ad an. circiter 884.

IV. Insuper laudata eiusdem Ecclesiæ Carnotensis historia, vnum addit, de legatis ad Virginem Deiparam Hierosolymæ tunc agentem missis; quam legationem hoc tempore initam fuisse, si habenda sit historiæ fides, ex eo mihi facilè persuadeo, quòd superstitem inter viuos Dei Matrem tum à plerisque aditam, susceptâ ad eam visendam peregrinatione multi testantur, exemplum S. Dionysij nominatim adducentes. Et sanè cadere in illam potiori iure possunt, quæ S. Paulinus [c] de Valgio sene visendo, cui naufraganti nunc ipsemet, nunc per S. Felicem astiterat, aptâ comparatione concludit: *si religiosa*, inquit, *cupiditas est loca videre, in quibus Christus ingressus, & passus est, & resurrexit, & vnde conscendit: considera quantò maior & plenior gratia sit, viuum senem vel testimonio diuinæ veritatis inspicere? Si præsepe nati, si hortus orantis magistri, si atrium iudicati, si columna districti, si spina coronati, si lignum suspensi, si saxum sepulti, memoria diuinæ quondam præsentiæ celebratur: quam religiosè aspiciendus est hic, quem alloqui Dei sermo dignatus est? in cuius viuente terra, Dominici corporis videmus impressa vestigia, si fidelibus oculis, & acie spiritali, quod in eo sinus Christi, quod manus contigit, perlegimus?* Quis non videt hæc omninò suadere, nihilo quam Valgium minus visendam fuisse Deiparam? neque verò, quod nos vltrò faceremus, si facultas suppeteret, omisisse credendi sunt primi fidei Christianæ cultores, quibus magis ardens erat pietas, & magis firma religio.

Legati ad Virginem à Carnotensibus missi.

c S. Paulin. epist. 36.

Digna fuit Deipara, quæ inuiseretur. Argumentũ à minori.

V. Cæ-

V. Cæterum hoc anno à longo suarum peregrinationum circuitu Paulus & Barnabas Antiochiam Syriæ reuersi, congregato ibi Fidelium cœtui, nuntiarunt, quicquid ipsimet auctore Deo in Gentibus perfecissent, illis fidei ostio tandem aperto; neque id latuisse Deiparam potuit; quoniam haud videtur simile vero, felicioris nuncij ad Ecclesiam ritè perlati, hanc, quæ præcipuum erat Ecclesiæ membrum, fuisse expertem, cum præsertim credatur didicisse identidem felicia euenta si non ab Apostolis, certè ab Angelis, quorum crebris allocutionibus fruebatur, atque assueuerat ab infantiâ.

Pauli et Barnabæ in Gentibus fructus an Deiparæ ncti.

VI. Memorabile hoc eodem anno fuit ex Romanâ historiâ, editum referente [a] Claudio Imperatore Senatusconsultum, de restituendâ Haruspicum disciplinâ. Causa fuisse traditur, quòd Christianâ Religione in dies magis magisque crescente, Ethnicorum in Vrbe superstitio paulatim inciperet posthaberi. Nam ad aduentum alterius, altera cedit; adeò vt ruitura veluti moles subito egeat fulcimento, pro quo subijciendo Cæsar & Senatus laborant. Gratum Petro rem Christianam moderanti spectaculum, gratius Deiparæ suam adiutricem manum, suas ad Deum preces, suum patrocinium ad Religionis incrementa conferenti.

Romæ superstitio cedit Religioni.

Petro gaudeote, et Deipara iuuante.

a Tacitus.

VII. Præterea spectati Romæ sub Claudio sæculares ludi, nouum eidem anno splendorem addiderunt. Id vnum nobis adnotatu maximè dignum videtur, quod spectante ad Circum Imperatore contigisse, Tacitus [b] narrat. Cum enim pueri nobiles equis Troiæ ludicrum inirent, interque eos Britannicus Claudio genitus, & L. Domitius adoptione mox in imperium, & cognomentum Neronis adscitus. Fauor plebis acrior in Domitium, loco præsagij acceptus est; & affuisse eius infantiæ dracones, quasi custodes, fama erat. Sic primum & crudelissimum rei Christianæ persecutorem parabat Roma, quem vel à puero fouisse dicuntur angues, non tam terreni, quam stygij, in Sanctorum exitium; dum è contrario Deipara eorundem patrocinio in ipso matris vtero destinata, custodiæ Angelorum traditur, ac toto vitæ tempore ab ijs tanquam mundi Regina stipatur, vbique terrarum ab hominibus consalutata; dignum sanè non Imperatore Romano, sed Deo spectatore miraculum.

Omen ad sæculares ludos de crudelitate Neronis.

b Tacitus lib. 11. Annal.

Oppositum patrocinio Deiparæ ergà Sanctos.

Annus

Annus Christi 50. B.M.Virginis 64. Petri Rom. Pont. 6. Claudij Imperatoris 8.

I. CVm suprà commemoratum sit, missos à S. Petro fuisse in varia Orbis terrarum regna discipulos, tanquam Euangelicæ veritatis præcones; opera illorum egregia circà hunc, quem subimus annum, contigisse saltem ex parte, quis negabit? pleraque profectò ignorantur ex defectu Scriptorum, sicuti Apostolorum quoque labores plurimi, qui per hæc ipsa tempora, multis in locis feruebant, nullo scribente, remanserunt obscuri. Attamen tam de Apostolis, quam de viris Apostolicis, qui primo Ecclesiæ sæculo floruerunt, id maximè certum est, & citrà omnem dubitationem admittendum; concionum frequenter ad populos instruendos habitarum, fuisse argumentum præcipuum, Sanctissimam, & indiuiduam diuinarum Triadem personarum, res humanas nutu regentem, & singula Christi, Dei simul hominisque mysteria, ad vulgi captum explicata: cum verò ijs contineatur eiusdem secundum carnem natiuitas, abesse Mater à sermone non poterat, quoniam in fidei symbolo Apostoli de Christo posuerant: *Natum ex Maria Virgine*; idque ipsum in concionibus expositum peculiariter oportuit, & alia diuinæ Matris priuilegia commendari debuerunt. Itaque vbicumque id temporis siue per Apostolos, siue per eorum discipulos annunciabatur Gentibus humanæ vindex libertatis Christus, Virginis quoque Matris fama vulgabatur, adeò vt, si Iesu nomen meritò dici poterat *Oleum effusum* [a] in omnem sub cælo plagam, etiam Mariæ nomine plena esset iam terra. Sanctum Maternum à morte diuinitus reuocatum ad vitam, vt ejus acta testantur [b], missumque à S. Petro in Germaniam, Tungrensium, Coloniensium, ac Treuirensium Apostolum, sub hunc ipsum annum Mariano cultui propagando studuisse, ex coniecturâ affirmare nos licet; nam sacram eius ad Germaniæ populos expeditionem, cum ante quatuor annos initam fuisse dictum sit, iactis feliciter in eas regiones fidei Christianæ seminibus, pluribusque ad Christum conuersis, sacras illius nomini ædes, oratoria, ac sacella in honorem Deiparæ excitasse perhibetur, & præcipuè Tungris in vrbe frequentissimâ templum, quod Virginis primum infrà Alpes fuisse, scribit Tho-

Apostolorũ, eorumque, qui illis successerũt, per hæc tempora labores.

Argumenta concionum.

Deipara etiã memorata.

De S. Materno Germanorum Apostolo.

a Cant. 1. ver. 2.

b Apud Surium 14. Septemb. & Baronius in Not. ad Martyr.

De templis ab eo Deiparæ extructis.

mas Bozius a, cui Petrus b Canisius, alijque c subscribunt. At non minus digna commemoratu est, altera in Belgio Mariana basilica, cuius molitionem primam eidem S. Materno indigenæ tribuunt; quod ex Auctario d constat Arnoldi Rayssij ad Io: Molani librum inscriptum *Natales Sanctorum Belgij*. Visitur ea basilica Valencurti in agro Namurcensi, vbi D. Virginis effigies colitur, ipsius Materni manibus, vti creditur, delineata, & alterum veluti Palladium, vsque in hodiernum diem, loci tutelam miraculis crebrò perpetratis exercet. Præclarum sanè est illud, quod eodem Auctario narratur: cum enim templum igne fortuito conflagraret, imago Deiparæ in adstantium oculis, haud dubio Angelorum ministerio, in sublime delata, in horto quodam suburbano constitit. Vnde cum abstrahi nullâ posset arte, Toparcha diuinam opem implorandam ratus, voto de cœnobij molitione concepto, id tandem obtinuit, vt illa Valencurtum referretur, nouo excepta templo, quod piorum liberalitas, magnificè extruxit. Hæc aliaque monumenta sui ergà Deiparam cultus, Belgium Materno debet, cuius primos in Marianarum ædium extructione labores, reor circà hunc annum incidisse.

Valencurti Imago Deiparæ miraculis clara.

a Bozius l. 9. de Sign. Eccl. c. 9.
b Canisius Marial. l. 5 cap. 21.
c Ferreolus Locrius Io: Carthagena.
d Habetur apud Hippol. Maracium Antist. Marian. in Materno.

II. Idem eodem tempore factitatum ab alijs, plures persuadent priuatarum Ecclesiarum historiæ, quibus Ecclesijs fundandis, instituendisque missi, vt diximus, à Petro discipuli, præscriptis in vineâ Christi laboribus egregiam nauabant operam, colendâque Dei Genitrice, exemplo omnibus perillustri præibant. In Siciliâ Marcianus, datus Syracusis Antistes, illuc secum Virginis imaginem tulit, quâ abiecisse legitur idolorum statuas, tanquam fulmine; propulsasse malorum Dæmonum furias, tanquam clypeo; hostes confecisse humani generis, tanquam gladio; ac tanquam cælesti antidoto venenis occurrisse qualiumcunque morborum. Ità ex actis S. Marciani Græcè conscriptis Octauius e Caietanus. In Hispaniâ Cæcilius & Pius hoc anno florebant; alter Illiberi f, vbi Episcopus erat, ab Apostolorum Principe constitutus, scriptis Deiparam illustrauit; eius excellentias, atque miracula, à sacrosancto æterni Verbi in carne conceptu, vsque ad Christi in cælum triumphalem reditum, vnico libro complexus; alter g Hispali, cui à Maiore Iacobo præpositus fuerat, ad sui imitationem Magistri, magnæ Dei Matri, æternum pietatis monumentum erexit, quale nouerat à Iacobo Cæsaraugustæ fundatum, ipsius Deiparæ monitu. Idem alij alijs in locis pariter præstitisse leguntur, Lucæ in Italiâ Paulinus primus Episcopus,

De Marciano Syracusarum Antistite.

De SS. Cæcilio, et Pio Episcopis in Hispania.

e Octauius Caiet. de illustr. Aedibus B V. in Insula Sicilia.
f Binarius ad Chron. Dextri.
g Io: Tamayus Salazar in Martyrol. Hispan.

Paulinus Lucensis Episcopus.

Fronto Petragoricensis.

Georgius Aniciensis.

Martialis Lemouicensis.

pus, cuius peculiare in Dei Genitricem studium, meritò Cælites commendarunt; Petragoricis in Galliâ Fronto; Anicijque Georgius; & Lemouicis Martialis, quorum singuli Mariæ clientes audierunt, populis ad eius cultum pertractis. Fronto quidem à solitudine, vbi se Christo, & Virgini Matri dicarat, ad suos populares excolendos translatus, excitauit vtriusque nomini templa. At Georgius eius in itinere comes, atque à morte iam obitâ, per S. Petri baculum, quem Fronto exanimi admouerat, reuocatus ad vitam, Anicij, vbi præerat, sacram Mariæ molitus est ædem, designatam prius prodigioso in Caniculæ ardoribus niuium lapsu, & mox discurrentis circumquaque Cerui vestigijs, longè, latèque definitam. Sanctus denique Martialis, præter Lemouicenses, aliosque Galliæ populos sub magnæ Virginis patrocinio collocatos, Anicium ad miraculi famam accurrit, ibique conclusum virgultis à Georgio locum, extructo altari nobilitauit, & seruando Deiparæ calceo, quem secum attulerat, addixit, vt haberent deinceps posteri, ad sequenda eius vestigia, præsens incitamentum.

Sacra ædes Aniciensis per miraculum excitata

III. Præterea sub hoc ipsum tempus in Carmelo monte, vbi sacram ædem extructam fuisse Virgini Deiparæ diximus, eiusdem magnæ Matris patrocinium amoremque promeruisse feruntur Eliæ Vatis, post Elisæum ad plures appositum, sectatores; qui Apostolorum, legem Euangelicam promulgantium, vltrò auditores effecti, ad diuini Spiritus in terras allapsum, & nouam Christi doctrinam, Dei Matre inuitante, mentis oculos veræ luci aperuerunt. Quare alij solitudine delectati, rerumque cælestium contemplationi vacantes, Carmelum Virgini magnæ sacrum, studiosius incoluerunt: alij Apostolicis inhærentes vestigijs, dispersi sunt in Orbem terrarum; & cognita nouæ legis mysteria mortalibus vbique communicarunt. Sacri Patrum Carmelitarum annales, quos paulò ante conscripsit, insignis hoc æuo Theologus & Chronistes Ioannes Baptista de Lezana, per vtriusque classis homines, Ordinis amplissimi originem referunt ad Eliam, & numerosè recensent, alumnos siue in contemplante, siue in actuosâ vitâ præclaros, mundo datos ab illâ Virgini matri peculiariter addictâ familiâ; quæ (vt credunt) pluribus ante Christum exorta sæculis, vbi natum Saluatorem agnouit, in eius illicò signa concessit, & continuatâ deinceps alumnorum serie, per consequentes ætates, sub Deiparæ titulo ac patrocinio, plurimùm profecit. Ijs quidem Therapeutis, hoc anno quotidianum religiosæ vitæ exercitium fuisse censemus,

Sancti Vatis Eliæ discipuli, sequuntur Euãgelicam doctrinam.

Habitatores Carmeli in duas classes distributi.

Carmelitarũ opinio, de origine sui Ordinis.

Pia exercitia ad Oratoriũ in Carmelo constructum

magnæ Virginis sacello, quod in memoriam mysticæ nubeculæ ab Eliâ quondam conspectæ, in Carmelo ante tria circiter lustra construxerant, iugiter famulari; suasque mentes ad præscriptum nouæ legis excolere; tanto vtique profectu, vt loco fieret sacrorum tam Ascetarum, quam ædificiorum accessio, & præter ædem Deiparæ cultui primùm excitatam, altera quoque post aliquot annos eidem sit vsui destinata. Alij verò, quibus publicum in solem prodire placuit, atque in lege Euangelicâ promulgandâ Apostolorum sectari vestigia, hoc ipso tempore in studium diuinæ gloriæ abrepti, sub tutelâ Dei Matris, cui se iam pridem deuouerant, expiandis edocendisque populis incumbebant.

Ex humana historia conditum à Claudio lustrum.

IV. Humana hoc anno historia, tum in Iudæâ, tum Romæ, habet quod nobis suppeditet memoratu non indignum. Romæ quidem conditum à Claudio lustrum [a], quo ciuium septuagies ferè centena millia [b] censa sunt; pelagus Galilæo piscatori vastissimum, retique per eius conciones immisso, immensam propemodum piscium multitudinem exhibens, cum vel superstes adhuc in terris Dei Mater esset, vel de cælo tantam ad Christum accessionem parari gloriosa spectaret. In Iudæâ verò exciti tumultus occurrunt, mortuo Herode Chalcidis Rege, Agrippæ senioris fratre, inque eius regnum ascito iuniore Agrippâ nepote, & prouinciam procurante Cumano. Occasionem turbis dedit [c] Romani militis impudentia, qui Hierosolymæ ad templum excubans, frequentissimo populo conuenienti ad Paschæ solemnia, obscænam corporis partem indecorè nudatam, in contemptum ostendit. Exarsit eâ contumeliâ populus Iudæorum in Cumanum procuratorem, quasi verò eius culpæ tribuendum foret militare flagitium. Sed is instructo ad turrim Antoniam agmine, dum seditioni occurrit, interim Iudæi suspicati se ad necem peti, ità promiscuè & confertim per angusta viarum euadere sunt conati, vt mutuo impulsu proculcati ac triti, ad viginti millia interierint. Auxit calamitatem, tum alterius militis audacia, laceratis palàm, quos fortè inuenerat, Mosis libris, iactatisque in legem, ac gentem totam conuicijs; tum exortum inter Samaritas, Iudæosque dissidium, quod infestis vtrimque armis dum gliscit, Syriæ Præses Quadratus omninò sustulit, sumpto de seditiosis supplicio, Iudæorum nonnullis in crucem actis, & Cumano damnato. Hæc Iudaici populi infortunia, quorum Iosephus, testis est, indicant inchoatam cælitùs, semperque crescentem vltionem sceleris, quod in Christi

Et in Iudæa excitati tumultus.

Cum clade Iudæorum.

a Tacitus Annal. l. 11

b Sex milliones non-genta quadraginta quatuor millia.

c Ioseph. Antiq. l. 20 c. 3. & de bello Iud. lib. 2. c. 11.

nece

nece Synagoga ſuſcepit. Pro ſibilis atque conuicijs, quibus ad Paſchæ ſolemnia, in frequentiſſimo populi concurſu Dei Filius exceptus eſt, audiente Virgine Matre, dolorisque transfixâ gladio; probroſi ingratæ nationi reponuntur inſultus, iiſdem recurrentibus ferijs; pro cruce redduntur cruces, pro dilaniato in carne mortali aſſumptâ Dei Verbo, lacerantur in faciem Moſaici libri; & quod prædictum fuerat Ieremiæ vatis oraculo, homunciones inglorij, obſoletam legem, & Synagogæ ſabbata deriſerunt. Veroſimile autem eſt, Dei Matrem iſta tacitam conſideraſſe ſi adhuc inter viuos erat, & Hieroſolymæ morabatur, eo potiſſimùm nomine læta, quòd videret nouam pro veteri legem induci, ſuccedere antiquis ferijs feſta meliora, & Synagogam Eccleſiæ locum relinquere. Trahuntur omnia ad res Marianas huius anni.

Annus Chriſti 51. B. M. Virginis 65. Petri Rom. Pont. 7. Claudij Imperatoris 9.

I. Nondum obijſſe Deiparam, & Hieroſolymæ commorari, probabile facit hic annus, ab ortu Ieſu Chriſti primus & quinquageſimus, ipſiuſque Virginis quintus ſuprà ſexageſimum, in quem incidiſſe primum Apoſtolorum conuentum Hieroſolymæ habitum, ad abroganda legis antiquæ præcepta, turbaſque componendas, quas in Eccleſiâ Cerinthus excitarat, optimè deducit Cardinalis Baronius [a], ex Pauli [b] teſtimonio, aſſerentis ad Galatas, ſe poſt annos à ſuſceptâ Chriſti fide quatuordecim aſcendiſſe iterum Hieroſolymam. Tale tantumque negotium, ſuſcipiendum, abſoluendumque videbatur, ſi non interuentu Deiparæ, certè conſilio ductuque, quoniam eo agebatur de rebus in Chriſtianorum cætu grauiſſimis, atque ad decidendas fidei, religioniſque controuerſias, forma præſcribebatur habendorum Conciliorum. Inter plura ſacroſancti conſeſſus adiuncta, quæ diuinam in illo cogendo prouidentiam declarant, vnum fuit, ad hoc vſque tempus ex multorum [c] ſententiâ ſeruatam eſſe Deiparam, & Hieroſolymam, vbi illa verſabatur, haud dubio Sancti Spiritus impulſu, Apoſtolorum nonnullos conueniſſe, vt à magiſtrâ, cui ſe diuina ſapientia communicarat, edocerentur. Concedet facilè in noſtram ſententiam, tanquam valdè probabilem, quicumque Hieroſolymitani conuentus initia, perſonas, decreta, tempus, locumque diligenter animaduertet. Coniectura de vita Deiparæ & mora in vrbe Hieroſolyma per hoc tēpus.

[a] Baronius ad an. 51.
[b] Paulus Gal. 2. v. 1.
[c] Ob argumentum infrà proximè referendum.

II. Pri-

Iudæi Roma edicto pelluntur.

II. Primùm edicto Claudij, pulsos Româ Iudæos, narrat Iosephus, additque ex [a] Suetonio Orosius [b], *impulsore Christo*; quòd nimirum Christianæ fidei præcones Apostolos, & Romæ præsertim Petrum, Ecclesiæ caput, natio Iudæorum incesseret; quasi verò Christus iam pridem populi odio in crucem actus, per suos asseclas, & sectatores turbas cieret. Itaque permixti Iudæis Christiani, iussu Imperatoris exulare Româ coguntur, quòd omnes externæ religionis homines, atque in recutito populo censerentur. Eâ occasione Petrus cum Româ discessisset, Carthaginem primùm, mox Alexandriam digressus, tandem Deo euocante proficiscitur in Iudæam, quo tempore Antiochiæ orta seditio, necessariam ad salutem cum baptismo circumcisionem asserente Cerintho, Fideles neophytos, qui ex Gentibus in Christum crediderant, valdè commouit, missique sunt Hierosolymam Paulus & Barnabas, vt Apostoli, & Seniores Ecclesiæ in vnum collecti, de exortâ nuperrimè controuersiâ consulerentur. Illuc etiam Petrus, id temporis venit, haud dubio Numinis instinctu, cum Iacobus sanctæ ciuitatis Antistes ibidem esset, & Ioannes simul Euangelista, quem interfuisse concilio Paulus [c] expresè testatur; vnde colligere licet, tunc Hierosolymæ fuisse Deiparam, quando venisse Ioannem ex Asiâ in Iudæam ad Concilium, non est verosimile; cum reliquos ex alijs prouincijs Apostolos non accessisse, habeatur iam ferè pro comperto: ideoque degere illum Hierosolymæ oportuit, apud Virginem suæ curæ relictam, nec ante eius obitum se in Asiam recipere, vt ex professo Apostolicum ibi munus exequeretur. Interfuere præterea Seniores Ecclesiæ, quos sacra Lucæ pagina nominatim non exprimit; & Hæresiarcha Cerinthus, seditionis auctor, abesse Hierosolymâ noluit, vt vetera legalia Christianis seruanda pertinaciter tueretur, & cum suo comitatu Deiparæ virginitati, quam negaturus erat, bellum inferret. Cæterum recitat Lucas [d] acta Concilij, quæ continent dictam primùm à S. Petro sententiam de legalibus abrogandis, cum quadam veluti prærogatiuâ suffragij; deinde expresè cautum, suadente Iacobo, vt ab idolothitis, ab illicito concubitu, ab animantium sanguine siue effuso, siue in ipsis per suffocationem extinctis residente, abstineretur: sic legi nouæ, ex antiquis ritibus intermixtum est aliquid, vt duo populi Iudaicus, atque Gentilis, in vno lapide angulari Christo facilius iungerentur, donec controuersijs vtrimque compositis, vetus cæremoniarum lex euanuit; quarum aliquæ ad modicum tempus alicubi sunt

per-

Et cum ijs Christiani.

Orta in Iudæa seditio auctore Cerintho.

Quinam ex Apostolis Concilio interfuerint.

De vita Deiparæ, & mora in vrbe Hierosolyma

Acta Concilij ex S. Luca

a Suet. in Claud. c. 25
b Oros. l. 7. cap. 6.

c Paul. Galat. 2. v. 9.

d Act. 15.

permissæ. Itaque habitum Hierosolymæ Concilium, ordine ac dignitate primum, fidem posteris fecit; veritatem deinceps expandi, nec tota simul retexisse mysteria, vt vel humanæ infirmitati, vel suæ maiestati consuleret. Eiusce conuentus decretum, litteris in amplissima verba conceptum [a]: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil vlterà imponere vobis oneris, quam hæc necessaria &c.* transmissum est Antiochiam, vbi exorta primùm controuersia. Paulus illuc & Barnabas, comitibus Iudâ & Sila venerunt, & mox etiam Petrus; qui cum apud Ethnicos ad Christum conuersos frequens esset, eorumque cibis sine vllo discrimine ex Concilij decreto vesceretur, aduentu aliorum, qui ex Hebræis ad Christi partes accesserant, à priorum conuictu, mensâque subtrahendum se ratus, ne cui offensionis [b] ansam præberet (sicuti non raro effecta sequuntur menti contraria) suo fortasse exemplo, sobolem illam ex Ethnicorum numero Christo partam, grauius offendisset, nisi à Paulo periculi fuisset admonitus.

[a] Act. 15. ver. 28.

Decretum.

[b] Paul. Gal. 2. v. 11.

Quod Petro accidit Antiochiæ, & Pauli ad eũ monitus.

III. Quod autem hoc loco ad Deiparam spectat, optimè video à Scriptoribus animaduersum; eiusmodi nimirum Concilium, quod cæteris in Ecclesiâ deinceps habendis, tanquam typus & exemplar præiuit, non solum supremo Sancti Spiritus magisterio, & Apostolorum directione, sed D. Virginis quoque consilijs conuocatum, initum, absolutumque fuisse: cum enim haberi illud oportuerit coram Ecclesiâ, cuius Maria Dei Mater, membrum erat, & pernobilis sanè pars, Fidelium infantiæ nutrix à Filio relicta, dicendum cõsequenter videtur, nihil in eo decretum, conclusumque, quod magistra Apostolorum optima non probarit. Id verò non sic accipiendum lector intelligat, quasi in sacro consessu Virgo locum habuerit, aut sententiam dixerit. Nam quod Ruperto [c] & Canisio [d] tribuit non nemo, præsidem illam fuisse Concilij, nec in decus Virginis reuerâ cedit, nec ab ijs auctoribus vsquam asseritur. Rupertus quidem dum ait, in eo de legalium concessione conuentu, principem extitisse, soluisse quæstionem omnem, & Magistrorum Magistram factam esse, intelligere tantùm videtur; Apostolos, & quotquot erant in consessu, de eâ controuersiâ consultam voluisse Deiparam, mentem eius exquisiuisse, & respondentem Virginem, licet à Concilio abesset, dirigendis omnibus affuisse. Canisius verò cum dicit, præfuisse publicis, priuatisque conuentibus, non præsidem fatetur; sed ità consultam, vt mentem aperuerit suam, atque Apostolorum collegio, non minus exemplo vitæ,

Concilium Hierosolymitanæ consiliis Deiparæ initum.

Id quomodo intelligendũ

[c] Ruper. l. 1 in Cant. sub med.
[d] Canis. Marial. l. 5 cap. 1.

Exponitur meas Ruperti, & Canisii.

quàm

quam consilijs,& directione præsederit. Expende verba vtriusque Doctoris, hoc solum ex ijs deduces, quod nos vtique non negamus. Cæterùm qui Virginem constituit sacri consessus præsidem, cum prærogatiuâ suffragij, is non videt, aut se videre dissimulat,in eo Concilio, quod veluti forma Cöciliorum, omnibus deinceps Christianis sæculis futurum erat, exemplum admitti, quod Elisabetha quæpiam peruersè æmulata, traheret in confirmationem hæreseos, de fæminâ Ecclesiæ capite; cum præterea disertè S. Epiphanius [a] asserat, non esse Virgini Deiparæ collatam facultatem, vt in terris præesset; quod argumentis confirmat, & eruditè illustrat [b] Sanderus. Eos denique qui Apostolicum decretum Concilij,in ea verba formatum: *visum est Spiritui Sancto, & nobis* ità sunt interpretati, vt Spiritus Sancti nomine, intellectam velint B. Virginem, confutandos necessariò non putamus; quoniam subscriptorem habituri sunt neminem, reprehensione potius digni.

Refellitur eorum sententia, qui constituunt Virginem Concilii Præsidem.

a Epiphan. hær. 78.

b Sander. l. 6. de clau. Dauid cap. vnico.

IV. At verò ad nostrum exemplum, vitæque documentum,notanda est modestia Virginis maxima, quæ in tantâ suprà Apostolos excellentiâ sanctitatis,atque doctrinæ,in auctoritate summâ, quâ pollebat apud sacrum cætum, in Christianæ sapientiæ magisterio diuinitùs accepto, sic egit semper, quasi minima omnium foret, relinquens Apostolis decernendi partes, & iura suffragiorum; nec illis nisi priuatim, & consulta, suam de controuersijs mentem aperuit: licet autem eius vox, vt ait Rupertus [c], testimonium fuerit diuini Spiritus, sæpe in Ecclesiâ primitiuâ loquentis;nihilominus ità modeste se gessit,quasi nunquam verbum fecisset,cum promulgato Concilij Hierosolymitani decreto, ne nominari quidem voluerit;ipsosque Apostolos perinde agere,ac si allocuti prius Virginis oraculum non fuissent. Vtilitates, quas illa non verbis solum, sed exemplis etiam Ecclesiæ vniuersæ tunc attulit, piè ac verè enumerat B. Birgitta [d], cum dicit edocta diuinitus, Mariam Apostolis datam esse Magistram, Martyribus fortitudinem atque constantiam confirmasse, præbuisse Confessoribus documenta; speculum Virginum, solatium viduarum, mulierum in coniugio viuentium exemplar, omnium in verâ fide tuendâ adiutricem extitisse. Sed cum his omnibus habetur quoque certum, humilitate ac modestiâ semet adeò continuisse intrà limites, vt ad externam speciem, vix inter cæteros appareret. Apostoli, quibuscum frequentius versata est, quantum ab illius dictis, quantum ab operibus didicerunt!

Insignis Deiparæ modestia.

c Rupert. l. 5 in Cant.

d D. Birgitta.

Vtilitates à Deipara Ecclesiæ allatæ.

Imò Apostolis & Petro.

runt: Petrus Antiochiæ, vt dictum est, vsus familiariter ijs, qui ab Ethnicorum colluuie in Christum crediderant, decretum Concilij probè seruabat; cum verò accomodans se Iudæis Christianam fidem professis, vitare iterum cepit illorum conuictum & cibos, reprehensus palam à Paulo fuit; licet reuerâ bono agens animo, exteriùs vel nullâ, vel certè leuissimâ culpâ teneretur. Ex magnæ autem Virginis documentis, formatus ad sanctitatem Apostolorum Princeps, etsi Ecclesiæ caput, Christique in terrâ Vicarius erat; tamen non solum æquo animo passus reprehensionem est, sed etiam scribentis ad Galatas S. Pauli [a] perhonorificè meminit, eiusque laudauit epistolas, quamuis conscius esset, vnâ ex illis, culpam qualemcumque suam, & reprehensionem commemorari. Quamobrem rectè Gregorius [b]; *non laudasset*, inquit, *Petrus Pauli epistolas, nisi legisset; si autem legit, quia illic esse reprehensibilis dicitur, inuenit: amicus ergò veritatis, laudauit etiam, quòd reprehensus est*. Humilitas hæc in Petro tanta, optimæ virtutum magistræ Deiparæ, saltem ex parte referri potest accepta; sicut etiam prudens Pauli charitas, in tempore & loco Petrum Ecclesiæ supremum moderatorem redarguentis. Cum Paulo Barnabas ex eâdem institutione profecit, quorum ille quidem Silâ Antiocheno in socium laborum ascito, & paulò post etiam Lucâ; hic verò Ioanne consobrino suo, cui Marco cognomen, seorsim ambo, vrbes varias, variasque prouincias perlustrarunt, & res præclarè gesserunt, quæ in Apostolorum historiâ recensentur.

Ingens ipsius Petri modestia.

Quomodo ex Deipara.

Pauli charitas, & cæterorum institutio.

a Pet. 3. v. 15.

b Gregor. Hom. 18. in Ezechiel.

V. Sub hoc ipsum tempus, vxorem Claudij Messallinam, verbo tenus Augustam, sed reuerâ nobile scortum, Iulæque Romanæ probrum, fuisse necatam, ex Taciti [c] testimonio habemus. Turpissima eius flagitia, quæ aures horrent, atque ipsa memoria, Satyricus meritò carpit, quo reprehendente dicitur

Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,

tam indecoro sub schemate nefanda perpetrasse. Romam puduit impudicissimæ Imperatricis, quæ inter quæsita passim adulteria, ausa est sub oculis ipsius Claudij, alteri nubere. Execrata est Roma perniciosum exemplum, in aulâ Orbis moderatrice: dum è contrario Hierosolyma, ad exhibendam sanctitatis normam, Deiparam è Sionis monte proponeret, virtutum omnium exemplar absolutissimum, & egregiam Christianæ disciplinæ magistram: ab hac præcepta manabant Ec-

Messallinæ Augustæ per hæc tempora sordes.

Opponuntur Deiparæ sãctitati.

c Tacitus Annal. l. 11. d Iuuen. Sat. 6.

clesiæ vniuersæ profutura; ab illâ prodibant exempla sæculis omnibus execranda. Altera decus, & ornamentum humani generis, altera opprobrium fæminarum. Messallina libertorum odio victima mactatur, & Agrippinam Germanici filiam, à Claudio patruo in vxorem acceptam, reliquit in solio, matrem Domitij Neronis, cui tanquam monstro crudelitatis, orbis destinabatur imperium: dum Maria Dei parens, diuini amoris nobilior victima, non descendit è solio, sed æternùm regnatura cum Filio per mortem est.

Annus Christi 52. B.M.Virginis 66. Petri Rom. Pont. 8. Claudij Imperatoris 10.

S. Pauli ad Athenienses concio.

Et in Areopago.

I. Post varia S. Pauli itinera, & plures in ijs ærumnas toleratas, non sine magno vbique animarum lucro, & Christianæ fidei incremento; ille gentium Apostolus, Athenas venit hoc anno, quâ in vrbe ciuibus frequentissimâ, cum erectas falsis Numinibus aras contemplaretur, in vnam ex ijs *Ignoto Deo* [a] dicatam, inscriptamque conuersus, occasionem inde sumpsit annunciandi Atheniensibus veri Dei, quem ipsi ignorantes colebant. Mox in Areopago, Martis promontorio, maioribus iudicijs exercendis addicto, causam dicere iussus, doctissimè perorauit, & quisnam esset Deus ille ignotus, cui aram ignari mysteriorum posuissent aperuit. Hunc mundi conditorem, hunc cæli, terræque dominum, rerum ac temporum moderatorem meritò prædicari; & Iesum Christum Dei Filium ex Virgine natum, humani generis vindicem suâ cæde & sanguine, abluisse mortalium scelera; in cruce mortuum; reuocatum ad vitam; ad superos gloriosè reuersum; omnium hominum in fine mundi futurum iudicem. Nunciatis ab Apostolo oraculis, inter Areopagitas iudices præcipuus credidit Dionysius, is qui ante octo ac decem annos, eclypsim solis celeberrimam, quæ contigit moriente Christo, Heliopoli attonitus viderat, scripseratque Apollophani philosopho de eâ, nouum prodigium admiratus. Virginis Deiparæ eximius cultor in Dionysio parabatur, ad sanctitatem Paulo docente formatus; itaque postquam Euangelicæ veritati oculos mentis aperuit, illicò non Christum modò humanæ libertatis assertorem, sed Matrem quoque sanctissimam, mortalium apud eundem patronam agnouit; quam cum audisset ad-

[a] Act. 17. vers. 23.

Conuersio ad Fidem Dionysii Areopagitæ.

Eius in Deiparã studiũ.

ſet adhuc terris ſuperſtitem, degere Hieroſolymæ; magno eius videndæ deſiderio exarſit, & creditur fuiſſe non multò poſt voti compos effectus, tum quò teſtis oculatus exiſteret magni dexteræ diuinæ miraculi, in virgineo elucentis aſpectu; tum etiam vt inde ſumeret occaſionem materiamque ſcribendi; quando hic ad Virginem magni Doctoris acceſſus contingere veroſimiliter potuerit, infrà dicemus. Interim Areopagus iudicum incorruptorum conſeſſus, exercitis ad æquam iuſtitiæ lancem iudicijs celeberrimus, poſt expenſas diu cauſas ſine vllo reſpectu perſonarum, & ſeruatam in ferendis ſententijs ſeueritatem, nouæ felicitati hoc anno ſinum aperuit. Nam à Martis cultu Dionyſius, Areopagitarum princeps, ad Chriſti ſigna traductus, Deiparæ amorem ac patrocinium inuenit, eiuſque auſpicijs Deo viuere cepit; mox Pauli iuſſu Athenarum renunciatus Epiſcopus, Euangelij ſementem ab Apoſtolo primùm ſparſam, amplificauit in ſegetem, deinceps Ieſu Chriſto metendam, ad Eccleſiæ ornamentum, ac Virginis Deiparæ gaudium.

Quanta hæc Areopagi felicitas.

II. Ex eâdem Pauli diſciplinâ, Dionyſij magiſter Hierotheus, vnà cum tanto diſcipulo Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſe fertur, cum Areopagum pariter illuſtraſſet, cæteris iudicibus aſcriptus; eodemque tempore, ex iudicum principe Pauli auditor, præco Euangelicæ veritatis, & Marianus cliens euaſit. Tantâ mox excelluit ſanctitate, vt tanquam Deo ſacrum caput, veteri nomine abolito, Hierothei nomen acceperit, Deiparæ ſemper Virginis egregius encomiaſtes, ſcribendis etiam in eius laudem hymnis operam conferre aggreſſus; de quibus inſigne protulit teſtimonium [a] Dionyſius, & ex eo repetit Petrus Halloix [b]. Vtinam dare hîc in lucem poſſemus eiuſmodi hymnos, magnum profectò ſolatium legentibus, & honorem Diuæ Virgini allaturos: ſed iam pridem amiſſi ad noſtram ætatem non peruenerunt. Certè ex quo introductus eſt in Eccleſiam cantus, cuius Ignatium Martyrem auctorem faciunt, hymni etiam auditi ſunt in laudem Diuæ Virginis à ſacris odeis reſonantes: cum planè deceret, quâ ratione Sanctus Ignatius audiuiſſe [c] fertur è cælo Angelos alternatim modulantes, diuiniſſimæ Triadis encomia; & formam eo exemplo dediſſe canendi Eccleſiæ Antiochenæ; eâdem in terris Deiparam à mortalibus celebrari. Hinc etiam obiter conficere licet, vbicunque id temporis Chriſti fides noua germina duceret, ibidem pullulaſſe pietatem ac ſtudium in Virginem Dei Matrem ex eorum animis, qui Chriſto nomen darent,

Conuerſio ad fidê Hierothei, alterius Areopagitæ.

Eiuſdê Hymni.

Quando cantus in Eccleſia ceperit.

a *Dionyſ. Areop. lib. de diu. nō. cap. 3.*
b *Petrus Halloix in vita S. Hierothei.*
c *Socrates hiſt. l. 6. c. 8.*

quoniam nõn solum honores Filij, ad Matrem pertinebant; sed per eandem cuicumque, ad cæli terræque Dominum patebat accessus. Athenarum, nobilissimi in Græciâ emporij renouatio, per inductum Christi cultum, vel inter Areopagitas, seuerissimos Martis cultores, Deo primùm, qui Paulo vsus est ad eiusce executionem operis, referri debet accepta; mox etiam Deiparæ ascribi potest, quæ Areopagi lumina, Hierotheum & Dionysium, à Mineruæ, Martisque cultu in suam recepit clientelam, & alloquio dignata non semel est, vt infrà dicemus.

III. Geminis hisce Marianis clientibus, quos ex Areopago Paulus hoc anno Ecclesiæ dedit, opponimus ex Romanâ historiâ Domitium Neronem, adoptatum à Claudio ferè sub eundem annum, vt ait Tacitus [a]; nam post neci traditam Messallinam, cum ille Agrippinam ex Germanico fratre neptem, duxisset vxorem; posthabito Britannico genito ex primâ coniuge, Neronem alterius filium, suumque priuignum, adoptione asciscit sibi hæredem imperij, id procurante Agrippinâ matre; quæ licet ex cuiusdam vaticinijs præsensisset, fore vt à filio in imperium euecto necaretur, malo omine dixisse fertur: *occidat, dum imperet*. Sed proh quale, quantumque monstrum Roma suscepit, cũ vnius fœminæ astu, Nero ali cepit ad spem imperij! Felicius verò cum Ecclesiâ est actum, cui Athenis concionante Paulo, geminum exortum est lumen, Hierotheus & Dionysius, non dolo vllo fœmineo, sed sapientiæ diuinæ consilio; hos quidem Virgini Matrique augustissimæ videndæ, colendæque destinauit Deus, dum Nero ad fouendum augustæ parentis ambitum, Romamque perdendam in imperij partem assumitur.

Domitius Nero adoptatus à Claudio.

a Annal. l. 12.

Opponitur geminis Heroibus ad fidem côuersis.

Annus Christi 53. B.M. Virginis 67. Petri Rom. Pont. 9. Claudij Imperatoris 11.

I. Athenis Paulus Corinthum profectus, apud Aquilam Ponticum, & vxorem eius Priscillam (quos Româ expulerat edictum Claudij) per sesquiannum hospes fuit, sese pellionum opificio, conficiendis tentorijs sustentans; tum scriptis ad Thessalonicenses epistolis duabus, in alterâ commendauit illis traditiones Patrum seruandas; inter quas non vltimæ fuerunt teste Baronio [b], instituta ab Apostolis in honorem

Ex Pauli epist. ad Thessal. res sumũtur huius anni.

b Baron. Christi 53. num. 14.

honorem Iesu Christi, atque Deiparæ festa, sacrumque earum virginum collegium, quæ perpetuam virginitatem excolerent, Deo dicatam.

II. Quod spectat ad recurrentia quotannis Liberatoris nostri solemnia, quæ stabilita ab Apostolis feruntur; & subinde per consequentes ætates, hominibus sibi inuicem succedentibus, peruenerunt ad nos, tanquam per manus tradita, illa certè Deiparam non excludunt; nam siue celebranda sit memoria humanæ naturæ ab æterno Verbo susceptæ, siue natus inter homines Deus recolendus, siue plura commemoranda eiusdem humanitùs conuersantis mysteria; tum mirabilis ad diuini Verbi personam carnis accessio, tum Saluatoris natiuitas, & aliæ sanctissimæ vitæ partes, nullo modo possunt à Deiparæ Virginis commemoratione disiungi, cum tam ad conceptum, quam ad ortum diuinæ prolis, suam Mater partem, & quidem magnam contulerit; cum eadem infanti Deo lac præbuerit, ministrarit adulto, docentem sit per Galilæam, & Iudæam comitata, & vel morientem in cruce cominus inspectarit. Quare qui Filium in singulis hisce mysterijs recolit, Matrem quoque eorundem participem recolere censendus est. Illa instituto Epiphaniæ festo, excipiens proponebatur ternos ex Arabiâ Reges, ad diuini infantis cunabula; eiusdem purificatæ memoria, oblatione continebatur pueri ad templum, paulò ante nati, quâ se vel purissima expiauit, more cæterarum matrum. Reliquæ verò votiuæ celebritates, quibus deinceps pia Fidelium religio ornare consueuit dicatos Virginis, siue conceptui, siue natalibus, siue puerperio, siue morti, ac triumpho dies, statis temporibus recurrentes, ipsam Deiparam exhibent recolendam, aut ex Apostolorum sanctionibus verbo tenus traditis, aut certè ex eorum studio, qui Apostolis in Ecclesiarum administratione proximè successerunt.

De Iesu Christi festis per Apostolos institutis.

Ea quomodo ad Deiparam spectet.

Reliqua Deiparæ festa.

III. Quod verò continet collegia virginum, Deo dicatarum, institutionis Apostolicæ documentum, tum comprehendere voluisse Paulum credimus, scriptâ ad Thessalonicenses epistolâ, quâ seruare constanter iubebantur Christiani traditiones Apostolorum; tum etiam pertinere ad Deiparam, primam virginitatis Deo vouendæ magistram, nemo negabit. Eiusmodi votum id temporis nuncupari solitum fuisse inter Fideles, tum Apostolorum doctrina, vbique terrarum vulgata, tum recens sanctissimæ Dei Genitricis exemplum, multorum imitatione nobilitatum, mihi facilè persuadet. Aliunde

Traditio de Collegiis Virginum, quomodo pertineat ad Deiparam.

verò

verò constat, deuotas Deo virgines iam tum pluribus floruisse in locis, quibus lux Euangelicæ veritatis per Apostolos, eorumque discipulos affulsisset: & easdem facto velut agmine simul viuere consueuisse, probantibus pium institutum Apostolis, rectè viuendi magistris. Habemus id expressum S. Ignatij [a] Antiocheni litteris, qui hoc ipso viuebat tempore, atque ad Philippenses scribens, Pauli disciplinâ institutos ad fidem, pietatemque Christianam, salutare se ait collegium virginum, & cætum viduarum. Nec verò esse potest vlla dubitatio, quin locus intelligatur alendis virginibus addictus, quæ perpetuam Deo virginitatem vouissent, sicuti nunc eiusmodi vsum habent, sub regulâ viuendi magis formatâ, nostri æui Parthenones, clausis ibi post Tridentinum Concilium, sine vllâ exeundi liberâ potestate virginibus. Sanctam apud Gallos Martham pluribus præfuisse, eius acta [b] testantur; & quidem per hæc ipsa tempora, quibus annunciato Massiliensibus Christo, virgines in vnum collectas instituebat. Idem virginitatis seruandæ propositum Iphigenia [c] tenuit auctore Matthæo in Aethiopia, vbi cum regia virgo cælesti sponso terrenũ posthaberet, sui Parthenonis ædes vidit à satellitibus Tyranni iussu flammis mandari. Hæc diximus ex alterâ ad Thessalonicenses epistolâ Apostoli Pauli, Christianos hortantis ad seruãda Patrum documenta, non litteris mandata, sed tantùm tradita verbo; inter quæ fuisse comprehensa censet Baronius [d] duo illa, quorum paulò ante meminimus.

Virginũ cœnobia iam pridem vsitata.

a S. Ignat. epist. 8.

b Apud Petrum Ribadeneiram.

c Ex Metaphraste.

d Baronius Annal. to. 1. ad an. 51.

IV. Cæterùm spectant quoque ad hunc annum, excitatæ Corinthi in Paulum à Iudæis turbæ, initæque accusationes aduersus eius doctrinam, apud Achaiæ Proconsulem Gallionem, quæ accusationes sicuti Christi cultum præcipuè petebant, ità exhibitos etiam Virgini Matri honores trahebant in crimen: neque enim exagitari Christiana religio apud iudicem poterat, quin Christo simul & Mariæ maledicerent blasphemi criminatores. At abstinuit ab eo iudicio Proconsul, reiecitque Iudæos, qui nihilominus illo nec probante, nec prohibente, cum Sostenem Christianorum defensorem ante tribunal verberassent, ipsum quoque Paulum, vt Chrysostomus [e] affirmat, pari pænâ affecerunt.

Turbæ in Paulum Corinthi.

Cum iniuria Christi & Deiparæ.

e Chrysost. Praef. in 1. epist. Pauli ad Corinth.

V. Ex Romanis rebus, sub hoc ferè tempus, L. Annæus Seneca Agrippinæ Augustæ interuentu [f] reuocatur ab exilio, quo Philosophum Messallina iampridem affecerat. At non vnicum beneficium, sed plurima, sed maxima nos Mariæ debemus, liberi per eam à captiuitate, quam induxit in Orbem

Res humanæ huius anni oppositæ sacris.

f Tacitum Ann. l. 12.

Euæ

Euæ culpa. Item Mithridates [a] Ponti Rex, bello cum Romanis infeliciter gesto, Romam captiuus perducitur, ferociùs agens cum Cæsare, quàm præsenti fortunæ conueniret; nullam vel in ipsis vinculis captiuitatem professus. Nos vincti Regis, & superbi speciem, opponere possumus D. Virginis iam tum properantis ad patriam triumpho; quo coniectus in vincula Tartareus Draco, auctor criminis primus, contrito per Deiparam capite, eius victorias sequebatur. Gauisa quidem est Agrippina Augusta, subdi Claudio suo superbissimum Regem; cum gauderet magis Maria Augustissima, Christi seruatoris ac vindicis gloriam, victo cæsoque Erebi Dracone, vbique terrarum propagari.

a Idē Ann. lib. 13.

Annus Christi 54.
B.M. Virginis 68. Petri Rom. Pont. 10.
Claudij Imperatoris 12.

I. Alijs Pauli Apostoli peregrinationibus, & Philippi item Apostoli martyrio, insignis est hic annus, quo nimirum Deiparam, si viuebat, omnium harum rerum fuisse consciam, siue Angelorum, siue hominum monitu, verosimile est. Paulus quidem, Aquila Pontico, & vxore Priscillâ comitibus, Corintho digressus, atque ad Cenchreas eius portum attonsus, vt ait Lucas [b], nauigasse fertur in Syriam; ac per mare Icarium appulisse primùm Ephesum, mox Cæsaream, & Antiochiam, atque inde regiones Galatiæ, Phrygiæque perambulans, Ephesi constitisse: quicquid hisce itineribus egerit Euangelicus præco, latere Deiparam minimè potuit: licet enim animo reputare, Apostolum Christi fide vbique gentium propagandâ occupatum, optimæ Religionis magistræ, suos labores, consilia sua omnia aperuisse, quoties datum est inter tot peregrinationes, eius aspectu frui, nouàque oracula audire ex Virginis ore. Philippus verò Asiâ minore peragratâ cum in Scythiam peruenisset, laboribus, doctrinâ, & miraculis clarus, Hierapoli Phrygiæ cruci affixus, oppressusque lapidibus, parem cum Christo sortitus est exitum, vt verior habet historia, cui subscribit Eusebius [c]. Certaminis eiusce, victoriæque nuncium attulere Hierosolymam ad Virginem Deiparam Cælites ante quam homines; eàque cum videret, calcari iam ab Apostolis viam regiam pœnarum & crucis, quam Christus iam pridem decurrerat, gauisa est maximè trium-

Duo huius anni præcipua.

Variæ Pauli peregrinationes.

Non ignoræ Deiparæ viuenti.

S. Philippi Apost. martyrium.

Dei Matri lætitiæ causæ

b Act. 18. vers. 18.

c Euseb. de præpar. Euan. l. 2. c. 4

triumpho Philippi, in crucem acti; vt hoc etiam capite Christum imitaretur, quem antea laborum tolerantiâ, atque innocentiâ morum expresserat.

De quatuor Virginibus Philippi Diaconi filiabus.

II. Colligimus præterea ex Apostolorum historiâ, floruisse circà hoc tempus quatuor Virgines Philippi Diaconi filias, quarum laus est, sacris litteris confirmata, vaticinandi donum cum perpetuâ virginitate coniunctum; quoniam non virgines modò, sed & prophetides S. Lucas [a] appellat. Licet hìc ex Deiparæ institutione puellas agnoscere, diuino cultui præsertim addictas, & Deo assiduè laudando occupatas, sicuti in nostri æui Sanctimonialibus videmus contingere. Hoc enim sonare titulum illum perhonorificum *Prophetantium* quem Philippi Diaconi filiabus sacra pagina tribuit, est plurium interpretum sententia, quos recenset, sequiturque Lezana [b]. Ideò D. Hieronymus [c], dum scripto in Iouinianum inuehitur, hostem iuratum consecratæ Deo virginitatis, istas à Philippo genitas virgines laudat, tanquam in diuinum cultum sepositas, post Christi mortem; eo nimirum tempore, quo iam Dei Mater sacræ vexillum virginitatis extulerat; seque in eo stadio ducem exhibebat. Imò idem S. [d] Doctor Demetriadem commendans, dicit, habuisse illam in votis, Virginum filiarum Philippi ascribi choro; quod erat vitâ persanctè ducendâ, atque exercitatione virtutum, vnam sequi Mariam; & sub eius institutione Deo iugiter supplicare. Factum id ab eiusmodi virginibus constat, quas Sanctarum numero ascriptas, ac tres quidem Cæsareæ ad patris sepulcrum conditas, quartam verò Ephesi tumulatam recolit quotannis [e] Ecclesia; & nos hoc loco commemoratas voluimus, vt non vltimas Mariæ nostræ discipulas, hisce potissimum annis, in quibus nunc versamur, florentes.

Ex Deiparæ institutione.

Earundem Virginũ sepultura.

a Act. 21. ver. 9.

b Lezana Annal. t. 1. ad an. Chr. 57.

c S. Hieron. l. 1. in Iouinian.

d Idem ep. 8.

e 6. Iunij.

III. Ascribit huic anno Romana [f] historia Furij Scriboniani exilium, quo illum mulctari Claudius iussit, ob quæsitum per Chaldæos Principis finem, & mox eâdem de causâ atrox Senatusconsultum est editum, de Mathematicis ex Vrbe pellendis, hominum genere, scrutari solito ex astris, & prædicere ortus atque obitus Principum. Imperator prouectæ iam ætatis, imminentem sibi mortem metuens, Româ exire voluit eiusmodi infaustos vates, à quibus ipsemet de suo interitu sciebat inquiri; quasi verò cum illorum exilio, mortem quoque cogeret exulare. Timet is mortis præsagium, quam effugere nullo modo potest, imò sentit esse vicinam: cum è contrario Virgo Deipara Orbis Regina, nihil in terris habeat magis

Senatusconsultum aduersus Astrologos.

A Claudio Imp. mortẽ timente.

f Tacit. l. 12. Annal.

magis optandum, quam soluto mortalitatis ergastulo, vitæ cursum absoluere; quâ deficiente, alteram tam animæ, quam corporis, nunquam perituram in cælo consequatur. Odit Claudius homines, qui mortis ipsum meminisse vel inuitum cogant; accersit Maria Cælites, à quibus optatissimo nuncio certior fiat, de instante sibi vitæ mortalis exitu, sicuti factum esse, suo loco dicetur.

Nota votorũ discrimen.

Annus Christi 55.
B.M.Virginis 69. Petri Rom. Pont. 11.
Claudij Imperatoris 13.

I. PEtro Româ ante tres annos digresso, Orbemque, vt diximus, peragrante, & Paulo secundâ iam vice Ephesum appulso, Virgo Dei Mater Apostolicis vtriusque laboribus benè precata, Hierosolymæ in Sionis monte, extremam ætatem ducebat. Alter quidem per Iudæam primùm, & plures Orientis regiones, mox etiam alibi expiatos iam pridem salutari lauacro populos inuisens, veram in Deum fidem, Iesu Christi, & Virginis Matris cultum, suis augeri monitis, & confirmari miraculis gaudet, non vno tantùm in loco: alter verò Ephesi, sacros labores ad triennium prosecutus, nouis quoque de cælo signis, in suis maximè vestibus illustratur; nam, vt ait Lucas [a], cum ab eius corpore sudaria, & cingula ad languidos deferrentur, ægri illicò ad eorum contactum sanabantur. Concessam diuinitus vmbræ Petri, & indumentis Pauli, morborum depellendorum virtutem, ecquis dicere audeat, defuisse Virginis Deiparæ vestibus, aut rebus quocunque modo ad eius sacrosanctum corpus spectantibus? de capillis Romæ non vno in templo seruatis, Honuphrius [b] Panuinius testimonium affert; ijsdem Ouetum in Hispaniâ, Marinæus [c]; & Aquisgranum in Germaniâ Ingulphus [d] Abbas, gloriari confirmant, aiuntque sacris eiusmodi lipsanis hactenus non desiderata esse miracula. Lac è Virgineis vberibus, dum Christus infans aleretur profusum, ad nostra vsque tempora alicubi terrarum perseuerasse, & modicas diuisum in partes ostendi, plurium Ecclesiarum monumenta testantur, in Italiâ, Hispaniâ, Galliâ: id quod Ioannes Thiepolus [e] Patriarcha Venetus, agens de sacris Reliquijs nostro æuo inuentis, scriptum reliquit, & nos quoque ex probatis auctoribus suprà notauimus. Tunicas præterea, cingula, vittas, velamen capitis,

Petri & Pauli per hos annos labores.

Illustrati miraculis.

Miraculorũ vis indita Deiparæ vestibus.

Et rebus ad ipsam pertinentibus.

a Act. 19. ver. 12.

b Honuph. Panuin. de 7. Vrbis Ecclesijs.

c Marinæus l. 5. de Rebus Hispan.

d Ingulphus in sua Historia.

e Io. Thiepolus Tract. de sacris Reliquijs.

Cultus vestium, & miracula.

tis, brachij tegumenta, chirothecas, crepidas, annulos, manticam viatoriam, aliaque huiusmodi, vel viuente Deiparâ, fuisse designata oportuit cultui peculiari Fidelium, editisque de cælo signis identidem illustrata, post mortem verò eiusdem magnæ Matris, in varias primùm manus, mox etiam terras distributa, diuinæ prouidentiæ, cælitumque custodiæ peculiariter commissa. Quid illis singillatim acciderit, & quibus euentis nobilitata non semel mundo claruerint, suis infrà dabimus locis. Vnum hîc prætermittendum non est, quod de virginali Zonâ olim Constantinopoli asseruatâ in templo ad Chalcoprateum extructo à Pulcheriâ Augustâ, narrat Metaphrastes [a] ex Diuo Germano Patriarchâ, atque Euthymio Monacho, vnde de cæteris sanctissimi corporis vestibus licebit facere coniecturam. *Zonam tuam venerandam* (inquit Germanus ad Virginem) *nemo fidelis aspicit, quin animi incredibili voluptate compleatur.* Negatque Orator diuinus, quemquam ad eam adorandam accessisse, quin concepti voti compos recesserit. Euthymius verò sacrosancti illius cinguli laudes retexens: *Zona, ait, quæ annis plus nongentis illæsa atque integra perseuerat, cuius nequaquam infuscatus est color, quæ vincit splendore niuem, talemque se videntibus exhibet, qualis ex manu prodiuit artificis. Ea se cæli Regina reuera, vt credimus, cinxit, idolorum contriuit aras; Gentium delubra vastauit; & humani sanguinis effusionem, flumenque coërcuit.* Pergitque eodem loco plurima recensere miracula, quibus sacrum illud pignus claruit, perenni signorum fonte inde ad populos deriuato.

De eiusdem cingulo.

a S. Germanus Constantinopolit. Patriarcha oratione de sacra Zona & Euthymius Monachus apud Metaphrastem

II. Circà hoc ipsum tempus floruisse Antiochiæ S. Ignatium, eximium Virginis nostræ clientem, eundemque insignem Christi Martyrem sub Traiano, facilè mihi persuadeo; quòd Saluatore nostro per Iudæam & Galilæam concionante, is fuisse creditur admodum puer, atque illemet qui ad humilitatis, innocentiæque symbolum exprimendum, susceptus in eius brachia coram discipulis, traditur [b] in Euangelicâ historiâ: quare nunc annum ætatis agens propè trigesimum, siue vnà cum Euodio Antiochenam Ecclesiam, vt suprà ex Baronio dictum est, siue post plures annos illi successerit, per Ioannem Apostolum, à quo institutus fertur, admissus est in Virginis Deiparæ clientelam. Quod quidem sicuti certum est, neque negari ab vllo iam potest, ità probabilitate non caret, missas vltrò citròque epistolas, vtrique intercessisse complures, quarum præter scriptores recentioris memoriæ, qui meminerunt, S. Bernardus Abbas [c] testis est. At verò apud S. Hiero-

De S. Ignatio Antiocheno.

b Matth. 18. v. 2. & 3.

c Bernard. serm. 7. in Ps. 90.

Hieronymum [a] Ignatij epistolas perhonorificè commemorantem, nullas reperies ad Virginem scriptas, nullas à Virgine ad Ignatium datas, sicut neque apud Eusebium [b]; qui septem tantum enumerat sancti viri epistolas, à S. Polycarpo eius synchrono collectas. Fateor sanè, ex Hieronymo & Eusebio non haberi litteras eiusmodi mutuas Virginis & Ignatij; sed aio nihilominus, hoc argumento negante non euinci, eas esse supposititias, quod concedent facilè Logici; cum præsertim aliæ quoque inueniantur Epistolæ, quæ Ignatianæ censentur à viris doctis, ob styli similitudinem, & spiritum verè Apostolicum, licet non peruenerint ad Hieronymi, & Eusebij manus, qui eas inter cæteras non recensent. Lege Bellarmini [c] librum, de Scriptoribus Ecclesiasticis. Cur igitur dici non potest, tres quæ circumferuntur, vnam Virgini Deiparæ, duas Euangelistæ Ioanni scriptas; itemque alteram tribus hisce additam, quæ est B. Virginis ad Ignatium, esse veras; licet antiquiores S. Bernardo scriptores latuerint. Abstineo interim ab illis recitandis, quoniam occurrent vbique relata ab auctoribus exemplaria. Quòd verò Castrius multa in ijs deprehendit historiæ contraria, quæ de S. Ignatij vitâ, atque ætate communiter habentur pro veris; ea certè talia non sunt, quæ cum argumento epistolarum, rebusque contentis conciliari non possint: nam pone Ignatium fuisse puerum annorum aliquot ante Christi mortem, potuit id ætatis videre Dominum rediuiuum, adhærere Ioanni Apostolo vt magistro, agnoscere de visu Mariam Deiparam, propius in eius mores, ac virtutes inspicere; temporis deinde progressu Christo viuere, seque totum in animarum salutem impendere, crebros de Mariâ miscere sermones, & cunctos ad eius cultum allicere; denique in Antiochenam cathedram subrogatus Euodio, vel vnà cum illo, vt nonnullis visum est, eam Ecclesiam moderari. Verùm hic ego contentiosum funem non traho; satis mihi est, probari ab aliquibus eas epistolas vti veras, quibus si accedam, non vtique sum reprehendendus, dum præsertim nihil nisi probabiliter asseram. Imò si daremus quod ait Castrius [d], hasce epistolas ab antiquiori aliquo pio, & Virgini dedito viro confictas fuisse, id certè nemo negaret, occasionem inde natam eas confingendi, quòd Ignatius eximiæ humilitatis, atque modestiæ, semper Dei Matrem coluerit, eius extiterit præco, omnibusque præiuerit desiderio illam videndi, & vicissim à Deiparâ dilectus maximè fuerit, tanquam ardentissimus Iesu Christi amator, cuius & nomen insculptum

De epistolis Amœbæis Deiparæ & S. Ignatii.

Obiecta aduersus eas à Christophoro Castrio.

De S. Ignatii vita.

Quid de iis epistolis sentiendum sit.

a S. Hieron. l. de script. Eccles.
b Euseb. l. 3. Hist. c. 30

c Bellarm. l. de Script. Eccl. in S. Ignatio.

d Castrius Hist. Deip. cap. 23.

in corde gestaret, sicuti post mortem apparuit; Quare ipsemet tantæ parenti gratus, postmodum in eius laudes effusus, epistolas quas deinceps scripsit, virgineis præconijs omnes impleuit, adeò vt re ipsâ comprobauerit dictum illud, ex abundantiâ cordis os loqui.

De Martyrio S. Bartholomæi Apostoli.

III. Pertinere præterea dixerim, si non ad hunc annum, certè ad hoc tempus, superstite adhuc in terris Deiparâ, sancti Apostoli Bartholomæi martyrium, quem paulò post Philippum, Albanopoli in maiori Armeniâ, vitam dedisse pro Christo sentiunt [a] aliqui; & si cæteroqui certum non est, quo anno mors illa contigerit. Certamen initum cum malorum Dæmonum simulacris; indictum Idolis silentium; Orci laruæ abactæ è Regis Polimij filiâ, conuersus ad fidem Rex ipse cum liberis, magnâque regni parte, sicuti, vt credimus, non latuere Deiparam, per nuncios siue cælestes, siue humanos de omnibus commone factam; ità probabile est, neque ignorasse illam, commotos Astiagis regij fratris in Apostolum Christi furores, detractam viuo pellem; & capite truncatum, aut cruci affixum, insignem fidei Christianæ athletam; cuius & morem flectendi centies singulis diebus ad preces genua, habendi crebros de Iesu, & Mariâ sermones, augendi vtriusque cultum inter Fideles, & commendandæ potissimum virginitatis; detulerunt Hierosolymam nuncij, & nobis iam historici commemorare non cessant. Cæterùm qui in vitâ studiosissimus Virginis fuit, post mortem quoque de cælo, excitandæ in eandem pietati non defuit, vt suis locis infrà dicemus.

An eius certamen Deiparæ notum.

a Castrius Hist. Deip. Chronologia.

Signa animi pænitentis in Claudio.

IV. Huic eidem anno tribuimus, ex humanis successibus, ea signa haud obscura, quæ dedisse Claudium sub vitæ exitum, animi pænitentis de matrimonio Agrippinæ, deque Neronis adoptione, Suetonius [b] scribit. Nam mensibus aliquot ante quam Cæsar naturæ concederet; commemorantibus, inquit Historicus, libertis, ac laudantibus cognitionem, quâ pridie quandam adulterij ream condemnauerat, sibi quoque in fatis esse iactauit omnia impudica, sed non impunita matrimonia: & subinde obuium sibi Britannicum arctius complexus, hortatus est, vt cresceret, rationemque à se omnium factorum acciperet. Sic deficiens animo ac viribus senex, incipit damnare quæ fecerat, præsagus fortasse malorum, quæ ex Agrippinæ superbiâ, & crudelitate Neronis Romano imperio parabantur; itemque suspicatus, se ob nefanda Messallinæ probra, Agrippinæ astum, & pessimam Neronis indolem, fore generis humani ludibrium: dum è contrario Virgo Deipa-

b Sueton. in Claud. c. 43.

Opposita Deiparæ gaudiis.

Deipara, si viueret, quæcunque fecisset toto vitæ decursu, repetitã sæpe virtutum exercitatione comprobaret, firmaretque. Agnoscere in eâ licet haud obscura signa lætitiæ, de rebus antea persanctè gestis, ac de vicinâ iam apud Cælites insignium victoriarum coronâ, dum Claudium Imperatorem extremâ senectute, eorum pænitet, in quæ vel imprudens, vel stolidus consensisset. Aperitur iam maximæ Virgini vndecunque ab operibus gloria, in cælo primùm ad ipsum Numinis solium, deinde in terris; vbi eius cultus, atque memoria perennabit. Cæsari proximus interitus obijcit infausta omnia, atque exacti principatus miserrimam, quam hactenus duxit, seruitutem, in perpetuum mox carcerem apud inferos permutandam.

Annus Christi 56. B.M.Virginis 70. Petri Rom. Pont. 12. Claudij Imp. 14. & vlt.

I. CVm secundo iam anno moraretur Ephesi Paulus, Iudæi quidam [a], inter quos Scæuæ Principis Sacerdotum filij, siue ad lucrum, siue ad gloriam, existimarunt, posse se in nomine Iesu, quem Paulus prædicabat, malos Dæmones ab obsessis expellere, quoniam id fieri à Paulo videbant; experimento autem facto, non modò obiurgati à Dæmone, sed etiam ab obsesso, qui in eos totis viribus insiluit, malè mulctati, semineces abierunt. Et quidem facilitas, quâ Paulus Christi nomine inuocato, malos à corporibus genios abigebat, multos siue à Iudæis, siue ab Ethnicis ad Christiana sacra traduxit. At eadem Dæmonum victoria, & expulsio contigit sæpe ad Mariæ nomen, quod etiam inferis formidandum, iucundumque ac salutare mortalibus fuit: cum enim illa ab initio [b] mundi per diuinum oraculum inimicitias susceperit cum stygio serpente, auctore criminis primo, atque ad conterendum monstri caput vires habuerit vel in ipso conceptu: non modò cohorruit semper ad eius aspectum Orcus, sed ad sacrosanctum quoque Mariæ nomen expalluit, sæpe victus, abactusque. Arca [c] olim Domini in templum Dagonis illata, deturbato statim eius simulacro, caput, manusque præcidit: at Maria, cuius typus arca fuit, Dæmonem tum ex corpore, tum ex animo abire cogit, quò ipsamet suo patrocinio ingreditur. Ex Ioanne Baptista [d] infante, concepto quidem, sed

a Act. 19. v. 14. & c.

b Gen. 3. v. 15.

c 1. Reg. c. 5 ver. 4.

d Luc. 1. v. 41.

Scæuæ filiorum audacia & casus.

Dæmones victi ad Christi, & Mariæ inuocationẽ.

Mariæ nomẽ inferis timẽdum.

Idem salutare mortalibus.

ſed nondum nato, Chriſti virtute malus eiectus eſt genius, atque originaria labes deterſa, quando ſalutantis Mariæ vox, ad Eliſabethæ matris aures delata eſt: tunc enim eius in vtero, ſanctitate infans imbuitur, & gaudio exultat, quod ipſum S. Bonauentura [a] contemplatus: *Vide*, inquit, *quanta virtus ſit in verbis Dominæ, quia ad eorum pronunciationem confertur Spiritus Sanctus*. Expetit ſæpe mortales Satanas, eoſque conatur addicere ſibi; ſed Virgo protinus intercedit, & in ipſo conatu hoſtem interimit, prædamque iam iam deglutiendam ex faucibus truculentis extorquet. Aſſertionis eiuſce veritatem firmabunt per noſtram hiſtoriam proxime conſecutura ſæcula; per quæ diſcurrentes, producto quouſque Deo placuerit annalium labore, ſingula dabimus ſuis locis euenta.

a Bonauenture. Medit. vitæ Chriſti cap. 5.

Marianæ victoriæ de Orco ab Angelis narrandæ.

II. Interim Deipara hoc anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quot palmas de Erebi monſtro teterrimo reportatas numeraret, Angeli potius eius aſſidui ſtipatores, dicere poſſunt, quam homines, res ab eâdem in terris geſtas eminus, ſiue ex coniecturis, ſiue ex incertis narrationibus contemplati. Rurſus quantum virtutis iam tum præferret Mariæ nomen, præſertim ad effugandos Dæmones, eo tempore quo Paulus inuocato Ieſu eadem ſigna præſtabat, conijcere ſaltem ex parte licebit, tum prolatis ſanctorum in id nomen encomijs, tum aliquo commemorato bonâ fide miraculo, quod ætas poſterior hac de re tulerit, in confirmationem & documentum prioris.

Vnde colligi poſſit Mariani nominis aduerſus Dæmones vis.

Ad infringendos in hominum animis hoſtis Tartarei conatus, *nomina Mariam*, inquit Magnus [b] Albertus, *& ſic pro certo in te experieris, quòd iuſtè vocatum eſt nomen Virginis, Maria*, ſubditque Methodius [c], Dei Genitricis nomen diuinis eſſe theſauris omni ex parte refertum, & S. Germanus [d], inuocatione Mariæ, nequiſſimi hoſtis inuaſiones repelli; S. Bonauentura [e], ad eandem pariter nominatam trepidare malignos ſpiritus; Caniſius [f] denique ſingularem energiam, diuinamque virtutem Mariæ nomine contineri. Quare illud à ſacris Doctoribus paſſim vocatur, Dæmonum timor, flagellum, gladius; aduerſus eorum acies vexillum, trophæum clementiæ, Orcum vulnerans haſta, linguæ decus, vitæ munimen, triumphalis vox, & in venena criminum ſalutaris antidotus.

b Albertus Mag. in c. 1 Luc.
c Method. Oratione in Hypapan.
d Germ. or. de Zona Deip.
e Bonauen. Pſalter. Virginis.
f Caniſ. l. 1. Marial. c. 1

Tituli ſignificantes vim Mariani nominis.

III. Libet horum titulorum veritatem confirmare rei geſtæ narratione, quam exhibet Hadrianus [g] Lyræus. Et ſi huius temporis hiſtoria non eſt, tamen quia probat, firmatque quod hic perſequimur, non aliena ab hoc loco ducetur commemoratio. In oppido Geldriæ ad inferiorem Germaniam

g Hadria. Lyræus Triſagio Mariano l. 3. ton. 8.

non

non longè ab vrbe Neomago, Sacerdos rure degebat religiosus ac pius, nomine Gilbertus; aderatque apud eum neptis Maria, rei domesticæ curam gerens. Hæc ab auunculo mittitur aliquando Neomagum, vt coëmeret quæ domui necessaria viderentur; eâ tamen conditione mandatum ab alterâ accipitur, vt si ante confectum negotium aduesperasceret, in vrbe apud amitam ibi satis commodam pernoctaret, postridie domum honestius, non sine comitibus reditura. Ergò cum ad solis occasum coëmptione peractâ, non posset in suum oppidum nisi noctu incomitata reuerti, ad amitam ex auunculi præscripto diuertere cogitur. Ast illa fortè tum ex rixâ, quam cum mulierculâ quadam habuerat, in furias acta, visam ibi repentè neptem, sui non benè compos, affecit probris, & exclusit hospitio. Consilij inops virguncula, ex vrbe per tenebras noctis egreditur, & non longè à mœnibus, propè sepem mæsta consedit. Mox verò ex desperatione ferè in amentiam abrepta, non Deum, non Virginem Matrem sibi cognominem, non Cælites, vt anteà; sed malum Dæmonem in auxilium vocat, vt eo adiutore addicatur morti, & siue laqueo suspensa, siue aquis mersa, siue ex alto saxis allisa, vitam simul, & calamitatem effugiat. Adest illicò malus genius sub medici circumforanei, vel agyrtæ personâ; deinde exploratâ, cognitâque mæroris causâ, opem miseræ pollicetur, certamque salutem, modò Mariæ nomen, quod gerebat, in aliud sibi permutet. Indiga auxilij puella, perfido consiliario aures dabat, sed iucundissimum nomen deponere constanter renuebat: ad hæc nomen ipsum execratus Dæmon, se discessurum minatur, ni Maria iussis obtemperet, atque insuper eam interdicit vsu muniendi se signo Crucis. Ne multis, acquiescit illa iniquo interdicto, omnemque conditionem vel durissimam, profitetur se recipere, vnâ tantum exceptâ Mariani nominis permutandi, quod habebat altè medullis inscriptum, nec deleri vllo casu posse censebat. Itaque laruatus Orci prædo, ne prædam relinquat, nouum astum excogitat, per quem illius capiendæ spes erat. Agedum, inquit, cum tanti ducas istud nomen, vt nolis omninò dimittere: retine primam tantum eius literam, & reliquas missas fac. Voceris ergò deinceps expresso notæ illius sono, atque esto tibi nomen *Emme* pro *Maria*. Acquieuit altera consilio, & passa est suo veteri, saluberrimoque nomini, vnicam tantum eius particulam, elementum nempe primum substitui, non omninò misera, quòd hoc pendentem quasi filo, Mariani nominis affectum

Ad declarandam eã vim mirũ exemplum.

Puella nomine Maria mittitur Neomagum.

Hospitio excluditur ab amita.

Dæmon suadet illi mutationem nominis, sed frustrà.

Persuadet vt tantum retineat primã nominis literam M. expresso claré sono, & vocetur *Emme* pro *Maria*.

ctum retineret. Sed pessimo deinceps adhærens socio, plurimis, maximisque se obstrinxit flagitijs, quæ vulgare non licet, in eius non modò contubernium, sed coniugium, quod aures horrent, admissa. Antuerpiæ, & alibi, vitam duxit infamem, donec scelerum tædio affici cepit, fauente procul dubio Deiparâ puellæ suæ quondam cognomini. Hoc vnum poscit ab incubo, vt liceat sibi Neomagum ad vrbis festa proficisci. Annuit postulatis alter, ducitque volentem, quò petebat. Die festo sacrosanctæ & indiuiduæ Trinitatis ambo in oppidum sub meridiem ingrediuntur; quâ horâ ad frequentiorem panegyrim, erectâ in foro scenâ, pium drama dabatur, exhibens Dei Matris facilitatem, ad exorandam diuinam pro quouis peccatore clementiam. Pupugit puellæ animum fabulæ opportunissimum argumentum, quod rata, vt reuerâ fuit, monitum suum, damnauit illicò anteactæ vitæ noxas, totoque sexennio admissa flagitia vberrimis lacrymis expiauit. Obstitit quidem initio salutaris pænitentiæ coniux ille Tartareus, sed felicem exitum lacrymarum, atque impetratam sonti per merita Deiparæ veniam prohibere non potuit. Nam primùm auertere à spectaculo puellam, concipientem inde sacros ardores, frustrà conatus est; mox laruâ depositâ in altum abreptam, impetu maiore ad certum interitum elisit in terram. Tandem illo recedente, ab indigenis, & maximè à Gilberto auunculo cognita, de saniorum consilio, offertur expianda Summo Pontifici, quoniam grauiora scelera, non Sacerdotes quoscunque, sed supremum tribunal petebant. Facta est Romano Hierarchæ flagitiorum exomologesis, atque ab eo ad expiationem imposita pæna, vt nimirum rea tribus annulis ferreis, collum sibi, & brachium vtrunque tamdiu constringeret, donec siue attritu per longum vsum inducto, siue accedente desuper Dei manu, aliquando dissoluerentur. Id autē vt ex voto succederet, reuersa in patriam, addixit se deinceps mulierum pænitentium cænobio, vbi sub Deiparæ patrocinio, excolere cepit religiosis virtutibus animum, & iam quarto suprà decimum anno decurrente, ex quo huic sacro cætui dederat nomen, noctu inter cubandum, disrumpi ab Angelo ferreos circulos sensit, seque Deo conciliatam omninò cognouit. Denique vt coronas augeret, altero ab hinc anno nondum exacto, inter Mariæ brachia vitam absoluit. Vsque adeò, vel vnicum Mariani nominis elementum, quod sibi puella superesse tantùm voluerat, Orcum abegit. Sicut ergò Deus olim Abrahamo nominando litteram addidit, vt credentium patrem

Pessimè deinceps viuit.

Eius conuersio ope Deiparæ.

Aduersante potissimum Dæmone; & variis modis oppugnante.

Præscripta eidē à summo Pontifice pænitentia.

Exitus felix ob retentum vnicum Mariani nominis elementū

patrem suâ peculiariter amicitiâ dignaretur; itâ etiam ex Mariæ nomine vnicâ notâ seruatâ, exegit á se mulier Ditis tyrannidem, cui tamdiu captiua seruiuerat. Quid aduersus Dæmonem sperare non liceat, Mariâ expressius inuocatâ? Factum id ab Apostolis sub Ecclesiæ nascentis initia, quando vt Iesu, sic Mariæ nomen, cepit esse inferis formidandum, & vtroque veluti tonitru Tartarorum acies consueuere prosterni. Nos interim redeuntes ad institutum, quid in extollendo Mariæ nomine profecerit hoc anno Paulus videamus.

IV. Conuersum ad Christi fidem ante tres annos Dionysium Areopagitam, eundemque Athenarum Episcopum constitutum, hoc ipso anno Hierosolymam contendisse, vt Virginem sanctissimam Dei Genitricem inuiseret, probabili ratiocinatione conficimus; cum enim apud sacros historicos plures, citrà dubitationem admittatur; bis illum Deiparæ affuisse, semel viuenti, iterum morienti, ac postmodum sepulcro mandandæ; nunc eundi Hierosolymam opportunitatem nactus, suæ in Virginem pietati, conceptoque ex verbis S. Pauli tantæ Matris videndæ desiderio facilè satisfecit. Præter auctorum, qui de S. Dionysio scribunt, testimonia, ex eo maximè mihi probatur assertio, quòd solenne id temporis foret, nouis Iesu Christi sectatoribus, vt primùm quisque Christianis initiatus sacris, illi nomen daret, adire Deiparam, vltrò peregrinatione initâ, ad eam visendam, quam instructum à Paulo Dionysium omisisse, nemo concedet; recepta est etiam à viris [a] doctis narratio, quâ fertur is ad Ioannem profectus, admissusque hoc duce ad Mariam, in Sionis monte degētem, confestim ex maiestate splendidissimi vultus, ex personæ dignitate humanam omnem excedente, ex cultu corporis, & incessu ad grauitatem, decoremque composito, quid in Virgine diuinum agnouisse, atque insuper exclamasse, habiturum se Numinis loco Mariam, exhibitâ etiam adoratione, votisque prolatis, nisi fidei dogma certissimum sciret, vni Deo diuinitatem inesse. Narrat rem totam in vitâ S. Dionysij vir pereruditus Petrus [b] Halloix, aitque tanto Antistiti cælitùs fuisse concessum, ipsam Angelorum, hominumque Reginam viuentem, videntemque cominus intueri, contemplari cælestium gratiarum thesauros, splendido vultui circumfulgentes, & verba excipere ex ore purissimo instar mellis manantia. Imò addit in suo Mariali Placidus [c] Nigidius; Areopagitam, quicquid de cælesti Hierarchiâ, eruditè sapienterque conscripsit, ab aspectu magnæ Virginis hausisse, vel certè in eius famulatu

Dionysij Areopagitæ ad Virginem accessus.

Eiusdem testimonium de Mariæ cōspectu.

a Petrus Ribadeneira Villegas Christoph: Castrius.

b Halloix in vita Dion. c. 6.

c Nigidius opusc. 4. ser. 9. & opusc. 1. cap. 6.

cum esset, cæli vidisse acies in choros distributas. Verùm prænarratæ historiæ veritas maximè comprobatur ex epistolâ, quæ circumfertur, Dionysij ad Paulum Apostolum, eius in doctrinâ Christi magistrum, vbi suum ille ad Virginem ingressum, ostensique sibi in eâ spectaculi cælestis rationem exponit. At non negauerim, eiusmodi epistolam, licet nonnullis minimè improbatam, à sapientioribus [a] haberi suspectam, quòd neque stylum Areopagitæ sapiat, neque eius operibus accenseatur. Verane sit, an conficta non quæro; neutri parti asserentes auctores desunt. Si tu ab aliquo fictam contendas, arguam ego reuerâ accidisse, quæ in eâ narrantur: quorsum enim inducatur vir sapientissimus, idemque sanctissimus de se illa scribens, quæ nunquam contigissent? licet igitur ex eâ vel fictâ colligere testimonij veritatem.

De epistola, quæ circumfertur Dionysii ad Paulum.

Quid sentiẽdum sit.

a Baronio & Bellarmino Cardd.

V. Sed modò probabilis sit Dionysij accessus ad Virginem Deiparam, adhuc in terris superstitem, sicuti persuadet auctorum complurium consensus in eo affirmando: inde quoque probabilior ratiocinatio ducitur de diuinæ Matris ætate, vltrà septuagesimum annum prouectâ. Cum præterea ipsemet Dionysius [b] insigni testimonio, infrà recitando asserat, se interfuisse etiam morienti, accitum Athenis, & curasse cum Apostolis, alijsque Apostolicis viris, sacrum funus. Igitur hoc anno adhuc viuere Deiparam in terris oportuit, per eam sententiam, quæ Cardinali Baronio præsertim placuit, habetque suffragatores hoc æuo quamplurimos, & quidem eruditissimos viros. Si verò res ità se habeat, hæc sola de Virginis annis sententia erit reliquis anteferenda, vt potioribus argumentis innixa: & quæ tribuitur Euodio apud Nicephorum de annis nouem & quinquaginta, omninò corruet, non quòd recitatum ab historico fragmentum, verum non sit, aut falsa contineat; sed quòd in notas annorum arythmeticas Græci textus mendum irrepserit, vt clarius alibi ostendemus.

Nouum argumentum de ætate Virginis vltrà septuagesimum annũ.

b Dionys. l. 1. de diu. nom.

VI. Ex infortunio, quod Ephesi subierunt à Dæmone Scæuæ filij, bina, pro communi rei Christianæ bono, oborta commoda S. Lucas [c] commemorat, quæ sicut aduersus inferorum acies Iesu Christi vim indicant, ità cedunt etiam in gloriam Virginis Matris, quâ cum in terris sua quodammodo fecit ille communia. Cum enim palam omnibus factum esset, audaces iuuenculos exemplo Pauli, ad Iesu nominis inuocationem non modò frustrà tentasse, spiritus à corporibus malos expellere; sed etiam ab ijsdem malè mulctatos, accepisse pœnam audaciæ; illicò Christianorum plurimi, qui sacro iam pridem

Ex pœna seu casu filiorum Scæuæ geminæ vtilitates exortæ.

c Act. 9. & 18. & 19.

pridem expiati baptismo, iterum noxis animum macularant, accedentes sua per omologesim scelera vltrò damnabant; aliique ex consortio Dæmonum arcanorum notitiam diu sectati, spontè collatos in medium suæ artis libros, flammis dederunt, volumina sanè quamplurima magicæ disciplinæ, quorum pretium quinquaginta denariorum millibus æstimarunt. Vtrobique ablegati sunt Dæmones ab hominum cætu, prius per confessionem peccatorum ab animis, & deinde ab vrbe frequentissimâ, per incendia furialium paginarum. In hisce accessionibus factis ad Christi partes, habuit Virgo Deipara, quod sibi verti videret, in solatium vitæ mortalis, extremæque gaudium senectutis: nam in primis institutum olim à Christo sacrum pœnitentiæ tribunal, vel id temporis, cum ipsa adhuc inter mortales esset, reos admisit vltrò confitentes peccata, quod factum hoc anno S. Lucas [a] notat in Apostolorum historiâ; vnde data est occasio futuris temporibus confutandi impias Hæreticorum voces, receptum sub ipsis Ecclesiæ primordijs sacræ confessionis vsum, temerè impudenterque damnantium; imò asserentium [b], à Nectario Constantinopoli fuisse suo æuo sublatum; cum cæteroqui constet, publicam tantùm peccatorum confessionem, quando præsertim illa forent occulta, fuisse interdictam; ne innocentibus animis offendiculum pareret. Certè Virgo sanctissima, quæ ad conciliandos Deo fontes, erat plurimùm valitura, gaudebat, vsum illum noxas ad sacerdotum pedes deponendi, firmas iam tum agere radices, vnde pœnitentiæ Sacramentum ex hac parte vires acciperet, suo potissimùm patrocinio committendum. Præterea magicorum voluminum combustio ibidem peracta, cum Ephesum præstigijs expurgaret, ciuitatem eiusdem Diuæ Virginis habitatione iam pridem consecratam, illi proculdubio gratiorem reddebat, inueteratis cultæ Dianæ superstitionibus, atque infandis Apollonij Tyanæi, per eadem ferè tempora, ibi palam Magiam exercentis artibus, aliquando liberandam; quò tendenbant etiam Pauli labores.

Peccatorum confessio.

Et Magicorũ librorũ combustio.

Quid ad Virginem Deiparam.

a Act. Apost. vt sup.

b Baron. ad an. Chr. 56. num. 9.

VII. Ex rebus Romanis, hoc anno Agrippina profertur turbati per fraudem imperij, & Claudij principis veneno extincti, potissimum instrumentum: nam is ætate grauis, aduersâque insuper valetudine correptus, paratum à muliere veneficâ Agrippinæ mandato virus inter epulas oblatum (vt ait Tacitus [c]) gratissimum cibi genus, boletum veneno illitum, sumpsit, mortemque vorauit tertio Idus [d] Octobris, anno ætatis sexagesimo quarto, & ferè decimoquarto principatus. Interim

Agrippina Imperatoris & imperii pernicies.

c Tacit. Annal. lib. 12.

d 13. Octob.

rim Agrippina non Imperatoris modò, sed imperij quoque molita perniciem, tandiu cælatam voluit coniugis mortem, donec Britannico Claudij ex Messallinâ filio dolosè excluso, Neronem suum, anteà in principis adoptionem intrusum, curauit ab exercitu Imperatorem consalutari; & votis respondit euenrus, vtique infaustus; quoniam illo ad imperij clauum sedente horrendum Roma iugum, monstrum principatus Orbis terrarum, & primam ab Ethnicis persecutionem Ecclesia Christi subiuit. Agrippinæ, quæ tantæ calamitatis causa fuit, opponamus Mariam, in extremâ vitâ plurimis insignem palmis, maximo rei Christianæ bono. Hæc humilitate, ac modestiâ profuit mundo; quem altera perdidit superbiâ & cupiditate dominandi; ista Neronis, illa Christi regno stabiliendo intenta. Agrippina Claudium Cæsarem veneno necat: Mariæ nomen, Dæmoni prosternendo vim fulminis habet; dumque suum ille virus mortalibus afflat, hoc semper præsentissimum est antidotum. Morituri principis fuere præsagia, ex Tacito [a], signa atque tentoria militum igne correpta, ex Suetonio [b] visus è cælo cometes; quæ tamen euenta trahenda potius fuissent in omen exitij imminentis iam tum Christi & Mariæ hostibus; vtriusque regno ne minimum quidem nocitura, sicuti factum deinceps consequentia sæcula demonstrabunt. Initio quidem Nero non malus princeps Senecâ vsus moderatore, nec se tum Christi cultoribus infensum exhibuit. Dabat fortasse hoc diuina prouidentia Virgini Matri, ne viuens adhuc in terris carnificinam Christianorum spectaret, quam ad mundi horrorem Tyrannus intulit post aliquot annos, Ethnicorum omnium antesignanus, in Christi nomine insectando.

Opponitur Mariæ Deiparæ, per quã in Christi regno salus.

Nero viuente Deiparà non infensus Christianis.

a Tacit. Annal. lib. 12.
b Sueton. in Claud. c. 46

Annus Christi 57.
B.M. Virginis 71. Petri Rom. Pont. 13.
Neronis Imperatoris 1.

I. CVm paucis ante mensibus Domitius Nero octauum suprà decimum annum agens, in imperij apicem ascendisset, ipso se principatus initio propitium Iudæis ostendit, quibus à Claudio in exilium amandatis, redeundi Romam potestatem fecit. Hinc tertium iam annum Ephesi Paulo degenti, iniecta est cogitatio illuc proficiscendi; sed prius itinere suscepto per Macedoniam & Achaiam, ire Hierosoly-

Reuocat Nero Iudæos Romam.

mam

mam cogitabat, tum vt piorum eleemosynas vndecunque collectas eò deferret, tum etiam fortasse vt extrema Diuæ Virginis in terris allocutione, suos in vineâ Christi labores solaretur. Interim Ephesi hoc anno scripta creditur, prima eius ad Corinthios epistola, quâ doctor Gentium Apostolus, obortis apud illos de magistro sequendo contentionibus opportunè occurrit, traditque insuper plurima ad vitam Christiano ritu instituendam documenta. Cum enim è schismate, legum, morumque subuersio in cœtum irrepsisset, vsque ad grauissimum scelus, violati à quopiam nouercæ thori; incestum hominem Satanæ traditum, communione fidelium interdicit: tum lites fraternæ charitati contrarias reprehendit, laudatque virginitatem, quam asserit coniugio præferendam; vnde Corinthus confluentium ex omni parte libidinum olim sentina, instituente Paulo, schola pudicitiæ, & castitatis asylum euasit. Quare scripsit de eâ ciuitate meritò Tertullianus [a]: *Hodie virgines suas Corinthij velant: quid docuerint Apostoli, quid didicerint approbant*. Monitum sanè ad Virginem Deiparam referendum, quæ omnium prima, nuncupato virginitatis voto, illam creditur obtulisse Deo; iussitque ab Apostolis, maximèque à Paulo inter cætera commendari, neque ipsa defuit virginibus exemplo instituendis.

Prima Pauli Apo'l, epistola ad Corinthios.

Vbi plura in laudem virginitatis.

a Tertull. de vel. Virginis c. 9.

Relata ad Deiparam.

II. Eodem pariter anno excitatus [b] Ephesi legitur in Paulum tumultus, à Demetrio argenti fabro, cum videlicet crescente per Apostolum, in eâ ciuitate, veri Numinis cultu, atque ergà Virginem Matrem pietate, celeberrimo totâ Asiâ Dianæ templo, habitoque inter septem mundi miracula, magnificentia decresceret, atque religio: nam auarus artifex, inde metuere cepit sui lucri iacturam, quoniam multam illi pecuniam suppeditabant constructæ ex argento siue ædiculæ ad Ephesij delubri similitudinem, siue ipsius Dianæ statuæ, suis thecis, aut loculamentis inclusæ. Itaque æris primùm opifices, deinde Ephesiorum multitudinem Dianæ addictissimam, in Paulum seditiosè commouit. Res eò tandem euasit, vt duo ex Apostoli institutione discipuli, per vim in theatrum adducti, atque iræ popularium expositi, ægrè se calamitati subduxerint, sedante turbas publico scribâ, ac Demetrij controuersiam ad minora tribunalia reijciente. Verùm illæ ex argento icunculæ, ad Ethnicorum superstitionem fouendam formatæ, postquam diu siue gestari in vestibus religionis ergò, siue pro anathemate ad aras suspendi consueuerunt, destitutâ paulatim Deâ, in Virginis magnæ decus, Sanctorumque

b Act. 19. ver. 24. & seqq.

Turbæ in Paulum ab argentario.

Quò euaserint.

Abolitæ profanæ icunculæ.

rumque cesserunt: nam (quod censent Ioannes Lorinus [a], & Cornelius à Lapide) vsu illinc fortasse deducto, sacelli Lauretani imagines nostro hoc æuo circumferuntur, in signum susceptæ ad illud peregrinationis, & artifices laminas, aut sacra numismata D. Virginis & Sanctorum effigiem exprimentia, pileo assuta vel pallio, à sacrorum visitatione locorum peregrini reportant: itaque dicere non immerito possumus; à falsæ Deæ cultu, ad Deiparam, atque Cælites honorandos, morem esse traductum.

Permutatæ in imagines Sacelli Lauretani.

a *Lorinus & Cornel. Comm. in Acta Apost.*

III. Ex eo tempore Ephesiæ Dianæ templum, Asiæ diuitijs refertissimum, ducentorum & viginti annorum opus, ornamenta & cultores amittere cepit: imo sæpe collapsum, ac restitutum, sub Gallieno tandem Imperatore, spoliatum penitus à Gothis est, & incensum. Ipsius vero Dianæ simulacrum, quod ex ebeno alij, alij vitigineum fuisse tradunt, ac tanquam cælo delapsum, magno conuenarum concursu colebatur, cessit non tam vetustati omnium domitrici, quam Dei Matri, suo sibi iure cultum, imagines, templa idolis indebita vindicanti. Tunc enim Apostoli, eorumque discipuli toto terrarum orbe dispersi, disiectis vt dictum est vbique Deorum aris, ædes vni Deo, Iesu Christo, & Virgini Matri sacrabant: ita vt ad Christianæ fidei incrementa, magis ac magis Deipara coleretur; quæ si viuebat adhuc; vidit se non Ephesi tantùm, sed alibi pulsis loco Deabus substitui; & pro Iunone, Dianâ, Mineruâ, Venere, sanctissimum Mariæ nomen inuocari. Et quidem id colligere pariter possumus, ex ipsis Pauli documentis, epistolâ comprehensis, ex quibus vnum ad Ecclesias pertinet, vel hoc ipso tempore institutione Apostolicâ constitutas [b], vt eò Christiani ad sacra peragenda conuenirent; cum antea in ædium priuatarum cænaculis obire illa consueuissent. Hac ratione primùm Romæ Pudentis Senatoris ad Christum conuersi domus, in templum transijt, sacris conuenientibus opportunum, ijdemque habiti sunt deinde in Euprepiæ matronæ domo pariter consacratâ. Ab vrbe Hierosolymâ procul dubio manauit exemplum, vbi reuerso ad cælum Christo, in domum Ioannis cognomento Marci, sub Virginis Deiparæ ductu, atque Apostolorum disciplinâ, conuenisse Fideles compertum est, ibique sacris commentationibus, precibusque vacasse; quare cænaculum illud vltimâ Christi cænâ, alijsque mysterijs memorandum, affirmare meritò possumus, primam fuisse Ecclesiarum normam, quarum institutio, vnà cum erectione templorum, Deiparæ, & Apostolis refer-

Dianæ Ephesiæ cultus cedit Deiparæ cultui.

Aedes sacræ profanis succedunt.

Pauli documentum de Ecclesiis.

Quæ constitutæ sunt priuatis in domibus.

Exemplo Hierosolymæ, vbi prima fuit sub Deiparæ ductu.

b 1. Cor. 11

referri debet accepta. Atqui quot eiusmodi templa, pluribus in locis visebantur hoc tempore sub inuocatione Dei Matris! quot deinceps extructa sunt, atque extruentur in posterum, vsque ad occasum mundi! Hæc optima dux Ecclesiarum, & magistra fuit, eritque semper.

IV. Alterum quoque Pauli in eâdem epistolâ [a] documentum, non alienum à nobis, ad cultum spectat sacrarum ædium, dum ad eas accedere velato capite mulieres iubet. Dictum est hoc Corinthijs fœminis ab Apostolo; quoniam illæ cultui Veneris suprà cæteras deditæ, religiosum ducebant, ac pium, sua corpora prostituere. Sed ad reliquas etiam Christiani Orbis Ecclesias, quæ tunc erant institutæ, manauit Pauli præceptio, vt omnes vbique gentium mulieres, qui Christo se mancipassent, honesto incederent habitu, orantesque Dei Matrem imitarentur, & virgines præsertim Deo dicatæ, nobilius capiti velum imponerent, insigne virginitatis; ire se post Mariam ducem hoc signo professæ. Decuit sanè id temporis Christianas mulieres in vestitu modestia, & vultus ad consortia virorum absconditus, dum Deipara exemplo præiret, ab hominum conspectu procul, in Sionis monte seposita, illoque sacræ solitudinis asceterio, signum maximè virginibus præferens, sancto velamine obtegendis. Sed exemplari proposito tantæ magistræ, Paulo & Apostolis difficile non fuit, laudabilem morem in mulierum cætum inducere. At dolendum est maximè, quòd à consuetudine olim receptâ sub Ecclesiæ initia, nostra paulatim recesserint sæcula, quibus non solum orare in templis audent fœminæ, atque ostendere se publico, sine velis, aut fascijs capiti circumductis; sed nudum pectus, nuda vbera, nudos humeros, nuda propemodum brachia palàm exhibentes. Putántne quæ sic incedunt, sua vota placere Deo, suas audiri preces à Superis, dum coram Virgine Matre, coram Angelis adsunt eo aspectu, quem exhorrent homines probi? quid iam præciperet Paulus, si liceret denuò per litteras alloqui Fidelium cætus, hisce monstris à primâ Christianorum sanctitate, modestiâque degeneres? Sed redeamus ad nostra.

Alterum Pauli documentum de velâdis in Ecclesia mulieribus.

Imitatione Deiparæ.

Fœminas in Ecclesia spectari non satis tectas quâ indignum.

[a] 1. Cor. 11

V. Ea erat hoc ipso tempore Virginis Deiparæ vita, dum in cursu mortali, non longè abesset à communi omnium metâ, post inchoatam septimam annorum decadem; ea inquam erat, quæ multùm Ecclesiæ institutioni prodesset exemplo. Igitur quibus exercita studijs fuerit, obiter hoc loco consideremus: & si ingenuè affirmamus cum Ildephonso [b], quid

Qualis foret hoc tempore Deiparę vitâ

[b] Ildeph. ser. 5. de Assumpt. Virg.

Maria

Maria gesserit extremâ vitâ, solum Deum nosse, cui omnia patent; nec latuisse Gabrielem Archangelum cubiculi Mariani custodem, vt Guerricus [a] ait; neque cælestes Spiritus ipsam frequenter inuisentes; neque Ioannem Apostolum, cuius curæ fuit à Christo relicta. Geminas sanctioris vitæ partes per Magdalenam & Martham adumbratas exhibuit vna. Martham quidem actuosæ typum abundè probauit, dum Christo nato officiosa seruiuit, domi forisque, in pueronutriendo, in subeundis itinerum molestijs, in victu sibi, & familiæ comparando. Ad sacrum verò Magdalenæ otium, cum semper, tum præcipuè reuerso in cælum Christo studia conuertit, à pristinis curis vacua, sanctoque spiritu plenius illustrata, fugit id potissimum temporis mundi tumultus; mortua profanis rebus, Deo adhæsit vni; nocte ac die mentem contulit ad cælestia contemplanda, Angelorum magis quam hominum consuetudinem amans, assueta ad cælum votis ascendere; in carne sine carne viuere; Christi vitam, doctrinam, crucem, mortem, gloriam audire, legere, tractare, meditari. Hæc sunt Magdalenæ contemplantis officia, quæ nusquam æquè ac in Mariâ nostrâ splenduerunt, maiorèque cum fructu ac voluptate sunt obita. Audi S. Ildephonsum [b] ità ratiocinantem à minori: *Si Maria*, inquit, *quondam peccatrix, cui donando peccata, Christus erat propitius, intentè verba audiebat ex ore eius: quantò magis hæc, quæ erat mente & corpore sancta, audiebat ardentius, cuius idem ipse & Dominus erat, & filius.* Dignum præterea est fide piorum, quod ait Carthusianus [c] Dionysius, Deiparam, non modò cum torqueretur in cruce Filius, per sympathiam eosdem animo percepisse dolores; sed eidem in cælum recepto, sese cum nouâ quodammodo gloriâ per contemplationem conformasse, adeò vt mundum magis magisque pertæsa, rebus iugiter cælestibus inhiaret, & vita quam duxit, in Deo abscondita [d] dici posset, apostolico quidem elogio, sanctis cum Christo vel in terrâ viuentibus attributo.

In eadem exemplar vitæ contemplantis, & actuosæ fuisse explicatur.

Deipara cōdolens Christo.

a Guerric. serm. 2. de Assumpt. Virg.

b Ildeph. ser. de Assumpt. Virg.

c Carthus. lib. 2. de laud. Virg. art. olt.

d Paul. Coloss. 1. c. 3.

VI. An verò conuenientia huic vitæ tuendæ pabula, nouæ legis sacramenta D. Virgo susceperit, inter scholasticos quæstio est. Baptismo fuisse ablutam Christi manibus, suprà docuimus cum Euthymio, licet indiga eiusce lauacri non foret, atque eximi facilè potuisset, vt post Deum maximè pura. De Confirmatione, per quam mysticâ S. Spiritus vnctione perfusi, ad luctandum cum Dæmone vires sumimus, est opinio ferè communis [e], quæ asserit susceptam à Deiparâ, non vtique ritibus ac cæremonijs, quibus nunc Ecclesia vtitur, neque signo ad

An Deipara susceperit nouæ legis sacramenta.

Quando Cōfirmata.

e Suar. t. 2. in 3. par. disput. 18. sect. 3.

gno ad

gno ad sensum illo, quo confirmari consueuere Fideles, sed ipso diuini spiritus allapsu, cum in reliquos Apostolos, instar auræ vehementioris, in igneis linguis ipsâ Pentecostes luce descendit. De Pœnitentiâ, obuium erit Hæreticis dicere, afuisse ab eâ Virgini immaculatæ, culparum remedium, quarum audent blasphemi Sectarij facere ream: cum certissimum habeatur, sanctæ vel in ipso conceptu, ne criminis quidem hæsisse næuum, dum vixit, nec pœnitentiæ capacitatem.

Incapax Pœnitentiæ.

Idem tu dixeris de Ordinis Sacramento, cuius capax Virgo non fuit; sexus enim fœmineus suapte conditione subiectus apud Hebræos primùm in lege veteri, tam naturæ, quam scriptâ; deinde post mundum à Iesu Christo redemptum in nouâ, sacrosanctæ potestatis neque notam suscepit, neque munus obiuit. Imò expressè vetant Ecclesiæ canones [a], ne fœminæ sacris initientur ordinibus; neque commissa solis Sacerdotibus sacra pertractent: id quod ex institutione etiam diuinâ factum Doctores tradunt. Attamen non displicet pia Gersonis [b] Cancellarij Parisiensis de B. Virgine commentatio, quæ suspicit in Mariâ, laudatque non characterem Sacerdotalis officij, neque consecrandi facultatem; sed regale quoddam sacerdotium, ad offerendam tantùm Deo, in arâ sui cordis, perfectissimam hostiam, Iesum Christum nempe, Dei Filium, suique vteri pignus. Potuit Nicomediæ [c] S. Lucianus Martyr, coram discipulis suum pectus exhibere pro mensâ, vbi detentus in vinculis, & post paulò moriturus, sacrum Christi corpus obtulit Deo. Id vtique digniùs à Deiparâ factum dices, in sui cordis sacrario, quod ob sanctitatis præstantiam præseferre videtur *Sancta Sanctorum*. Insuper idem Gerson [d] pergens alibi in suâ metaphorâ, alterum quoque Sacerdotis officium, quod potestatem complectitur relaxandi peccata, accommodare nititur B. Virgini, diuinam clementiam pro peccatoribus exoranti, optimæque pro iisdem ad iustissimum tribunal Aduocatæ. Cæterùm nuperus Orator Sacerdotes allocutus, eos cum Deiparâ sic eleganter componit. *Peperit Maria nouem exactis mensibus sanctissimum pignus; quod vos, ò Sacerdotes, conceptum simul, atque in lucem editum nouo partu proponitis. Altera in antri Bethlemij sordibus; vos in templorum magnificentia natum effunditis. Illa præsepe & paleas infanti parauit pro cunis; vos reclinatis super aram, auro gemmisque grauem, ardentibus ceris veluti sideribus coronatam. Altera fasciis inuolutum, pastoribus videndum obtulit inter halitus belluarum; vos sub fruge latentem inter thura fumantia cuicunque*

Et Ordinis.

Pia Gersonis commentatio de Virgine Deipara.

Elegans Deiparæ & Sacerdotũ Antithesis.

a Can. 15. q. in principio, & dist. 23. Cã. Sacratas.

b Gerson Tractat. 9. sup. Magnificat Alphab. 89. lit. 13.

c Apud Surium 7. Ian.

d Gerson Alphab. 82. lit. 2.

famelico in cibum dati. Illa vocatos ex Oriente Reges procumbere vidit in genua, oblatisque thesauris fieri puero vectigales; vos triticeum orbem, breuem illum quidem, sed bonorum omnium largitore Deo fatum, vltrò donandum circumfertis. Illa inter Cælitum plausus Filium materno lacte pascebat; vos eiusdem purissima carne mortalium pectora saginatis. Quid plura? semel altera conceptum, peperit semel; vos quotidie concipitis, quotidie donec vita salusque superterit, parituri. Sed pergamus ad reliqua sacramenta.

An & quoties sumeret Eucharistiã.

VII. De sumpto à Virgine in animæ cibum Eucharistico pane, nulla iam superesse videtur inter doctos dubitatio; imò ea opinio apud plures inualuit, si non quotidie, at sæpissimè post sacramentum institutum, sacrã synaxi Dei Matrem fuisse refectam: quia summus in Christum amor, assiduè famelicam impellebat ad iucundissimum epulum; neque obstare quid poterat, quominus optatissimo bono frueretur; in tantã præsertim rerum diuinarum cognitione, tantoque cælestium donorum apparatu. Datum est sub ipsis Ecclesiæ primordijs, maximæ Fidelium pietati ergã sacram Eucharistiam, vt singuli adulti quotidie ad illam sumendam accederent, quod ex testimonio S. Lucæ [a] non obscuro colligitur; imò concessum quoque illorum sanctitati Patres affirmant [b], vt acceptas è Sacerdotis manibus domum ferrent, seruarentque decenter, totidem sacri panis particulas, quot numerarentur in Hebdomadã dies, quibus priuatim sumere singulas ante cibum vellent, Deo spectante, ac testibus Angelis. An id negari de B. Virgine poterit, quæ sanctitate ac meritis omnes anteibat, cum præsertim opportunitas non deesset sacramenti suscipiendi, à Ioanne suæ vitæ perpetuo comite, vel certè ab alio quopiam siue Apostolo, siue Apostolico viro. Itaque benè Canisius [c]: *Multitudo, inquit, credentium quotidie in templo, non solum in Apostolorum doctrina, sed etiam in frequenti, imò quotidiano vsu sacræ Eucharistiæ, orandique studio perseuerarent. Pia hac studia Deiparæ in primis nota, vsitata, grata, iucunda; imò ni fallor necessaria, vt omnes præiret exemplo.* Pete à Sanctorum historijs, quot identidem beneficijs, signisque conuiuas [d] ad eiusmodi epulum ritè accedentes dignatus sit Deus; qui alijs per Angelos cælo delapsos, alijs per homines vltrò accitos, alijs per Christum ipsum escam salutarem impertijt. Expende plurium in hac refectione iucunditatem, & prægustatam cælestis gloriæ dulcedinem; aliquos extrà se raptos, & ab eã per longissimi temporis spatium, omninò ieiunos; multos denique plenam spiritualium bonorum pinguedinem

Pietas Fidelium in ea quotidie sumenda.

a Act. 2. v. 46.
b Baronius an. Chr. 57. num. 45.
c Canisius Mariall. 5 cap. 1.
d Ex actis Sanctorum

conse-

consecutos. Hinc verò conijce, quid in Deiparâ omnium sanctissimâ, Deoque gratissimâ factum fuerit; dum repetito sæpius dominici corporis, sanguinisque conuiuio, suum in terris exilium solaretur. Sacramenti ad illam ministrum, fuisse plerunque Ioannem, cui concredita fuerat, & coram eandem sacrificasse Apostolum Christo dilectum, hodie apud pios æstimatores opinio est, pictoribus quoque ità mysterium refectæ sacro cibo Virginis, referentibus. De sacramento prætereà Extremæ vnctionis, an susceptum ab illâ ante mortem fuerit, sermo erit anno sequenti.

Excellentia Deiparæ suprà Sanctos omnes, in sumptione Eucharistiæ.

S. Ioannes Euangelista ministrasse creditur Deiparæ Eucharistiam.

VIII. Decurrente interim hoc, Mariæ suprà septuagesimum primo, Paulus cum Hierosolymam Romamque cogitaret, Epheso discedit, relicto Timotheo eius Ecclesiæ Episcopo, cuius in Virginem Deiparam studium infrà patebit. Aduentus inde Apostoli in Macedoniam & Græciam commemoratur, scriptàque ad ipsum Timotheum epistola prima, quâ discipulum instructum legimus ad Episcopi munera, atque aduersus fidei desertores præclara dogmata tradita. Prætereà nauigatio in Cretam innuitur, Titusque discipulus alter, totius Insulæ Primas constitutus, ad quem datæ etiam circà hunc annum feruntur litteræ eo potissimum argumento, vt admoneretur Pastoralis officij. Hisce Pauli curis, & laboribus Ecclesiæ vniuersæ profuturis, affuisse quoque Virginem Dei Matrem dicere possumus, dum sola in penetralibus, illos reuelantibus Angelis è longinquo spectans, diuinæ Maiestati commendaret, vt propterea non ipsum modò Paulum, de Iudæorum lege ad Christiana sacra conuersum, Mariæ precibus debeamus, quod suo loco docuimus, sed quod deinceps egit Marianus Heros, post Deum bonorum omnium auctorem, ad magnæ Virginis patrocinium, magisterium, opemque referendum ex parte sit.

Varii labores & curæ S. Pauli.

Relati ad Diuam Virginē.

IX. Dum Paulo, & reliquis Ecclesiæ Catholicæ fundatoribus, Maria adhuc in terris degens, vt mater optima, solamini atque subsidio est; Agrippinam Neronis parentem, cædibus nobilium inhiantem Romana profert historia, & geminæ Augustæ eodem tempore studijs diuersis concurrunt, altera candore virginitatis suum æuum illustrans, altera pollens alieno cruore. Videt Maria, adnitentibus Apostolis, ablegari à cultu sacrorum, Ephesiorum Deam, cæteràque Erebi monstra; dum Agrippina [a] Neronem armat in Britannicum Claudij ex Messallinâ filium, imperio exclusum, curatque veneno tollendum; quæ cædes Imperatori viam ad omne scelus aperuit.

In aula Romana cædes per Agrippinam.

a Ex Tacito Annal. l. 13.

Rrr 2

ruit. Aulæ Romanæ in funestum theatrum conuersæ, opponere libet Sionis montem, Mariâ nostrâ duce, pacis & concordiæ receptaculum: quæ sanè tranquillitas in alias quoque terras emanat, vbicumque Christum Deum, & Virginem Matrem, ex Apostolorum doctrinâ populi agnoscunt, & colunt.

Opponűtur tranquillitati, quæ prodit è Sionis monte per Mariam.

Annus Christi 58. B.M. Virginis 72. Petri Rom. Pont. 14. Neronis Imperatoris 2.

I. Annus, in quem ingredimur, octauus & quinquagesimus ab ortu Christi, cum secundo ac septuagesimo Virginis magnâ ex parte concurrit: ideòque quòd vixisse illam vltrà hunc terminum, aut ante mortuam esse, negent hoc æuo complures, adhærentes Epiphanio & Cedreno, propter auctoritatem magni Areopagitæ Dionysij [a], qui se vnà cum Apostolis, alijsque Apostolorum discipulis, interfuisse testatur Deiparæ funeri; inde conficitur, eam hoc ipso anno de vitâ migrasse: quam sententiam suffragatorum numero præstantem cæteris omnibus; inductoque in plures Orbis Christiani partes precario serto, decadas non senas, sed septenas globulorum continente, iam ferè communem, nos non sine diligenti examine referemus, ità quidem vt relinquatur liberum erudito lectori de re totâ iudicium. Annus igitur Pauli carcere, atque itinere Romam versus in vinculis memorandus, mortem dabit magnæ Matris, plurium Sanctorum ad eam per Angelos accessum ex varijs mundi partibus, peractum ritè funus, anastasim gloriosam, atque assumptionem in cælum, relictum Apostolis in terrâ solamen, & descriptum à S. Lucâ Euangelium.

Præparatio rerum huius anni dicendarum.

Earumque summa.

a Dionysius l. 3. de diu. nom.

II. Reuocare in dubium non licet, etiamsi in sacris litteris non habeatur expressum, & dubitare aliquando S. Epiphanius [b] videatur: vtrum Virgo sanctissima verè sit mortua, an potius mortis expers translata ad superos fuerit: nam ad sequendam omninò partem affirmantem, satis est Ecclesiæ vniuersæ auctoritas, firma Patrum, & perantiqua traditio, sacrarum regula scripturarum, de omnibus Adami filijs sæpe prolata; vt se morti obnoxios non solùm agnoscant, sed etiam aliquando morituros, à quâ lege nec ipse Dei Filius Iesus Christus eximi voluit: Mors enim corporis non eiusce conditionis, ac notæ videtur, quæ sicuti Liberatorem nostrum Deum & homi-

Certum est, Deiparã esse mortuam.

b S. Epiph. hær. 78.

& hominem, ità & eius Matrem ab omni culpâ liberam non
5. deceret, canente regio Psalte [a]. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum*. Præterea nobis esto certum, eâ in sanctissimæ Virgini contigisse mortem, quam ideò Græci Patres *Dormitionem* appellant, quia non tam ex violento corporis morbo, quam ex naturæ debito extitisse videtur, instar somni breuissimo tempore duraturi, & paulò post in admirandæ anastasis gloriam permutandi, addito præsertim maximo videndi inter Cælites Numinis desiderio, post exactum vitæ curriculum. Neque est, cur quempiam offendat, anceps Epiphanij de Mariæ morte sententia, quoniam si ritè perpendas sacri Doctoris verba, facilè comperies, inquit [b] Canisius illum affirmare, de obitu & sepulcro Deiparæ, nihil in sacris litteris esse conscriptum; id quod minimè cadit in controuersiam. Ast alij admirabuntur Epiphanij in loquendo modestiam, ex quâ nihil ille sit ausus in re propositâ definire; ideòque abstinens à declaratione sui sensus, solum profiteatur, se neque dicere Mariam immortalem permansisse, neque mortuam affirmare: nisi potius placeat cum Baronio [c] aliter eius mentem interpretari, vt nimirum Sanctus Doctor repressurus Hæreticorum perfidiam, suo æuo diuinæ Matris virginitatem carpentium, & vel purissimam ab omni labe temerè libidinis insimulantium, sublimem tantæ Virginis excellentiam, ex hac parte declaret, dum quam aliena fuerit ab omni carnis illecebrâ, per hoc ipsum insinuat, quòd neque an mortua fuerit, possit è sacrarum oraculis litterarum ostendi. Cæterùm Catholica Ecclesia nullam de obitu Dei Genitricis dubitationem admittit, sed quam nouit humanæ naturæ consortem, subijsse pariter affirmat humanam moriendi necessitatem. Denique sicuti de morte Virginis non ambigimus, ità neque de loco vbi soluit hoc naturæ tributum, quem locum Hierosolymam fuisse, nullus ferè iam negat.

Nec mors illam, sicuti neque Christũ deducit.

Explicatur Epiphanii sententia de morte Deiparæ.

III. Hoc posito, vera virgineæ mortis historia, quam nunc retexere nos cogit annalium ratio, petenda est non à scriptis, quæ de eâ ad nostram ætatem peruenerint, monumentis; quoniam vix vlla reperies, quorum auctoritas & fides non vacillet; sed ab ijs testimonijs, quæ Patrum plures, tanquam sibi à maioribus tradita, transmiserunt ad nos, & citrà controuersiam videmus in Ecclesiâ iam recipi. Peruetustus de obitu Virginis libellus, Melitonis [d] Sardensis in Asiâ Episcopi nomine inscriptus, inter apocryphos à Gelasio Pontifice recensetur, eumque Bellarminus [e] indignum iudicat, qui Me-

Ad narrationem mortis Deiparæ præparatio.

litoni

litoni sapientissimo viro ascribatur: attamen licet illi non habendam fidem Beda a pronunciet, aliqua certè sunt, quæ non solùm, vt Baronius b ait, vera esse potuerunt, sed etiam habenda pro veris, consensus in ea Patrum, & suffragatio persuadet; cum præsertim tanquam ex ore parentum accepta æuo quisque suo proponeret. Igitur ne commemoratis quidem ijs, quorum subobscura est, aut falsa narratio, selectam dabimus, de obitu Deiparæ, probatam, & fide dignam historiam: imò curabimus, vt paulatim, suoque ordine relata per partes, rationum ac testimoniorum pondere, in singulis veritatem exhibeat.

a Beda in retract. in Act. cap. 8. b Baronius ad an. Chr. 48. à nu. 13

Merita D. Virginis semper aucta.

IV. Auxerat Virgini sanctissimæ apud Deum merita, productum cum vitâ in terris exilium, & concessis diuinitùs donis animum abundè cumularat. Nam si vel ante Christi conceptum, digna fuit, quam internuncius de cælo Gabriel plenam gratiâ salutaret, vtpotè internâ mentis pulcritudine affluenter ornatam; quibus deinceps augmentis, toto vitæ cursu prouectam, quanti hoc anno, quo mortuam ponimus, meriti fuisse dicemus, quam itâ semper negotiatam esse scimus accepta talenta, vt nullum quidem momentum temporis otiosum labi permiserit, quin siue vigilans, siue dormiens nouas gratiæ & sanctitatis accessiones lucraretur? neque verò dubium est: an Virgo ab ipso sui conceptu sancta, Deo largiente, plus cælestium donorum acceperit, quam quilibet è Sanctorum ordinibus, aut Angelorum vllus è supremo choro; quoniam quotusquisque non videt, eiusmodi suprà singulos Cælitum excellentiam, Deiparæ dignitati conuenire? at cadere in dubitationem potest; an illa, cum primùm in vtero matris sancta fuit, tantum habuerit diuinæ gratiæ, quantum omnes simul Cælites, siue ex hominibus, siue ex Angelis habuisse creduntur. Verùm non deest è scholâ Theologorum, qui partem tueantur affirmantem, dicantque; primam Deiparæ in conceptu sanctitatem, eâ fuisse maiorem, quæ Angelis omnibus, Diuisque contigit; quia Reginæ suprà omnes dilectæ, plura ac potiora, quam vniuerso subditorum agmini à Rege sunt debita, atque ex hac amoris prærogatiuâ, qua suam Deus Matrem dignatus est, diuina liberalitas in eâ ornandâ, præfertur beneficijs exhibitis vniuersitati Sanctorum. Conuenire præterea videbatur, vt Virgo Mater, Filio quamsimillima foret; ideoque hoc etiam diuinæ charitatis augmento, gratiæque apud Deum cumulo, quam proximè accedere debuit ad Christi sanctitatem, seruatâ, vt aiunt, proportione,

Vsque ad mortem.

An Virgo in suo conceptu sanctior quam omnes simul Cælites.

Vide Suar. tom. 2. in 3. par. disp. 18. sect. 4.

Christum

Christum in Ecclesiâ, inquit Bernardus, fontem esse dixeris, vnde gratiarum flumina abundè promanant: Virginem verò instar tubi, per quem ductus liquor ille cælestis, in Sanctorum pectora, velut in riuulos dispertitur. Itaque sicut in Christo tanquam in fonte, sanctitas omnis, omniumque exuberantia colligitur gratiarum; ità in Matre reperitur tanquam in aquæductu, per quem distribuenda est in riuulos, ad communem vtilitatem.

Bernard. ser. in Natiuit. Mariæ, de Aquæductu.

Christus fons sanctitatis, Maria tanquam canalis.

V. Cum igitur hanc veluti sortem amplissimam Virgo in bonis obtinuisset, non destitit vnquam illam exercere, atque augere, dum vixit: quia quicquid egit instar peratttentæ negotiationis fuit, ad maiora semper meritorum compendia facienda. Actus ab eâ quicunque ex deliberatione processit, nec vlla fuit nisi cum virtute deliberatio, cum omnia in Deum referret, summâ dilectione quæsitum, ipsa interim nullis animi perturbationibus, nullo externarum rerum impedimento distracta. Quare cogitationes quæcunque, appetitiones, voluntates, cæterique actus omnes, ne minimùm quidem exorbitantes à regulâ, augebant illi meritum, per quod duplo maior gratiæ cumulus semper accedebat, honestè semper operanti. Itaque conatu voluntatis ad momenta singula magis magisque crescente, ferebatur in Deum Virginis amor, incrementis semper in duplum repertis, adeò vt postremus exeunte vitâ charitatis actus, plus gratiæ ac sanctitatis fuerit reipsâ consecutus, quam anteacta vitæ, quoad omnes eius partes accesserit. Neque mirum videri debet, si perbreui temporis spatio, tantum in animo pulcritudinis augmentum contigerit; cum id factum concedatur in Angelorum supremo, qui, aut est, sicuti nonnulli sentiunt, post sanctissimam Virginem in gloriâ primus; aut certè, quod nemo negat, de sublimioribus in eâdem gloriâ, quam vti præmium rei benè gestæ suscepit, ritè quidem illam promeritus, non interuallo temporis magno, sed citrà vnius horæ quadrantem; cum, intensorum actuum veluti negotiatione gratiam acceptam exercuit. Itaque eo spatio breuissimo ascendisse illum comperies ad altiorem sanctitatis gradum, quam nonaginta, aut centum vitæ annis plures Sanctorum. Vt autem melius intelligatur admirabile hoc rei spiritualis augmentum, & nunquam intermissa sacri thesauri in alterum tantum multiplicatio, meminisse iuuat arithmetici documenti, ex quo Christophorus Clauius [a] ostendit, quam copioso monadum numero crescat, res aucta semper in duplum. Si in tabellâ latrunculorum luso-

Gratia & Sãctitas in Virgine semper aucta.

Et quidem in duplum.

De eius postremo charitatis actu in fine vitæ.

Explicatio à simili.

Augmẽtum gratiæ in duplum, alia similitudine explicatur.

a Clauius l. 5. Arith. pract. c. 25.

lusoriâ, sedes quatuor & sexaginta, certis spatijs interstinctas, sic impleas, vt obolum vnum in primâ loces; duos in alterâ, quatuor in tertiâ, octo in quartâ; sexdecim in quintâ, & sic deinceps in cæteris, vsque ad sexagesimam quartam, semper duplo plures. Quot putas tandem in tabulâ futuras monadas obolorum? deprehendes profectò innumeras myriadum myriadas, & plus quam millies millies centena millia, quot, inquit Clauius, denarios vix in toto mundo reperias. Qui verò simile diuinæ gratiæ augmentum Virgini Deiparæ ascribunt, non ij pias tantum commentationes afferunt, sed desumpta ex Theologiæ promptuarijs argumenta. Quare meritò in hanc Reginam cadit Salomonis [a] elogium, quod accommodare illi solet Ecclesia: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias; tu supergressa es vniuersas.* At quæ hactenus diximus, intelligenda sunt de gratiâ, quæ sanctam efficit animam, iustamque reddit, ac Deo pergratam: cum reliqua diuinæ liberalitatis dona, pro libito largientis in sanctos collata, sapientiam, miracula, prophetiam, aliaque gratiæ nomine in sacris litteris designata, censeat cum sacris Doctoribus D. Thomas [b], Virgini Deiparæ non defuisse, licet exemplum datura summæ in tantâ dignitate modestiæ, eorum abstinuerit vsu, quod benè Toletus [c] exponit. Cæterùm ante quam progredior, placet superiorem sententiam de merito Virginis, à religioso [d] Poëtâ eleganti carmine paulò ante descriptam, editamque in lucem hîc reddere.

Alia diuinæ liberalitatis dona quæ veniunt nomine Gratiæ.

a Prou. 31 ver. 29.

b S. Thom. 3. par. q. 27. art. 5.

c Tolet. in Luc. cap. 1. annot. 67.

d Antonius Chaunius Soc. Ies. par. 3. lib. 2. cap. 4.

Augmêtum gratiæ in Virgine Poeticè explicatum.

Cum Virgo concepta, gradum, quò maximus olim
Hæserat Aligerum, meriti, molimine primo
Attigit, vt decreta parens, dignandaque donis
Ex ortu præ seruitijs: velut ardua muros
Et claras Solymæ tollens in sidera pinnas,
Prima super sanctos posuit fundamina montes.
Hæc dia Charitos, meritique ingentis origo.
Perpete per vitam nisu, tum viribus æquans
Aethereis animæ vires, effusaque toto
Impete, se maior semper, conamine partus
Extremo, momenta ferè per singula, duplis
Auctibus, accumulauit opes: hinc hebdomas omnes
Vnica mortales, immortalesque reliquit
Oppressos meritis immanibus, altera quantis
Obruit aggeribus? quid menstrua luna? quid annus?
Quid lustrum? quid prima decas? quid longa sequentum
Ex alijs decadum series? quæ talis ab ortu

Mater-

Materno concepta vtero, quid nata sub auras?
Ad sanctos quid sacra lares? & clausa decenni
Sub templi penetrale mora, quid lecta Tonanti
Mater, & innocuo diuina puerpera partu?
Quid nutrix, natique comes, consorsque laborum
Ingentum; & letho sobolis tot lustra superstes?

VI. Cum eò ætatis ac meriti Virgo processisset; desiderium animo concepit ardentius, videndi tandem in cælesti gloriâ Filij, suæque inter mortales peregrinationis absoluendæ: quod enim habuisse in votis sanctos omnes, ex mortali vitâ ad immortalem migraturos, docent passim eorum historiæ: id vtique longè plurimum exoptasse credimus Deiparam, omnibus diuinorum cognitione, & Numinis amore præstantem. Eius purissimum cor, nullo terrenarum rerum pondere prægrauatum, liberis expeditè votis ferebatur ad Deum, in cuius sinum ab hoc mortalitatis exilio se tandem recipere cupiebat, instar columbæ crebris ad cælum volatibus continenter exercitæ. Et verò id temporis Ecclesia toto iam terrarum orbe diffusa, vsque eò creuerat, vt abstrahi à complexu posset tantæ Matris, patrocinium deinceps habitura iam in cælo regnantis. Annuit ardentissimis Mariæ votis diuina Maiestas, & extremum in terrâ Virgini diem, imò exoptatam felicissimi obitus horam, nunciari iubet ab vno Cælitum, quem fuisse Gabrielem, tum recepta docet historia, tum ratio ipsa persuadet: ecquem enim decebat magis hæc postrema legatio, quam cælestem spiritum, custodem Virgini cælitùs designatum, & cæteris ad illam legationibus, anteactâ vitâ perfunctum, eâque præsertim, quæ Verbum diuinum, carne vestiendum nunciauit? Præmonitos persæpe fuisse sanctos de imminente morte, ex peculiari Dei illorum vitam remunerantis priuilegio, nemo est qui nesciat, vel mediocriter in sacris monumentis versatus. Quis ergò neget, præuentam D. Virginem, honoratamque diuinitùs consimili nuncio, cum proxima morti foret, vt longum recepto in cælum Christo exilium, amaramque solitudinem solaretur; agnoscens, se voti compotem breui futuram, atque ad nati conspectum quantociùs admittendam. Quod verò addunt ex Cedreno [a] nonnulli, oblatum fuisse ab Angelo, morituræ Virgini, palmæ ramusculum, in signum victoriæ ex Orco reportatæ, ac veluti præludium triumphi, ad quem vocabatur; præter librum apocryphum Melitoni ascriptum, vnde desumitur, alterius auctoritatem, à quâ firmetur, non habet; nisi fortè veniat in

D. Virginis desiderium Dei videndi.

Cui Deus annuit, & obitum immi nentem nunciauit per Archangelū Gabrielem.

An palma eidem allata

[a] *Cedren. Hist. compendio.*

mentem, suspicari; dictum id, non propriè, sed metaphoricè accipiendum; quasi verò nuncius ipse mortis, quæ victoriæ ac triumphi speciem erat habitura, delatus ad Virginem, appellari meritò palma posset; atque idem foret, nunciare eiusmodi mortem, ac palmam quodammodo victrici porrigere.

De Apostolorum aduentu sententia.

VII. Quod autem hoc loco narratur, de Apostolis circumquaque profectis Hierosolymam ad obitum Virginis; & si profertur, ex eodem libro proscripto, qui prostat sub nomine Melitonis; non tamen, teste Baronio [a], idcircò reijcitur; quoniam Hierosolymæ Antistes Iuuenalis, qui sæculo floruit post Christum natum quinto, acceptum id ex antiquâ, & verissimâ maiorum traditione testatus est, cum coram Imperatore Marciano, de sanctissimo Mariæ obitu, & corpore, rationem reddere iussus, luculentam habuit orationem: cui testimonio, labentibus subinde sæculi subscripsere, sexto quidem post exortum Christi, Andreas Cretensis [b] alter Hierosolymæ Antistes, & Michael Syngellus [c], qui Dionysij Areopagitæ vitam conscripsit, ac Turonensis Gregorius [d]; septimo Euthymius [e] historicus, qui laudatum paulò ante Iuuenalis colloquium ad Marcianum Cæsarem, atque Pulcheriam refert, Ildephonsus [f] Episcopus Toletanus, & Ioannes [g] Damascenus; nono Simeon Metaphrastes [h], de Sanctorum actis optimè meritus decimo Michaël Glycas [i]; decimo tertio, Nicephorus Callistus; & nostrâ ætate quamplurimi. Sed iugi sæculorum lapsu, cum reperta sint agmina sacrorum Doctorum asserentium, conuenisse Apostolos Hierosolymam, ex plurimis orbis partibus, ad Mariæ obitum; anteferendum omnibus est, Areopagitæ Dionysij, omnium antiquissimi testimonium, qui non de Apostolis solum, sed de Apostolicis viris pluribus, atque adeò de se ipso idem affirmat. Neque verò eius opera, quæ manibus hodie litteratorum teruntur, cum sciolis quibusdam, Erasmo, Valla, alijsque dabis mihi suspecta, cum suo illa calculo probent, è summorum Pontificum numero [k] Gregorius Magnus, Martinus [l] Martyr, Agatho [m], Nicolaus primus; itemque generalia Concilia duo [n] sextum, & septimum [o], plurimique insignes suo æuo Doctores, qui, teste Bellarmino [p], in eadem tanquam germana S. Dionysij Areopagitæ opera, commentarios eruditè scripserunt. Nec mirum videri debet, si ante Gregorij tempora, illorum nemo meminerit; cum fortasse latere alicubi vsque eò potuerint (quod scimus & alijs eiusmodi monumentis identidem contigisse) ac tandem reperta circà æuum Sancti Gregorij, viderint lucem . . . . . .

Auctores asfirmantes illum aduentũ

Dionysii Areopagitę testimonium de eodem.

Eius opera à summis Pontificibus, et Conciliis Generalibus agnita.

a Baron. ad an. Chr 48
b Andreas Cret. or. 2. de Dormit. Deipara.
c Syngel. vita Dionys.
d Gregor. Turon. l. 1. de gloria Martyrum
e Euthym. l. 3. cap. 40. apud Damasc.
f Ildeph. or. de Assumpt. B. M.
g Io: Damasc. or. de Dor. Virg.
h Metaph. or. de vit. & obi Virg.
i Glyc. in Ann. Niceph. lib. 15. cap. 14.
k S. Greg. hom. 34. in Euang.
l S. Martinus Mar. in Concilio Rom.
m Agatho ep. ad Constantinum 4. Imp.
n Nicolaus I. epist. ad Michaelem Balbũ Imp.
o Concil. Gẽ. 6. Act. 4
p Cõcil. Gẽ. 7. Act. 1.
q Bellarm. de Script. Eccles.
r Dionys. l. de diu. nom. cap. 1.

VIII. Igi-

a Dionys. l. de diu. nom. cap. 3.

VIII. Igitur Dionysius [a] scripto ad Timotheum Ephesiorum Episcopum de diuinis nominibus libro, qui inter genuinos tanti patris fœtus adnumeratur, suum Hierosolymam accessum commemorat, aitque se ibi affuisse vnà cum ipso, ad quem scribit, Timotheo, cum Apostolis tum viuentibus, alijsque Apostolorum discipulis, quò simul omnes intuerentur corpus Deiparæ, vtpotè ex hac mortali vitâ migraturæ, quod nimirum corpus, auctorem salutis, Deumque suscepisset; atque ad id spectaculum, diuinam bonitatem vno ore laudarent. Sed proferantur verba ipsa sancti Doctoris; ex græco in latinum ferè verbatim reddita. *Apud ipsos etiam Pontifices nostros, qui Numine diuino permoti erant, cum & nos, vt scis, & tu, & multi ex sanctis fratribus nostris, corporis, quod Auctorem vitæ, Deumque recepisset, videndi causa conuenissemus (aderat autem & Iacobus frater Domini, & Petrus supremum, & maximè venerandum Theologorum, siue Apostolorum fastigium) placuissetque eo viso, ab omnibus Pontificibus, vt quisque idoneus erat, infinita potentia præditam bonitatem laudare.* Ex quo loco testatum vides, non modò Apostolos id temporis superstites, Hierosolymam conuenisse, ad Deiparæ funus; sed alios etiam ex eorum disciplinâ: imò quod momenti plurimum habere videtur, pro re nostrâ ferè conuinci; ante hunc annum non obijsse Dei Genitricem: nam si Dionysius ante annos quinque à Paulo conuersus ad fidem Athenis fuit; atque ibidem paulò post constitutus Episcopus; si præterea semel saltem viuentem Dei matrem Hierosolymæ inuisit; quod vulgata, receptàque docet historia, de eo ad Mariæ conspectum attonito, asserere cogimur factum id ante hunc annum; quo nimirum decurrente; cum accessisse tandem vltimâ vice Paulum Hierosolymam, Apostolorum tradat historia, ibidem fuisse cum Paulo Dionysium ad Virginis funus, facilè inducimur, vt credamus.

Recitatur & expenditur S. Dionysii testimonium.

IX. At in nostram sententiam aliqui non concedunt, quasi verò malè nitamur Dionysij testimonio, quod valdè ambiguum ducunt interpretes; cum eorum aliqui non ad sacrosanctum corpus Dei Genitricis, referendum esse censeant: sed ad Iesu Christi potius vel sepulcrum, vel carnem diuinitati coniunctam, vel certè ad ædes in Sionis monte D. Virginis habitatione consecratas. De sepulcro Dominici corporis locum intelligit Hilduinus [b] Abbas, Areopagiticorum scriptor ad Ludouicum Pium; sed est improbabilis interpretatio; sicut etiam improbabilius loquuntur Matthæus [c] Galenus, &c

In nostram expositionē obiectio.

b Hild. in Areop.
c Matth. Galen. in prop. ad Areop.

Diluitur.

nus, & Anastasius Bibliothecarius a dum alter ad Virginis domum, alter ad Christi carnem Dionysij verba detorquent. Quomodo enim (vrget optime Cardinalis Baronius b) tot annis ante quam Dionysius, imo & Paulus sese ad Christi signa recepissent, Hierosolymæ cum Timotheo, & Hierotheo, inter Apostolos affuisse dicentur? quid causæ fuit, cur Apostoli ipsi toto Orbe dispersi, ad inspectandum Saluatoris sepulcrum, aut ædes inuisendas Virginis vsui designatas conuenerint? cur ad ea laudanda omne tunc studium, & vim spiritus adhibuerint? an præterea Hierotheus, ac Dionysius, alijque Apostolorum discipuli conuenire eò poterant, ad intuenda, laudandàque Iesu Christi Liberatoris mysteria, quando nondum ipsum cognorant? Quapropter nonnisi de sacrosancto Dei Genitricis corpore, locutum esse Dionysium Græci omnes intellexerunt, apud Ioannem Damascenum Euthymius, Andreas Cretensis, Metaphrastes, Nicephorus, Glycas, atque interpretes ex neotericis plurimi.

a Anast. praef. ad Carol.
b Barõ. an. Chr. 48 n. 8

Auctores suprà laudati.

Aduentus Apostolorum an sine miraculo.

X. Cum ergò in eam sententiam conspirēt auctores laudati, nec aliter explicari commodè queat Dionysij locus, positâ præsertim peruetustâ Patrum traditione, de Apostolis, eorumque discipulis, simul profectis ad D. Virginem morituram: dubium superest, an contigerit aduentus sine miraculo, præmonitis tantùm in tempore, tum qui Hierosolymæ sedem habebant, tum qui propè aut longè aberant, instare vltimum in terris Deiparæ diem, ità cælestes docuisse nuncios; conueniendum esse omnibus Hierosolymam ad extremos tantæ Matris affatus: fore singulis accessum salutarem, eosque admissos ad maternum amplexum bonâ Virginis precatione impertiendos. Equidem non negauerim, potuisse absque miraculo conuenire, si Deus ità singulos mouisset, vt iter susciperent Hierosolymam versus, tanquam alia negotia peracturi: at verò sic reipsâ factum esse nequaquam euincitur; cum opus foret celeritate; & multi id temporis quam longissimè abessent; quare nisi ad pluscules saltem dies animarum procuratione relictâ aduenire non poterant. Si quis è sacris paginis recolat singulorum Apostolorum per hunc ipsum annum labores, idem, vt reor, affirmabit. Omissis igitur Iacobo, Ioannis fratre, Philippo, atque etiam ex aliquorum sententiâ Bartholomæo, qui glorioso, vt suprà docuimus, certamine, cursum mortalitatis absoluerant. Petrus, teste Metaphraste, in Aegypto versabatur, & Claudij contrà Iudæos edicto per Neronem reuocato, Romam cogitabat. Paulus Ephesò digressus,

Probabilius aduenisse cũ miraculo.

Colligitur ex variis per id tempus Apostolorum Actis, & præcipuè Petri ac Pauli.

sus, Achaia, & Macedonia peragrata, datisque epistolis duabus, Nicopoli quidem secundâ ad Corinthios, suarum ærumnarum catalogum continente, Cenchreis verò ex nauali Corinthiorum ad Romanos, Troade Cæsaream venit, inque domum Philippi Diaconi, & quatuor Virginum Prophetidum patris, vt ait Lucas, se recepit ad aliquot dies, ac denique Hierosolymam migrauit, vbi Iudæorum illicò interceptus insidijs, dictaque primùm apud Felicem Præsidem, mox etiam apud Porcium Festum causâ, cùm Cæsarem appellasset, Romam itinere maritimo vinctus mittitur ad Neronem. Si quis tempora secum reputet, ac rerum gestarum historiam, quam Lucas persequitur; facilè inueniet, inchoatam hoc anno nauigationem ante Kalendas Augusti, perseuerasse per eum mensem in suo cursu, & præsertim decimo octauo [a] Kalendas Septembris, quo die ponimus migrasse Deiparam, annos natam septuaginta duos, non quidem absolutos, sed [b] sexto idus Septembris proximè consecuturi mensis explendos. Ex reliquis Apostolis, plerique aberant quam longissimè, cum Andreas in Achaiâ, Thomas apud Indos vel Parthos, Matthæus in Aethiopiâ, Simon in Mesopotamiâ, Iudas autem eadem cum Simone, aut in Arabiâ, vel Idumæâ, Euangelij sementem facerent. Cæteri non longè distabant, Ioannes quidem Asiæ destinatus, apud Dei Matrem sibi à Christo commendatam, custodis munere fungebatur; Iacobus frater Domini Hierosolymæ Episcopus, ibi ad suum clauum sedebat; & Matthias nondum excesserat è Iudæâ. Itaque etiamsi tres postremi, vt viciniores, adstiterint sine miraculo Virgini morituræ; num in reliquis per tot locorum interualla dissitis, Pauloque nominatim in vinculis existente, difficultas cessabit? ità vt affirmare meritò potuerit Dionysius; se tunc Hierosolymæ interfuisse cum Petro, alijsque qui superstites forent, Apostolis: cum præsertim tot auctores antiquitate non minus, quàm sapientiâ venerandi, acceptâ ex maiorum documento notitiâ, asserant; Cælitum ministerio, nubiumque vehiculis, omnes id temporis ductos Hierosolymam fuisse, & reductos ad propria, vt celerior migratio foret, nec diutius curis deessent. Præterea compertum est, elapsis retrò sæculis, Sanctorum gratiâ, non semel Deum admiranda patrasse, quæ & si quandoque poterant exhiberi naturæ viribus; attamen datum ille voluit alicuius sanctitati, ne sine miraculo fierent. Iussit Philippum [c] ire Gazam, vt Aethiopum Reginæ Candacis Eunuchum, Euangelicus magister instrueret: an non potuit eidem, opere abso-

a 15. Aug.

b 8. Septem.

c Act. 8. v. 39.

Et mox aliorum.

Miracula in gratiam Sanctorum exhibita.

absoluto, iter pariter indicere Azotum versus? & tamen spiritu Domini raptum in sublime Philippum, ait Lucas [a], ibi celerrime affuisse. Item Babylone potuisset Deus vel è domo regiâ, vel aliunde, apponere Danieli captiuo mensam, vt se reficeret, nihilominus ducto per Angelum Habacuco [b], atque in lacum leonum immisso, voluit ad seruum suum ieiunum cibos asportari. Quid ergò miremur, si in gratiam suæ sanctissimæ ac dilectissimæ Matris, aut certè ad solamen Apostolorum, hos concesserit ad illam morientem diuinitùs duci, & reduci vnde recesserant, iustis persolutis; ne ad plures dies Ecclesiæ suos ministros ac pastores desiderarent? Neque verò dicimus, viros Apostolicos, quotquot affuerunt, omnes hac ratione fuisse delatos; cum credamus potius, eorum plures, ante dies aliquot, per litteras, aut certos nuncios, didicisse à Fidelibus Hierosolymæ degentibus, imminentem Virginis obitum, præsertim si propè erant, atque ità se viæ dedisse. Cæterùm admittere miracula in aliquibus etiam, qui venerunt præter Apostolos, nihil prohibet, licet quinam, at quot illi fuerint definire non possimus. Quod verò dicitur de Sancto Thomâ post alios Apostolos Hierosolymam aducto, vndè sumat auctoritatem, indicabimus infrà.

a *Act. 8.* 40.

b *Daniel.* 14. *ver.* 33. *&c.*

Locus in quẽ Apostoli conuenerunt.

XI. Interim prodigioso omnium aduentu, nouus coactus est cætus, ad honestandum Mariæ funus, cui (si hoc anno accidit) haud dubio Angelorum ministerio Petrus interfuit ex Aegypto; Paulus paulò ante Hierosolymam profectus, atque à Iudæis vinctus, ex Centurionis custodiâ, in quâ Romam ducebatur; & reliqui è sedibus suis. Locus in quem conuenerunt, fuit illa à Virgine postremis annis habitata domus in Sionis monte; quam domum ad Ioannem pertinuisse, non Euangelistam, sed alterum, cognomento Marcum, suo loco fusè docuimus. In eâ, vbi Christum plura nobis reliquisse diximus suæ clementiæ monumenta, Diua Virgo vixit, Filio in cælum recepto, & post binas annorum decadas ab eius triumpho euolutas, vnamque olympiadem ferè exeuntem, mortua ibidem creditur. Ità Patrum [c] plerique scripserũt, qui vnam eandemque in Sionis monte domum, sacrorum mysteriorum ad Christum & Deiparam pertinentium veluti theatrum effectam, receptaculum primum agnoscunt Christianæ Religionis, & cunctarum normam Ecclesiarum.

Domus in qua mortua Virgo.

c *Apud Christophorum Castrium hist. Deip. c. 10. num. 6.*

XII. Sed iam modum exponamus, quo Dei Mater morti succumbens, huius vitæ peregrinationem absoluit. Quòd gladio non obierit, apud omnes est in confesso, quicquid in-

contrarium nonnulli afferant, de quibus Timotheus Presbyter Hierosolymitanus [a], Isidorus [b], ac Beda [c]; cum constet, deceptos esse oraculo [d] Simeonis gladium prænunciantis ipsius animam peruasurum. Quod tamen oraculum intelligendum docent interpretes, pro grauissimis doloribus, & peracerbis animæ cruciatibus, dicente sacro vate, non corpus Deiparæ, sed animam, gladio transfigendam, quæ vulnus à ferro recipere suapte naturâ non valet. Insuper non modò apud sacros Historicos altum est de Mariæ cruentâ morte silentium; vt scribit ex Ambrosio Augustinus [e]: sed etiam apud Dionysium [f] legitur luculentum testimonium, de eius felici quidem obitu, sed incruento. At enim quâ de causâ moriendum fuerit Virgini siccâ morte, videri potest obscurum: nam obijsse eam morbi vi, qui ex humorum intemperie prouenerit, aut corporis à senio debilitati, nec vllus dixit, nec dici potest: cum omnes meritò affirment, Deiparam æquè ac Christum nulli vnquam morbo fuisse obnoxiam. Interrogabat olim Barbarus; mortuane Deipara foret, an viueret? responsum est; viuere nunc illam, atque adeò non esse inter mortuos recensendam: hinc tamen emigrasse per mortem; & quasi in somno, placidissimè Deo animam reddidisse, quemadmodum costa fertur Adamo dormienti detracta. Theophilus [g] Raynaudus non improbat in Diptichis hoc responsum, modò tantùm significet: Dei Genitricem de instante morte præmonitam, non ex languore, vel senio, adimente corpori facultatem animæ conseruandæ; sed diuinâ voluntate, & Filij vocatu leniter expirasse, cum se prius ad orandum composuisset; quâ specie defunctum Paulum Eremitarum parentem, scribit S. Hieronymus [h], cum hoc tamen discrimine, quòd alter viribus destitutus, altera Deo iubente, naturæ concessit. Inde Molanus [i] docens habitu & specie ægrotantis pingendam non esse ex Iudoco Clicthouæo [k] *Crediderim*, inquit, *eam non decubuisse lecto, cum venia pictorum, & sculptorum; sed flexis reuerenter genibus, & sublatis in cælum manibus, inter orandum, acceptissimum Deo spiritum commendasse*. Deinde subdit ex eodem *nullum emigrationis à corpore genus præstantius, nulla honestior ratio, quam in speciem orantis positis genibus, & vtraque in cælum extenta manu. extremum diem claudere.* Si decumbentis in morte situm, ablegabat à se Romanus Imperator, qui se nonnisi [l] stantem aiebat, mori oportere: quid magis decorum Dei Matri, quam orantis specie mortem oppetere? At verò si decubuisse eam demus [m] Andreæ Cretensi, Ildephonso, Turonensi

Modus quo Deipara mortua.

Non morte cruenta.

Nec morbi vi.

De Virginis morte respósum.

Diuina voluntate, & Filij vocatu mortua.

Quo habitu & specie pingenda in morte sit.

a *Timoth. Hom. de Simeone.*
b *Isido. l. de vita & morte SS. cap. 68.*
c *Beda Luc. 1.*
d *Luc. 2. v. 35.*
e *August. serm. 35. de Sanctis.*
f *Dionys. Areop. vt sup.*
g *Raynaud Diptich. p. 1 pun. 10.*
h *Hierony. in vita Pauli primi Eremita.*
i *Molan. l. 3. de Imag. cap. 31.*
k *Clictho. l. de Assump cap. 6.*
l *Sueton. in Vespasiano cap. 24.*
m *Locis suprà allegatis.*

ronensi Gregorio, ac Damasceno, lectum, in quo Deipara moriens iacuit, commemorantibus; ipsisque pictoribus, qui iacentem exprimunt in obitus puncto: fuit certè non ex præuio virium defectu, aut languore vllo decubitus: sed, vt deuitatâ singularis priuilegij laude, communi more è vitâ discederet, quæ semper omnem externarum rerum oderat fastum, maxima cæteroqui mortalium. Vtcunque se res habeat, dicamus obijsse Virginem Dei iussu, animam placidè quasi per blanditias extrahentis, quâ ratione defunctum Mosen sacræ litteræ [a] tradunt; cum post annos vitæ centum viginti, valido corpori nec oculi caligarent, nec dentes mouerentur. Eodem mortis genere sublatum è viuis fuisse Ioannem dilectum Christi discipulum, refert Nicephorus [b], quasi deceret, Mariæ similem mori, qui similis vixerat. Denique ex Amedeo [c] Lausanensi Episcopo in Deiparæ occumbentis contemplationem abrepto, appellare illam libet *orientem magis, quam morientem; abituram potius, quam obituram*; & dicere, eius decessum, viam ad vitam, imò vitam, vbi sola mors moritur; nil habere doloris, acerbitatis nihil, nihil formidinis.

Cur Deipara dicatur moriens decubuisse.

a Deuter. c. 34. vers. 5. & seqq.

b Niceph. Hist. l. 2. c. 42.

c Amed. Laus. hom. 7

XIII. Hic alij causam inquirentes, cur Deipara mortua sit, nisi morbus intercessit, existimant tribui posse eiusmodi mortem, ardentissimo ergà Deum amori, quo velut incendio colliquefactam dicunt [d] defecisse. Atqui difficultate non vacat assertio: quoniam Mariæ ergà Deum amor is est, qui præcipuè eius de diuinis rebus splendidissimæ notitiæ, atque adeò infusæ cælitùs scientiæ, quæ non pendebat à corpore, subiunctus sit: idcircò non videtur potuisse Virgini languorem inferre, & viribus destitutæ etiam mortem: cum ratum præterea ferè apud omnes habeatur, eiusmodi corporeæ constitutionis, fuisse Deiparam; vt ne sub mortem quidem ægrotarit, neque decuerit, perfectæ sanctimoniæ vasculum, nullâ vnquam labe pollutum, morbo quassari. Cæterùm si sacri Doctores indignum arbitrantur, eandem animi deliquium passam, aut solo consternatam iacuisse, in vnici filij ad Crucem iacturâ, vbi stetisse fertur intrepida, & constans ad doloris aculeos propè immensi: cur idem non feratur iudicium in amoris affectu; ne videatur, eo veluti telo sauciata perijsse?

An saltem mortua sit ex amore in Deum.

d Apud Theophili Raynaudi Dipt. par. 1 pun. 10.

Pars negans probatur à pari.

XIV. Quod verò nonnulli asserunt [e] eius laudem aliunde captantes; non fuisse morti obnoxiam, sed illâ nihilominus defecisse sibi indebitâ, planè & expeditè refellitur, si dicamus, Virginem sacrosanctam, etiamsi à quacunque pec-

Refelluntur qui dicunt, Virginē morte sibi indebita defecisse.

e Apud Clicthouæū opusc. de doloribus Deipara in passione Christi l. 14

cati ma-

cati maculâ prorsus immunem; tamen vt Adami filiam, nostratibus pœnis, quæ ipsam non dedecerent, (qualem rectè dixeris mortem) fuisse subiectam, debuisse mori, & mortis debitum omninò soluisse: quam mortem non negamus esse pœnam peccati, ab Adamo perpetrati; sed pariter affirmamus, eandem pœnam, in omnes posteros, quantumuis ab omni culpæ labe puros, infeliciter esse diffusam. Multum accipit roboris hæc doctrina ab elucubratione, quam typis vulgauit, vir pereruditus Lucas Vvadingus [a], de sacrâ sui Ordinis historiâ optimè meritus, nec ità multò pridem ad plures appositus. Nam auctor Deiparæ studiosus in primis, benè probat illam *obijsse ex conditione mortalis ac destituta naturæ*, adeòque corporis mortem, illibato eiusdem conceptui neutiquam aduersari.

a Lucas Vvad. Op. Immacula. ta Concepttioni B. V. non aduersari eius mortem.

XV. Quinam fuerint Apostolorum affectus, cum Dominæ morienti adstarent; quantâ cum reuerentiâ coram Arcâ Dei, iam iam ad superos transmittendâ, venerandus cætus procumberet; quæ singuli monita, tanquam vltima in terris amoris pignora, ex parente & magistrâ susceperint, ne cogitare quidem, nedum dicere satis possumus. Conatus est id facere Amadeus [b], siue Amator Lusitanus, Ordinis Minorum, Sixto Quarto Pontifici Maximo à confessionibus, qui superioribus proximè sæculis floruit integritate, ac doctrinâ. Is ex commentationibus sacris, nouum opus vulgauit sub titulo Apocalypsis, in quâ per varios mentis raptus, quasi docente Gabriele Archangelo, Deiparæ mysteria prosecutus, eius in morte & Apostolorum colloquutiones mutuas, mutuàque officia piè retexit. Hos quidem inducit, Reginam prolixiori sermone vltimùm salutantes, illam verò singulis in pauca verba, apto cuicumque elogio, benè precantem: sicuti factum [c] à Iacobo moriente, cum filijs suis duodecim, totidem tribuum progenitoribus, supremùm benediceret longæuus senex, sacræ litteræ memorant. At nos relinquentes hæc lectoris pietati per otium recolenda, quærimus tantùm: An, & quomodo Diua Virgo ad morientium exemplar, sacramenta ritè susceperit, nobis in extremo agone præscripta, rebusque prouiderit nonnullis, quas apud se habebat.

De Apostolorum affectibus ad Deiparam morientem.

b Amad. in noua Apocalypsi de Deiparæ mysterijs.

De ijs piæ commentationes.

c Gen. 49. per totum.

XVI. De sumpto ab ipsâ id temporis Eucharistiæ sacramento, nemo, vt arbitror, dubitare iure potest; cum enim post institutionem tanti mysterij, refici quotidie, aut certè quam sæpissimè Eucharistico pane consueuisset, id quod solenne Christianis fuit sub initia nascentis Ecclesiæ: quis negabit, hac potissimùm horâ suæ migrationis ad Deum, Angelo-

An Deipara moritura sumpserit Eucharistiæ sacramentum.

rum caruisse cibo Virginem morituram, quæ nimirum data erat posteris in exemplar, non solum vitæ, sed etiam mortis Christiano ritu obeundæ? vt nos ab eâ disceremus omnes; dominici corporis, in speciem panis, viaticum, esse viuentibus pariter, ac morientibus necessarium. Fateor quidem, nesciri; cuius manu sic sacra esca diuinæ Matri in morte porrecta; an Ioannis, qui tanquam illius Sacerdos destinatus à Christo fuerat, & sæpe viuenti ministrauerat sacramentum; an Petri, qui Apostolici cætus ibidem collecti Princeps erat; an denique ipsius Christi, quem ad id muneris obeundum, affuisse morienti cum Angelis stipatoribus, Gerson [a] Cancellarius Parisiensis coniectat. Maior est inter Doctores quæstio: an D. Virgini sanctum sit adhibitum oleum, quo morte instante ad vltimam cum Dæmone luctam inungimur. Nibil prohibet, nos sentire cum ijs, qui partem tuentur affirmantem. Quoniam & si dant Mariam in obitu fuisse inunctam, non tamen, vt abstergerentur reliquiæ peccatorum, quæ nunquam admisit; neque vt morbi vis arceretur, quo nunquam fuit afflictata; neque vt humani generis hostes abigerentur, qui semper ab illâ victi, semper procul absfuerunt; sed vt nouo diuinæ gratiæ cumulo augeret animo sanctitatem; omnibusque Christianæ humilitatis, & obedientiæ exempla præberet; sicuti eâdem de causâ, dicitur fuisse baptismo abluta, licet maculâ vel leuissimi criminis nullâ sorderet. Ità apud S. Antoninum [b] Magnus Albertus [c]. Ità Suarius [d], alijque.

Et cuius manu.

An sacrô Oleo sit inuncta.

a Gerson Tract. 9. sup. Magnificat partit. 1.

XVII. De rebus à Virgine in morte relictis, omitti non debet, quod affert Nicephorus [e]; eius quasi testamentum memorari, par vestium, quibus vsa fuisset ad corporis tegumentum, in duas virgines sibi diu comites, tanquam mnemosynon iussum distribui, siue vt adamatæ hactenus paupertatis, reculis hisce ad heredes transmissis, argumentum ostenderet; siue vt in geminis tunicis, suum virginibus relinqueret spiritum; quemadmodum olim Elias in cælum raptus, superiniectu pallij suum demiserat Elisæo discipulo. Ambigimus præterea, an idem dicendum sit, de mobilibus alijs, ad vestitum Virginis, vsumque spectantibus, vt de vno & altero annulo, de chirothecâ, de socco seu crepidâ, de pectine, de interulis, de zonâ, de velo, & similibus, quæ in varijs Christiani Orbis partibus, asseruari in hunc vsque diem, colique à Fidelibus fama est; nam, si vere de singulis circumferuntur historiæ, quas pietas vulgauit, & credit; non vtique certum est, in morte Virginis fuisse distributa, cùm potuerint multò ante à

b S. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 1.
c Albertus Marial. c. 43. 74.
d Suar. to. 4 in 3. par. disp. 42. sect. 2. num. 11.
e Niceph. Hist. l. 2. c. 21. & l. 15. cap. 14.

De rebus in morte relictis à Deipara.

De duabus tunicis.

De aliis mobilibus ad corporis cultum spectantibus.

piâ ac

tæ Iuuenalis Episcopi Hierosolymitani tempora repertum, sub terrâ altè defossâ, quò per gradus circiter sexaginta descensus patuit: qui verò illuc hoc æuo peregrinantur, aiunt in petrâ excisum esse, atque instar sepulcri, quod Dominum condidit, natiuo inhærere immobiliter lapidi; idque Beda [a] suâ ætate vacuum ibidem perstitisse testatur; tantum abest, vt aliò translatum fuerit ante id tempus, quod nonnulli scripserunt. Cæterum Andreas Cretensis [b] miracula plura recenset, quibus Deus suæ Matris tumulum cohonestatum non semel voluit, ad eorum, qui locum inuiserent, vtilitatem. Quod verò narratur accidisse Iudæo cuidam, dum sacrum illuc efferretur corpus, licet in proscripto Pseudo-Melitonis libello legatur; tamen quoniam ex testimonio S. Iuuenalis [c], perantiquæ nititur traditioni maiorum, non improbandum censent veteres [d], nouique scriptores. Audax Christianorum osor ex populo recutito, cum ægrè ferret, Iesu Christi parentem pio comitatu, & nobili exequiarum pompâ sepulturæ mandari; repentè irrupit in feretrum, vt exturbatum inde per vim cadauer indignis modis afficeret. Verùm sacrilego pœna non defuit ab vltore cælo; nam hærentibus feretro manibus ambabus, & brachijs, reliquum Iudæi corpus semianime ac mutilum iacuit: mox ille cum propè animam ageret, reuersus ad cor, ac scelus detestatus, Christo se dedidit, & pristinam membrorum integritatem recepit.

a Beda l. de loc. san. c. 6.

b Andreas Cret. or. 2. de Assump.

c Apud Nicephorum Hist. l. 2. c. 21. & l. 15. cap. 14.

d Io. Damascenus. Metaphrastes. Baronius.

Diuina vltio in Iudæum sacri funeris contemptorem.

XX. Iustis interea persolutis, virgineum corpusculum terræ mandatur, sed ad breue temporis spatium, nam animam ex custodiâ emissam, stipantibus Angelis à Christo exceptam, cæloque donatam, sequitur postmodum illud quoque volente Numine, surgitque de tumulo rediuiuum. Gloriosam magnæ Virginis anastasim, assumptumque corpus vnà cum animâ in sublimem sedem, supra Cælitum choros, Ecclesia Catholica profitetur; damnato tamen Collyridianorum commento, qui diuinam Deiparæ immortalitatem, & naturam alteram à nostrate tribuebant; eius enim in Assumptæ festo celebrando sensus est; exuscitatam à morte tanquam à somno, cæli terræque Reginam, in solio diuinæ Triadi proximo consedisse, eoque exaltatam à Fidelibus coli; quicquid Vsuardus [e] & Ado prænotarint in Sanctorum fastis, dicentes: votiuam excedentis è vitâ memoriam, sic tandem recoli, vt credat quidem Ecclesia, pro conditione carnis Mariam migrasse; vbi verò corpus, Dei iussu sit collocatum, malle se cum pietate nescire, quam friuolum aliquid, & apocryphum pronunciare.

Sepultura Virginis & Resurrectio.

e Vsuardus & Ado in Martyrologijs.

Dignus

ruit. Aulæ Romanæ in funestum theatrum conuersæ, opponere libet Sionis montem, Mariâ nostrâ duce, pacis & concordiæ receptaculum: quæ sanè tranquillitas in alias quoque terras emanat, vbicumque Christum Deum, & Virginem Matrem, ex Apostolorum doctrinâ populi agnoscunt, & colunt.

Opponitur tranquillitati, quæ prodit è Sionis monte per Mariam.

Annus Christi 58.
B. M. Virginis 72. Petri Rom. Pont. 14.
Neronis Imperatoris 2.

I. ANnus, in quem ingredimur, octauus & quinquagesimus ab ortu Christi, cum secundo ac septuagesimo Virginis magnâ ex parte concurrit: ideòque quòd vixisse illam vltrà hunc terminum, aut ante mortuam esse, negent hoc æuo complures, adhærentes Epiphanio & Cedreno, propter auctoritatem magni Areopagitæ Dionysij [a], qui se vnà cum Apostolis, alijsque Apostolorum discipulis, interfuisse testatur Deiparæ funeri; inde conficitur, eam hoc ipso anno de vitâ migrasse: quam sententiam suffragatorum numero præstantem cæteris omnibus; inductoque in plures Orbis Christiani partes precario serto, decadas non senas, sed septenas globulorum continente, iam ferè communem, nos non sine diligenti examine referemus, ità quidem vt relinquatur liberum erudito lectori de re totâ iudicium. Annus igitur Pauli carcere, atque itinere, Romam versus in vinculis memorandus, mortem dabit magnæ Matris, plurium Sanctorum ad eam per Angelos accessum ex varijs mundi partibus, peractum ritè funus, anastasim gloriosam, atque assumptionem in cælum, relictum Apostolis in terrâ solamen, & descriptum à S. Lucâ Euangelium.

Præparatio rerum huius anni dicendarum.

Earumque summa.

a Dionysius l. 3. de diu. nom.

II. Reuocare in dubium non licet, etiamsi in sacris litteris non habeatur expressum, & dubitare aliquando S. Epiphanius [b] videatur: vtrum Virgo sanctissima verè sit mortua, an potius mortis expers translata ad superos fuerit: nam ad secundam omninò partem affirmantem, satis est Ecclesiæ vniuersæ auctoritas, firma Patrum, & perantiqua traditio, sacrarum regula scripturarum, de omnibus Adami filijs sæpe prolata; vt se morti obnoxios non solùm agnoscant, sed etiam aliquando morituros, à quâ lege nec ipse Dei Filius Iesus Christus eximi voluit: Mors enim corporis non eiusce conditionis, ac notæ videtur, quæ sicuti Liberatorem nostrum Deum & homi-

Certum est, Deiparâ esse mortuam.

b S. Epiph. hær. 78.

& hominem, ità & eius Matrem ab omni culpâ liberam non decereť, canente regio Psalte [a]. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum*. Præterea nobis esto certum, eâ n sanctissimæ Virgini contigisse mortem, quam ideò Græci Patres *Dormitionem* appellant, quia non tam ex violento corporis morbo, quam ex naturæ debito extitisse videtur, instar somni breuissimo tempore duraturi, & paulò post in admirandæ anastasis gloriam permutandi, addito præsertim maximo videndi inter Cælites Numinis desiderio, post exactum vitæ curriculum. Neque est, cur quempiam offendat, anceps Epiphanij de Mariæ morte sententia, quoniam si ritè perpendas sacri Doctoris verba, facilè comperies, inquit [b] Canisius illum affirmare, de obitu & sepulcro Deiparæ, nihil in sacris litteris esse conscriptum; id quod minimè cadit in controuersiam. Ast alij admirabuntur Epiphanij in loquendo modestiam, ex quâ nihil ille sit ausus in re propositâ definire; ideòque abstinens à declaratione sui sensus, solum profiteatur, se neque dicere Mariam immortalem permansisse, neque mortuam affirmare: nisi potius placeat cum Baronio [c] aliter eius mentem interpretari, vt nimirum Sanctus Doctor repressurus Hæreticorum perfidiam, suo æuo diuinæ Matris virginitatem carpentium, & vel purissimam ab omni labe temerè libidinis insimulantium, sublimem tantæ Virginis excellentiam, ex hac parte declaret; dum quam aliena fuerit ab omni carnis illecebrâ, per hoc ipsum insinuat, quòd neque an mortua fuerit, possit è sacrarum oraculis litterarum ostendi. Cæterùm Catholica Ecclesia nullam de obitu Dei Genitricis dubitationem admittit, sed quam nouit humanæ naturæ consortem, subijsse pariter affirmat humanam moriendi necessitatem. Denique sicuti de morte Virginis non ambigimus, ità neque de loco vbi soluit hoc naturæ tributum, quem locum Hierosolymam fuisse, nullus ferè iam negat.

a Psal. 115. ver. 15.

b Canis. l. 5. Marial. c. 2.

c Baro. an. Chris. 48. num. 11.

Nec mortillam, sicuti neque Christû deducit.

Explicatur Epiphanii sententia de morte Deiparæ.

III. Hoc posito, vera virgineæ mortis historia, quam nunc retexere nos cogit annalium ratio, petenda est non à scriptis, quæ de eâ ad nostram ætatem peruenerint, monumentis; quoniam vix vlla reperies, quorum auctoritas & fides non vacillet; sed ab ijs testimonijs, quæ Patrum plures, tanquam sibi à maioribus tradita, transmiserunt ad nos, & citrà controuersiam videmus in Ecclesiâ iam recipi. Peruetustus de obitu Virginis libellus, Melitonis [d] Sardensis in Asiâ Episcopi nomine inscriptus, inter apocryphos à Gelasio Pontifice recensetur, eumque Bellarminus [e] indignum iudicat, qui Me-

d Libellus de Trãsitu Virginis Melitoni ascriptus 1. tom. Biblioth. PP.

e Bellarm. de scriptor. Eccles.

Ad narrationem mortis Deiparæ præparatio.

litoni

litoni sapientissimo viro ascribatur: attamen liçet illi non habendam fidem Beda a pronunciet, aliqua certè sunt, quæ non solùm, vt Baronius b ait, vera esse potuerunt, sed etiam habenda pro veris, consensus in ea Patrum, & suffragatio persuadet; cum præsertim tanquam ex ore parentum accepta æuo quisque suo proponeret. Igitur ne commemoratis quidem ijs, quorum subobscura est, aut falsa narratio, selectam dabimus, de obitu Deiparæ, probatam, & fide dignam historiam: imò curabimus, vt paulatim, suoque ordine relata per partes, rationum ac testimoniorum pondere, in singulis veritatem exhibeat.

a Beda in retract. in Act. cap. 8. b Baronius ad an. Chr. 48. à nu. 13

Merita D. Virginis semper aucta.

IV. Auxerat Virgini sanctissimæ apud Deum merita, productum cum vitâ in terris exilium, & concessis diuinitùs donis animum abundè cumularat. Nam si vel ante Christi conceptum, digna fuit, quam internuncius de cælo Gabriel plenam gratiâ salutaret, vtpotè internâ mentis pulcritudine affluenter ornatam; quibus deinceps augmentis, toto vitæ cursu prouectam, quanti hoc anno, quo mortuam ponimus, meriti fuisse dicemus, quam itâ semper negotiatam esse scimus accepta talenta, vt nullum quidem momentum temporis otiosum labi permiserit, quin siue vigilans, siue dormiens nouas gratiæ & sanctitatis accessiones lucraretur? neque verò dubium est: an Virgo ab ipso sui conceptu sancta, Deo largiente, plus cælestium donorum acceperit, quam quilibet è Sanctorum ordinibus, aut Angelorum vllus è supremo choro; quoniam quotusquisque non videt, eiusmodi suprà singulos Cælitum excellentiam, Deiparæ dignitati conuenire? at cadere in dubitationem potest; an illa, cum primùm in vtero matris sancta fuit, tantum habuerit diuinæ gratiæ, quantum omnes simul Cælites, siue ex hominibus, siue ex Angelis habuisse creduntur. Verùm non deest è scholâ Theologorum, qui partem tueantur affirmantem, dicantque; primam Deiparæ in conceptu sanctitatem, eâ fuisse maiorem, quæ Angelis omnibus, Diuisque contigit; quia Reginæ suprà omnes dilectæ, plura ac potiora, quam vniuerso subditorum agmini à Rege sunt debita, atque ex hac amoris prærogatiuâ, qua suam Deus Matrem dignatus est, diuina liberalitas in eâ ornandâ, præfertur beneficijs exhibitis vniuersitati Sanctorum. Conuenire præterea videbatur, vt Virgo Mater, Filio quamsimillima foret; ideoque hoc etiam diuinæ charitatis augmento, gratiæque apud Deum cumulo, quam proximè accedere debuit ad Christi sanctitatem, seruatâ, vt aiunt, proportione.

Vsque ad mortem.

An Virgo in suo conceptu sanctior quam omnes simul Cælites.

Vide Suar. tom. 2. in 3. par. disp. 18. sect. 4.

Christum

Bernard. ser. in Natiuit. Mariæ, de Aquæductu.

Christum in Ecclesiâ, inquit Bernardus, fontem esse dixeris, vnde gratiarum flumina abundè promanant: Virginem verò instar tubi, per quem ductus liquor ille cælestis, in Sanctorum pectora, velut in riuulos dispertitur. Itaque sicut in Christo tanquam in fonte, sanctitas omnis, omniumque exuberantia colligitur gratiarum; ità in Matre reperitur tanquam in aquæductu, per quem distribuenda est in riuulos, ad communem vtilitatem.

Christus fons sanctitatis, Maria tanquam canalis.

V. Cum igitur hanc veluti sortem amplissimam Virgo in bonis obtinuisset, non destitit vnquam illam exercere, atque augere, dum vixit: quia quicquid egit instar peratttentæ negotiationis fuit, ad maiora semper meritorum compendia facienda. Actus ab eâ quicunque ex deliberatione processit, nec vlla fuit nisi cum virtute deliberatio, cum omnia in Deum referret, summâ dilectione quæsitum, ipsa interim nullis animi perturbationibus, nullo externarum rerum impedimento distracta. Quare cogitationes quæcunque, appetitiones, voluntates, cæterique actus omnes, ne minimùm quidem exorbitantes à regulâ, augebant illi meritum, per quod duplo maior gratiæ cumulus semper accedebat, honestè semper operanti. Itaque conatu voluntatis ad momenta singula magis magisque crescente, ferebatur in Deum Virginis amor, incrementis semper in duplum repetitis, adeò vt postremus exeunte vitâ charitatis actus, plus gratiæ ac sanctitatis fuerit reipsâ consecutus, quam anteactæ vitæ, quoad omnes eius partes accesserit. Neque mirum videri debet, si perbreui temporis spatio, tantum in animo pulcritudinis augmentum contigerit; cum id factum concedatur in Angelorum supremo, qui, aut est, sicuti nonnulli sentiunt, post sanctissimam Virginem in gloriâ primus; aut certè, quod nemo negat, de sublimioribus in eâdem gloriâ, quam vti præmium rei benè gestæ suscepit, ritè quidem illam promeritus, non interuallo temporis magno, sed citrà vnius horæ quadrantem; cum, intensorum actuum veluti negotiatione gratiam acceptam exercuit. Itaque eo spatio breuissimo ascendisse illum comperies ad altiorem sanctitatis gradum, quam nonaginta, aut centum vitæ annis plures Sanctorum. Vt autem melius intelligatur admirabile hoc rei spiritualis augmentum, & nunquam intermissa sacri thesauri in alterum tantum multiplicatio, meminisse iuuat arithmetici documenti, ex quo Christophorus Clauius [a] ostendit, quam copiosò monadum numero crescat, res aucta semper in duplum. Si in tabellâ latrunculorum luso-

Gratia & Sãctitas in Virgine semper aucta.

Et quidem in duplum.

De eius postremo charitatis actu in fine vitæ.

Explicatio à simili.

Augmẽtum gratiæ in duplum, alia similitudine explicatur.

Clauius l. 5. Arith. pract. c. 25.

lusoriâ, sedes quatuor & sexaginta, certis spatijs interstinctas, sic impleas, vt obolum vnum in primâ loces; duos in alterâ, quatuor in tertiâ, octo in quartâ; sexdecim in quintâ, & sic deinceps in cæteris, vsque ad sexagesimam quartam, semper duplo plures. Quot putas tandem in tabulâ futuras monades obolorum? deprehendes profectò innumeras myriadum myriadas, & plus quam millies millies centena millia; quot, inquit Clauius, denarios vix in toto mundo reperias. Qui verò simile diuinæ gratiæ augmentum Virgini Deiparæ ascribunt, non ij pias tantum commentationes afferunt, sed desumpta ex Theologiæ promptuarijs argumenta. Quare meritò in hanc Reginam cadit Salomonis[a] elogium, quod accommodare illi solet Ecclesia: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias; tu supergressa es vniuersas.* At quæ hactenus diximus, intelligenda sunt de gratiâ, quæ sanctam efficit animam, iustamque reddit, ac Deo pergratam: cum reliqua diuinæ liberalitatis dona, pro libito largientis in sanctos collata, sapientiam, miracula, prophetiam, aliaque gratiæ nomine in sacris litteris designata, censeat cum sacris Doctoribus D. Thomas[b], Virgini Deiparæ non defuisse, licet exemplum datura summæ in tantâ dignitate modestiæ, eorum abstinuerit vsu, quod benè Toletus[c] exponit. Cæterùm ante quam progredior, placet superiorem sententiam de merito Virginis, à religioso[d] Poetâ eleganti carmine paulò ante descriptam, editamque in lucem, hîc reddere.

Alia diuinæ liberalitatis dona quæ veniunt nomine Gratiæ.

a Prou. 31. vers. 29.

b S. Thom. 3. par. q. 27. art. 5.

c Tolet. in Luc. cap. 1. annot. 67.

d Antonius Chaunius Soc. Ies. par. 3. lib. 1. cap. 4.

Cum Virgo concepta, gradum, quò maximus olim
Hæserat Aligerum, meriti, molimine primo
Attigit, vt decreta parens, dignandaque donis
Ex ortu præ seruitijs: velut ardua muros
Et claras Solymæ tollens in sidera pinnas,
Prima super sanctos posuit fundamina montes.
Hæc dia Charitos, meritique ingentis origo.
Perpete per vitam nisu, tum viribus æquans
Aethereis animæ vires, effusaque toto
Impete, se maior semper, conamine partus
Extremo, momenta ferè per singula, duplis
Auctibus, accumulauit opes: hinc hebdomas omnes
Vnica mortales, immortalesque reliquit
Oppressos meritis immanibus, altera quantis
Obruit aggeribus? quid menstrua luna? quid annus?
Quid lustrum? quid prima decas? quid longa sequentum
Ex alijs decadum series? quæ talis ab ortu

Augmētum gratiæ in Virgine Poeticè explicatum.

Mater-

Materno concepta vtero, quid nata sub auras?
Ad sanctos quid sacra lares? & clausa decenni
Sub templi penetrale mora, quid lecta Tonanti
Mater, & innocuo diuina puerpera partu?
Quid nutrix, natique comes, consorsque laborum
Ingentum; & letho sobolis tot lustra superstes?

VI. Cum eò ætatis ac meriti Virgo processisset; desiderium animo concepit ardentius, videndi tandem in cælesti gloriâ Filij, suæque inter mortales peregrinationis absoluendæ: quod enim habuisse in votis sanctos omnes, ex mortali vitâ ad immortalem migraturos, docent passim eorum historiæ: id vtique longè plurimum exoptasse credimus Deiparam, omnibus diuinorum cognitione, & Numinis amore præstantem. Eius purissimum cor, nullo terrenarum rerum pondere prægrauatum, liberis expeditè votis ferebatur ad Deum, in cuius sinum ab hoc mortalitatis exilio se tandem recipere cupiebat, instar columbæ crebris ad cælum volatibus continenter exercitæ. Et verò id temporis Ecclesia toto iam terrarum orbe diffusa, vsque eò creuerat, vt abstrahi à complexu posset tantæ Matris, patrocinium deinceps habitura iam in cælo regnantis. Annuit ardentissimis Mariæ votis diuina Maiestas, & extremum in terrâ Virgini diem, imò exoptatam felicissimi obitus horam, nunciari iubet ab vno Cælitum, quem fuisse Gabrielem, tum recepta docet historia, tum ratio ipsa persuadet: ecquem enim decebat magis hæc postrema legatio, quam cælestem spiritum, custodem Virgini cælitùs designatum, & cæteris ad illam legationibus, anteactâ vitâ perfunctum, eâque præsertim, quæ Verbum diuinum, carne vestiendum nunciauit? Præmonitos persæpe fuisse sanctos de imminente morte, ex peculiari Dei illorum vitam remunerantis priuilegio, nemo est qui nesciat, vel mediocriter in sacris monumentis versatus. Quis ergò neget, præuentam D. Virginem, honoratamque diuinitùs consimili nuncio, cum proxima morti foret, vt longum recepto in cælum Christo exilium, amaramque solitudinem solaretur; agnoscens, se voti compotem breui futuram, atque ad nati conspectum quantociùs admittendam. Quod verò addunt ex Cedreno [a] nonnulli, oblatum fuisse ab Angelo, morituræ Virgini, palmæ ramusculum, in signum victoriæ ex Orco reportatæ, ac veluti præludium triumphi, ad quem vocabatur; præter librum apocryphum Melitoni ascriptum, vnde desumitur, alterius auctoritatem, à quâ firmetur, non habet; nisi fortè veniat in

D. Virginis desiderium Dei videndi.

Cui Deus annuit, & obitum immi nentem nunciauit per Archangelū Gabrielem.

An palma eidem allata

[a] Cedren. Hist. compendio.

mentem, suspicari; dictum id', non propriè, sed metaphoricè accipiendum; quasi verò nuncius ipse mortis, quæ victoriæ ac triumphi speciem erat habitura, delatus ad Virginem, appellari meritò palma posset; atque idem foret, nunciare eiusmodi mortem, ac palmam quodammodo victrici porrigere.

De Apostolorum aduentu sententia.

VII. Quod autem hoc loco narratur, de Apostolis circumquaque profectis Hierosolymam ad obitum Virginis; & si profertur, ex eodem libro proscripto, qui prostat sub nomine Melitonis; non tamen, teste Baronio [a], idcircò reijcitur; quoniam Hierosolymæ Antistes Iuuenalis, qui sæculo floruit post Christum natum quinto, acceptum id ex antiquâ, & vetissimâ maiorum traditione testatus est, cum coram Imperatore Marciano, de sanctissimo Mariæ obitu, & corpore, rationem reddere iussus, luculentam habuit orationem: cui testimonio, labentibus subinde sæculi subscripsere, sexto quidem post exortum Christi, Andreas Cretensis [b] alter Hierosolymæ Antistes, & Michael Syngellus [c], qui Dionysij Areopagitæ vitam conscripsit, ac Turonensis Gregorius [d]; septimo Euthymius [e] historicus, qui laudatum paulò ante Iuuenalis colloquium ad Marcianum Cæsarem, atque Pulcheriam refert, Ildephonsus [f] Episcopus Toletanus, & Ioannes [g] Damascenus; nono Simeon Metaphrastes [h], de Sanctorum actis optimè meritus decimo Michaël Glycas [i]; decimo tertio, Nicephorus Callistus; & nostrâ ætate quamplurimi. Sed iugi sæculorum lapsu, cum reperta sint agmina sacrorum Doctorum asserentium, conuenisse Apostolos Hierosolymam, ex plurimis orbis partibus, ad Mariæ obitum; anteferendum omnibus est, Areopagitæ Dionysij, omnium antiquissimi testimonium, qui non de Apostolis solum, sed de Apostolicis viris pluribus, atque adeò de se ipso idem affirmat. Neque verò eius opera, quæ manibus hodie litteratorum teruntur, cum sciolis quibusdam, Erasmo, Valla, alijsque dabis mihi suspecta, cum suo illa calculo probent, è summorum Pontificum numero [k] Gregorius Magnus, Martinus [l] Martyr, Agatho [m], Nicolaus primus; itemque generalia Concilia duo [n] sextum, & septimum [o], plurimique insignes suo æuo Doctores, qui, teste Bellarmino [p], in eadem tanquam germana S. Dionysij Areopagitæ opera, commentarios eruditè scripserunt. Nec mirum videri debet, si ante Gregorij tempora, illorum nemo meminerit; cum fortasse latere alicubi vsque eò potuerint (quod scimus & alijs eiusmodi monumentis identidem contigisse) ac tandem reperta circà æuum Sancti Gregorij, viderint lucem [illegible]

Auctores affirmantes illum aduentū.

Dionysii Areopagitæ testimonium de eodem.

Eius opera à summis Pontificibus, et Conciliis Generalibus agnita.

a Baron. ad an. Chr. 48
b Andreas Cret. or. 2. de Dormit. Deipara.
c Syngel. in vita Dionys.
d Gregor. Turon. l. 1. de gloria Martyrum
e Euthym. l. 3. cap. 40. apud Damasc.
f Ildeph. or. de Assumpt. B. M.
g Io. Damasc. or. de Dor. Virg.
h Metaph. or. de vit. & obi. Virg.
i Glyc. in Ann. Niceph. lib. 15. cap. 14.
k S. Greg. hom. 34. in Euang.
l S. Martinus Mar. in Concilio Rom.
m Agatho ep. ad Constantinum 4. Imp.
n Nicolaus I. epist. ad Michaelem Balbi Imp.
o Concil. Gr. 6. Act. 4
p Cōcil. Gr. 7. Act. 2.
q Bellarm. de Script. Eccles.
r Dionys. l. de diu. nom. cap. 3.

VIII. Igitur Dionysius [a] scripto ad Timotheum Ephesiorum Episcopum de diuinis nominibus libro, qui inter genuinos tanti patris fætus adnumeratur, suum Hierosolymam accessum commemorat, aitque se ibi affuisse vnà cum ipso, ad quem scribit, Timotheo, cum Apostolis tum viuentibus, alijsque Apostolorum discipulis, quò simul omnes intuerentur corpus Deiparæ, vtpotè ex hac mortali vitâ migraturæ, quod nimirum corpus, auctorem salutis, Deumque suscepisset, atque ad id spectaculum, diuinam bonitatem vno ore laudarent. Sed proferantur verba ipsa sancti Doctoris; ex græco in latinum ferè verbatim reddita. *Apud ipsos etiam Pontifices nostros, qui Numine diuino permoti erant, cum & nos, vt scis, & tu, & multi ex sanctis fratribus nostris, corporis, quod Auctorem vitæ, Deumque recepisset, videndi causa conuenissemus (aderat autem & Iacobus frater Domini, & Petrus supremum, & maximè venerandum Theologorum, siue Apostolorum fastigium) placuissetque eo viso, ab omnibus Pontificibus, vt quisque idoneus erat, infinita potentia præditam bonitatem laudare.* Ex quo loco restatum vides, non modò Apostolos id temporis superstites, Hierosolymam conuenisse, ad Deiparæ funus; sed alios etiam ex eorum disciplinâ: imò quod momenti plurimum habere videtur, pro re nostrâ ferè conuinci; ante hunc annum non obijsse Dei Genitricem: nam si Dionysius ante annos quinque à Paulo conuersus ad fidem Athenis fuit; atque ibidem paulò post constitutus Episcopus; si præterea semel saltem viuentem Dei matrem Hierosolymæ inuisit; quod vulgata, receptàque docet historia, de eo ad Mariæ conspectum attonito, asserere cogimur factum id ante hunc annum; quo nimirum decurrente; cum accessisse tandem vltimâ vice Paulum Hierosolymam, Apostolorum tradat historia, ibidem fuisse cum Paulo Dionysium ad Virginis funus, facilè inducimur, vt credamus.

a Dionys. l. de diuin. nom. cap. 3.

Recitatur & expenditur S. Dionysii testimonium.

IX. At in nostram sententiam aliqui non concedunt, quasi verò malè nitamur Dionysij testimonio, quod valdè ambiguum ducunt interpretes; cum eorum aliqui non ad sacrosanctum corpus Dei Genitricis, referendum esse censeant: sed ad Iesu Christi potius vel sepulcrum, vel carnem diuinitati coniunctam, vel certè ad ædes in Sionis monte D. Virginis habitatione consecratas. De sepulcro Dominici corporis locum intelligit Hilduinus [b] Abbas, Areopagiticorum scriptor ad Ludouicum Pium; sed est improbabilis interpretatio; sicut etiam improbabilius loquuntur Matthæus [c] Galenus, &

In nostram expositionē obiectio.

b Hild. in Areop. c Matth. Galen. in præp. ad Areop.

Diluitur.

nus, & Anastasius Bibliothecarius a dum alter ad Virginis domum, alter ad Christi carnem Dionysij verba detorquent. Quomodo enim (vrget optimè Cardinalis Baronius b) tot annis ante quam Dionysius, imo & Paulus sese ad Christi signa recepissent, Hierosolymæ cum Timotheo, & Hierotheo, inter Apostolos affuisse dicentur? quid causæ fuit, cur Apostoli ipsi toto Orbe dispersi, ad inspectandum Saluatoris sepulcrum, aut ædes inuisendas Virginis vsui designatas conuenerint? cur ad ea laudanda omne tunc studium, & vim spiritus adhibuerint? an præterea Hierotheus, ac Dionysius, alijque Apostolorum discipuli conuenire eò poterant, ad intuenda, laudandàque Iesu Christi Liberatoris mysteria, quando nondum ipsum cognorant? Quapropter nonnisi de sacrosancto Dei Genitricis corpore, locutum esse Dionysium Græci omnes intellexerunt, apud Ioannem Damascenum Euthymius, Andreas Cretensis, Metaphrastes, Nicephorus, Glycas, atque interpretes ex neotericis plurimi.

a Anast. pref. ad Carol. b Barō. an. Chr. 48. n. 8

Auctores suprà laudati.

X. Cum ergò in eam sententiam conspirēt auctores laudati, nec aliter explicari commodè queat Dionysij locus, positâ præsertim peruetustâ Patrum traditione, de Apostolis, eorumque discipulis, simul profectis ad D. Virginem morituram: dubium superest, an contigerit aduentus sine miraculo, præmonitis tantùm in tempore, tum qui Hierosolymæ sedem habebant, tum qui propè aut longè aberant, instare vltimum in terris Deiparæ diem, ità cælestes docuisse nuncios; conueniendum esse omnibus Hierosolymam ad extremos tantæ Matris affatus: fore singulis accessum salutarem, eosque admissos ad maternum amplexum bonâ Virginis precatione impertiendos. Equidem non negauerim, potuisse absque miraculo conuenire, si Deus ità singulos mouisset, vt iter susciperent Hierosolymam versus, tanquam alia negotia peracturi: at verò sic reipsâ factum esse nequaquam euincitur; cum opus foret celeritate; & multi id temporis quam longissimè abessent; quare nisi ad plusculos saltem dies animarum procuratione relictâ aduenire non poterant. Si quis è sacris paginis recolat singulorum Apostolorum per hunc ipsum annum labores, idem, vt reor, affirmabit. Omissis igitur Iacobo, Ioannis fratre, Philippo, atque etiam ex aliquorum sententiâ Bartholomæo, qui glorioso, vt suprà docuimus, certamine, cursum mortalitatis absoluerant. Petrus, teste Metaphraste, in Aegypto versabatur, & Claudij contrà Iudæos edicto per Neronem reuocato, Romam cogitabat. Paulus Epheso digressus,

Aduentus à [illegible] an sine miraculo.

Probabilius aduenisse cū miraculo.

Colligitur ex variis per id tempus Apostolorum Actis, & præcipuè Petri ac Pauli.

sus, Achaiâ, & Macedoniâ peragratâ, datisque epistolis duabus, Nicopoli quidem secundâ ad Corinthios, suarum ærumnarum catalogum continente, Cenchreis verò ex natali Corinthiorum ad Romanos. Troade Cæsaream venit, inque domum Philippi Diaconi, & quatuor Virginum Prophetidum patris, vt ait Lucas, se recepit ad aliquot dies, ac denique Hierosolymam migrauit, vbi Iudæorum illicò interceptus insidijs, dictaque primùm apud Felicem Præsidem, mox etiam apud Porcium Festum causâ, cum Cæsarem appellasset, Romam itinere maritimo vinctus mittitur ad Neronem. Si quis tempora secum reputet, ac rerum gestarum historiam, quam Lucas persequitur; facile inueniet, inchoatam hoc anno nauigationem ante Kalendas Augusti, perseuerasse per eum mensem in suo cursu, & præsertim decimo octauo [a] Kalendas Septembris, quo die ponimus migrasse Deiparam, annos natam septuaginta duos, non quidem absolutos, sed [b] sexto idus Septembris proximè consecuturi mensis explendos. Ex reliquis Apostolis, plerique aberant quam longissimè, cum Andreas in Achaiâ, Thomas apud Indos vel Parthos, Matthæus in Aethiopiâ, Simon in Mesopotamiâ, Iudas aut in eâdem cum Simone, aut in Arabiâ, vel Idumæâ, Euangelij sementem facerent. Cæteri non longè distabant, Ioannes quidem Asiæ destinatus, apud Dei Matrem sibi à Christo commendatam, custodis munere fungebatur; Iacobus frater Domini Hierosolymæ Episcopus, ibi ad suum clauum sedebat; & Matthias nondum excesserat è Iudæâ. Itaque etiamsi tres postremi, vt viciniores, adstiterint sine miraculo Virgini morituræ; num in reliquis per tot locorum interualla dissitis, Pauloque nominatim in vinculis existente, difficultas cessabit? ità vt affirmare meritò potuerit Dionysius; se tunc Hierosolymæ interfuisse cum Petro, alijsque qui superstites forent, Apostolis: cum præsertim tot auctores antiquitate non minus, quam sapientiâ venerandi, acceptâ ex maiorum documento notitiâ, asserant; Cælitum ministerio, nubiumque vehiculis, omnes id temporis ductos Hierosolymam fuisse, & reductos ad propria, vt celerior migratio foret, nec diutius curis deessent. Præterea compertum est, elapsis retrò sæculis, Sanctorum gratiâ, non semel Deum admiranda patrasse, quæ & si quandoque poterant exhiberi naturæ viribus, attamen datum ille voluit alicuius sanctitati, ne sine miraculo fierent. Iussit Philippum [c] ire Gazam, vt Aethiopum Reginæ Candacis Eunuchum, Euangelicus magister instrueret: an non potuit eidem, opere abso-

a 15. Aug.

b 8. Septem.

c Act. 8. v. 39.

Et mox aliorum.

Miracula in gratiam Sanctorum exhibita.

absoluto, iter pariter indicere Azotum versus? & tamen spiritu Domini raptum in sublime Philippum, ait Lucas [a], ibi celerrime affuisse. Item Babylone potuisset Deus vel è domo regiâ, vel aliunde, apponere Danieli captiuo mensam, vt se reficeret, nihilominus ducto per Angelum Habacuco [b], atque in lacum leonum immisso, voluit ad seruum suum ieiunum cibos asportari. Quid ergò miremur, si in gratiam suæ sanctissimæ ac dilectissimæ Matris, aut certè ad solamen Apostolorum, hos concesserit ad illam morientem diuinitùs duci, & reduci vnde recesserant, iustis persolutis; ne ad plures dies Ecclesiæ suos ministros ac pastores desiderarent? Neque verò dicimus, viros Apostolicos, quotquot affuerunt, omnes hac ratione fuisse delatos; cum credamus potius, eorum plures, ante dies aliquot, per litteras, aut certos nuncios, didicisse à Fidelibus Hierosolymæ degentibus, imminentem Virginis obitum, præsertim si propè erant, atque ità se viæ dedisse. Cæterùm admittere miracula in aliquibus etiam, qui venerunt præter Apostolos, nihil prohibet, licet quinam, at quot illi fuerint definire non possimus. Quod verò dicitur de Sancto Thomâ post alios Apostolos Hierosolymam aducto, vnde sumat auctoritatem, indicabimus infrà.

a Act. 8. 40.

b Dani. 14. ver. ... &c.

XI. Interim prodigioso omnium aduentu, nouus coactus est cætus, ad honestandum Mariæ funus, cui (si hoc anno accidit) haud dubio Angelorum ministerio Petrus interfuit ex Aegypto; Paulus paulò ante Hierosolymam profectus, atque à Iudæis vinctus, ex Centurionis custodiâ, in quâ Romam ducebatur; & reliqui è sedibus suis. Locus in quem conuenerunt, fuit illa à Virgine postremis annis habitata domus in Sionis monte; quam domum ad Ioannem pertinuisse, non Euangelistam, sed alterum, cognomento Marcum, suo loco fusè docuimus. In eâ, vbi Christum plura nobis reliquisse diximus suæ clementiæ monumenta, Diua Virgo vixit, Filio in cælum recepto, & post binas annorum decadas ab eius triumpho euolutas, vnamque olympiadem ferè exeuntem, mortua ibidem creditur. Ità Patrum [c] plerique scripserũt, qui vnam eandemque in Sionis monte domum, sacrorum mysteriorum ad Christum & Deiparam pertinentium veluti theatrum effectam, receptaculum primum agnoscunt Christianæ Religionis, & cunctarum normam Ecclesiarum.

Locus in quẽ Apostoli cõuenerunt.

Domus in qua mortua Virgo.

c Apud Christo... rum Cas... trium bist. Deip. t. 20. num. 6.

XII. Sed iam modum exponamus, quo Dei Mater morti succumbens, huius vitæ peregrinationem absoluit. Quòd gladio non obierit, apud omnes est in confesso, quicquid in-

cont. a.

contrarium nonnulli afferant, de quibus Timotheus Presbyter Hierosolymitanus[a], Isidorus[b]; ac Beda[c]; cum constet, deceptos esse oraculo[d] Simeonis gladium prænunciantis ipsius animam peruasurum. Quod tamen oraculum intelligendum docent interpretes, pro grauissimis doloribus, & peracerbis animæ cruciatibus, dicente sacro vate, non corpus Deiparæ, sed animam, gladio transfigendam, quæ vulnus à ferro recipere suapte naturâ non valet. Insuper non modò apud sacros Historicos altum est de Mariæ cruentâ morte silentium; vt scribit ex Ambrosio Augustinus[e]: sed etiam apud Dionysium[f] legitur luculentum testimonium, de eius felici quidem obitu, sed incruento. At enim quâ de causâ moriendum fuerit Virgini siccâ morte, videri potest obscurum: nam obijsse eam morbi vi, qui ex humorum intemperie prouenerit, aut corporis à senio debilitati, nec vllus dixit, nec dici potest: cum omnes meritò affirment, Deiparam æquè ac Christum nulli vnquam morbo fuisse obnoxiam. Interrogabat olim Barbarus; mortuane Deipara foret, an viueret? responsum est; viuere nunc illam, atque adeò non esse inter mortuos recensendam: hinc tamen emigrasse per mortem; & quasi in somno, placidissimè Deo animam reddidisse, quemadmodum costa fertur Adamo dormienti detracta. Theophilus[g] Raynaudus non improbat in Diptichis hoc responsum, modò tantùm significet: Dei Genitricem de instante morte præmonitam, non ex languore, vel senio, adimente corpori facultatem animæ conseruandæ; sed diuinâ voluntate, & Filij vocatu leniter expirasse, cum se prius ad orandum composuisset; quâ specie defunctum Paulum Eremitarum parentem, scribit S. Hieronymus[h], cum hoc tamen discrimine, quòd alter viribus destitutus, altera Deo iubente, naturæ concessit. Inde Molanus[i] docens habitu & specie ægrotantis pingendam non esse ex Iudoco Clicthouæo[k] (*crediderim*, inquit, *eam non decubuisse lecto, cum venia pictorum, & sculptorum; sed flexis reuerenter genibus, & sublatis in cælum manibus, inter orandum, acceptissimum Deo spiritum commendasse*. Deinde subdit ex eodem *nullum emigrationis à corpore genus præstantius, nulla honestior ratio, quam in speciem orantis positis genibus, & vtraque in cælum extenta manu. extremum diem claudere.* Si decumbentis in morte situm, ablegabat à se Romanus Imperator, qui se nonnisi[l] stantem aiebat, mori oportere; quid magis decorum Dei Matri, quam orantis specie mortem oppetere? At verò si decubuisse eam demus[m] Andreæ Cretensi, Ildephonso, Tu-

ronensi

a *Timoth. Hom. de Simeone.*
b *Isido. l. de vita & morte SS. cap. 68.*
c *Beda Luc. 1.*
d *Luc. 2. v. 35.*
e *August. serm. 35. de Sanctis.*
f *Dionys. Areop. vt sup.*
g *Raynaud Diptich. p. 1 pun. 10.*
h *Hierony. in vita Pauli primi Eremita.*
i *Molan. l. 3. de Imag. cap. 31.*
k *Clictho. l. de Assump cap. 6.*
l *Sueton. in Vespasiano cap. 24.*
m *Locis suprà allegatis.*

Modus quo Deipara mortua.

Non morte cruenta.

Nec morbi vi.

De Virginis morte respõsum.

Diuina voluntate, & Filij vocatu mortua.

Quo habitu & specie pingenda in morte sit.

ronensi Gregorio, ac Damasceno, lectum, in quo Deipara moriens iacuit, commemorantibus; ipsisque pictoribus, qui iacentem exprimunt in obitus puncto: fuit certè non ex prauio virium defectu, aut languore vllo decubitus: sed, vt deuitatâ singularis priuilegij laude, communi more è vitâ discederet, quæ semper omnem externarum rerum oderat fastum, maxima cæteroqui mortalium. Vtcunque se res habeat, dicamus obijsse Virginem Dei iussu, animam placidè quasi per blanditias extrahentis, quâ ratione defunctum Mosen sacræ litteræ [a] tradunt; cum post annos vitæ centum viginti, valido corpori nec oculi caligarent, nec dentes mouerentur. Eodem mortis genere sublatum è viuis fuisse Ioannem dilectum Christi discipulum, refert Nicephorus [b], quasi deceret, Mariæ similem mori, qui similis vixerat. Denique ex Amedeo [c] Lausanensi Episcopo in Deiparæ occumbentis contemplationem abrepto, appellare illam libet *orientem magis, quam morientem*; *abituram potius, quam obituram*; & dicere, eius decessum, viam ad vitam, imò vitam, vbi sola mors moritur; nil habere doloris, acerbitatis nihil, nihil formidinis.

Cur Deipara dicatur moriens decubuisse.

a *Deuter. c. 34. vers. 5. & seqq.*

b *Niceph. Hist. l. 2. c. 42.*

c *Amed. Laus. hom. 7*

XIII. Hic alij causam inquirentes, cur Deipara mortua sit, nisi morbus intercesserit, existimant tribui posse eiusmodi mortem, ardentissimo ergà Deum amori, quo velut incendio colliquefactam dicunt [d] defecisse. Atqui difficultate non vacat assertio: quoniam Mariæ ergà Deum amor is est, qui præcipuè eius de diuinis rebus splendidissimæ notitiæ, atque adeò infusæ cælitùs scientiæ, quæ non pendebat à corpore, subiunctus sit: idcirco non videtur potuisse Virgini languorem inferre, & viribus destitutæ etiam mortem: cum ratum præterea ferè apud omnes habeatur, eiusmodi corporeæ constitutionis, fuisse Deiparam; vt ne sub mortem quidem ægrotarit, neque decuerit, perfectæ sanctimoniæ vasculum, nullâ vnquam labe pollutum, morbo quassari. Cæterùm si sacri Doctores indignum arbitrantur, eandem animi deliquium passam, aut solo consternatam iacuisse, in vnici filij ad Crucem iacturâ, vbi stetisse fertur intrepida, & constans ad doloris aculeos propè immensi: cur idem non feratur iudicium in amoris affectu; ne videatur, eo veluti telo saucia perijsse?

An saltem mortua sit ex amore in Deum.

d *Apud Theophilū Raynaudū Dipti par. 1 pun. 10.*

Pars negans probatur à pari.

XIV. Quod verò nonnulli asserunt [e] eius laudem aliunde captantes; non fuisse morti obnoxiam, sed illâ nihilominus defecisse sibi indebitâ, planè & expeditè refellitur, si dicamus, Virginem sacrosanctam, etiamsi à quacunque peccati ma-

Refelluntur qui dicunt, Virginē morte sibi indebita defecisse.

e *Apud Cliethouēū opusc. de doloribus Deipara in passione Christi c. 14*

cati maculâ prorsus immunem; tamen vt Adami filiam, nostratibus pœnis, quæ ipsam non dedecerent, (qualem rectè dixeris mortem) fuisse subiectam, debuisse mori, & mortis debitum omninò soluisse: quam mortem non negamus esse pœnam peccati, ab Adamo perpetrati; sed pariter affirmamus, eandem pœnam, in omnes posteros, quantumuis ab omni culpæ labe puros, infeliciter esse diffusam. Multum accipit roboris hæc doctrina ab elucubratione, quam typis vulgauit, vir pereruditus Lucas Vvadingus [a], de sacrâ sui Ordinis historiâ optimè meritus, nec ità multò pridem ad plures appositus. Nam auctor Deiparæ studiosus in primis, benè probat illam *obijsse ex conditione mortalis ac destitutæ naturæ*, adeòque corporis mortem, illibato eiusdem conceptui neutiquam aduersari.

a Lucas Vvad. Op. Immaculatæ Conceptioni B. V. non aduersari eius mortem.

XV. Quinam fuerint Apostolorum affectus, cum Dominæ morienti adstarent; quantâ cum reuerentiâ coram Arcâ Dei, iam iam ad superos transmittendâ, venerandus cætus procumberet; quæ singuli monita, tanquam vltima in terris amoris pignora, ex parente & magistrâ susceperint, ne cogitare quidem, nedum dicere satis possumus. Conatus est id facere Amadeus [b], siue Amator Lusitanus, Ordinis Minorum, Sixto Quarto Pontifici Maximo à confessionibus, qui superioribus proximè sæculis floruit integritate, ac doctrinâ. Is ex commentationibus sacris, nouum opus vulgauit sub titulo Apocalypsis, in quâ per varios mentis raptus, quasi docente Gabriele Archangelo, Deiparæ mysteria prosecutus, eius in morte & Apostolorum colloquutiones mutuas, mutuàque officia piè retexit. Hos quidem inducit, Reginam prolixiori sermone vltimùm salutantes, illam verò singulis in pauca verba, apto cuicumque elogio, benè precantem: sicuti factum [c] à Iacobo moriente, cum filijs suis duodecim, totidem tribuum progenitoribus, supremùm benediceret longæuus senex, sacræ litteræ memorant. At nos relinquentes hæc lectoris pietati per otium recolenda, quærimus tantùm: An, & quomodo Diua Virgo ad morientium exemplar, sacramenta ritè susceperit, nobis in extremo agone præscripta, rebusque prouiderit nonnullis, quas apud se habebat.

De Apostolorum affectibus ad Deiparam morientem.

b Amad. in noua Apocalypsi de Deiparæ mysterijs.

De ijs piæ commentationes.

c Gen. 49. per totum.

XVI. De sumpto ab ipsâ id temporis Eucharistiæ sacramento, nemo, vt arbitror, dubitare iure potest; cum enim post institutionem tanti mysterij, refici quotidie, aut certè quam sæpissimè Eucharistico pane consueuisset, id quod solenne Christianis fuit sub initia nascentis Ecclesiæ: quis negabit, hac potissimùm horâ suæ migrationis ad Deum, Angelorum ca-

An Deipara moritura sumpserit Eucharistiæ sacramentum.

ce Iuuenalis Episcopi Hierosolymitani tempora repertum, sub terrâ altè defossâ, quò per gradus circiter sexaginta descensus patuit: qui verò illuc hoc æuo peregrinantur, aiunt in petrâ excisum esse, atque instar sepulcri, quod Dominum condidit, natiuo inhærere immobiliter lapidi; idque Beda [a] suâ ætate vacuum ibidem perstitisse testatur; tantum abest, vt aliò translatum fuerit ante id tempus, quod nonnulli scripserunt. Cæterum Andreas Cretensis [b] miracula plura recenset, quibus Deus suæ Matris tumulum cohonestatum non semel voluit, ad eorum, qui locum inuiserent, vtilitatem. Quod verò narratur accidisse Iudæo cuidam, dum sacrum illuc efferretur corpus, licet in proscripto Pseudo-Melitonis libello legatur; tamen quoniam ex testimonio S. Iuuenalis [c], peranti quæ nititur traditioni maiorum, non improbandum censent veteres [d], nouique scriptores. Audax Christianorum osor ex populo recutito, cum ægrè ferret; Iesu Christi parentem pio comitatu, & nobili exequiarum pompâ sepulturæ mandari; repente irrupit in feretrum, vt exturbatum inde per vim cadauer indignis modis afficeret. Verùm sacrilego pœna non defuit ab vltore cælo; nam hærentibus feretro manibus ambabus, & brachijs, reliquum Iudæi corpus semianime ac mutilum iacuit: mox ille cum propè animam ageret, reuersus ad cor, ac scelus detestatus, Christo se dedidit; & pristinam membrorum integritatem recepit.

a Beda l. de loc. san. c. 6.

b Andreas Cret. or. 2. de Assump.

Diuina vltio in Iudæum sacri funeris contemptorem.

c Apud Nicephorum Hist. l. 1. c. 21. & l. 15. cap. 14.

d Io. Damascenus. Metaphrastes. Baronius.

XX. Iustis interea persolutis, virgineum corpusculum terræ mandatur, sed ad breue temporis spatium; nam animam ex custodiâ emissam, stipantibus Angelis à Christo exceptam, cæloque donatam, sequitur postmodum illud quoque volente Numine, surgitque de tumulo rediuiuum. Gloriosam magnæ Virginis anastasim, assumptumque corpus vnà cum animâ in sublimem sedem, supra Cælitum choros, Ecclesia Catholica profitetur; damnato tamen Collyridianorum commento, qui diuinam Deiparæ immortalitatem, & naturam alteram à nostrate tribuebant; eius enim in Assumptæ festo celebrando sensus est; exuscitatam à morte tanquam à somno, cæli terræque Reginam, in solio diuinæ Triadi proximo consedisse, eoque exaltatam à Fidelibus coli; quicquid Vsuardus [e] & Ado prænotarint in Sanctorum fastis, dicentes: vitiuam excedentis è vitâ memoriam, sic tandem recoli, vt credat quidem Ecclesia, pro conditione carnis Mariam migrasse; vbi verò corpus, Dei iussu sit collocatum, malle se cum pietate nescire, quam friuolum aliquid, & apocryphum pronunciare.

Sepultura Virginis & Resurrectio.

e Vsuardus & Ado in Martyrologijs.

Dignus

Locus falsò ascriptus Hieronymo aut Lophronio.

Dignus planè locus eruditorum censurâ,cum ex epistolâ quadam ductus sit, quam Paulæ & Eustochio, matri & filiæ Romanis inscriptam, plures inter opera recensent [a] S. Hieronymi. & non nemo putat esse Sophronij;vbi legitur quasi firmata calculo magni Doctoris sententia: *quid horum verius censeatur, ambigimus: animàne tantùm, an iuncta corpori sit in cælum recepta*. Sed nec Hieronymum sapit, nec illius, aut Sophronij esse potest epistola. Deprehendit Cardinalis Baronius [b] haud obscurum in vero scriptore mendacium, qui vt inueniret eo scripto fidem,sub speciosis nominibus Hieronymi,Paulæ, & Eustochij vulgandum curauit; an possit, inquit ille, S. Hieronymus, aut certè Sophronius censeri ab erudito temporum supputatore, auctor epistolæ, in quâ expressè agitur de Nestorianâ hæresi, aduersus Verbum diuinum carne vestitum,cum vtriusque Scriptoris æuo Nestorius nullus,in Iesum Christum Deum & hominem, virus euomuisset? Præterea pergit Chronistes eruditissimus aliunde euincere scripti fallaciam; cum enim in eo legatur, viuente Hieronymo, Dei Genitricis sepulcrum in omnium fuisse conspectu, dictum apertæ falsitatis arguitur, neque conuenire potest cum alijs ipsius Hieronymi testimonijs. Nam in primis, quod ait; Epiphanium, Hierosolymæ persæpe versatum, visum esse ipso loquendi modo, de morte Virginis dubitasse; nullâ id posset ratione probari, si Dei Genitricis sepulcrum in omnium oculis positum,certam omnibus faceret eius mortem. Deinde agẽs [c] alibi de Gethsemanes prædio, vnius tantum ædiculæ meminit, erectæ in horto,vbi Christus orauit, ne memorato quidem Virginis tumulo, quem fuisse vicinum oportuit, & suâ quoque ornatum æde Venerabilis Beda [d] testatur. Neque solùm allatus ex epistolâ locus, quæ falsò dicitur esse Hieronymi, aut Sophronij, dubitandi ansam dedit de corpore virginali; sed aliorum quoque auctoritas, quos ea decepit epistola, multis imposuit.

Pluribus ostenditur falsitas.

[a] *Apud Hieron. l. 9. ep. 10.*

[b] *Barõ. ad an. Chr. 48.*

[c] *Hierõ. de loc. Hebra.*

[d] *Beda lib. de Loc. sanctis c. 6.*

Nũc vniuersè sentit Ecclesia D. Virginẽ resurrexisse,& vnà cum corpore in cælum assumptam.

XXI. Fateor quidem primis ab assumptâ Virgine sæculis, ità loqui solitos fuisse Patrum nonnullos, vt dubitare viderentur; an illa post obitum rediuiua, in cælum vnà cum corpore sit euecta. At verò nunc illud sibi vniuersa persuadet Ecclesia, nec sine temeritatis notâ, dubitatio potest admitti. Recole iam, si libet, veteres Patres, tam Græcos quam Latinos; comperies sanè quamplurimos, huic sententiæ suffragari, quæ asserit Diuam Virginem in cælum assumptam esse cum corpore, post anastasim è sepulcro gloriosam: profert eorum

piâ ac prouidâ familiarium curâ seponi; nobis suo loco de ijs, ad veritatem indagandam, non semel redibit sermo. Genus verò aliud sacrarum Reliquiarum, quas ad Christum Dominum spectantes, prouida Mater apud se dum viueret custodiuit, verosimile est, venisse in manus Ioannis, quocum illa vixit, Filio ad cælum digresso; atque is Petro assentiente, custos eorum pignorum deinceps extitisse creditur; vt monumenta peculiaria mysteriorum Christi, in Ecclesiæ tandem sinum transmitterentur, cultum apud Fideles consequentibus subinde sæculis habitura. In horum numero sunt, pueriles infantis Dei fasciolæ, lintea, cunæ, & sepulcrale sudarium, cum sindone sepulti effigiem exhibente, & præcipuè sacrosancta præputij pellicula, quæ fuit de pueri corpusculo in circumcisione resecta. Hæc omnia, aliaque similia, seruauit diligentissimè viuens, & seruanda reliquit post obitum suum Virgo Mater; vt Saluatoris in terrâ memoriam iugiter excitarent, habita iam thesauri loco & culta in nobilissimis Orbis Christiani prouincijs; Romæ quidem lintea, & cunæ, sacrum Calcatæ præputium, in pago Vrbi proximo; sindon verò Taurini, in dominatu Ducis Sabaudiæ.

De Christi Reliquiis, quas apud se Virgo Mater seruauit.

XVIII. Verùm accedamùs iam ad sanctissimi obitus perillustre spectaculum, quod præter Apostolos, virosque primarios vndecumque collectos, exciuit è cælo Christum ipsum magnâ Cælitum catervâ stipatum. Exijt Deo vocante, atque vltrò inuitante, ab ergastulo carnis, instar columbæ, spiritus ille purissimus, ferè sub Auroram eius diei, quem suprà memorauimus decimum octauum [a] ante Kalendas Septembres. Hæc hora post mediam noctem quasi tertia, creditur maximæ Virgini in terris fuisse postrema, vigilantibus, vt ait Turonensis Gregorius [b], circà illam Apostolis, & diluculo aduentum Domini præstolantibus; ideòque Mariæ addictissimus cliens Ildephonsus [c], celebritatem eiusmodi noctis gloriosam appellat. Concurrentes Christo duce ad spectaculum Angelos, & Sanctos describunt Andreas Cretensis [d], Ioannes Damascenus, Simeon Metaphrastes, alijque. Nec dedecet, inter Cælites ad eiusmodi occursum expeditos, includere Prophetas, Patriarchas, Martyres, Virgines, & gloriosos Iesu Christi præcones, qui naturæ sine vllo persequentis Tyranni gladio fecerant satis, atque etiam quicunque ante Mariæ obitum in cælum migrauerant, morte immortalitatem consecuti. Equidem cum Ioanne Bonifacio [e] commemorem inter præcipuos virginei obitus spectatores, ad gratulationem paratos, Iose-

Ipse Virginis Deiparæ transitus.

a 15. Aug.

b Turonens. Gregor. l. 1. de gloria mart. c. 4.
c Ildephons. serm. 4 de Virg. Assumpt.
d Andreas Cret. Ioan. Damasc. Simeō Metaphr. locis sup. allegatis.
e Io. Bonif. Hist. Virg. l. 1. c. 20.

Occursus Cælitum ad eā morientem.

Aliqui eorum nomina tim exprimuntur.

rum suffragia Petrus Canisius[a], ostenditque quorum testimonijs, quibusue rationibus, & Scripturæ exemplis, vera Deiparæ anastasis, & rediuiui corporis in cælum metastasis confirmetur. Eadem suffragia Patrum colligit, atque in syllabum redigit Georgius Coluenerius[b], ad quem nos lectorem inuitantes, ab illis singillatim recensendis abstinemus; cùm præsertim in id æuum inciderimus, quo eam veritatem à pluribus iam sæculis tuetur Ecclesia, sicuti ex Ordine Romano[c] colligitur, ex D. Gregorij Sacramentario[d], alijsque sacrorum Rituum, & Missarum voluminibus perantiquis[e]. Accedit validissima ratio; quia non decebat, corpus illud, quod auctorem vitæ suscepit, pati corruptionem more cæterorum: Deus verò, qui voluit integrum permanere in conceptu partuque, cur non dicatur voluisse pariter incorruptum, & cinerum expers, in quos nostra ria, pro conditione carnis, migrare solent. Missis igitur longioribus hâc super re disputationibus, concludere semel cum Cardinali Baronio[f] licet; nos ex Romanæ Ecclesiæ vsu, iam diu apud Catholicos vbique probato, firmiter asserere, constanterque profiteri: Sanctissimam Dei Genitricem Mariam, vnà cum virgineo corpore, vnde Verbum diuinum carnem assumpsit, in cælum esse receptam; neque contrarium nisi ab Hæreticis, aut temerarijs affirmari. Græci autem, qui Dormitionis titulo hanc Virginis Assumptæ memoriam celebrarunt; nihil contrà videntur euincere; cùm Ioannes Damascenus, alijque eiusdem ritus, id in sacris vocabulum adhibentes, Virginem tamen profiteantur vnà cum corpore in cælum assumptam. Mortem Sanctorum natalis nomine recolendam proponit Ecclesia, quia tunc immortali vitæ censentur nasci, cum à mortali soluuntur. At Christi, & Deiparæ ad superos transitum rediuiuo cum corpore, illius quidem Ascensionem; huius verò Assumptionem vocat; quia sua alterum virtus, alteram manus diuina prouexit.

Ratio qua probatur incorruptio Deiparę corporis.

Dormitionis titulus apud Græcos, festo Assumptionis non aduersatur.

XXII. Hac veritate sic positâ, ne quid missum faciamus, inquirendum superest arcanum aliud; quoto post obitum die resurrexerit Virgo, cæloque vnà cum corpore sit illata. Scribunt aliqui cum Iacobo[g] Gretsero, die prorsus eodem, mortuam, vitæ restitutam, assumptamque fuisse, eâ potissimum ratione ducti, quòd votiua trium mysteriorum memoria, ab Ecclesiâ simul recolitur. Huic opinioni consentire videtur, quod cælitùs reuelatum aiunt B. Margaretæ[h] Contractæ: Virginem Deiparam ne vnius quidem noctis spatio fuisse in sepulcro mortuam, quoniam Angeli sacrum corpus exhuma-

Quoto post obitum die Virgo resurrexerit, & sit assumpta.

Prima sententia; eodem die assumptā esse, quo mortua est.

a Canisius Marial. l. 5 cap. 5.

b Coluener. Kalend. Virg. Aug. 15. nu. 19.

c Ordo Romanus.

d Sacramentarium D. Gregorij Collecta 1.

e Sacrorū Rituum & Missarum volumina.

f Barō. ib.

g Gretser. l. 3. commēt. ad cap. 15: Geor. Codini de offic. Eccl. Constantinopol.

h Vita mss. per Fr. eo: Dominicanum.

exhumatum, in Olitueto colle seruarunt, vsque ad ascensum Christi; cuius in triumpho sanctissima quoque Mater ad cælum est euecta. Sed deprehenditur apocrypha simul & falsa narratio, quoniam est hactenus inauditum, Virginem obijsse ante triumphalem Filij ad superos reditum; & contrarium apertè asseritur in Apostolorum historia, vbi S. Lucas [a] eius scriptor testatur; digresso iam Christo, Apostolos simul collectos, expectasse aduentum S. Spiritus, orantes vnanimiter *cum mulieribus, & Maria matre Iesu*. Præterea quòd eodem die mors Virginis & assumptio celebretur, non idcircò confici potest; vtramque simul accidisse, quoniam id factum existimamus eâ tantùm de causâ, quia certus ignoratur assumptæ Deiparæ dies, imò non protinus à morte contigisse assumptionem constat ex eo, quòd Apostoli (vti constantissimè traditur) decimo octauo [b] Kalendas Septembris, post eam proximè noctem, quâ mortua creditur Virgo, sacrum corpus ad villam Getsemanes, hymnodiâ perhonorificâ, accensisque de more facibus extulerunt, atque in Iosaphati valle collocarunt, edito palàm insigni miraculo in Iudæum quempiam, qui, vt diximus, virgineum è feretro cadauer proturbare conatus, Deum sceleris sensit vltorem. Alijs ab hac opinione plurimùm recedere placuit, assentientibus Virginem die post obitum quadragesimo in cælum assumptam; ideoque celebratam alicubi reperiri secundam eius Assumptionem nono [c] Kalendas Octobris, vt legitur in venerabilis Bedæ [d], itemque Vsuardi Martyrologio. Geminæ innititur reuelationi sententia, alteri quidem S. Elisabethæ, siue Schonaugiensis, vt ait Ioannes Belethus [e]; siue filiæ Regis Hungariæ, vt vult S. Antoninus [f]: alteri verò Bertrami Monachi Cisterciensis, quam scribit Cæsarius [g], & multis probat Chrisostomus Henriquez [h]. Verùm de veritate earum reuelationum non constat; neque ab Ecclesiâ sunt receptæ. Ideò qui fidem illis non præstet, non modò reprehendi non solet; sed etiam nihil detrahit eorum sanctitati, quibus factæ ponuntur: quoniam (vti docet S. Antoninus [i]) fieri potest, vt sacri vates aliquando credant, sibi nonnulla ostendi diuinitùs, quæ sua ipsis cogitatio suggerit, idque declarat exemplo Nathani [k] probantis Dauidi conceptam ædificandæ Deo domus voluntatem, cui tamen constat Deum neutiquam annuisse. Cæterùm hæc sententia de Virgine in cælum assumptâ, quadragesimo post obitum die, videtur excogitata ad similitudinem Ascensionis Christi, qui totidem post anastasim dies commoratus in terris, in cælum tandem Aposto-

Marginalia (left): Improbatur. — Altera sententia de die quadragesimo. — Hæc item reijcitur. — Vnde ducta fit sententia de Virgine Assumpta quadragesimo post obitum die.

Marginalia (right): a Act. 1. u. 14. — b 15. Aug. — c 23. Sept. — d Beda, & Vsuardi Martyrologia. — e Io: Beleth. lib. de diu. offic. c. 146. — f S. Anton. p. 3. hist. tit. 19. cap. 11. — g Cæsari. l. 7. Dialog. c. 38. — h Chrysost. Henriquez Menologio Cisterc. die 4. Iul. — i S. Anton. vt sup. — k Paralip. 17. v. 2. & 4.

Apostolis inspectantibus se recepit. Verùm non est eadem vtriusque ratio: oportuit enim Christum rediuiuum, ad probandam suam veram anastasim, exhibere se videndum Apostolis ad aliquot saltem dies; vt illi possent tanquam oculati testes toto terrarum orbe sacrum enunciare mysterium: Diuæ autem Virginis corpus tamdiu clausum in sepulcro remanere, nemo necessarium, aut certè conueniens iudicabit. Præterea antiqui Patres, qui ex maiorum traditione testantur, interfuisse Apostolos Mariæ funeri, hymnos decantasse, & adhibitâ cereorum luminum pompâ exequiarum iusta soluisse; vnde vetustissimum Ecclesiæ morem defunctos efferendi probat eruditè Canisius [a]; ij inquam Patres scribunt etiam vnanimi ferè omnes consensu, eosdem Apostolos ad sepulcrum postea redijsse, & vacuum pariter inspectasse. Neque videtur simile vero, ibidem substitisse ad dies quadraginta, quos Ecclesiarum sollicitudo ad relictas paulò ante prouincias quantociùs redire cogebat. Denique ea quæ reuelata feruntur Elisabethæ Schonaugiensi, improbat in multis [b] Erhardus Vvinheimus in suo Agrippinæ Sacrario, quò lectorem remittimus. Sunt etiam qui in designando Virginis assumptæ die, rationem habendam censeant alterius opinionis, cui fauet reuelatio D. Birgittæ [c], ex peculiari priuilegio consciæ cælestium arcanorum; nam illa in mentis raptu audisse fertur Deiparam sic loquentem: *quindecim diebus corpus meum iacuit in terra sepultum*, & alibi [d]: *mortua iacui in sepulcro per quindecim dies; deinde fui assumpta in cælum*. Quare apud sanctæ illius Viduæ discipulas, quas Birgittanas appellant, mos fuit, præter nostræ Dominæ Assumptionem, celebratam decimooctauo [e] Kalendas Septembris, quo mortua creditur Virgo sanctissima; alterum quoque festum eiusdem *Glorificatæ* titulo recolendi post dies quindecim, ad tertium nempe Kalendas [f] Septembris, eodem nocturnarum ac diurnarum precum ritu, quo honorari solet Assumptio. Sed hæc sententia, præter Birgittanum Ordinem, vix vllos habuit suffragatores; imò ne placet quidem Consaluo Duranto, qui D. Birgittæ reuelationes, aliaque opera in lucem edidit, & auctoritatem illarum pro virili propugnat. Is enim animaduertens sententiam afferri nusquam receptam, loci mendum ex typographorum vitio suspicatur [g], & non quindecim, sed aliquot dies existimat debuisse scribi. Itaque quantumuis illustrator, & interpres reuelationum D. Birgittæ, ab opinione, inde quidem deductâ, sed minus communi, recedit.

a Canisius Marial. l. 5 cap. 3.

b Erhard. Vvinhe. p. 85. ex Hermano Fleingene de hist. S. Vrsula.

c D. Birgit. l. 6 Reuel. cap. 62.

d Bademn. lib. 7. c. 26.

e 15. Aug.

f 30. Aug.

g Vide auctoris serm. Angelicum de Excellentia B. Maria c. 21

Tertia sententia de quinto decimo die.

Quam secuta est S. Birgitta, & eius Moniales Birgittanæ.

Quid de illa dicendum.

Quarta sententia verior de Tertio die.

XXIII. Ne verò diutius immoremur in re incertâ; cum plerique iam sentiant, eos audiendos esse præ cæteris, qui tertio post obitum die, Virginem resurrexisse scripserunt, cælo illatam vnà cum corpore: nos quoque concedimus in hanc sententiam, non solum omnium ferè sensu comprobatam; sed amplissimo innixam testimonio S. Iuuenalis Hierosolymitani Patriarchæ; qui (sicut ex historiâ [a] Euthymij referunt Nicephorus [b], Metaphrastes [c], & Damascenus [d]) traditam à maioribus natu, palam professus est, cum coram Marciano & Pulcheriâ Augustis, in Chalcedonensi concilio, interrogatus de Virginis Deiparæ obitu, eiusque sanctissimo corpore, publicè respondit, tum ea quæ nos hactenus recensuimus, tum illud maximè, quod prætermissum ab alijs, auctoritatem accipit ipso narrante; ad Mariæ nempe tumulum, auditos in Gethsemane fuisse Angelorum concentus tribus à morte diebus; iisque exactis Apostolum Thomam, qui funeri non interfuerat ob serum ab Indis aduentum, id vnum postulasse, vt sibi liceret ad animi solatium aperto sepulcro venerandum intueri corpus, ritè iam conditum: denique Apostolorum permissu, reseratum quidem loculamentum; sed præter sepulcrales fascias seorsim iacentes, nihil in eo fuisse repertum. Huic de S. Thomâ narrationi fidem conciliat Iuuenalis auctoritas, ad Imperatorem in sacrâ synodo sermonem habentis; vnde conficere etiam licet, ad tres tantùm dies, exanime Virginis corpus in sepulcro iacuisse, postmodum vitæ redditum atque translatum ad Superos.

Confirmatur testimonio S. Iuuenalis.

Qui retulit etiam aduentum tardiorem S. Thomæ Apostoli.

a Histor. Euthym. l. 3. cap. 40. b Niceph. l. 15. cap. 14. c Metaphr. ad 15. Aug. d Damasc. or. 2. de Assumpt.

XXIV. Confirmare idem possumus ex [e] Horologio Græcorum, seu variarum precum in horas adhibendarum notâ; vnde Iacobus [f] Gretserus edito in Codinum Curopalatam commentario, vsurpatam in sacris *Panagia* vocem exponit, eamque refert ad Virginem Deiparam, visam Apostolis rediuiuam tertio post obitum die, atque inuocatam eodem epitheto, quod omni ex parte sanctam, siue sanctissimam sonat. Libet commemorare huius loci, ac temporis historiam, eò digniorem scitu, quò minus vulgatam, cognitamque: desumpta est ex laudato precum horariarum libro, qui Græcis Horologij titulum præfert: Versantibus simul Apostolis Hierosolymæ post gloriosam nostri Seruatoris anastasim, fuit omnibus domus, & mensa communis, vbi ea discumbendi ratio seruata fertur, vt vacuo loco relicto, stratoque puluinari, partem panis Christo seponerent, mox ad eius honorem frangendam, ac distribuendam in singulos. Fieri sic cepit id temporis sumpto

Altera eiusdem sententiæ confirmatio.

e Ex Diurno Græcorum.

f Gretser. comment. in Codin. Curopalatam.

Historia de voce Panagia in sacris vsurpata.

Apostolorum mos in mensa, seponendi panis Christo.

ſumpto cibo, non ſine certis precationum formis,quibus diuinæ laudes, gratiarum actiones, & Ieſu Chriſti rediuiui commemoratio continebantur. Idem factitarunt digreſſo in cælum Domino, cuius inſuper opem implorabant ad res benè gerendas, per ea verba; *Domine Ieſu Chriſte adiuua nos*. Neque hunc morem Hieroſolymæ tantùm ſeruare placuit, ſed vbicunque tandem locorum degerent, ſiue ſeorſim ſinguli, ſiue coniunctim omnes, aut aliqui. At verò, quando ex vniuerſo terrarum Orbe ducti per nubes Apoſtoli ad D. Virginis funus conuenerunt; iuſtis perſolutis, cum ſacrum corpus terræ mandaſſent, tertiâ poſt obitum luce, conſueto refecti cibo ſurgentes è menſâ, & fruſtum panis, vt antea, Chriſto ſepoſitum, efferentes; inter laudes ſolitas auguſtiſſimæ Trinitatis, nouum de cælo ſpectaculum admirantur: nam quæ mortua fuerat Virgo, viuentis inſtar, inter Angelorum, Dominam circumſtipantium choros, & lucidiſſimas nubes, videntibus illis apparuit, gratamque ipſius ferè Chriſti verbis ſalutationem impertijt. *Auete, ego vobiſcum ſum omnibus diebus*. Opportunum reſponſum ex diſcipulorum parte non defuit, qui miraculo in eius venerationem, & amorem abrepti, ſicut antea à Ieſu Chriſto auxilium poſtularant, opem deinceps Virginis ſuppliciter implorarunt, dicentes: *Panagia Deipara adiuua nos*. Deinde ad ſepulcrum adeuntes, nec inuento ſanctiſſimo corpore, exiſtimarunt, tertio eam die, ex imitatione Filij, rurſus corpore indutam, à mortuis ſurrexiſſe, atque in cælum aſſumptam, æternùm cum Chriſto regnaturam. Ex hac ipsâ narratione, quam Græcorum pietas ex antiquis monumentis acceptam tranſmiſit ad nos, ratiocinari licet; opinionem de triduanâ Virginei corporis ſepulturâ, & poſt eiuſmodi triduum anaſtaſi, ab Apoſtolis promanaſſe; imò robur & confirmationem accipere, acceſſum eorundem ad tumulum, S. Thomæ poſtulatis aperiendum; & re ipsâ hoc reſeratum tempore, vacuumque inuentum, vti S. Iuuenalis, ex recepto maiorum teſtimonio palàm aſſeruit; cum enim aliunde ſciamus, Thomæ oſtenſum eſſe ſepulcrum ſine corpore, id vtique accidiſſe poſt apparitionem illam Deiparæ, cuius Græci meminerunt, quid prohibet affirmare? item præclariſſimum *Panagia* titulum, tunc ab Apoſtolis Deiparæ vnanimiter attributum, quandam veluti apotheoſim fuiſſe, quâ poſt Virginis obitum, ſacroſanctus ille Senatus, cæleſti ſapientiâ imbutus, Deoque plenus, eius omnimodam ſanctitatem publicè profeſſus eſt, & declarauit reliquis Cælitibus antecellere, dum hos τοὺς ἁγίους,

Seruatus vbique.

Quid illis accidérit tertio die poſt obitum Deiparæ.

Quæ viſa iiſdem eſt,

Apoſtolorũ Salutatio ad Deiparam.

Panagiæ titulus illi ab Apoſtolis primùm attributus.

illam πανάγιαν vocat Ecclesia. Itaque obiter animaduertere possumus, meritò reprehendi à Gretsero [a], Iunij de Panagiâ commentum, qui vocem barbaram, & quidem latinogræcam existimat, ad significandum panem sanctum, quem Sacerdos consecrarit, eius vsu à Gallis in Græciam importato: falli enim auctorem etymologiâ ducendâ, quiuis facilè iudicauerit. Cæterùm, vt ad nostra redeamus, sententia de triduo, quo surrexisse Virginem ponimus, cum similem illam Filio faciat, triduanum intrà spatium pariter resurgenti, habetur ex hac etiam parte verosimilior; quam sacri hoc æuo Doctores vnanimes amplectuntur, Franciscus [b] Suarius, Ioannes [c] Azorius, Ferreolus [d] Locrius, Christophorus [e] Castrius, Ioannes [f] Bonifacius, alijque complures.

Iunii error de voce Panagiæ.

Quarta sententiæ nostro æuo auctores.

a Gretserus vt sup.

b Suar. t. 2. in 3. parte S. Thomæ disp. 21. sect. 2.

XXV. Quanto autem triumpho, quo cælestis melodiæ concentu in cælum deducta sit primùm Virginis anima, & mox eòdem aduenerit anima simul & corpus, non est nostrarum virium mente complecti, nedum verbis exprimere. Neque audiendus vllo modo est, qui ad honestandam Deiparæ mortem, ad frequentiorem panegyrim olim pro concione fertur dixisse (vti testatur ex auditu Theophilus Raynaudus [g], reprehenditque meritò in diptychis) eo ante anastasim triduo, animam iam gloriosam adstitisse Virgineo corpori, citrà vinculum, quod alterum alteri colligaret, intercisо per obitum priore nexu; ità vt nec vltrà ageret animæ partes, nec subiectam sibi materiem animaret. Cur enim pro illo tempore cælo exclusa dicatur, vbi sedes est beatis mentibus apta; & cur infodienda quodammodo corporis ergastulo fuit? Gloria in puncto mortis eidem collata, ad mensuram gratiæ, qua cum decessit, illicò Dei vultum, toto vitæ decursu concupitum, exhibuit clarè videndum. Beata tunc primùm anima tantum est felicitatis consecuta, cum desijt esse viatrix, aut viuere terris: nam repellendum seueriùs, Theologi communiter censent, effatum illud, quo asseruere nonnulli, D. Virgini à tempore concepti diuini Verbi, ostensam esse sine velamine, Numinis faciem, quæ præmium est Beatorum; cum vni Christo tanquam peculiare conuenerit, vidisse Deum in vitâ mortali, simulque viatoris partes, & comprehensoris egisse. De gloriâ verò virginei corporis, vbi semel constitueris illud resurrexisse, ambigere nullo pacto licebit, quoniam animæ gloriam omninò consequitur. Et sanè quotusquisque non videt, nullâ vnquam labe maculatum corpus, cuius portio Deo ipsi conjungitur, quodque tantis sibi officijs Christus demeruit, insigni, &

Ingressus Deiparæ in cælum.

Sententia nuperi auctoris reprehensa.

Corpus Deiparæ post anastasim gloriosum.

c Azor. to. 1 l. 1. c. 20. q. 7

d Locrius Mar. Aug. l. 6 cap. 12.

e Castrius Hist. Deip. cap. 24.

f Io: Bonif. Hist. Virg. lib. 1. c. 20.

g Raynaud Dipty. par. 1 pun. 10. nu. 18.

gni, & præter communem morem cumulatâ gloriâ exornari debuisse? nisi fortè dicas, minus promptum Dei Filium honorandæ Matri, cui plurimùm obstringebatur, impensas curas, & beneficia rependere noluisse. Quis ergò illius splendorem corporis, nullis humanæ facundiæ luminibus parem, quis dotes integerrimæ carnis, Deo in habitaculum sepositæ, quis ornamenta nullis sanctorum omnium corporibus vel concessa prius, vel deinceps concedenda pro dignitate commemoret? Solemnem omninò pompam in hoc instar veteris Arcæ Sacrario deducendo ad locum suum, per Christum, & Cælites omnes obuiam effusos exhibitam, fusè describunt [a] Richardus à S. Laurentio, & Dionysius [b] Carthusianus, qui insuper addit, dotes beatorum corporum proprias, eò illustriores in suo habere Deiparam præ Sanctis omnibus, quò animæ gloria, ad quam istiusmodi prærogatiuæ referuntur, est in Virgine nostrâ suprà omnem modum perfectior. Id admonendum hoc loco censet Ioannes [c] Bonifacius: Deiparæ in cælum assumptæ picturam deducentibus Angelis, quæ apud nos frequentissima est, & maximè vsitata, obsequij, non auxilij indicem esse debere; glorioso enim corpori tributum à Deo est, vt vi suâ conscendat in cælum; quamobrem ille in pictis tabulis Angelorum comitatus, ad Virginem honorandam adhibetur; & famulatum notat cælestium Spirituum ergà Dei Matrem.

Dotes beatorum corporum in Deipara quales.

De pictura ascendentis in cælū Virginis monitum.

a Richar. l. 6. de Deip. pag. 530.
b Dionysius Car. l. 4. de laud. Deip. ar. 11. & 12.
c Io: Bonif. Hist. Virg. l. 1. c. 20. in fin.

XXVI. Sequitur Mariani triumphi postremus actus, quo principis Diuæ ab augustissimâ diuinarum personarum Triade coronatio continetur, atque in perpetuam mundi Reginam, ac Dominam inauguratio. Cum enim de Sanctis illud in Ecclesiâ decantetur: *Gloria & honore coronasti eos Domine*: quid de Virgine omnium sanctissimâ sentiendum sit, tum sano cuilibet iudicandum relinquitur, tum etiam inter cæteros aptâ collegit ratiocinatione Bernardus [d], tantæ Matris cultor eximius. *Quantum gratiæ*, inquit ille, *in terris adepta est præ cæteris; tantum & in cælis obtinet gloriæ singularis. Quòd si oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se: quod præparauit gignenti se, & (quod omnibus certum est) diligenti præ omnibus, quis loquatur?* Honorem sibi iure reposcit spelunca, vbi natus est Christus; præsepe, in quo infans decubuit; domus, vbi nutritus est; crux, de quâ pendens expirauit; sepulcrum, in quo mortuus iacuit: nonne præcipuas honoris partes adiudicabimus Matri, in cuius vtero nouem à conceptu mensibus moram fecit, de cuius

Deiparæ coronatio in mundi Reginam.

d Bernard. serm. 1. de Assumpt.

Variis argumentis colligitur gloria quanta magnæ Matris.

vbere lac puer accepit? Scimus eam tot priuilegijs ac dotibus decoratam in terris, immunem semper à criminis labe, incorruptam in partu, dignam cui Dei Filius per tot annos subditus foret, in morte corruptionis expertem, imò gloriosè de sepulcro rediuiuam: quot & quantis honoribus cumulatam in cælo fuisse dicemus? superat omnem facundiam, omnemque captum gloria, cuius ibi Deo largiente fertur accepisse coronam. Satis est dicere, quam proximam solio diuinitatis, eius frui conspectu clariore, & pleniore, quàm omnes simul Cælites perfruantur: solam, infrà Christum, suprà Sanctorum cateruas, & choros Angelorum, peculiarem sibi constituere chorum; sicut in ordine gratiæ, quæ gloriæ semen est, omnibus planè iustis Christo inferioribus, supereminet. Idipsum volunt Patres, cum de gloriâ Virginis sublimiter, magnificèque pronunciant, quorum hoc super argumento sermones, & encomia sunt in promptu.

Aureolas Beatorum omnes obtinet in cælo Deipara.

XXVII. Est etiam ferè communiter receptum inter Scholasticos; aureolas Beatorum omnes (sic vocant Theologi destinata actibus quibusdam heroicis præmia, instar coronarum) obtinere in cælo Deiparam; vel certè vnicâ tantùm potiri, omnibus pari; illæ sunt quæ Cælitibus obueniunt in coronam virginitatis, Euangelicæ doctrinæ, martyrij. Constat quidem nullo negante competere Deiparæ primam, vt Virginum Virgini, ità post S. Thomam [a] Aquinatem, Pelbartus [b] neque obstare videtur, quòd custodia virginitatis in Dei Matre ob extinctum fomitem difficultate caruerit, cum non idcircò denegandum ei sit peculiare decus, quia virginitatem seruantibus inter assiduas carnis illecebras, constitutum diuinitùs est certum in cælo præmium: licet enim integritas illa mentis & corporis exactè seruata facilis omninò fuerit, & expers spinarum; attamen obseruationem suapte naturâ difficilem manet aureola. Imò, vt rectè Dominicus Sotus [c], si virtutes heroicum gradum attingant, vel nullo interueniente perturbationum insultu, adeò nec excellentiam suam, nec nomen amittunt, vt sint etiam perfectiores: quare etiam si Virgo sanctissima appetitiones habuerit animo omninò subiectas, & ratione obtemperantes, sine vllâ sensuum pugnâ, habet tamen excellentissimo modo virginitatis aureolam. Alteram quoque doctrinæ, siue magisterij adepta est, non solum quia mundo Christum peperit, qui est sapientia æterna, & summus veritatis magister; sed quia ad iustitiam erudijt multos, ipsosque in primis Israëlis fontes, aquis disciplinæ compleuit;

Virginitatis.

Et Doctrinæ.

a S. Thom. in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. ad 2.

b Pelbar. l. 10. par. 2. quæstio 3.

c Sotus dist. 4. art. 2.

pleuit; Apostolos, inquam, & Euangelistas iuuit consilijs, & documentis instruxit. De aureolâ martyrij quid statuendum sit, definire haud ità facile possumus, cum, an Deiparæ competat, meritò dubitet schola Doctorum. Nos omissis de tantæ Matris cruentâ morte commentis, non putamus illi denegandum martyrum decus, licet illatam violenter necem perpessa non sit, fauent quamplurima Patrum dicta, qui aperte *Martyrem* [a], & *plusquam Martyrem* vocant, cum habendam esse rationem censeant, eorum quæ pro Christo subijt plura sanè & maiora quam Martyrum plurimi; & præcipuè gladij illius vehementissimi à Simeone prædicti, qui Virginis animam adstantis Cruci, dum Christus ipse moreretur, peruasit: quare, vt ait Ildephonsus [b], *nimio amore vulnerata, testis extitit Saluatoris, & præ mærore, in animo cruciatum sustinuit passionis*.

An illi competat aureola martyrii.

a Anselmus Ildephons. Bernardus

b Ildephõs. serm. 2. de Assumpt.

XXVIII. Præterea, ad eam in suâ gloriâ cumulatiùs exornandam, alia decora accedunt, quæ nunc obiter attingimus, frequentius infrà, per decursum historiæ reuocanda. Non vltimum obtinet locum concessa diuinitùs illi potestas, vnde nominatur passim Orbis Regina, & cæli, terræque Domina salutatur, quæ vocabula fremente Caluino altè mortalium mentibus inhæserunt. Hisce meritò titulis cohonestatur Dei Mater, quia omnia apud Filium, summum omnium Regem potest, tum ob coniunctionem cum eo maternam; tum etiam ob insignia promerita, quæ accedente cælesti gloriâ, infrà Deum, suprà Beatos omnes prouectam, in omnia subtus iacentia summâ potestate condecorant. Testor innumera bona, quæ mortalibus impetrat, & confert in dies, eâ gratiâ, quâ summopere apud Deum valet, sicuti nostra deinceps historia commostrabit. Superest cultus & honor Deiparæ iam gloriosæ per Cælites, & per mortales exhibitus; & quidem illi quâ sunt mentis perspicacitate, & quo rectæ voluntatis affectu, cognoscentes dona innumera, in Deiparam à supremo largitore profusa, & diuinæ in eâdem ornandâ miracula bonitatis, non possunt non honorare eximio cultu. *Arcam sanctificationis Domini.* Aemulata feliciter cælestem ac triumphantem Ecclesiam, ea quæ adhuc in terris militat, B. Virginem cælo illatam impensè veneratur, & colit, pluribus, iustisque nominibus, vt aduersus rabiem Sectariorum Canisius [c] diligenter ostendit, quia Deum genuit, quia Christum tetigit, quia maximè sancta. Qualis quantusque sit eiusmodi cultus, in gloriam D. Virginis cedens, aduersante tantùm Satanâ,

Explicantur tituli Deiparæ: Orbis Regina; & Cæli, terræque Domina.

Cultus Deiparæ.

c Canis. l. 5. d cap. 8.

Satanâ, atque Hæresi eius prole; quot modis exerceatur, siue per festos dies; siue per dedicationem imaginum, atque templorum; siue per lumina religiosè incensa; siue per preces certis horis repetitas; consequentium annorum series, & labentia subinde sæcula, suis locis ostendent.

XXIX. Interim datam hactenus virginei obitus ac triumphi fusiùs historiam, ad Lectoris commoditatem exhibemus paucis comprehensam ex Fastorum Marianorum libello. *Age penna, quid humi repis, dum Virginem laudas? altius vola, & suprà cælos laudibus hodie merentem tolle. Sequimini Sodales si germani Mariæ pulli estis. Crescebant, & oculos cæli multum delectabant primi Ecclesiæ flosculi, cum hos è cælo Filius, in terris Mater foueret. Sed denique ille Matrem terris, hæc Filium cælis inuidebat. Ergò iterum boni nuncij baiulus Gabriel adest, & ad suauissimum mortis somnum inuitat. Adsunt interim diuino nutu, qui toto orbe diuisi erant Apostoli, & lectulum abiturientis ambiunt. Cerneres pro Virgine certantem cum cælo terram. Hinc filij lacrymis retinent, & amplexu morantur; illinc suauissimi Cælitum moduli animam beatam proliciunt, trahuntque ab sponte properantem. Suscipit proinde Matrem Filius, sinumque pro sinu rependens, illuc euehit, vnde vnum illa Deum suspicit, alia omnia despicit. Solabatur terra luctus suos opimo spolio, corpusculo virgineo, sed etiam hoc breui spolianda. Etenim, cum ità volente Numine, serius è duodecim Proceribus Thomas aduenisset, & amissam matrem in tumulo mæstus quæreret, præter lintea, tam magni thesauri nuper inuolucra, nihil reperit; quòd Cælum etiam corpus subduxisset. Ab liceat amplexis pedes, & in hederæ morem alligatis dicere; Nunc, si terram nauseas Virgo, scande cælum.*

Historiæ hactenus enarratæ synopsis

a Fasti Mariani ex Breuiario Rom. &c.

XXX. Nos autem loquentibus alijs, ab encomio tacitos abstinere non decet: Sit ergò triumpho augustissimæ Virginis, cui decurrunt annales, exiguum obsequentis animi monumentum.

Assumptæ in cælum Deiparæ elogiũ.

Si ex omnium linguis vna fieret,
Et cuncta quæ sub cælo sunt, resonarent in voces,
Nec laudare satis Dei Matrem possent:
Tot tantaque dotes committendæ sunt,
Non tam chartis perituris, quam mentibus æternùm victuris.
Per illas Mariæ nomen propagatur ad posteros.
Per has millies congeminatur, & perennat effigies.
Diua vndecumque victrici
Pyramidum loco sunt corda,

Quæ

Quæ Domina dicat singulorum obsequentissimus Amor.
Si dixeris magnum dexteræ diuinæ miraculum,
Citrà meritum laudasti.
Sapientia, bonitate, gratia
Modò Christum demas, omnibus præstat,
Imò nullum siue ex Angelis, siue ex hominibus parem habet.
Exitium allaturam Draconi, qui mundum vicit:
Numinis oraculum fuit.
Nostra est victoria, quòd communi hosti caput obtriuerit.
Effugimus mortales sententiam mortis ea patrona,
Per quam omnia Deus in nos bona deriuat,
Per quam Euæ parentis infausta mala compensat.
Macula ex Adamo peccante deducta, in conceptu vacauit,
Nec abitura post mortem in cineres.
In ortu instar Auroræ terris illuxit,
Exacta Synagogæ veteris nocte,
Exorta sanctioris Ecclesiæ luce.
Vixit absolutissimum omnimodæ sanctitatis exemplar
Moribus, ore, mente, ne minimos quidem passa defectus.
Virgo, sed non sterilis: fœcunda, sed integra.
Vnico partu Dei Mater effecta est
Omniumque pariter adoptione Fidelium.
Calcat pedibus lunam, humanæ domitrix inconstantiæ.
Pro palla solem habet, sole lucentior.
Virtutes animo sunt, & sidera capiti pro corona;
Ad solium euecta diuinitatis
Filij brachia fuere pro curru,
Pro triumphi apparatu, cælestes orbes dulcius resonantes;
Pro honorario comitatu, Cælitum acies;
Proximum Deo locum, pro stabili sede;
Inde nobis vt filijs mater adest,
Deprecata sontibus pœnas.
Paratum ad vltionem scelerum fulmen
Ex manibus diuinis extorquet.
Reis vndecumque mortalibus
Deum iudicem vt parens, Regem vt Regina conciliat.
Vniuersum beneficijs orbem impleuit
Demissarum vbique in pluuiam gratiarum mare MARIA.
Orbem ergò rectè Marianum dixerit,
Vberem quoque materiem annalibus Marianis daturum.

XXXI. Reditum Apostolorum ad suam cuiusque pro-

De reditu Apostolorũ ad prouincias.

uinciam, ministerio Cælitum illicò consecutum esse, sicuti aduentus Hierosolymam, eorundem operâ paulò ante præcesserat, non est improbabile; sic enim optimè consultum videtur populorum bono, ne diutius carerent hi tantorum Patrum ope, à quibus ad Christianam fidem geniti fuerant. Vacuum verò Mariæ sepulcrum, vt Fidelium venerationi pateret, & memoriam depositi ad triduum ibi Virginei corporis æternaret in posteris, sacrâ ornandum æde censuerunt. Sed excisâ post annos quatuordecim Hierosolymâ per Titum, ad Iosaphati vallem ædificiorum ruina pertinuit, obruitque adeò sepulcri locum, vt ad multum tempus sub terrâ latuerit; ac tandem inuentum sit, paulò ante S. Iuuenalis, qui Hierosolymæ præfuit, tempora, sæculo nimirum à fundatâ salute quinto, quando & pristina ædes detecta, & locus miraculis illustratus, publicum recepit cultum, atque adeuntium vota peregrinorum. De sepulcralibus fascijs ibidem ab Apostolorum cætu repertis, quid factum sit, meritò dubitamus; nec affirmare certò possumus; an ibi seruatæ fuerint, ad solamen Fidelium, qui frequenter locum inuiserent, an aliò statim transmissæ. Certè scriptum reliquit Nicephorus [a], eas deuenisse tandem S. Iuuenalis in manus, à quo missæ Constantinopolim ad Pulcheriam Augustam, in vrbe cæsareâ nouam Deiparæ nomini templa condentem. Præterea Apostoli, qui ad recolenda nostri liberatoris Iesu Christi, & Virginis Matris mysteria festos iam pridem designauerant dies, ijsque diuino cultui addictis, à seruili opere, cessationem indixerant; statim ab obitu magnæ Parentis, cognitoque Assumptæ in cælum triumpho; hunc præcipuè diem quo illa obierat anniuersariâ commemoratione celebrandum censuerunt: nam si (vt est apud Romanum Clementem [b]) eorum decreto, dies, quibus Apostoli ipsi, & S. Stephanus protomartyr migrauerant, in honore sunt habiti; quid putamus ab ijsdem fuisse constitutum, de die obitus Sanctissimæ Virginis, quam tantopere omnes in vitâ coluerant, cuius sanctitatem fuerant admirati, & gloriosum exitum testes viderant; quam & rediuiuam de sepulcro, & cælo vnà cum corpore illatam cognouerant? Sacras eidem vel viuenti dicatas ædes suprà notauimus; ab hoc autem tempore tum erectas credimus nouas, tum veteres illustratas, præsertim Hierosolymæ ad Sionis montem, vbi diu habitauit & mortua est, & in prædio Gethsemanes, vbi sepulta. B. Cyprianus [c] Carthaginiensis Antistes tertio post Christum natum sæculo, de Confessoribus loquens, quos inter car-

Quid factum deinde sepulcro Virginis.

De sepulcralibus fascijs ibi inuentis.

Votiua Virginis Assumptæ memoria ab Apostolis designata.

Memoriæ institutæ mortis Sanctorum.

a Niceph. l. 15. c. 14.

b Clem. Rō. l. 8. Const. Apos. c. 39.

c Cyprian. l. 3. ep. 6. & l. 4. ep. 5.

ter carceris ærumnas mori contingeret, dies præcipit adnotandos, quibus excederent illi de vitâ, vt suis possent temporibus recoli: quantò magis ante ipsius æuum id factum censebimus de sanctissimâ Virgine Dei Matre, quæ publicis Ecclesiæ vocibus, Regina Martyrum, imò & Sanctorum omnium salutatur? Cum igitur videamus, populum Christianum ad excitandum in se vitæ Sanctorum imitandæ desiderium, eorumque sibi patrocinia demerenda, celebrare omnibus retrò sæculis, sub nomine natalis consueuisse diem quo viuere desierunt: an non eadem locum habent in Mariâ Dei Genitrice, cuius & merita longè maxima sunt, & preces apud Deum plurimum valent? eius verò assumptæ memoriam, ab Apostolis credimus potissimum institutam, cum regula S. Augustini [a] nos doceat, ità esse existimandum, quando de alicuius moris initio non constat, qui cæteroqui retentus in Ecclesiâ semper sit, nec ab vllo sacrorum Conciliorum inductus feratur; cumque præterea in tractatu de fide Aethiopum, quem auctor scripsit eius gentis [b] Episcopus, vertitque in Latinum Damianus Goës, ex octo Synodorum Apostolicarum libris id expressè legatur, assentiente Petro [c] Galesinio, viro de re Ecclesiasticâ meritissimo. Verumquidem est, hanc ipsam celebritatem, quæ primum inter Deiparæ festa locum habet, vtpotè continens eius obitum, anastasim, atque assumpti in cælum corporis gloriam, paulatim inualuisse in Ecclesiâ, à Deo signis atque prodigijs confirmatam, in omnes Christiani orbis populos propagatam, atque à viris Principibus per suas ditiones lege sancitam, id quod etiam cæteris accidit festis, quorum ad Apostolos origo refertur. At veras nos singulorum historias suis dabimus locis.

Mortes Sanctorum, natalis nomine celebratæ.

a S. August. de bapt. cont. Donatistas lib 4. cap. 24.

b Zaga, Zabo.

c Galesin. in notationibus sui Martyrologij.

Solemnitas Assumptæ Virginis aucta.

XXXII. Illustrasse etiam fertur hunc annum, Euangelium Græcè à sancto Lucâ conscriptum; nam qui comes erat itinerum Pauli ab Ecclesijs designatus, sacrilegis quibusdam præconibus, per totam Græciam fabulas de Christo vulgantibus, veram de eo historiam, gentis idiomate ex testibus fide dignissimis, fideliter, eleganterque texere agressus est, & quidem decuit Græcè ad Græcos per Lucam, res à nostro Seruatore gestas deferri, sicuti prius fuerant Hebraicè ad Hebræos per Matthæum; ad Romanos latinè, (quod plures sentiunt), per Marcum expositæ, vt vbique resonarent tribus linguis, vniuersum terrarum orbem permeantibus, & ipsum Iesu cruci affixi titulum olim complexis. Quæ litteris Lucas mandauit de nostræ salutis Auctore, ea non solum didicit ex

Euangelium à S. Luca conscriptum.

Pauli doctrinâ, cui discipulus & comes adhæsit; sed magnâ etiam ex parte à testimonio sanctissimæ Virginis, Dei Matris accepit: itaque potest illa meritò dicere Euangelium suum, quod Lucas conscripsit, & Paulus in epistolis suum pariter appellauit: cum enim Euangelista arte pingendi, scribendique pollens, cælitùs Ezechieli [a] primùm, & mox Ioanni [b] sub bouis symbolo demonstratus, sacræ historiæ initio profiteatur, ea se de Christo dicturum, quæ à testibus didicerit oculatis, innuisse videtur non solum Apostolos illo magistro institutos, sed Virginem quoque Matrem, quæ sacrosanctum Verbi carnem assumentis mysterium, & diuini infantis ortum, vitamque cognouit. Quotusquisque non videt à Zachariæ [c] Sacerdotis ministerio Lucam exorsum Euangelicam narrationem, exposito Præcursoris conceptu, ea non minus exactè, quam fusè persequi; quorum Virgo Mater ad plures annos superstes, esse vel sola testis, atque index potuerit? Eiusmodi sunt, diuinus nuncius Nazarenæ Virgini à Gabriele delatus, Angelica in primo ad eam ingressu salutatio, longum vtriusque colloquium, assensus Virginis obsequentissimus, & Verbum diuinum illicò caro factum, Angeli recessus, Mariæ iam grauidæ iter ad Iudææ montana, atque impertita Elisabethæ cognatæ salutatio; trimestris apud eandem mora, Sancti Præcursoris in vtero materno saltus, ortusque vniuersæ cognationi lætissimus: iter Virginis Nazaretho in Dauidicam ciuitatem Iosepho [d] comite; partus humano generi salutaris, Pastorum adoratio; nominis impositio cum circumcidendi ritu; nati Iesu pueri ad templum oblatio, purissimæ Matris expiatio vltrò suscepta, Simeonis celebre vaticinium, atque Annæ viduæ testimonium; pueri duodennis inter Doctores inuentio, sacra eius infantia, & vita ad annum vsque trigesimum, quæ tribus tantùm verbis mysteriorum, plenissimis comprehensa legitur, *& erat subditus illis* vbi continuata per tot annos Christi erga Mariam Matrem, & Iosephum nutricium obsequia declarantur. Euangelicam hanc historiam in epistolis Paulus non semel commemorat, & creditur de illa loqui cum sui meminit Euangelij, teste Hieronymo [e], quia nimirum Lucas eius potissimum suasu, opus ediderit, tanquam multa edoctus de Christo ab ipsâmet sanctissimâ Virgine Matre, cuius veluti amanuensis, & à secretis fuisse meritò dicitur. Itaque cum didicisset ab hac magistrâ, pleraque diuini Verbi in assumptâ mortalitate mysteria, iure nihilo minore quam Paulus poterat Diua Virgo Lucæ Euangelium appellare suum, quod nempe ma-

Ex Pauli doctrina, ac testimonio Deiparæ.

Quomodo à Virgine dici possit suum.

Quæ didicisse à Virgine Lucam probabile est.

a *Ezechielis 1. v. 10.*
b *Apocal. 4. ver. 7.*
c *Luc. 1. & 2.*
d *Luc. ijsdem capitibus.*
e *Hieron. Catalog. Script. Ecclesi. in Luca.*

pe ma-

pe magnâ ex parte sacro historico communicasset, dicenti sub ipsum operis exordium, se ex ordine fideliterque scripturum, *sicut tradiderunt qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis*: quam sententiam sapiens Idiota [a] secutus: *B. Lucas*, inquit, *Euangelij seriem à Virgine Maria didicisse traditur*.

a Idiota l. Contēplat. de Virg. M. cap. 3.

XXXIII. Opus hoc anno editum, cum Virginis obitu opportunè concurrit, vt oracula superessent, quæ diu in eius corde seruata, per Lucæ calamum promulgata feruntur. Idcircò dubitari non potest, quin vir magnæ Matri notus inprimis, ac tunc indiuiduus Pauli comes vnà cum hoc interfuerit illius funeri, & postrema benè precantis verba inter cæteros Apostolos, virosque Apostolicos audiuerit: denique reductis ad suas quibusque curas, adhæserit iterum Paulo, sub custodia, vt diximus, Centurionis Romam versus nauiganti. Factum præterea esse conuenienter existimamus (quod etiam scripsit Thomas Massutius [b]) vt Apostolus ex toto nâuigationis suæ restitutus, cum post duos circiter menses, ab obitu Deiparæ, atque assumptione in cælum, ad Insulam Melitam naufragus peruenisset, ibi per tres menses hyemando commoraretur, & S. Lucæ suo in laboribus & ærumnis comiti mandaret, vt Augustissimæ Virginis effigiem, quam alias à pictis tabulis excepisset, coloribus rursus exprimeret, ad solatium indigenarum, qui iam Christo credidissent. Paruit magistro Lucas, ac tribus eiusmodi tabulis depictam Dei Matris imaginem reliquit Melitæ, quæ tabulæ per totidem præcipuas illius Insulæ regiones, religiosè asseruari in hunc vsque diem, dicuntur. Satis denique vulgatum est miraculum, quo Paulus ibidem ex viperæ morsu, non solum præsentis vim veneni non sensit, sed etiam Insulæ virtutem indidit ad angues fugandos, aut si quos habeat, alendos innoxios, glebâ quoque ipsâ venenis medente. Interim Melitensi morâ ad tres menses productâ, dum hyems remittitur, Publius Insulæ Dominus, aut Præfectus, perbenignè Paulum habuit, cum ille sui patris febri ac disenteriâ laborantis incolumitatem huic referret acceptam; & plures à morbis eiusdem operâ liberatos videret.

Euangelium Lucæ cum Virg. morte.

Lucas assuit morienti Virgini.

b Tho. Massut. in vita S. Pauli lib. 14. cap. 7.

Idem iussu Pauli pingit D. Virginem Melitæ.

Indita vis per Paulum Melitensi terræ.

XXXIV. Idem annus, quem nostra supputatio, extremum in terris Deiparæ posuit, miserum exhibit tum Hierosolymæ, tum Romæ statum, quem ex profanâ historiâ ad sacram illustrandam factâ comparatione desumimus. Iudæa primùm, teste Iosepho [c], latronum receptaculis vndecumque referta, & Magorum circumuenta præstigijs, non modò per Felicem procuratorem vidit iniustis cædibus populares exponi;

c Ioseph. Antiq. l. 20. c. 6. & de bel. Iud. l. 2. cap. 12.

Iudææ status hoc anno.

exponi; sed Hierosolymæ Ionatham summum Pontificem, per amicum eius fidissimum specie famulatus immissum, obtruncari, atque ab impunito scelere plurimos pullulare sicarios, vel ipsius templi violatores. Ingruentium vndique calamitatum in sanctam ciuitatem, noluit Deus spectatricem esse sanctissimam Matrem suam: sed Iudæorum millibus ad Christum conuersis, inter patriæ miserias adesse illam de cælo iussit, ne præda forent iræ Iudaicæ in Christianos debacchantis. Roma deinde non minora infortunia patiebatur à Nerone principe, cuius iam crudelitas, ac libido diu dissimulata, post venenum Britannico propinatum licentiùs erumpebat. *Otium erat foris,* inquit Tacitus [a], *& fœda domi lasciuia, qua Nero itinera Vrbis, & lupanaria, & diuerticula veste seruili, in dissimulationem sui compositus, pererrabat, comitantibus qui raperent ad venditionem exposita, & obuijs vulnera inferrent, aduersus ignaros adeò, vt ipse quoque Princeps ictus acciperet, & ore perferret.* Hunc Romanæ ciuitatis statum, vnde præsagire deteriora licebat, cum re Christianâ componimus, vbique crescente, Deiparæ in cælum illatæ auspicijs, & Apostolorum administratione. Affuit Virgo sanctissima dum inter mortales viueret Ecclesiæ nascentis infantiæ; affuit sumenti quotidie maiores vires; adest in cælo regnans Fidelium multitudini, nec vlli denegat patrocinium, opemque patefactâ vbique clementiâ & maiestate, dum Nero alteram indecorè dissimulat, alteram crudeliter exuit. Habet Deipara sui imitatores, atque à se magistrâ formatos Apostolos, quibus per Orbem dispersis, Petro omnium Principe varias terrarum partes inuisente, Paulo Græciam circumeunte cum cætu sociorum, non sine ingentibus miraculis, per ærumnas innumeras, flagra, vincula; alijsque alibi suo ministerio fungentibus, ipsa omnium Regina labores regit singulorum; dum qui Neronem grassatorem imitantur, in cædes & scelera debacchantur Romam perdituri, sub D. Virginis patrocinio restituendam.

Romæ etiam status infelix.

Cõfertur cũ incrementis Christianæ rei per opem Deiparæ.

a Tacit. Annal. lib. 13.

XXXV. Hactenus D. Virginem in terrâ viuentem, prosecuti sumus, ex receptâ magis hoc æuo sententiâ: nunc in alterius generis annos ingredimur, nempe in eos, quibus absolutâ peregrinatione mortali, per tot iam sæcula regnat, æternumque regnabit in cælo gloriosa Dei Mater, choris circumstipata Sanctorum, semperque propitia mortalium votis.

Annus

Annus Christi 59.
B. Virg. Natæ 73. Petri Rom. Pont. 15.
Et Assumptæ 1. Neronis Imp. 3.

I. MEmorabilem fecit hunc annum, S. Pauli Romam aduentus, & quidem in vinculis, quibus Iudæo persequente vinctus Hierosolymæ fuerat, & mox cum Cæsarem appellasset, ad eum maritimo ductus itinere. Magnam Christianorum multitudinem, quæ Romæ tunc erat, exciuit hic motus, ideòque Apostolo Melitâ Syracusas, & Syracusis Puteolos in naui aducto; inde per Campaniam & Latium terrestre iter aggresso, ad forum Appij, ac tres Tabernas, plurimi circà quinquagesimum ab Vrbe lapidem occurrerunt. Vinctum præterea tam nobilem, introductum Romam portâ Cælimontanâ, quasi verò à vinculis liber, triumphum ageret, plausus excepit reliquorum Christianorum in Vrbe degentium, qui & hospitium illi pararunt, mercede conductum, vt eò recipere sese, & inuitare alios ad audienda diuina colloquia commodè posset. Domus in sacram ædem conuersa sub titulo D. Virginis, à latiore viâ, in quâ sita erat, nomen accepit, & visitur etiam nostro hoc æuo, propè publicas Romani Collegij scholas, vbi ab annis iam pluribus, Societatis Iesu Patres, numerosam iuuentutem ad bonas artes informant: neque factum videtur absque diuino consilio, vt quam viciniam Paulus olim excoluit, Deique Genitricis nomine celebrem posteris fecit, ea quoque sub eiusdem D. Virginis patrocinio, erudiendæ deinceps iuuentuti pateret. Ratio autem huius hospitij in Marianum templum conuersi, illa potissimum fuit, quòd hic S. Lucas Apostoli comes, ad captiui solatium, auxiliumque versatus, coloribus expressit in tabulâ D. Virginis effigiem, atque ibidem reliquit adorandam. Animaduersum est; imagini, depicto pariter annulo digitum exornari, eâ fortasse de causâ, quòd sancti Pictoris consilium fuerit, Deiparam exhibere colentibus, tanquam Sponsam, id signum præferentem initi cum Iosepho coniugij. Cæterùm peruetusta eius Ecclesiæ monumenta, & inscriptus [a] in eâdem lapis qui in hunc vsque diem ostenditur, hospitium Apostoli in vinculis existentis, & sacram Lucæ picturam memorant ibidem relictam; nec desunt plurium testimonia scriptorum, quibus eiusmodi monumenta probantur. Cum ibi Paulus moraretur, do-

S. Paulus ducitur vinctus Romam.

Romanorũ Occursus.

Primum in Vrbe hospitium S. Pauli.

Nunc ædes Deiparæ sacra.

Ibi S. Lucas pinxit eius imaginem.

Sacra eius Ecclesiæ monumenta.

[a] *Inscriptio hodie visitur.*

Quales tum domus foret.

tur, domus erat instruendis Fidelibus cò concurrentibus commoda, iisque omninò conditionibus prædita, quas Gentium Apostolo moram apud Philemonem facturo necessarias fuisse docet S. Hieronymus, in ea epistolæ ad ipsum verba: *Para mihi hospitium* [a]. Cum de Paulo locutus dicat [b] interpres: *Sciebat ad se plurimos cōcursuros, & necesse erat primùm, vt domus in celebri esset vrbis loco, ad quam facilè conueniretur; deinde vt ab omni importunitate vacua; vt ampla, quæ plurimos caperet audientium; ne proxima spectaculorum locis, ne turpi vicinia detestabilis; postremò vt in plano potius esset, quam in cænaculo.* Quæ omnia loco conueniunt, vbi positam fuisse dicimus domum.

a *Phil. ver. 22.*
b *S. Hierō. com. in ep. ad Philem.*

Habitata etiam à S. Petro & S. Martiale.

Hîc etiam habitasse aliquo tempore Diuum Petrum fama est, antequam illuc accederet Paulus, vnàque S. Martialem Martyrem: ità ex antiquis monumentis docet studiosus antiquitatis Florauantes Martinellus, ad expositionem historicam Marianæ Iconis, quæ Romæ colitur in Viâ latâ. Et quidem loci sanctitas ob memoriam tantorum hospitum, fuit Christianis occasio, sacræ ibidem ædiculæ conformandæ, in quam identidem conuenirent, ad diuina mysteria recolenda. Erat incitamentum religionis, imago sacra Deiparæ; cumque processu temporis miraculis illustrata clarescceret, post aliquot sæcula Sergius Romanus Pontifex eius nominis primus, ædificato ibidem Diuæ Virgini ampliori templo, venerandum pignus inclusit. Accessit in æde exornandâ plurium deinceps Pontificum, nobiliumque virorum munificentia, & pietas, adeò vt nostro iam æuo perillustre sacrarium vndecumque resplendeat. Cedit in Deiparæ honorem ornatus templi nuperrimus, quo ara maxima è vario lapide erecta, virginalem effigiem exhibet inter Angelorum obsequia; pictum desuper laqueare ac deauratum; noua è candenti marmore porticus, & sacellum sub terrâ splendidè ad preces extructum, tanquam monumentum Apostolorum, qui ibi aliquandò habitasse creduntur:

Sergius Primus Rom. Pōt. ibi ædificat.

Hodiernus templi ornatus.

II. Et sanè decuit labentibus subinde sæculis, Mariam Dei Matrem coli, vbi ad numerosam concurrentium ex totâ Vrbe Fidelium multitudinem, crebri à Petro primùm, & mox à Paulo sermones de eâ fuerant habiti, atque vnà cum verâ in Christum fide, iisdem concionantibus creuerat ergà Deiparam pietas. Idem pariter factum legimus aliis Romæ locis, quæ Petrus Apostolorum princeps in suo ad illam aduentu, cuius suprà meminimus, habitasse fertur, primùm quidem ad regionem Transtyberinam, vbi Iudæi erant certo Vrbis lo-

In aliis Vrbis locis hospitia S. Petri vicina templis D. Virgini dicatis.

bis loco constituti, ad quos tanquam ad contribules Petrus accessit, vt prius illis, quam Ethnicis, ex Christi mandato, legem Euangelicam promulgaret; deinde ad Viminalis collis radices non longè ab Exquilino; vbi Pudentis Senatoris ad Christum conuersi domo exceptus, crescentem Christianorum sobolem fouere, atque excolere cepit. Vtrobique Apostolorum Principis hospitium, cuius memoria perennauit, monumenta reliquit progressu temporum Mariæ semper Virgini sacra, Ecclesiam trans Tyberim antiquissimam, eiusce regionis & viciniæ decus, vnde ortu Saluatoris appropinquante, olei celeberrimum fontem manasse, fama est; & Basilicam ad Esquilias, quam lapsæ de cælo Nonis [a] Sextilibus niues in summo colle designarunt. Vtrunque templum hospitijs proximum, quæ Romæ Petrus incoluit; opportunè præfert Mariæ nomen, quia vbi prima fidei iacta sunt semina, inde quoque pietas ergà Deiparam pullulauit.

a 5. Aug.

III. An verò alijs quoque Apostolis, toto terrarum Orbe dispersis, hospitiorum suorum loca, in templa permutare, & quidem Mariana contigerit, licet ex defectu testium, qui id asserant, incertum sit: attamen alicui fortasse, rem ex coniecturis indaganti videri posset probabile, quod tanquam nobis inexploratum, affirmare non audemus. Hoc tantùm habemus pro comperto, illos à D. Virginis funere ad sua reuersos, eius cultui propagando, operam sedulò diligenterque nauasse, sicuti Dei Matrem decebat, quam in cælo gloriosè regnantem venerabantur, crebrisque ad populos concionibus, vnà cum Euangelicæ doctrinæ mysterijs memorabant. Nec deerat in eâ colendâ, quod imitarentur, exemplum Petri, omnium principis; cum illum vel viuenti Deiparæ excitasse templa constaret, vt suprà docuimus. Denique Romanum iter non solum Christus noctu visus Paulo præscripsit, laboresque in Vrbe Orbis principe suscipiendos, vt Lucas [b] testatur; sed etiam ibi Apostolus in vinculis constitutus, interuentu Deiparæ, cui se addixerat, cæleste subsidium est nactus sibi opportunè concessum. Huc referre possumus Neronis facilitatem, quâ ille admissus, dimissusque fuit, irritis accusationibus Iudæorum; vinctusque tantùm catenâ in signum captiuitatis, mansit prohibente nemine in domo conductâ, admisit venientes, docuit palam, & comite ad custodiam milite Vrbem circumiens, officia plurima charitatis exercuit. Promouit apud Deum D. Virgo, optima vtique Patrona, non Pauli solius, sed rei totius Christianæ causam, dum Apostolus,

An reliquis Apostolis per Orbem terrarū sua hospitia in templa permutare contigerit.

b Act. 27. ver. 23.

Neronis ergà Paulum facilitas refertur ad patrocinium Deiparæ.

lus, fauente militum manu, facilem obtinuit aditum in aulam Cæſaris, ex aulicis non paucos ad veram fidem traduxit, & cum Senecâ Neronis præceptore, vt fama eſt, conſuetudinem habuit: vnde Philoſophus [a] ille morum magiſter, ſcribens ad amicum Lucilium, quædam ait fuiſſe iactata à magnis viris de futurâ beatitudine, ſeque captum ſpe tantâ, iam fuiſſe faſtidio ſibi, iam reliquias ætatis infractæ contempſiſſe, in immenſum illud tempus, & poſſeſſionem omnis æui tranſiturum; & demum ſe hæc omnia habuiſſe pro ſomnio.

a *Seneca ad Luciliũ ep.* 102.

IV. Hoc anno nondum exacto, ſcripſiſſe Paulum Româ ſecundam ad Timotheum epiſtolam, itemque illam quæ eſt ad Epheſios, ſcribit Card. Baronius [b]. Vtrâque per Tychicum diſcipulum miſsâ, viſus eſt Paulus opportunè conſuluiſſe Eccleſiæ Epheſinæ, quam à Virgine Deiparâ, nouerat aliquando inhabitatam, dicatiſque eius nomini templis, exornandam potius eſſe cenſebat, quam Dianæ delubro magnificentiſſimo, à Græcis toties decantato. De hac vrbe vniuerſæ Aſiæ metropoli, poſt ipſius Dei Genitricis obitum, ſub hoc ipſum tempus, Euangeliſtæ Ioannis laboribus excultâ; tanta fuit Pauli ſollicitudo, vt præter epiſtolam Tychico ad Epheſios datam, Timotheo quoque eorum Epiſcopo ſcribens, auditorem docuerit apprimè charum, ſuùmque vt teſtatur Chryſoſtomus [c], ex ſorore nepotem; quæ ſint boni Paſtoris officia, eo conſilio, vt illum formaret tanto muneri exercendo parem; & ſimul Epiſcopo conſulens, Epheſijſque ſubiectis, quaſi benè conſtituto capite, membra firmaret.

b *Baron. ad an. Chr.* 59. *nu.* 19. *&c.*

Scribit Paulus ad Timotheum, & Epheſios, vt ciuitati conſulat quam Deipara inhabitauit.

c *Chryſoſt. Homil. de confidamus virtutibus primogenitorum.*

V. Ex Romanis rebus hoc anno, facta quædam Neronis laudant Hiſtorici [d], ſancitam in primis legem, ne quis in prouinciâ Magiſtratus, aut Procurator, gladiatorum ederet, ferarumque ſpectacula, vt Prætorum comprimeretur auaritia, quos popularium eiuſmodi munerum prætextu, ingentem ex Prouincialibus colligere ſolitos pecuniæ vim Ciuitates conquerebantur: deinde nobiliſſimæ fœminæ, Pomponiæ Græcinæ iudicium, quæ accuſata apud Neronem, quòd externam religionem accepiſſet, fortaſſe Chriſtianam, Plautium maritum, ſuæ cauſæ iudicem habuit, à Cæſare deſignatum, eiuſque tandem ſententiâ, inſons eſt declarata. Vnde colligere licet, Neronis principatum, intrà virtutum quarumdam limites, ad externam ſaltem ſpeciem, adhuc ſe hoc anno continuiſſe, quo decurrente Principis vitia, clam habita, nondum palam eruperant, ſed parietibus tegebantur. Datum id antea diximus Virgini Matri viuenti, nunc Paulo Romam profecto ad excolen-

d *Tacitus Ann. l.* 13.

Aliqua Neronis facta hoc anno ab hiſtoricis laudata.

Quomodo referri ad Deiparam poſſint.

lendam ibidem Christi vineam, & Mariæ cultum amplificandum, nondum in aperta scelera effusum Cæsarem fuisse dicimus, quòd recens adhuc esset eiusdem Virginis Matris memoria apud Fideles, qui Paulum audiebant de eâ persæpe loquentem, inter Saluatoris nostri mysteria ad populum enunciata.

Annus Christi 60. B. Virg. Natæ 74. Petri Rom. Pont. 16. Et Assumptæ 2. Neronis Imp. 4.

I. Anno Christi sexagesimo ineunte, cum adhuc esset Romæ in vinculis Paulus, missum à Philippensibus Epaphroditum, ad eosdem remisit cum litteris, quibus præcipuè monebantur Fideles Philippis existentes, vt subortos iam pridem Hæreticos cauerent, *inimicos Crucis Christi* [a] eos nempe, vt sacri docent interpretes, qui sanctissimæ Virginis partum, diuidere [b] in duas partes, ac veluti concidere conabantur, exemplum imitati vafræ mulieris, apud Salomonem [c] cum alterâ contendentis; quoniam præeunte Cerintho [d] dicebant, Iesum fuisse alterum à Christo, atque illum quidem in crucem actum, post mortem reuixisse; hunc verò cruciatuum expertem, dum alter pateretur, subtraxisse semet ab eius consortio: eandem D. Virginem, Iesu matrem appellabant, non Christi; & Crucis memoriam penitus auferre conati, in Deiparam pariter insurgebant; quoniam Dei Filium, vnde manarat gloria Crucis, ortum à Mariâ nouerant; itaque dum Crucem oderant, in Christum & Matrem odium vtique redundabat. Quid igitur mirum, si Cruci & Mariæ, Ecclesia Catholica Christum ritè deuenerata, ipso sui exordio honoris plurimum exhibuerit, impertiens alteri latriæ cultum, qui solius est Dei; alteri hyperduliam magnæ Virgini debitam, vt Sanctorum Reginæ? Quamobrem ambæ fuerunt diuinæ participes sanctitatis, quam Maria accepit à Christo concepto, atque in lucem edito; Crux à suscepto ac pendente. Imò referri ad eundem videntur, tanquam geminæ matres, quod expressit ingeniosè Poëta Mariæ studiosissimus, in hanc sententiam allocutus sanctissimam Crucem.

Integra quem peperit brumali Virgo sub antro,
Tu Domini bona Crux altera mater ades.
Nec tamen officijs paribus cum Virgine certas,

Litteris monentur à Paulo Philippēses, vt caueāt ab Hæreticis Virginis partum diuidētibus.

Crucis, & Mariæ veneratio ab initio Ecclesiæ.

Earum sibi inuicem respondentium consensus.

a Philip. 3. ver. 18.
b Barō. hoc anno.
c 3. Reg. 3. ver. 22.
d Iren. l. 1. c. 20. 25. Epiphā. Hær. 21. & 24. Theodor. 2. har. fab. 4.

Durior es miti quippe Parente parens.
Extinctum reddis, quem protulit altera viuum,
Corporis hac finxit, tu malè findis ebur.
Virgo sinu fouit natum, tu frigore torques,
Ad gelidos nudans candida membra Notos.
Infanti lac illa dedit, tu fellis adulto
Pocula, quam dispar pabulum vtrimque fuit!
Pro cunis das ipsa trabes; sunt ferrea claui
Vincula, qua puero lina tulere prius.
Tu pietate minor, maior feritate videris;
Altera dat Nato viuere, at ipsa mori.
Fallor: humo peperit mortalem regia Virgo;
Cælo immortalem reddere sola potes.

Horrent Dæmones crucem. Et Mariæ nomen.

Vides, ad exhibendum Christo matris officium, qualis quantusque fuerit vtriusque consensus; quare sicuti consueuere Christiani, sub Ecclesiæ nascentis initium, communire se crebrò salutiferæ Crucis signo, quod manu ducebant, ad pellendos potissimùm Dæmones, antiquissimâ quidem consuetudine, ductâ ab ipsis Apostolorum temporibus, cuius testes sunt Tertullianus [a], Cyrillus [b] Hierosolymitanus, aliique Patres non pauci: ità pietas iam tum ergà Virginem Deiparam excitata, quæ ad conciones Apostolorum semper firmiores egit in nouorum Christianorum corde radices, æquè ac saluberrimum Crucis signum, fuit illis vbique munimento, aduersus communes hostes, qui vel audito Mariæ nomine statim fugantur, non minus quam ad exhibitam imaginem Crucis. Idcircò Hæretici, quos cauendos Paulus monet, vt Crucis Christi inimicos, erant etiam Virginis Matris osores, hoc pariter titulo à Christianis vitandi.

a Tertull. de coronali cap. 3. & 4.
b Cyrillus Catech. 12.

Epistola Pauli ad Colossenses.

De vrbe Colossis nota.

II. Post scriptam epistolam ad Philippenses, alteram ex Romanis vinculis Paulus, per eundem tabellarium Tychicum misit ad Colossenses, quos tum suo, tum Timothei, Epheso paulò ante acciti, nomine adscripto, perbenignè salutat. Vrbs Colossæ, ad quam direxisse Apostolum litteras dicimus, in Phrygiâ maiori sita est, non procul à Laodiceâ, & Hierapoli, sicuti Plinius [c], Strabo [d], aliique tradiderunt, non vtique ad Rhodum insulam Asiatici maris pertinuit, vt aliqui existimarunt, rati cum Suidâ, Glycâ, Zonarâ Colossenses nonnisi Rhodios esse, id nominis à colosso quodam Solis æneo proceræ magnitudinis mutuatos. Illos ergò Colossenses ex Phrygiâ, admonens per litteras Paulus, vnum subobscurè videtur innuere, quod non est à nostris rebus alienum, vbi insi-

c Plin. l. 5. cap. 12.
d Strabo l. 12. cap. 13.

dias

dias detegit quorundam Hæreticorum, qui dogmata praua disseminantes Colossis, & Laodiceæ, altiori quam Christum & Virginem Matrem cultu, Angelos se venerari profitebantur. Addebant suæ huic adorationi peculiares ritus, certasque cæremonias, quibus semet humi toto corpore prosternebant: quoniam decepti partim Platonicâ disciplinâ, quæ diuinitatem Angelis tribuit, partim falsis quibusdam Cerinthi reuelationibus, & Iudæorum cæremonijs, ad exhibendum Angelis latriæ cultum, nouam rationem commenti sunt, instituta Angelicorum secta, in terram humili gestu, ac toto corpore procumbentium. Generis eiusce Doctores, ac Magistros dicitur significare voluisse Paulus, ad ea epistolæ verba [a]: *nemo vos seducat volens, in humilitate, & religione Angelorum*. Loci perquamimplexi interpretationem, pete ab explanatoribus sacræ paginæ, & præsertim à Thomâ Massutio [b], res à S. Paulo gestas, eruditè, fideliterque narrante. Quod instituti hac in explanatione nostri est, prohiberi dicimus Apostoli verbis, non modò suprà Christum Dei Filium, sed etiam suprà sanctissimam eius Matrem, Angelos adorandos, qui sicuti sunt in cælo inferiores ambobus, vt Rege, & Reginâ, subditi; ità honorem & cultum infrà illos promerentur. Præter latriæ adorationem, Iesu Christo debitam, alteram minorem agnoscimus, quâ D. Virginem, vt Dei Genitricem, Sanctorumque Reginam veneramur: nam asserente Suario [c], notum apud Theologos est: vel sub ipsum mundi exordium, adoratam fuisse, tum in cælo ab Angelis, tum in terrâ ab hominibus; quoniam illi quidem vt primùm conditi sunt, exoriturum ex Mariâ semper Virgine Dei Filium, diuinitus præuidisse creduntur, & statim atque frui ceperunt diuino conspectu, suum caput ac Regem Christum, suamque Dominam obsequio sponte præstito coluere Mariam: homines verò in Ecclesiâ militante, quæ Ducem sequitur Christum, eius ab orbe condito deuenerati sunt Matrem, Adamus primùm & Eua mortalium progenitores fide cognitam, deinde humani generis propagatores, quos Patriarchas vocant, & sacri vates præscij futurorum, eadem fidei cognitione imbuti pariter adorarunt, vt in Apparatu [d] docuimus. Post aduentum autem Christi in terras, dum vixit inter mortales generis humani vindex, venerati maximè Deiparam sunt, quicunque in illum crediderant; imò ipsemet Dei Filius, acceptâ ex Mariæ vtero carne, Parentem sanctissimam coluit adeò, vt præter obsequia, quæ viuenti exhibuit, tanquam subditus in domo Nazarenâ, externam-

Hæretici qui Angelos honorãt. suprà Christum & Mariam.

Angelicorũ secta, eorumque cæremoniæ.

Prohibet Paulus adorandos Angelos suprà Christũ, & Matrẽ.

Angeli Deiparæ subiecti

Homines ab orbe condito ipsam venerati.

a Coloss. 2. ver. 18.

b Thoma Mass. vita S. Pauli l. 12. cap. 10.

c Suar. to. 2. in 3. par. disput. 22. sect. 1.

d Apparat. num. 26.

externamque demiſſi etiam corporis reuerentiam, cuius meminit [a] Richardus à S. Laurentio, iuſſerit nos peculiarem illi cultum ſuprà ſanctos omnes tribuere. At poſtquam victâ morte glorioſus in cælum aſcendit, ſemper creuit in cætu Fidelium Deiparæ veneratio, in quam conſenſit Eccleſia Catholica ab ipſis Apoſtolorum temporibus: quoniam iam tum ſacroſancto Mariæ nomini feſtos inſtituit dies, preces addixit & vota, fundauit templa, aras extruxit, & imagines vbique terrarum dedicauit. Cuius verò generis ſit hæc D. Virginis adoratio, deduci facilè poteſt, ex ipsâ dignitate Matris Dei, ad quam diuinitus eſt euecta: cum enim eam deceat interna ſanctitas multò excellentior, quam claſſes cæteras, ordineſque Sanctorum, imò etiam Angelorum choros qualeſcunque & cum omnibus illa ſupereminear; infrà ipſum quidem Deum, at ſuprà Cælites omnes eſt adoranda, eo nimirum cultu, quem Theologi hyperduliam appellant, minorem latriâ, vni debitâ Deo, & maiorem duliâ, quâ ſiue Angelos, ſiue Sanctos quoſcunque, vt Dei ſeruos colere conſueuimus. Negari præterea minimè poteſt, quod optimè monet cum S. Thomâ & Caietano Suarius [b], alteram rationem adorandæ Deiparæ reperiri, qualis conuenit ligno ſanctiſſimæ crucis, & reliquis ſacrorum cruciatuum inſtrumentis, quæ nimirum ratio deſumitur à Chriſti contactu: ſed in actum vocatam eam adorationem, non vacare periculo, ab iiſdem Theologis opportunè monemur; cum enim homo ratione præditus, ob natiuam ſibi excellentiam ſuprà reliquas animantes, venerationis abſolutæ ſit capax, ſi rudis plebecula, & vulgus ignarum, cultum homini tribuat, propter excellentiam diuinam, vel extrinſecùs tantum applicatam, prolabi facilè in errorem poterit, exiſtimans illi diuinitatem ineſſe; id quod aliquibus accidiſſe, infrà non ſemel ſuis locis docebimus: denique quia magis ex proprijs adoratur Deipara, cum propter internam dignitatem ſuſpicitur, coliturque; quàm ſi propter externam dumtaxat habitudinem contactus ad Chriſtum, ſua illi veneratio deferatur, cuiuſmodi cultum, etiam rebus ſenſu ac ratione carentibus impartimur, in teſtimonium ſolius excellentiæ, propter quam Chriſtum ipſum adoramus. Monet ergò Paulus Coloſſenſes, vt ſibi caueant ab eorum hæreſi, quos Auguſtinus [c], Epiphanius [d], alijque ob Angelos ſuperſtitioſè cultos, appellarunt Angelicos, damnatque idem Apoſtolus demiſſionem corporum illis exhibitam, & latriæ cultum indebitè delatum, vnde non modò in Deum, & diuinarum Triadem perſonarum,

Antiquiſſima Mariæ veneratio in Eccleſia.

Cuius ea generis adoratio ſit.

Altera adorandæ Deiparæ ratio.

Confertur cum priore.

a Richard. S. Laur. l. 3 de Laud. Virg. Mul. toties, inquit, vt creditur genuflexit filius coram matre.

b Suar. t. 2. in 3. p. q. 25 diſput. a. 2 ſect. 2.

c Auguſt. de Hæreſ. hæ. 39

d Epiphan. hær. 60.

rum, sed in Iesum Christum Dei Filium, eiusque Parentem sanctissimam, suprà Angelos, Sanctosque omnes adorandam, redundat iniuria.

III. Datis ad Colossenses litteris, visum est Apostolo, priuatam & perbreuem adiungere epistolam, Philemoni viro inter eos nobili reddendam, qui ex Ethnicorum superstitione ad Christum conuersus, cum opibus abundaret, ciuisque primarius esset, cætum Fidelium Colossis coactum, adeo adiuuabat, vt in eius domum, tanquam in ædibus communibus, sacro cultui dicatis, ad Synaxes conueniretur. Hinc factum est, quod Theodoretus [a] testatur, mansisse domum ad plura sæcula, diuinis rebus addictam, & permutatam in templum, monumentum pietatis, ac religionis nobilissimum extitisse. De peculiari sacræ ædis titulo non constat: sed conjecturæ non leues occurrunt, Iesu Christo præcipuè, atque Deiparæ dicatam fuisse, sub quorum præsidio ac patrocinio Fideles conueniebant, cum præsertim id temporis in more positum esset, ex Apostolorum vniuersam Ecclesiam moderantium instituto, humani generis Vindici Christo, eius Matri semper Virgini, sanctisque in cælum receptis templa, aras, sacella, imagines dedicare. Hanc ipsam ad Philemonem epistolam, missam per Onesimum, ac Tychicum cum alterâ ad Colossenses, inde colligimus, quia in vtrâque Paulus missum à se Onesimum Colossas testatur. Fuerat hic olim Ethnicus, & Philemonis seruus ex Phrygiâ; sed mox transfuga Romam venit, vt se in libertatem vindicaret, pecunijs quibusdam ab heri sui arcâ subreptis. Denique cum incidisset in Paulum, ab eo ad fidem, ac pœnitentiam inductus, Christiana sacra suscepit, effectusque eiusdem admonitu cum cæteris Sanctis, Diuæ Virginis studiosissimus cliens, commendatitias sui litteras à Paulo ad Dominum detulit: quare ab hoc [illegible] liberaliter acceptus, non solum è seruo liber euasit; sed in sanctitate, cuius apud Paulum tyrocinia posuerat, valdè proficiens, post Timotheum renunciatus est, Ephesiorum Episcopus.

De epist. Pauli ad Philemonem.

a Theodore. in Præf. ep. ad Philemonem.

Colossis domus Philemonis in sacram ædem permutata.

De Onesimo Pauli discipulo, & Philemonis seruo.

IV. Hoc anno, sicuti Tacitus [b] scriptum reliquit, habitum est Romæ prodigij loco, quod accidisse narrat in Rumulea ficu, Ruminalem aliter vocant. Texerat hæc olim arbor, Romuli ac Remi conditorum Vrbis infantiam, cum expositi ad Tyberis ripam pueri, Lupæ lacte pasti, ac mirabiliter seruati sunt, si Romanarum rerum scriptoribus est fides habenda: idcircò ad annos octingentos, non modò folijs, ac trunco, sed religione etiam apud Romanos virens permanserat. At historico

b Tacit. annal. l. 13. in fine.

Ruminalis arbor Romæ exarescit.

ſtorico teſte, tandem exaruit hoc anno, quo altera quondam infantiæ Chriſti cuſtos, ac nutrix arbor, Virgo nempe Deipara, à Pauli & Apoſtolorum laboribus, Romæ & vbique terrarum virere quodammodo viſa eſt, eius cultu in Vrbe Orbis principe, atque in vniuerſis mundi partibus amplificato. Crux eodem tempore, quæ matris loco morientem Chriſtum excepit, quaſi cum Mariâ certaret, virere etiam ac florere cepit; quæ antea arbor ingloria, & arida fuerat: Etenim vbique in honoribus habita, ſacris Martyribus, qui deinceps magno numero triumpharunt, vmbrâ tectis ampliſſimâ, ſuos abundè protulit fructus, quos primùm ipſi Deiparæ Martyrum Reginæ protulerat.

Opponitur Deiparæ & Cruci ſemper virẽtibus

Annus Chriſti 61.
B. Virg. Natæ 75. Petri Rom. Pont. 17.
Et Aſſumptæ 3. Neronis Imp. 5.

I. EXacto in vinculis biennio Paulus, ſemel atque iterum coram Cæſare defenſus, liber abire [a] permittitur; fortaſſe, vt cenſet Card. Baronius [b], ob publicam Populi Romani lætitiam, ex adulatione ciuium natam, quâ partam Neroni ſalutem gratulabantur, cæsâ hoc ipſo anno, vt ait Tacitus [c], per atrociſſimum filij facinus, Agrippinâ parente. Cum enim menſe Martio; feſtis Quinquatrijs, ad quintum vſque diem, poſt atrum, qui proximè Idus [d] ſequebatur, Palladi datis, Nero per libertum in lecto peremiſſet, quam antea veneno necandam ſeruis non ſemel, & in mari mergendam, irrito conatu, naui commiſerat: vt ſcelus excuſaret, matrem fecit parricida non vnius facinoris ream, cauſatus eius libidinem, regnandi cupiditatem, ſeque ab eâdem aſſerens per inſidias ad necem fuiſſe quæſitum. Itaque tanquam liber à cædis periculo ſuique iuris effectus inter gratulantium plauſus in Capitolium more triumphantium inuectus, ac propè inter Diuos relatus, dimitti protinus iuſſit, quicunque in vinculis eſſent: vſque eò peruenit Agrippinæ calamitas, vt non ſolum Imperatoris mater, à ſummâ in Vrbe potentiâ per necem exciderit; ſed poſt cædem grauiſſimorum ſcelerum infamiâ laborarit. At è contrario Maria Dei parens, gloriam per hoc tempus in cælo ſummam, magnumque apud homines nomen adepta, cum Ieſu Chriſti eius Filij vbique terrarum fides, Apoſtolorum laboribus propagaretur, immortalitate inter

Soluitur à vinculis Paulus.

Innuitur coniectando cauſa;

Miſera Agrippinæ occiſæ calamitas.

Oppoſita gloria D. Virginis.

a Ex Act. 28. in fin. & 2. ad Tim. th. 4.
b Barõ. ad an. Chr. 61. in fin.
c Tacitus Ann. l. 14.
d 16. Mar.

ter Cælites fruebatur, omniumque exemplar virtutum exhibebat mortalibus imitandum. Denique à Filio cæli, terræque Domino, vitæ, gloriæ, & coronæ particeps effecta est nunquam perituræ, dum altera item à filio neci atque infamiæ traderetur.

Pauli soluti à vinculis opera in Vrbe

II. Cum ergò Paulus, è Neronianis vinculis euasisset, manens adhuc in hospitio ante conducto, sed catenâ solutus, liberius deinceps opera charitatis exercuit, promouitque nullo prohibente, Christianam cum D. Virginis cultu Religionem. Epistolam ad Galatas, qui in Christum crediderant, scripsisse tum fertur, vt colligit Thomas Massutius [a] ex eo quòd dicat ibi Apostolus [b], portare se in corpore *stigmata Domini Iesu*, neque mentionem faciat vinculorum suorum, vt alias fecerat; cum fortè illam scribens esset quidem à custodiâ militis, & catenâ liber; sed à priori captiuitate flagrorum vibices, & vinculorum impressa corpori signa gestaret. Directa est epistola, non ad certam personam, aut Ecclesiam, sed ad plures Christianorum conuentus, qui in pluribus oppidis erant illius peramplæ regionis, Galatiæ, seu Gallogræciæ nuncupatæ. Commendationem continet Euangelicæ doctrinæ, aduersus eos, qui illius candorem, cum antiquatæ Iudæorum legis institutionibus confundebant, veterem circumcidendi ritum cum baptismo retinentes, & ità adhærentes Christo, vt ne Mosis quidem præcepta dimittenda censereut. Quod verò magis ad rem nostram spectat, cum certo epistolæ loco Paulus [c] Verbi diuini carnem assumentis meminisset, cui arcano prænotando, sacrorum Vatum oracula, cæteraque Instrumenti veteris monumenta tendebant, illicò in mentionem quoque perhonorificam diuinæ Matris erupit, his verbis: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere*; quem locum interpretatus Cyrillus Hierosolymitanus [d], indicatam fuisse ait, illibatam Dei Genitricis virginitatem, quoniam vbi innuitur ab Apostolo *Verbum caro factum* non dixit ex viro & muliere, sed ex muliere tantùm; quod idem atque ex Virgine sonat, cum in hoc conceptu mulier sola, sine viro sacrosanctum fætum ediderit. Oraculum sanè præclarum, & quasi ex Pauli ore, vox Dei, ad astruendam Deiparæ virginalem integritatem, quam aduersus Iudæos, Ethnicos, & Hæreticos, iuratos illius hostes, singulis à Christo nato sæculis, succedentes sibi inuicem sacri Doctores, acerrimè defenderunt. Neque verò opponere nobis ad iustam censuram potes; vnicâ hac Dei Matris designatione Paulum, per mulie-

Scribit ad Galatas.

Argumentũ Epistolæ.

Honorifica Deiparæ mentio in epistola ad Galatas.

a Thomas Mass. vita S. Pauli l. 13. cap. 2.
b Gal. 6. v. 17.
c Gal. 4. v. 5.
d Cyrillus Hierosol. Catech. 12.

Zzz ris vo-

ris vocabulum, obiter ex calamo lapsum, valdè parcum in eâ laudandâ fuisse, qui cæteroqui ex abundantiâ cordis locutus, sanctissimum Iesu nomen quadringenties & amplius in suis epistolis vsurparit: nam cum ad iacienda Catholicæ Ecclesiæ fundamenta, Christi Domini pro sontibus in Crucem acti causam, & resurgentis gloriam, vnde pendebat generis humani salus, commemorare sæpius expediret, laus etiam omnis redundabat in Matrem; quæ, teste S. Germano [a], dicta pariter salus mundi, suo modo in partem vocatur redemptionis humanæ, quia diuinitùs genuit Saluatorem. Imò mulieris illam appellatione dignatus Apostolus, non probro, vt Hæretici sunt commenti, sed honore affecit, dum insigni titulo decorauit, qui sexui generatim, vniuersèque conueniat. nam *si rectè*, inquit Origenes [b], *dicitur vir ille, pro sola temporis atate, qui nullius admixtionem fœmina nouerit, quomodo non eadem consequentia etiam Virgo, qua intemerata permansit, pro sola atatis maturitate, mulier nominetur?* In quem etiam sensum, responsum illud à Christo redditum Matri, ad vini defectum in nuptijs Canæ, ità accommodat Gaudentius [c], vt Mariam vocari velit mulierem, *veritate sexus, non detrimento integritatis; quoniam diuino partu sic ceperit esse mater, vt virgo sacratior permaneret.* Quamquam dicere fortasse licebit, appellatam esse mulierem; ne quis existimaret, verè matrem non esse, nempe dicturis Hæreticis, non propriè Virginem peperisse, eamque Manichæis pro phantasmate habituris; & Valentinianis, nihil ex eâdem corporis accepisse Christum; sed cælo delapsum per Mariæ vterum, tanquam per tubum, instar laticis, promanasse; temerè sparsuris in vulgus. Denique cum Deiparam eâ tantùm appellatione Paulus notat, imitatus est, Christum Apostolorum magistrum, quibus Matrem virginem legitur mulieris vocabulo nominasse, semel quando eius rogatu, in nuptiali Canæ conuiuio, miraculum primum exhibuit, aquæ in vinum conuersæ; & iterum, cum affixus Cruci, miraculis finem facturus erat in vitâ, commendato Mariæ Ioanne, vt altero filio. Hæc satis ad locum illustrandum epistolæ, scriptæ à Paulo ad Christianos Galatiæ, vbi breuis quidem, sed honorifica Deiparæ mentio.

Cur Apostolus Mariam vocet titulo tantùm mulieris.

Imitatus est Christum.

a S. Germã. serm. de Zona Virg.

b Origenes Hom. 8. Leuit.

c Gauden. Tract. 2. de lect. Euãg.

III. Interim Apostolus liber, dum Orbem peragraturus Româ discedere cogitat, Lucas eius comes charissimus, eodemque tunc vsus hospitio, inchoatum iam pridem opus Apostolicæ historiæ, de rebus per Apostolos gestis absoluisse fertur [d] hoc anno. De Ecclesiæ natalibus in eâ sermo est, & fusiùs

Actuũ Apostolorum liber à S. Luca absolutus.

d Bar. ad an. Chr. 61 num. 6.

fusiùs agitur de progressu, ad Pauli præsertim sociorumque labores. Altum in operis decursu, de Mariâ Dei Matre silentium, si excipias initium, vbi ostenditur illa tanquam sedula nutrix Ecclesiæ tunc infantis, necdum virtute Sancti Spiritus confirmatæ; cum Historicus expresse affirmet, reuerso in cælum Christo, numerosam piorum turbam Hierosolymæ in cænaculo congregatam, & dona cælestia præstolantem, simul precibus fundendis vacasse, *cum mulieribus, & Maria matre Iesu* [a]. Hæc sacrosancti cætus Dux & Magistra fuisse haud obscurè his verbis innuitur, quoniam assiduum orandi studium, cui tunc Apostoli in vnum collecti, & cum ijs Christi discipuli plures, sanctæque mulieres insistebant, interuentu atque exemplo Deiparæ ponitur frequentatum: vnde quicquid diuinæ virtutis ex alto deinceps accepere prima illa Christianæ sobolis pignora, quicquid vbique terrarum docendo, agendoque sacri exhibuere præcones, post Christum bonorum omnium auctorem, Diuæ Virgini quoque debebant; de quâ si Lucas deinde tacuit, rebus tantum per Apostolos gestis, & Pauli laboribus exponendis intentus, loquuntur de eâdem satis, ipsa facta Sanctorum, quæ tantam post Deum habuere Magistram; eiusdemque ope ac patrocinio prodierunt. Vltrà quartum Neronis annum, conscriptus à Lucâ de Apostolorum laboribus liber, suam non protendit historiam; quare quinto iam ineunte credimus fuisse absolutum.

a Act. 1. v. 14.

Maria dux & magistra orandi in primo Christianorum cœtu.

IV. In eodem ad viam latam hospitio S. Lucas, præter sacram Deiparæ effigiem, quam ibi remansisse diximus, alias eius generis imagines, Romæ in honore habitas, delineasse creditur. De omnium celeberrimâ, quæ colitur in Exquilijs ad S. Mariæ Maioris, scriptum id reliquit Thomas Massutius [b], eòque translatam fuisse docet Paulus de Angelis [c] vel à Liberio Pontifice templi fundatore, æstiuis de cælo niuibus diuinitùs designati, vel certè ab instauratore Sixto eius nominis Tertio. Nunc excepta visitur Burghesiano sacello, quod magnificè struxit Dei Matris studiosissimus Paulus Quintus. Iconem maximè salutarem expertus est suo æuo Gregorius Magnus, cum per Vrbem lue infectam votiuâ supplicatione circumtulit. Imò eidem Pontifici Roma debet, quod S. Euangelistæ brachium, instrumentum ad eam pingendam potissimum, pariter in Exquilino templo seruetur: cum ille nondum Romanus Hierarchia constitutus, tantum Bizantio pignus asportasse feratur, & quidem geminato miraculo, sarcophagi, qui ferro & plumbo arctissimè colligatus erat, vltrò

b Thomas Massu. Vit. S. Pauli l. 12. cap. 1.
c Paul. de Ang. Descr. S. Mariæ Maioris l. 12. cap. 4.

Imagines Deiparæ a S. Luca in Via lata pictæ.

De S. Maria Maiori.

aperti, & sacri corporis in eo positi, sponte brachium porrigentis. Narrationem ex Vaticanâ Bibliothecâ à Ioanne Seuerano [a] exhibitam, suo loco nos dabimus. Vnde diuino consilio factum est, vt Exquilina Basilica perantiquam Diuæ Virginis imaginem habeat, & brachium quod illi pingendæ laborauit. Reliquæ eiusmodi tabulæ, quæ opera S. Lucæ vulgò existimantur, & Romæ sunt, in Arâ Cæli ad collem Capitolinum sitâ, in Aede cui à populo nomen ad viam Flaminiam; in alterâ sub titulo Gratiarum ad Capitolij radices, pictæ censentur eodem tempore & loco, cum sanctus Pictor conductam vnà cum Paulo domum habitaret: cum enim vbicunque ante hoc tempus fuerat, sacris hisce picturis Christianorum conuentus per Orbem sparsos ditasset; ecquis non sibi persuadeat, commoratum Romæ per duos integros annos, idem fecisse?

De aliis tribus.

a Ioan. Seuer. de 7. Vrb. Ecclesiis ad S. Mariam Maiorem.

V. Verùm multò plures Deiparæ imagines exhibet Roma (quæ Lucæ communiter tribuuntur, & in hunc vsque diem innumeris claruere miraculis) duas in cænobijs sacrarum Virginum, alteram quidem ad Campum Martium, in Parthenone, Dei Genitrici Conceptæ sacro; alteram verò ad collem, cui Balnea Pauli fecere nomen, in conuentu Religiosarum S. Dominici. Primam [b] ab eo tempore, quo Leo Isauricus cruentum sacris imaginibus bellum indixerat, profugæ ab Oriente Moniales Romam aduexere; & seruatam diuinitùs ab incendijs memorant: alteram [c] Apostolis adhuc Hierosolymæ manentibus proximè post Christi triumphum, à S. Lucâ designatam, atque ab Angelis diuinitùs redditam, ferunt ex documento maiorum sacræ Virgines, quæ illam apud se habent, delatam non sine miraculo, ac retinere inter varios casus conatæ sunt. Tres præterea S. Lucæ penicillo tribuit publica vox, primam ad D. Augustini, non longè ab Agonali plateâ, olim à Clemente Tuscanellâ [d] ciue Romano, post captam Constantinopolim ex templo S. Sophiæ, de manibus Græcorum ac Turcarum pretio redemptam; in foro alteram [e] Boario ad S. Mariæ Nouæ, Troade ex Asiâ ab Angelo Frangipanio huc illatam: tertiam denique, quam tulisse Romam fertur S. Veronica, ad antiquum M. Agrippæ Pantheon, quod summus Pontifex Bonifacius Quartus, in honorem D. Virginis, omniumque Sanctorum, nouum quasi Panagion dedicauit. Cæterùm de hisce Deiparæ imaginibus, quæ in Vrbe coluntur; vt aliquid certius habeamus, suis infrà locis agemus.

Aliæ Imagines Deiparæ in Vrbe adue&æ, & alibi à S. Luca pictæ.

b Octauius Pancirolus Thes. absc.

c Ex M.S. cod. Monasterij S. Caeciliæ apud Florauãt. Martinellum in libello de ea imagine.

d Ex inscriptione Aræ maximæ.

e Ex Octauio Panciroło vt sup.

VI. Liber.

VI. Liber, vt diximus, à vinculis Paulus, antequam Româ discederet, socium sibi charissimum Lucam, & suæ peregrinationis testem præmisit in Orientem vsque, vbi Græciam Euangelista lustrauit, & rursum Libyam petens in Aegyptum transijt, atque vtranque Thebaidem ad Christi fidem induxit, donec laboribus tandem confectus, vltimâ senectute peruenit ad palmam. Sparsisse eundem, diuini verbi sementem, in Dalmatiâ primùm & Galliâ; mox in Italiâ, ac Macedoniâ, testatur Epiphanius [a]. Fuit vbique eximius Virginis Deiparæ præco, vtpotè qui conscius ab eâ sacrorum arcanorum effectus, non solum Sancto Spiritu dictante, litteris nunquam perituris illa mandauit, sed viuâ etiam voce ad populares cœtus tam crebrò repetijt, vt memoriam tantæ Magistræ, à quâ didicerat in omnium cordibus excitarit.

Mittitur in Orientem S. Lucas.

[a] Epiphan. Hæres. 51.

Eximius Deiparæ præco.

VII. Hoc eodem anno Paulus, postquam exemptus à vinculis, epistolam ad Galatas miserat, Ethnicos instruens, qui se varijs adiunxerant Christi Ecclesijs, ne à sectantibus Iudaicos ritus deciperentur, censuit alteram scribendam esse ad ipsos Hebræos, qui vbique Christianam erant Religionem amplexi, vt opportunè commoniti Christum suprà Mosen & omnes Angelos venerarentur, Mosaicam verò legem, Euangelicæ cessisse, haberent pro comperto. Argumentum in eâ pertractatum, ad Hebræorum vtilitatem, cum Christi nostri Vindicis dignitatem extollat, non alienum censetur ab eius Matre Mariâ, cuius excellentia ab illo fonte promanat; ideòque non Mosi tantùm, aut reliquis Iudææ gentis propagatoribus præstat, sed Angelis quoque ipsis, in choros diuinum circà solium distributis; neque insinuari poterat Euangelicæ legis perfectio, quam Christus exemplo promulgauit, & verbo; quin subintelligeretur parens, imitatrix egregia sanctissimi Filij, atque ab eo dignitatem suam omnem adepta; cuius radix prima foret; Saluatoris Dei Matrem illam fuisse, principium & fundamentum totius humanæ salutis, infaustis Euæ ac serpentis obuiam vestigijs, partu suo mortis iter interclusisse; ostium vitæ, quod est Christus, intrare contendentibus reserasse, chirographum lethalis pacti deleuisse, & exhæredatum regni, consortem noui testatoris, sigillo summi Regis fecisse hæredem, Filijque sui cohæredem. Hæc aliaque decora Dei Genitricis, laudato per Apostolicam epistolam Christo, facilè deducuntur; quare apud Hebræos, Christianis sacris initiatos, ad quos directæ sunt litteræ, vt in Christum omnis originem ac fontem sanctitatis, ità in Mariam

Pauli epistola ad Hebræos.

Quomodo pertineat ad Mariam.

pietas

pietas creuit, atque religio, innumeris vtrique addictis ex eo populo, qui diu legislatorem Mosen secutus fuerat, & per summam iniuriam, Dei Filium humani generis bono missum in terras, cruci damnarat.

VIII. Hoc anno, vt nonnulli [a] scribunt ex Plinio, contigisse creditur ante Kalendas Maias, solis defectus, visus in Campaniâ quidem horâ diei inter septimam & octauam, in Armeniâ verò à decimâ ad vndecimam, circuitu globi alia alijs detegente, & occultante. Obscuratam quomodocumque per id temporis spatium Solis faciem, libet opponere Mariæ Deiparæ suprà Cælitum choros illustratæ, quò magis eius gloria apud homines in terrâ crescebat. Eclipsis illa fortasse portendit Neronis crudelitatem, & reliqua vitia, quibus mundi Princeps paulò post, planè degenerauit in belluam, & in sanguinem præcipuè Christianorum exarsit: At verò luminis gloriæque incrementum in D. Virgine, trahebat secum nouos Ecclesiæ militantis fulgores, quibus hæc ad piam illius memoriam illustrabatur, Martyrum præterea sanguine, qui deinceps erat à Tyrannis fundendus, in lucem sacri agminis transituro. Fertur [b] eodem anno Lugdunum, coloniam in Gallijs celebrem, vnius noctis incendio perijsse, ità vt inter magnam vrbem, nullamque vix horarum aliquot spatium fuerit. Quæ tamen vrbs mox in plano posita, clarior ab igne surrexit, debetque incendio, quòd in circuitum ampliorem excurrat. At felicius multò fuit, ciuitatem Dei Mariam, de quâ sacræ litteræ mira loquuntur, ab incendio diuini amoris, quo viuens exarserat, post mortem illuxisse clarius hominum cætui, vbique à populi in auxilium imploratam, aduersus principes tenebrarum.

Eclipsis solis.

Opposita gloriæ & splendori Deiparæ.

Hoc anno ingens Lugduni incendium, rebus nostris oppositum.

a Iacobus Gordonus op. chronol. ex Plinio l. 2. cap. 70.

b Seneca in epist.

Annus Christi 62.
B. Virg. Natæ 76. Petri Rom. Pont. 18.
Et Assumptæ 4. Neronis Imp. 6.

I. PAuli peregrinationes, post eius Româ discessum, qui certò prodiderit habemus neminem. Vnum hoc citrà dubitationem admittitur; Apostolum, octo circiter annis, ante quam in Vrbem reuersus, Neronis gladio perimeretur, Orbem terrarum peragrasse, vulgandoque inter Gentes Iesu nomini, animum aduertisse, vt hactenus ab eodem vidimus factum. Profectus tum esse in Hispaniam, & occidentales quo-

Pauli itinera post discessu Roma.

les quoque regiones peragrasse, vt antea Orientem lustrarat, affirmat Cardinalis Baronius [a], veteres Patres tam Græcos quam Latinos secutus, Quo posito, propagatum per Pauli labores, tum in Hispania, tum alibi Dei Genitricis cultum, hic annus pariter, & sequentes viderunt. Sunt quidem adhuc Apostolici cursus ibi non obscura vestigia; relictus Narbonæ Paulus alter, eius vrbis Episcopus, quem tradunt [b] fuisse Sergium Paulum Proconsulem, ex disciplinâ ipsius Gentium Apostoli, cum is in Hispaniam pergeret, institutum Antistitem, vnâque Christi & Virginis Matris præconem eximium; Rufus etiam, Simonis olim Cyrenensis filius, vrbi Dertonæ Præsul in eodem itinere traditus, vt eius Ecclesiæ monumenta testantur; conuersique ad fidem ipso in Hispaniam aduentu, vir perillustris nomine Probus, & Xantippe eius vxor, sicuti scripsit Sophronius [c] Hierosolymitanus Patriarcha, & confirmant ex Metaphraste Lippomanus, & Surius [d]. Sed vt antea per Iacobum maiorem Apostolum Hispania, susceperat in se prima pietatis in Deiparam semina; ità nunc per Paulum cò pariter diuinitùs destinatum exculta, fructus vberrimos dedit seminibus respondentes. Quare mirum non est, si sortita iam pridem tantos veræ religionis, fideique satores, nostro hoc æuo Sanctorum ferax, vbique vexilla Dei Matris erexerit, eâque interueniente, se Christo addixerit. At etiam licet ex coniecturâ colligere, eo itinere Paulum adijsse Galliam, testante Adone Viennensi; relictum ab Apostolo Trophimum Arelate fuisse, vt Ecclesiæ illi præesset; & ab eodem datum Episcopum Viennæ Crescentem. Sed quòcunque tandem accesserit, certum est, plurium, qui eius obitum proximè antecesserunt, annorum curriculo, tam in Oriente, quam in Occidente, vulgasse concionando Christi nomen, & cultum Deiparæ propagasse, quòd spargens diuini Verbi sementem, separare Filium à Matre non posset.

Cedunt in gloriam Deiparæ.

Idem in Occidentem infert Christi notitiam & Virginis Matris.

II. Hoc ipso tempore, per Apostolos, eorumque discipulos Aegypto lustratæ plurimùm profuit, ad cognoscendum Virginei partus mysterium, compactilis quædam è ligno statua, virginem repræsentans, & puerum eius gremio insidentem, quæ statua ex materie corruptionem nesciente, & colore ad vtramque faciem fusco, conformata ab indigenis ferebatur. Hæc sumpta postmodum ad Deiparam significandam, ac translata tandem in Galliam, Anicij nunc colitur, in templo magnificè extructo, cuius meminit Odo Gisseus [e], Aniciensis historiæ scriptor. Illa operis molitio malè à quibusdam

Statua Aegyptiaca ad significandam Virginē Matrem.

Translata in Galliam.

a Baron. ad ann. Chr. 61. num. 2.

b Idem Baron. not. ad Martyr. 22 Mart.

c Sophron. ser. de Nat. Apost.

d Surius 29. Iun. Menolog. Græc. 15. Septemb.

e Odo Gissey. hist. Anic. l. 2. c. 2.

a *Guilelm. Gumppenberg. l. 1. Atl. Mar. in Imag. Aniciens.*

b *Epiphan. & Dorothei.*

dam [a] Ieremiæ Prophetæ tribuitur, in Aegypto quondam exuli cum popularibus suis, quoniam Iudæi ob idololatriæ periculum statuas eiusmodi auersabantur. Conformius quidem est sanctorum Patrum [b] testimonijs, & veterum traditioni; Ieremiam Aegyptijs idolorum cultui maximè deditis prænunciasse eorum lapsum, tunc in eâ regione futurum, cum Virgo adesset puerum enixa. Gens igitur oraculi quamuis non intellecti tenax, rata aliquid in eo diuinum latere, consueuit primùm veram virginem colendam proponere, atque instar paulò ante editi partus, viuum addere infantem inter fænum & paleas recumbentem, quoniam in præsepi locandum vates innuerat: deinde vt æternum arcani monumentum extaret, ad eiusdem expressionem, conflauit è ligno statuam virginis, gremio puerum sustinentis, quam statuam in adytis templisque diu asseruatam, ad Musæa tandem transtulit Regum Ptolomæorum. Si qua fides est adhibenda narrationi ex maiorum documentis depromptæ, cui fauet Petrus Comestor [c], & subscribit Canisius [d], in eâ suspicione sumus; ingressos in Aegyptum Apostolos, sparsâ vbique Christi fide, indigenis Deiparæ Virginis aperuisse mysterium, & pariter declarasse, quò referendum foret Ieremiæ vaticinium, quod occasionem dedisset Aegyptijs virginalis statuæ construendæ. Sub hoc ergò tempus pro imagine Deiparæ, illud simulacrum superstes haberi à Christianis ceptum, illustrius in dies reddidere edita diuinitùs signa; donec ex Gallorum Regibus vnus suo intulit regno, atque Anicij collocauit. Eiusce translationis gloriam Anicienses tabulæ [e] S. Ludouico nono Regi sanctō videntur ascribere, dum tempus haud obscurè signant, quo post initum cum Sultano Aegypti fœdus, à suâ ille peregrinatione est reuersus in Galliam.

Mos antiquus Aegyptiorum in veneranda Virgine.

c *Petrus Comestor cap. de descensu Reliquiarum Iuda in Aegyptum.*

d *Canisius Marial. l. 2. cap. 7.*

Statuæ significatus apertus.

e *Odo Gissaueus sup.*

III. Hoc anno, qui Neronis in imperio sextus erat, tum apud Iudæos, tum apud Romanos quædam occurrunt nostris rebus opponenda. Rex Iudæorum [f] Agrippa iunior, senioris filius, summum Sacerdotem Iosephum in ordinem redigit: nam gentis Principibus, populoque vniuerso iam despectui Pontifices erant, dum è contrario æternus sacerdos Iesus Christus, eiusque sanctissima Parens, vbique terrarum, mortalium votis adessent, & plenis laudum præconijs ornarentur, tum in cælo, vbi gloriosè regnabant, tum in terris vbi religiosè à Fidelibus colebantur. At eodem tempore Vrbem varijs exagitatam fuisse prodigijs, Tacitus scribit? Visum in cælo cometen, & deiectam illapsu fulminis Cæsaris mensam, vulgus

f *Ioseph. l. 20. antiq. c. 7.*

Res huius anni Iudaicæ, & Romanæ sacris opposita.

Tacitus lib. 14. Annal.

vulgus in omen traxit Principis quamcitissimè morituri. Sed arioli verius fortasse dixissent, eiusmodi signa, cælestes fuisse voces, exprobrantes Neroni flagitia, in quæ post traditam neci parentem, laxatis vtcunque frænis, se princeps totum effuderat, dum qui matrem impunè necasset, nihil sibi credidit non licere, pudore præsertim obruto, vnde belluam paulatim induit, humanitatis oblitus: dum æternus Monarcha Iesus Christus, exaltatâ suprà Angelorum acies augustissimâ Matre, sanctorum è terrâ myriadas illuc acciuit, vt suæ gloriæ, & Reginæ honoribus deseruirent.

Annus Christi 63.

B. Virg. Natę 77. Petri Rom. Pont 19.

Et Assumptę 5. Neronis Imp. 7.

I. DEcurrentem ab ortu Iesu Christi tertium & sexagesimum annum, insignem fecit in primis, ex testimonio Card. Baronij [a], cædes Iacobi minoris Apostoli, Hierosolymæ Antistitis, qui speciosis titulis, & Iustus ex morum sanctitate, & frater Domini, ob sanguinis coniunctionem, ac vultus similitudinem, est appellatus. Locum sibi iure vendicat in Marianis Annalibus, sanctissimus Iesu Christi & Mariæ Matris cognatus, ex Cleophâ fratre Iosephi, vt dictum est. Digresso in cælum rediuiuo Domino, & Apostolis toto terrarum Orbe dispersis, Iacobi sors fuit, manere diu Hierosolymæ ad sacrum eius clauum regendum, & frui præ cæteris Christi discipulis, si Ioannem tantùm excipias, aspectu Dei Matris, quæ ibidem ad plures annos commorata, paucis ante ipsum ad cælestem coronam euolauit. Ab hac Apostolorum omnium magistrâ, mirum quantum ille profecit, præsertim cum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Præsul constitutus, rem ibi Christianam administraret. Carne & vino cum sibi à teneris annis interdixisset, ad extremam vsque senectutem seuera est ieiuna prosecutus, nunquam tonsus, nunquam more Iudæorum, vnctus aut lotus. Longâ precandi consuetudine, genibus sæpissimè humi flexis callum obduxit, imò, si Chrysostomo [b] credimus, & fronti, quâ solo identidem innixus orabat, corpore toto procumbens. In signum regalis Sacerdotij, gestasse fertur in capite laminam auream, & quod maius est ornamentum, eâ famâ sanctitatis fuit, vel apud ipsos Iudæos Christianorum osores, vt ingredi aliquandò in sancta templi adyta illi

Iacobi minoris Apostoli Deiparæ cognati martyrium.

Is mansit Hierosolymę cum Dei Matre.

Eius sanctitas.

a Baron. ad an. Chr. 63. num. 1.

b Chrysost. in Matth. hom. 5.

ta illi vni liceret; & pars duceretur felicitatis, fimbriam tantùm vestis, quâ induebatur, ad viri venerationem attingere. Donec Maria Christi parens domum in Sionis monte sitam habitauit ipse Christiani gregis ibidem Pastor nouit oculatus testis sanctissimæ Matris exempla, eidemque pergratus fuit, cum, ob vitæ sanctimoniam, tum maximè ob cognationem, & similitudinem Iesu Christi, quem moribus, vultu, & sanguine referebat.

Ananus Pontifex illum neci addixit.

II. Extremâ iam senectute, cum Iudæorum odio Christianos persequentium exagitatus, Ananum perfidæ illius gentis Pontificem, naturâ sæuum, sectâque Sadducæum habuit suæ cædis ministrum, cum Festo Iudææ Præsidi mortuo, subrogatus à Nerone Albinus, Româ propediem discessurus, ire in prouinciam cogitaret: tunc enim coacto Ananus concilio, in Iacobum virus euomuit, à quo Paulus euaserat, ante duos annos in vinculis Romam missus. Vocatum ergò Apostolum de consensu concilij, considerate seriò iubet, quæ mala cum pateretur populus Iudæorum, quæ templum ipsum, tanto olim sumptu à Salomone conditum, & lex à Deo per Mosen data; dum Christus in crucem actus, Dei filius haberetur: pro suâ auctoritate iret obuiam huic errori, & miseratione tactus calamitatum, morbo, quem ipsemet cum suis fecerat, pararet tandem medicinam; efficacitate dicendi, quâ pollebat, persuadens credulo populo, disseminatam de Christi diuinitate famam esse mendacem. Vt verò commodiùs eiusmodi munere fungeretur, ad frequentiorem panegyrim, quæ ad Paschæ solemnia vndecunque conuenerat, statuitur Apostolus in sublimiori templi parte, vnde tanquam è suggestu perorans, audiri ab omnibus posset. Dum sperant Sacerdotes responsurum illum communi Iudæorum voto, & principum postulatis satisfacturum, accidit omninò contrarium; nam Iacobus palâm audiente innumerâ multitudine, superiori de loco Christum verum Deum confiteri aggressus, natum ex Virgine, Synagogæ rebellantis odio affixum cruci, in eâ mortuum, sepulcro mandatum, ereptumque è faucibus mortis, ad superos gloriosè reuersum, persanctè affirmauit. Quamobrem irâ excandescens Ananus impetum fieri in sacrum Oratorem iubet, qui ab immissâ sicariorum manu statim deiectus è templi fastigio, lapidibus obrutus; atque inter preces, quas Christum imitatus, pro hostibus suis fundebat, fuste fullonis cæsus est; cum ad annos nouem & viginti eam sedem tenuisset. Iniectas tantò viro violenter manus popu-

Cædis narratio.

Apostolus Christũ constantissimè confitetur contrà iussa concilii Iudæorum.

Deiicitur è templi fastigio.

lus auersatus, eò perueniſſe cenſuit ſceleris atrocitatem, vt calamitates, quæ deinceps Hieroſolymam ad excidium vſque inuaſerunt, in eius vltionem diuinitùs immiſſas fuiſſe, ſibi perſuaſerit. Neque eſt, cur quiſpiam popularem hanc opinionem damnet, quòd potius Hieroſolymæ caſum relatum oporteat ad immane parricidium, à Synagogâ patratum in cæde diuini Filij ante plures annos, viuente videnteque Virgine Matre; cum cæſo Iacobo, qui & Domini frater dicebatur, vultus lineamentis, & morum ſimilitudine alter veluti Chriſtus eſt habitus, repetitum quodammodo ſcelus videatur, Anani Pontificis iuſſu, & Iudæorum operâ, in Apoſtolo Deiparæ cognato, Ieſu Chriſti ſanguinem repoſcentium.

Populo facinus indignãte.

III. Reliquit ille poſt obitum Eccleſiæ Dei, monumentum ſui muneris præclariſſimum duplex; Epiſtolam nempe Catholicam ad duodecim Tribus, quæ erant toto terrarum Orbe diſperſæ; ac traditam ſacrificij formam, quæ perantiquâ appellatione S. Iacobi Liturgia dicitur, non à Græcis ſolum Theologis probata, ſed etiam à Patribus ſextæ Synodi Generalis (quæ Conſtantinopoli in Trullo, auguſtalis palatij ſecretiore parte eſt habita) præclaro teſtimonio confirmata, in hæc verba [a]: *Iacobus Ieſu Chriſti Domini noſtri frater ſecundum carnem, myſtico nobis in ſcriptis tradito ſacrificio, peragendum in ſacro myſterio ex aqua & vino ſacrum poculum edidit*. Epiſtola ipſa primùm, ſapientiâ ſcatet, quam Iacobus à diuino Spiritu cum reliquis Apoſtolis hauſit, itemque Deiparæ magiſterio confirmatam audiuit per tot annos, quibuſcum illâ Hieroſolymæ fuit. Cum autem eiuſmodi ſcripto, doctrinam Catholicam, de fide ſine operibus inutili ac mortuâ, auctor inculcet, aduerſus excitatam id temporis hæreſim, quam in Eccleſiæ perniciem paulò ante Simon Magus inuexerat, docens animi iuſtitiam non ex operibus, ſed ex fide ſolâ progigni; cum, inquam, operum quoque neceſſitatem ad ſalutem conſequendam, pluribus Apoſtolus doceat, vt fieret oraculo fidès, erant in promptu plurima, eàque præclara D. Virginis exempla, cum eius vita ſicuti veræ iuſtitiæ ac ſanctitatis operibus abundauerat, ita omnium fuerat diſciplina, vt ait Ambroſius [b]; neque enim in vllo Sanctorum Chriſtiana fides viuacior extitit, quam in Mariâ; nec in vllo charitas operoſior. Itaque per epiſtolam Iacobus doctrinam tradidit, quam abundè in ſe ipſâ probauerat Dei Mater, dum omnium virtutum exemplar viuendo in terris exhiberet.

Scripta S. Iacobi.

Epiſtola Catholica S. Iacobi.

Quomodo ad Deiparã pertineat.

a *Tom. 2. Concil. 6. Synod. Conſtant. Can. 32.*

b *Ambroſ. l. 2. de Virginibus.*

IV. At verò D. Iacobi Liturgia, publicum nempe ſacri-

ficij ministerium, cuius formam ille tradidit, pertinet expressiùs ad D. Virginem Dei parentem, eiusque memoriam inter preces ab ipso Iacobo Apostolo, cum Hierosolymæ præesset, institutas, non vno in loco complectitur, primùm quidem per repetitionem salutationis Angelicæ; *Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum*; & verborum, quæ protulit Elisabetha, cum Virgini cognatæ salutanti, diuinitùs edocta respondit; *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Deinde per piam parænesin Sacerdotis, ad Deiparæ laudes populum inuitantis; atque ex odeo modulatorum illicò concinentium responsionem, quâ Mariæ plurima, & quidem perhonorifica efferuntur encomia. Habes Petri Canisij [a] testimonium hac de re in dissertationibus de Deiparâ, vbi singula referuntur, tanquam non aliunde, quam ex Apostolico spiritu deprompta, quæ nimirum & primo Ecclesiæ sæculo congruant, & singularem nostræ Virginis arguant maiestatem.

Liturgia S. Iacobi.

a Canisius Mariall. 5 cap. 31.

V. De alio præterea opere historico, rerum à Dei Genitrice gestarum narrationem complexo, quod opus Iacobi Protoeuangelium dicitur, sapientum censura prodijt, damnatioque non semel; cum insignes eruditione viri, probatæque auctores fidei, reijciendum meritò & expungendum censuerint, Cæsar Cardinalis Baronius [b], Sixtus [c] Senensis, Posseuinus [d] & nostro hoc æuo Leo [e] Allatius. Ast aliqui Epiphanium [f] Bizantij Presbyterum, & Vincentium [g] Bellouacensem secuti, antiquissimum opus Iacobo cuidam tribuunt, religione Iudæo, quod tamen progressu temporis ab Hæreticis deprauatum, plura contineat non apocrypha tantùm, sed & indignissima lectu. Quòd verò ex parte attingat Dei Genitricis mysteria, sacro Euangelistarum testimonio, aut certè Ecclesiasticæ historiæ non dissona; hinc fortasse factum initio fuit, vt deceptum nominis similitudine vulgus, operis auctorem crediderit Iacobum minorem Apostolum, rerum ad Virginem Matrem, eiusque Filium pertinentium apprimè gnarum; vtpotè quem Hierosolymæ Præsulem, in ipsum S. Matthæi Euangelium expositionem edidisse (quæ fortasse fuit in Græcum translatio) scriptum reliquit S. Athanasius [h], teste Bellarmino [i]. Nos interim antequam vltrà progrediamur, admirabilem virum, Deiparæ consanguineum, Iudaicæ perfidiæ triumphatorem, suo exornemus elogio, atque ipso Hierosolymæ in templo monumentum victori statuamus.

De opere quod dicitur Iacobi Protoeuangeliũ.

b Baronius Appar. ad Ann.
c Sixt. Sen. l. 2. Biblio.
d Posseuin. in apparatu sacro.
e Allatius Notis ad Hexamerõ Eustachij Antioch.
f Epiphan. libello de vita Virg.
g Bellouac. speculo historiali l. 6. cap. 66.
h Athanas. Synopsi.
i Bellarm. l. de script. Ecclesiast. in Matth.

Qualis Iacobe fueris

Morum ornamenta, & oris lineamenta docent.

Vita

Vita à teneris annis asperitas
Carnium, vinique vsum interdixit,
Precandi consuetudo, genibus & fronti callum obduxit,
Characterem pietatis indelebilem.
Sanctitas dignum reddidit sanctioribus adytis,
Populisque certatim ad vestium laciniam procumbentibus.
Iusti eundem cognomento decorauit
Summa in agendo iustitia, nulli non perspecta.
Iesu Christo, & Virgini matri proximum sanguine, & moribus,
Dominique fratrem arguit similitudo vultus expressa.
O diuinitati propè dixerim germana cognatum!
Postquam diu patuit vni Tibi
Hierosolymitani templi inaccessa cortina;
Deiectus ab impijs è sacro fastigio, & claua casus fullonia,
Per cædem & sanguinem, oraculum reddidisti,
Comprobatum re magis quam verbo;
Synagogam Iusti occisi ream, acturam triste iustitium.
Teque Pontificijs decoratum infulis,
In testimonium Christianæ fidei,
Verè infulatam ad aras victimam cecidisse.

Elogiũ S.Iacobi Minoris.

VI. Iacobo perempto Hierosolymæ Episcopus renunciatus est Simeon, eius ex patre Cleophâ frater germanus, de cuius cum Virgine Deiparâ cognatione, sermo nobis suo loco fuit. Benè videtur sedi Hierosolymitanæ prouisum, cum in eâ fratres, Dei Genitricis consanguinei, sibi inuicem successerunt, quo tempore benè constitutam suis legibus, & exemplis Ecclesiam ad posteros transmiserunt. Sicuti verò Iacobus, Mariæ, apud quam diu Antistes versatus est disciplinam secutus, Hierosolymæ præfuit primus; ità Simeon, alter ab illo præsul, exemplorum memor, quæ frater in Episcopatu exhibuerat, retinuisse quoque creditur in Ecclesiâ regendâ, quicquid Iacobus à Virgine Dei Genitrice didicerat: bonus vtique tantæ magistræ vnà cum fratre discipulus, & cognatus.

Succedit Iacobo in Episcopatu Simeon frater.

VII. Habet hoc anno Romanorum historia geminam in Britanniâ cladem patratam; alteram quidem Romanorum à Britannis; alteram verò Britannorum à Romanis; vtriusque testis est Tacitus [a]. Cum enim per defectionem excutere à se Romanum iugum Britanni tentassent, acceptâ seditionis causâ ex Regis Icenorum testamento, per quod scriptus est hæres Cæsar, vnà cum puellis duabus eo Rege prognatis; occurrit motui Suetonius Paulinus prouinciæ Prætor; sed infeliciter

Bellorũ huius anni successus.

[a] Tacitus Annal. l. 14.

liciter pugnans, memorabilem Romanorum cædem spectauit primùm; mox instructâ iterum acie in Britannos, quibus Boudicea virilis fœmina dux erat, vidit etiam Romanos victores, cæsis Britannorum octoginta millibus, & Boudiceam interemptam, morte quam ex veneno sibi ipsa consciuit. Alternas hasce inconstantis fortunæ vices, oppone, si libet, stabili Augustissimæ Virginis apud superos gloriæ, quâ domitrix illa Tartarorum audit, cæloque plaudente mundi Regina, æternum ducit de humani generis hoste triumphum. Non semper victores redeunt ab aleâ bellorum incertâ duces, quorum & si lauro tempora coronantur; attamen identidem à cladibus immunes non sunt. Mariam in cælo gloriosè regnantem, appellare licet, semper victricem, cuius laus illa peculiaris est, vt Dei Filium semel genuerit, eademque remanserit à partu, illibata semper, semperque Virgo. Iacobi præterea mors, quâ vidimus hunc annum illustrari, victoria fuit illius Mariani Herois, quo cadente, ruere Synagoga Iudæorum ad exitium cepit, Ecclesiæ adolescenti locum datura; dum Roma quidem vincit, sed victa prius.

Oppositus Mariæ Dei Matris victoriis.

Annus Christi 64.
B. Virg. Natæ 78. Petri Rom. Pont. 20.
Et Assumptæ 6. Neronis Imp. 8.

Res à S. Marco gestæ, eiusque martyrium.

I. QVartum & sexagesimum ab ortu Saluatoris annum, peculiari Virginis Deiparæ gloriâ non vacasse, probat maximè, supremum S. Marci Euangelistæ certamen, qui ex Iesu Christi primùm disciplinâ, sic eius magnæ Matri, vt reliquis discipulis notissimus; deinde S. Petri in Apostolicis laboribus socius, interpretis apud eum munere functus, atque Euangelicæ historiæ scriptor: tandem primus Alexandrinæ sedis Antistes, non sine palmâ vitæ cursum absoluit. Gloriosum illius obitum accidisse octauo Neronis anno, ex testimonio habetur D. Hieronymi [a]; sed licet nonnullis dubium sit, an cruenta mors fuerit; aditum tamen omnem dubitationi præcludunt, quæ legimus in Romano Martyrologio, quæ in Menologio Græcorum, & quæ ad dirimendam controuersiam scripta reliquit Gelasius [b] Papa, cuius perspicaci iudicio, apocrypha & falsa, è sacris tabulis, sunt expuncta. Auctoritas igitur talis ac tanta fateri nos cogit cum Bedâ, Adone [c], Nicephoro [d], alijsque [e], Marcum expiatâ per Christianas le-

a Hieron. lib. de script. Eccles. in Marco.
b Gelas. decret. de lib. authen.
c Beda & Ado in Martyrol. 25. Apri.
d Niceph. lib. 2. c. 43.
e Metaphras. & copiosi.

nas leges Aegypto, auctâ Christi sectatoribus, & Mariæ matris cultoribus Alexandriâ, aris operantem, ab Ethnicis captum, raptarumque per vrbem fuisse, ipso Dominicæ resurrectionis festo die, & victimam pro Christo verò Paschalem post biduum cecidisse. Angelo monstrante suum tunc vidit nomen albo cæli inscriptum, acceptâque ex ore ipsius Christi salutatione, cum implicaretur laqueo gula, feliciter expirauit, ætate iam propè maturâ & semicanâ. Eius cadauer ne tortores exurerent, coorta repente tempestas, rogum omnem cum bustuarijs disiecit. Illud tandem translatum Venetias, in vrbem Italiæ nobilissimam, ibidem colitur, magno Reipublicæ florentissimæ, ac regiæ bono.

II. Sedit Alexandriæ post Marcum Anianus eius discipulus, qui cum ab illo Ecclesiam optimè constitutam accepisset; exemplo tanti Magistri, sub patrocinio potissimùm diuinæ Matris moderatus est, totamque pariter Aegyptum, vbi iam pridem Virgo Christum infantem per aliquot annos aluerat, dicatis eiusdem Virginis nomini templis exornatam inuenit. Factum id peculiariter à Marco crediderim, siue Hermopoli [a], in memoriam prodigiosi lapsus, quo ad ingressum in Aegyptum Dei Genitricis, Herodianam cladem fugientis, idola corruerant, multò ante prænotata sacri vatis oraculo [b] siue Memphi, vbi sacri hospites aliquando latuerant, vt ad fouendam Christianorum pietatem, diu memorandi exilij monumentum extaret; seu denique Alexandriæ in vrbe primariâ, vbi cum S. Petro Apostolorum Principi vel viuenti templum Marcus excitasset, vt ait [c] Canisius; non videtur dissimile vero, suum quoque D. Virgini Dei Matri fuisse ab eodem dedicatum, quoniam sub eius patrocinio, aut certè institutione, Euangelij scriptor, expressus per Leonis speciem à sacro vate, cedere coëgit minores feras, & quicquid belluarum colebat bruta Aegyptus, latratum Anubis, Apis mugitum, aras Osiris, Isidis cornua: quin etiam illud perfecit, vt suo terra quà sudore, quà sanguine irrigata, nihil iam Nilo deberet; veræ deinceps sanctitatis magis fæcunda, quam frugum, cum Iudæorum numerus, qui Christianam fuerant Religionem Marco institutore professi, non minus quam decies centenis millibus eorum constaret, sicuti colligere licet ex ijs quæ Philo [d] scripsit ad Flaccum; accedentibus in eandem sententiam Patrum nonnullis, quos commemorat, sequiturque Baronius [e].

III. Verùm facit maximè ad Marci laudem, inducta in Alexan-

Aniani post Marcum Episcopatus.

Templa in Aegypto Deiparæ erecta.

a Palladius in Lausiaca historia Sozomenus hist. Eccl. l. 5. cap. 20.

b Isai. 19. ver. 1.

c Canis. l. 5. Marial. c. 23. & Dauid Chytraus in 2. lib. Herodoti, & in orat. de statu Ecclesiarum.

d Philo ad Flaccum.

e Barõ. ad An. Christ. 64.

Alexandrinam Ecclesiam ea morum integritas & viuendi perfectio, quam Christus ipse docuerat, & Hierosolymæ habuisse constat primos eius sectatores, ab Apostolis institutos. Itaque sicuti Hierosolymitana Ecclesia, vbi *credentium multitudinis erat cor vnum & anima vna*, vt ait S. Lucas [a], plurimùm debuit Dei Genitrici, cuius non semel exempla vidit, & monita audiuit; ità Alexandrinam quoque eiusdem patrocinio profecisse dicemus. Quare Christianos ibidem, & in reliquâ Aegypto degentes, sub Essenorum nomine Philo [b] describit: imò & Hieronymo [c] teste, perfectam viuendi formam indicat religiosissimi cœtus, quem ad exemplar Christi, magnæque Matris, Marcus instituit. *Philo*, inquit S. Doctor, *quod Alexandriæ sub Marco fieri Doctore cernebat, memoriæ tradidit*; & iterum de eodem locutus: *Librum, ait, de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia in nostrorum laude versatus est; non solum eos ibi, sed in multis quoque prouinciis, esse commemorans, & habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet talem primam in Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur, & cupiunt; vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur & psalmis, doctrina quoque & continentiæ.* Ex hoc vtique testimonio, cui facem prætulit Eusebius [d], eadem de Christianis sub Essenorum nomine scripta esse à Philone, pluribus demonstrare conatus, colligere id etiam licet: eò peruenisse Alexandrinæ Ecclesiæ Fideles sub Marci disciplinâ; vt formam viuendi valdè perfectam sint professi; aut certè, quod mihi probabilius sit, Monachorum & Cœnobitarum greges expresserint magnâ ex parte. Quo posito ex opinione [e] multorum, quotusquisque non videt; iacta Religiosorum Ordinum iam pridem semina, pullulasse sub Marco, ad exemplar vitæ, quam Christus docuit, egitque & quam imitata est Maria mater? Etenim Monachorum antesignanos nonnulli agnoscunt, institutos ab Eliâ & Elisæo, filios Prophetarum, in quibus Religiosorum rudimenta quædam extitisse visa sunt. Postquam verò ex hominum conspectu raptus Elias, reliquit Elisæum suo indutum pallio, & imbutum spiritu; ab hoc impetrarunt illi, vt immigrare liceret ad fluenta Iordanis, vbi possent ex nemore ligna cædere, & cellulas singuli extruere. Ità factum deinceps est, & cum plures essent eiusmodi vitæ sectatores, lege tandem Euangelicâ promulgatâ concesserunt ad Christi vexilla: quoniam eorum alij expiati sunt à Ioanne Baptista, quem Monachorum

Margin notes: Alexandrinæ Ecclesiæ sanctitas per Marcum. — Quomodo ad Deiparã spectet. — Christianorũ perfectio sub nomine Essenorum. — Prima Monasticæ vitæ rudimenta.

[a] Act. 4. 32.
[b] Philo lib. de vita cõtempl. siue de supplicibus.
[c] Hierõ. de script. Ecclesia. Mar co & in Philone.
[d] Eusebius Histor. l. 2. cap. 15. 16.
[e] Cassian. Instit. Cœnob. Sozom. l. 1. cap. 11. Niceph. l. 2. c. 15. Beda Præf. in Mar.

chorum

chorum principem appellat S. Chrysostomus [a], alij ad Apostolorum doctrinam sapere didicerunt. Ast vbi clauum Alexandriæ rexit Marcus, Fidelium numerus propè in immensum excreuit, quos tanquam Monachos in Asceteria ad sanctiorem vitam distributos, Philo describit, & appellat Essenos. De his fortasse locutus credi Cassianus [b] potest, cum dixit: *Cænobitarum disciplina à tempore Apostolicæ prædicationis sumpsit exordium*. Cuius vitæ genus, sicuti Christi imitationem, atque Deiparæ peculiariter profitetur, ità peculiarem vtriusque prouidentiam, certumque patrocinium semper promeruit. Voluntaria in ijs paupertas, orandi studium, vsurpatus diu, noctuque psalmorum cantus, castæ vitæ amor, & iugis meditatio sacræ doctrinæ, potuere sibi vel maximè post Christum Virginem sanctissimam demereri. Quamobrem natis subinde religiosis Ordinibus per consequentia sæcula, illa se patronam semper, præsidem, & matrem exhibuit; vt suis infrà locis ostendemus.

Ex Christo, & Deiparæ grata.

IV. Ipsum verò Essenorum nomen, dum alij aliter deriuant à sanctitate morum, à contemplante, vel actuosâ vitâ, plures sentiunt cum Epiphanio [c] non tam Essenos, quam Essæos dictos esse, quasi Iessæos, à Iesse Dauidis patre, à quo Christus duxit originem, si caro tantùm spectetur: neque desunt qui à Iesu ipso nomen gentis inflectant. Quare habuit vtrique sanctissima Mater, quod de suo in ijsdem agnosceret. Coniecturam hîc omittere non possumus, quæ repente suboritur ideò commendasse Philonem [d] in Essenis exactam diei Sabbati obseruationem, quòd studere illos gentis suæ ritibus existimaret: cum potius censeamus nos, id factum ab eiusce cætus hominibus, postquam Apostolorum & Marci disciplinâ sunt exculti, & Christianis adnumerati, non quidem ad obseruantiam Mosaicæ legis iam obsoletæ, sed ad peculiarem honorem debitum Sabbato, ob dolorum memoriam, quos pertulit Diua Virgo, in suo mærore ac solitudine, à feriâ sextâ sanctioris hebdomadæ, quâ Christus est mortuus, ad proximæ diei Dominicæ diluculum, quo rediuiuus prodijt è sepulcro. Hanc fuisse potissimam rationem, cur septimus in hebdomadâ dies, olim ab Ethnicis Saturno dicatus, apud Christi cultores Deiparæ sit addictus, infrà commodius ostendemus. Quamobrem cum formatos Alexandriæ à Marco Christianos, aut certè Monachos sub Essenorum nomine intelligi à Philone Hieronymus [e] moneat, non longè aberrabit à vero qui dixerit, commendari quidem obseruatione Sabbati, at non

De nomine Essenorum.

Iudaicâ, sed eâ, quam ad hebdomadariam Dei Genitricis memoriam, iam tum Apostoli designassent.

V. His ex disciplinâ S. Marci florentibus, nouæ opponuntur à Nerone tragœdiæ, quibus in se Roma splendorem pristinum sensit imminui: nam hoc anno Imperatoris sæuitiâ impunè grassatâ in optimos quosque, relatos à Tacito [a]; ipsa Cæsaris coniux Octauia, Claudio genita, per calumniatorem vltrò quæsitum, adulterij insimulata, in balneo exolutis ferro venis, pœnas dedit alienæ libidinis, scenæ tragicæ argumentum infelix. At è contrario recepta iam cælo Deipara, ob plurimas victoriarum suarum palmas, sideribus coronata, ad merita quoque præmiàque Sanctorum, iugiter exultat Regina, tanquam ad coronas suas, millies congeminatas.

Romæ hoc anno mæror.

a Tacitus Annal. l. 14.

Oppositus Deiparæ gaudiis.

Annus Christi 65.
B. Virg. Natæ 79. Petri Rom. Pont. 21.
Et Assumptæ 7. Neronis Imp. 9.

I. Alterum excidij Hierosolymitani vaticinium, si primum respicias, quod ore Iesu Christi prolatum [b] audiuerunt Apostoli, hunc annum maximè funestauit; cum nempe ignotus vates, nullâ re, nisi infelici præsagio memorandus, venturam Hierosolymæ cladem, cepit ante septem annos, flebili carmine sæpius repetito lamentari. Rem in primis narrat Iosephus [c] oculatus testis; eandemque ex Iudæi Historici testimonio commemorant recentioris æui Scriptores. Vendicat illa sibi locum in Marianis Annalibus, non minus quam in cæteris, cum quia nunciata calamitas diuinitùs mittebatur in vltionem immanissimi sceleris, quo Iudæorum natio Hierosolymam ipsam polluerat, Iesu Christo Dei & Virginis Filio in crucem acto; tum etiam admonebatur ciuitas tristi præsagio, posse per pœnitentiam infame parricidium expiari, placari salutaribus lacrymis iratum Numen, & patrocinium obtineri Virginis Matris, cuius oculos cæde sacrilegâ funestarat. At quis ille vates, horrendam tragœdiæ protasin dedit? vir erat planè plebeius & rusticus, Anano patre prognatus, qui Iesus vocabatur, id agente haud dubiâ Numinis prouidentiâ; vt qui grauissimam pœnam prædiceret, sceleri affuturam, in Iesu nostri Vindicis cæde perpetrato, eius quoque nomen præferret, seque prophetam probaret, humani generis Liberatori cognominem. Et verò si fortè ad huius lugubres

Miserũ Hierosolymę excindendæ præsagium.

b Matth. 24. v. 2. Mar. 13. v. 2. Luc. 21. v. 6.

c Ioseph. l. 7 de bel. Iud.

Quomodo pertinere ad Deiparã possit.

A quonam editum vaticinium.

gubres voces Iudæi tandem resipuissent, quisnam futurum fuisse neget Virgini Matri pergratum, vt patratam Iesu Christi necem plorare ad pænitentiam omnes inciperent, altero Iesu perorante.

II. Festum Hierosolymæ anniuersarium recurrebat Scenopegiæ, ad recordationem peregrinantis per deserta populi sub diuinâ custodiâ; & cæsis arborum ramis conuenarum multitudo tentoria sibi circà templum figebat. In hac celebritate, rusticani homuncionis clamores ciuitatem omnem repente turbarunt. Is lymphaticorum more vicos diu noctuque circumiens, iugiter clamitabat, dicebatque exaudiri circumquaque voces, extremam Hierosolymæ perniciem minitantes; fatalemque sententiam inauditæ calamitatis, à quadripartito mundi cardine personantem, Iudæorum populo funestissimus interpres, ac nuncius obtrudebat. Ad omen auertendum Magistratus in faciem restitit, viro inconditas minas obstinatè nuncianti, & frustrà verberibus, plagisque affecto silentium indixit; nam vel vsque ad ossa miserandum in modum dilaceratus, neque cuiquam supplicauit vnquam, neque vllis lacrymis signum doloris exhibuit; sed ad ictus singulos: *Væ væ Hierosolymis* repetens, flebilibus modis horrendum oraculum septem ipsos annos plus millies ingeminauit, donec in suâ querimoniâ tandem extinctus, clamare simul ac viuere desijt. Hæ voces sui populum sceleris admonebant; vt concepto in Christum & Matrem eius odio modum poneret, denunciatam fortasse calamitatem euasurus.

Tẽpus eiusdem.

Et modus.

III. Et sanè obdurati ac peruicacis ingenij gens, vtriusque rea criminis, diuinum in se flagellum concitabat: etenim vera est Diui Brunonis [a] sententia, odium Iudæorum in Mariam apertè contestantis: *nulla creatura est, quam sic Iudæi habeant odio, sicuti Matrem hanc & Filium. Neque enim matrem diligere possunt, qui tam iniquo odio filium prosequuntur*. Res vtique hoc æuo adeò comperta; vt neque probationibus egeat, neque possit ab vllo negari. Odit quidem Iesum Christum viuentem in terris natio Hebræorum; sed postquam ab ipsis in crucem actus, occisusque redijt gloriosus ad vitam, licet occultare pro viribus admirandam anastasim conati sint; crescentem nihilominus eius famam, nusquam persequi desierunt, in Matre primùm sanctissimâ, ac discipulis à Christo relictis, deinde in Ecclesiâ ipsâ Catholicâ ab eodem institutâ, quam etiamnum persequuntur. Horrent piorum aures execranda homuncionum in Iesum Christum mendacia, & ia-

a S. Brunō. serm. de Annūciat. B. Mariæ.

Quantum sit Iudæorum odium ergà Mariam.

 cta vi-

cta virulentis animis, linguisque probra; quæ verò in Mariam conferunt maledicta pudet referre: vili pendentes olim eius sacrosanctum nomen, vt refert S. Matthæus [a], Christo detrahebant, cum dicerent: *nonne mater eius dicitur Maria?* consequentibus deinde temporibus peiora moliti, in horrendas erupere blasphemias; quibus ne hic ego cogar chartas polluere, aut legentium oculis fœtidissimum obijcere cænum, quod scio auersaturas religiosas Christianorum mentes; locum indico pertractatum à Petro Canisio [b]. Vnum interim omittendum nullâ ratione censeo, quod illorum odij, de quo loquimur, potissimum argumentum est: æternâ lege sancitum fuisse constat apud hanc gentem, miseras circumsecti Iudæ reliquias; vt qui velint audire veteris Synagogæ filij, & amantes rituum Iudaicorum, Iesu Christo sub speciebus panis & vini ad Eucharisticum sacramentum abscondito, Beatæque Mariæ semper Virgini, quotidie maledicant, atque ter singulis item diebus oratione ad Deum habitâ, Christianam gentem deuoueant, & execrentur [c]. Quò tendat hoc odium, ostenderunt illi non semel, nisi vires defuissent ausuri peiora. In ipsas Diuæ Virginis imagines non probra solum, sed saxa coniecta, superioribus annis Romæ sacrilegos merito addixere supplicio. In pueris Christianis insontibus renouata Christi seruatoris laniena, renouasset etiam sanctissimæ Matris dolores, si capax illa fuisset dolendi. Igitur denunciata Hierosolymæ hoc anno calamitas synagogam petebat immanissimi parricidij ream, & hostilis ergà Virginem Matrem animi.

a *Matt. 13. ver. 55.*

b *Canis. de Maria Deip. lib. 3. cap. 6.*

c *Lege Io: Matthiam Tiberinum, in vita S. Simonis Tridentin. pueri apud Sur. 24. Mar.*

IV. Eodem anno ex profanâ historiâ Tiridates Rex Parthorum occurrit, quocum Corbulo Romani exercitus ductor omisso bello colloquium habuit; placuitque vtrique vt arma ponerentur, atque vt Tiridates ipse detractum capiti diadema regium submitteret statuæ Neronis, illud vtique nisi volente Cæsare non recepturus. Rem narrat pluribus Tacitus [d]. Tantum honoris Neroni indebitum videbatur, qui verbo tenus Imperator, reuerâ voluptatis erat vile mancipium: dum ex aduerso Dei Mater, habita vbique mundi Regina, procumbentes videret ad inuocationem sui nominis, ad suas siue sculptas in marmore, siue pictas in tabulis imagines, populos. Quin imò ex hoc ipso tempore, Principum, Ducumque complures, eiuratâ veteri superstitione, recipiendi sub Christi signa, principatus insignia, imò seipsos addicturi postmodum erant Dei Genitrici Mariæ, per quam Deus omnia habere nos voluit. Neronem suprà hominum ceruices elatum, vitia abiece-

Honor exhibitus statuæ Neronis.

Sed illi indebitus.

Oppositus iustis Deiparæ honoribus.

d *Tacit. lib. 15. ann.*

abiecerunt infrà conditionem humanam. At Mariam animi de se modicè sentientis demissio, ad summæ fastigium dignitatis euexit.

Annus Christi 66.
B. Virg. Natæ 80. Petri Rom. Pont. 22.
Et Assumptæ 8. Neronis Imp. 10.

I. ANno sexto suprà sexagesimum ab ortu Christi maximum Ethnicorum odium in Christianos erupit, quorum effuso per summam crudelitatem, & iniuriam sanguine primus Nero Romæ desæuijt; quum hactenus Iudæi, alijque illum parcè libassent. Factum id constat, ad excindendam Christi sobolem, paulò ante natam, & iam vbique crescentem. Tangit maximè Virginem Deiparam funestissimus hic actus; tum quia in eius quoque odium horrenda persecutio redundabat, tum præsertim, quòd in Christi morte adstans cruci, intimique doloris transfixa gladio, facem præferre Martyribus visa est; ideòque decus eorum à S. Ephremo [a] vocatur, eiusque martyrium non carnis sed cordis, S. Bernardus [b] recenset inter duodecim stellas coronæ, quam dicitur in cælo gestare. Præterea sacrorum Heroum exercitus in suo sanguine laureatus, dum constantiâ aduersus Tyrannorum sæuitiam decertaret, expertus non semel, imò sæpe est præsentissimum Dei Genitricis auxilium, quæ Stephanum olim totius agminis primipilum à Iudæis lapidum coniectu appetitum, suis apud Deum precibus iuuit, extante etiamnum præclarissimo monumento, lapide nimirum illo, vbi fama est, orasse flexis genibus id temporis Virginem, vti suprà docuimus [c]. Nunc verò tot millibus Christianorum, cum vnius Neronis crudelitate decertantibus, Deiparæ patrocinium minimè defuit, vt in eorum victoriâ suam quoque Mariæ partem demus.

Prima ab Ethnicis persecutio Christianorum sub Nerone.

Spectat etiã ad Deiparã.

Quæ affuit ope Martyribus.

a Ephrem. orat. de Deipara.
b S. Bern. serm. sup. signum Magnum.
c Suprà ad annũ Chr. 34.

II. Occasio numerosæ, atque immanissimæ cladis fuisse traditur, Romæ dolo principis subortum, ac latè debacchatum incendium: cum enim parum fuisset Neronis crudelitati, adegisse ferrum in matris viscera, optimæque coniugi calumniam simul ac cædem comparasse; in patriam quoque quam odisse iam ceperat, conijci clanculum ignem iussit, qui à certâ Maximi Circi parte, Palatino ac Cælio montibus contiguâ, ad imas Esquilias magnam Vrbis partem absumpsit,

Quæ fuerit crudelissimæ persecutionis occasio.

necan-

nec ante sextum aut nonum diem extinctus est. Describit incendium pluribus Tacitus [a]; dicitque Neronem ad declinandam infamiam, in Christianos Idolorum osores vertisse crimen. Quamobrem insectatus in ijs veri Numinis cultum, nomen sanctissimæ Matris, suisque oppositam vitijs sanctitatis lucem, tanquam incendiarios, ac præstigiatores ad populum specioso prætextu traduxit; sed reuerâ vti Christi sectatores, exquisitissimis addixit supplicijs ad inimicorum miserationem: *& pereuntibus*, inquit Historicus, *addita ludibria; vt ferarum tergis contecti laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrerentur*. Et hac de causâ, apud vulgus frequentissimè, appellari per iocum consueuisse sarmentitios, ac semassios, Tertullianus [b] testatur; quòd ad stipitem dimidij assis, reuincti sarmentorum ambitu, flammis darentur. Ambigas certè stultiusne id, an immanius fecerit Nero: cum igni traderet ad noctem illuminandam, quas iubebat lucis vsurâ destitui, & religioni quam perdere nitebatur, ijs quasi funalibus parentaret. Quicunque ex Christi disciplinâ ceciderunt excitatâ à Tyranno procellâ, ij Martyrum primitiæ dicti sunt, primi nempe Christianorum ab Ethnicis immolati; quorum memorandum triumphum recolit quotannis Ecclesia [c] octauo Kalendas Iulij; vt æterni apud Cælites gaudij perpetua sit in terris memoria.

Crudelitas persecutionis.

a Tacit. Ann. lib. 15.

b Tertull. Apolog. cap. 50.

c Martyrolog. Rom. 24 Iunij.

III. Eodem tempore, quo purpurata phalanx tam pulcrè animam in professione fidei, ac Mariæ cultu profudit, alia non defuit acies ex æquo Mariæ & Crucis inimica, debitis vtrique honoribus denegatis. In hac ego crediderim fuisse præcipuos Magi Simonis, & Nicolai illius asseclas, quem primis septem Diaconis accensuerunt Apostoli. Vtriusque progenies hoc æuo vigebat; alterius quidem dum Dei virtutem, Christi nomen, ac personam impudenter ementiretur; alterius verò, dum vni luxuriæ, nebulonum corruptissimus, primas concederet. Ex disciplinâ Simonis plures emerserunt Hæretici, qui vt Iesu Christi hostes agmine sc facto exhibuerunt; ità etiam in Virginem matrem iniurij visi sunt omnes; cum præsertim suâ infecti superstitione, & magicis artibus plerumque imbuti, Christianum nomen adeò iactarent, vt se pro veris Christi cultoribus venditantes, in eos suæ sectæ infamiam deriuarent. Quare mirum non est, si Suetonius [d], ac Tacitus [e], alijque Romanarum rerum scriptores Ethnici, de Christianis loquuntur, vt de maleficis & impostoribus, idèóque

Hæretici hoc tempore Mariæ Deiparæ iniurii.

Aliqui ex disciplina Simonis Magi.

d Suetonius Nero. 16.

e Tacitus Ann. l. 15.

que vulgò per flagitia inuisis: imò Tacitus ipse eorum religionem, *exitiabilem superstitionem* ignarus appellat. Factum id haud dubiè videri potest non solum, quòd omnes Christiana sacra professi, Deos palam detestarentur, atque eorum simulacra proculcarent, infringerentque; sed etiam quòd Christiani nomine plures circumirent Hæretici obscænissima perpetrantes, Magi Simonis soboles execranda. Neque tamen efficere potuerunt, quin eorum sanctitas, qui verè se Christo addixerant, minus luceret, Neronianis enim ignibus probatum in singulis est aurum charitatis, quæ purior inter flammas, argumento fuit omnes talia passos, nomine Christiano dignissimos extitisse; neque solum meruisse sub Christi vexillo, sed etiam Mariæ matri, Reginæ Martyrum sese vltrò adiunxisse. Aberant multò maximè ab horum splendore, Nicolaitarum impurissimæ tenebræ, qui Nicolai Antiocheni, olim Apostolorum discipuli, deinde ab illorum communione seiuncti, vestigijs insistentes, in sectam excreuerant, carnis voluptatibus inquinatam, ipsoque auctore peiorem, vtpotè quæ partem duceret humanæ felicitatis, genio intemperanter indulgere, & explere fœdam coniugum alienarum participatione libidinem. Eorum impudicitiam, ex testimonio ac reprehensionibus Patrum, licet non vno in loco cognoscere; cum eam inter cæteros Ignatius [a], Clemens Alexandrinus [b], Hieronymus [c], Augustinus [d], Rupertus [e] pluribus carpant, in eiusce generis Hæreticos non semel inuecti. Quam hi dissimiles Christi doctrinæ, quam alieni à candore Virginis matris fuerint, fœdi eorum mores, fœdiora facta declarant, quibuscum si opponas Christianorum millia hoc anno per Neronem neci data, facilè deprehendes, quantum vtrisque discrimen intercedat, vt patrocinium alteris ductusque Mariæ semper Virginis omninò conueniat; alteri immundarum animantium more degentes in cœno, ab eius purissimo gremio penitus sint exclusi.

Christiani per eos traducti.

Qui nō ideò fuere minus gloriosi.

Alii Hæretici Nicolaitæ, cæca libidine infames.

a Ignat. ep. ad Trall.
b Clement l. 3. Strom.
c Hieron. epist. de Fabiano laqse, & ad Ctesiphontem.
d S. Augustin. lib. de Hæresibus.
e Rupert. in Apocalyps. 4.

Ideoque Christi, & Virginis inimici.

V. Eodem anno vitia Neronis, quæ Romanorum Scriptorum historia apertè recenset, probatæ Christianorum Martyrum sanctitati opponuntur. Achaiam Imperator cogitabat, scenis Neapoli frequentatis, in quas prodire suetus, tripudia exercuit, cantorem egit ac mimum, terrâ semel trepidante, dum saltaret; horrente populo vocem, dum caneret; & post exhibita spectacula theatro collapso. At Christiani Hieronicæ, quorum in pœnis, & morte, victoria, præclarum de se dabant *spectaculum mundo, Angelis, & hominibus*, vt loquitur D. Pau-

Neronis hoc anno exercitia.

Oppofita sacris Martyrū certaminibus.

D. Paulus [a], eorumque certaminibus inter Cælitum choros Regina Deipara fruebatur. Interim Nero Neapoli Romam reuersus, cum de profectione in Achaiam deliberaturus varia iniret templa: *repente*, inquit Tacitus [b], *cunctos per artus tremens, seu Numine exterrente, seu facinorum recordatione, nunquam timore vacuus, deseruit inceptum*. Mox Romæ, luxu & libidine, omnia polluit; in stagno Agrippæ quæ non perpetrauit indigna lectu? per licita, atque illicita fædatus, nihil flagitij reliquit. Sporus puer pro vxore deductus palàm; & Pythagoras iuuenum perditissimus, pro marito. Quicunque tunc Romæ versabantur è Christi scholâ, vt vitæ castimoniam ab illo commendatam, & sanctissimæ Matris illibatam virginitatem prædicabant, ità Cæsaris oderant execranda flagitia, impetraruntque à Deo, Diuæ Virginis interuentu, vt exire tandem ab infecto Tyranni sceleribus sæculo liceret cum palmâ. Vbi verò horrendis cruciatibus vel ad commiserationem hostium torquerentur, præ gaudio diuinarum laudum præconia concinebant, tot aperientes ora quot vulnera; cum Nero Vrbis incendium è sublimi prospectans, captam incensamque Troiam ad fidium sonitum decantasset. Quare sicuti Principi ludus fuerat, Romæ ruina: ità sacri ibidem Heröes, gratius Deo, B. Mariæ, ac reliquis Cælitibus spectaculum erant, fortiter moriendo.

Dei Matri gratissimis.

Scelera Neronis enormia.

Inuisa Christianis Deiparæ studiosis.

a 1. Cor. 4. vers. 9.

b Tacit. Annal. 15.

VI. Interea temporis [c], Iudæi Romanorum Præfectorum auaritiâ, & crudelitate vexati, in seditionem insurgunt, & funestare Iudæam armis incipiunt, Iesu Christi cæde, & iniurijs Virgini Matri, atque Apostolorum cætui illatis, perduellionis ream; opposito nempe spectaculo interfectis à Nerone Christianis. Sed hi suo sanguine Romam exornant, ex profanâ iam sacram: dum alteri pollutam sceleribus terram expiare satis non possunt. Arcanum à Iudæis fouetur incendium, Hierosolymæ imminens: Romam Neronianum absumit, & alterum quo ardent Christiani, etiam in vsum noctis, illam efficit sanctiorem.

In Iudæa rebellionis initium, & pœna scelerum in Deiparam.

Opponitur Romanis Martyrum cædibus.

c Ioseph. antiq. lib. 20. c. 9. & bell. Iud. l. 2. c. 14.

Annus Christi 67.
B. Virg. Natæ 81. Petri Rom. Pont. 23.
Et Assumptæ 9. Neronis Imp. 11.

I. GLiscente in Christianos persecutione, nouum edicta Cæsaris metum intentant, quæ dum ferrum il-

rum illis, & flammas minantur ni maledicentes Christo, cultum Deorum profiteantur; crescit aliunde in Iudæos excitata anno superiore tempestas; nam, teste Iosepho [a], Gessius Florus, cui Iudææ contigerat procuratio, altero ab hinc anno, adeò iniquus apparuit; vt missus, non tam ad regendam prouinciam Prætor, quam ad damnatorum pœnas lictor videretur, neutiquam abstinens à rapinis; turpitudine simul,& crudelitate flagitiorum infamis. Ad hæc callidissimas nocendi vias commentus, per illata viritim dispendia, & per expilatas vrbes sibi lucra quæsiuit; permisitque latrocinia impunè grassari, modò eorum ipse particeps fieret, quæ aliena auaritia per vim, aut dolum sustulisset. Hinc factum est, vt Iudæorum plurimi, natali terrâ desertâ ad externas prouincias commigrarint. In his Iudæorum ærumnis agnoscere licet initia diuinæ vltionis, quæ ingratissimam nationem excepit, de Filio Dei, eiusque sanctissimâ Matre pessimè meritam: dum è contrario qui eâ relictâ se receperunt ad Christi partes, à Nerone supplicijs affecti ad coronas vocantur, ac de persecutore triumphant. Alteri quidem odio habentes Christum & Mariam, in odium incidunt Romanorum; alteri verò ex Neronis odio ad lanienam & incendia tracti, acceperunt à Christo Martyrum Rege lauream, inter sacros Heroas ab eorundem Reginâ Deiparâ cooptati.

Edicta Neronis in Christianos. *Et Iudææ expilatio per Gessium Florum.* *Item Iudæorum exilia.* *Quomodo referri possint ad Deiparã.*

[a] *Ioseph. de bel. Iud. l. 2. cap. 13.*

II. Detecta hoc anno Romæ in Neronem coniuratio, ipsius gladium à Christianorum iugulo tantisper auertit: eâ enim de causâ, cum in plurimos ex primâ nobilitate sæuitum sit, vt habes apud Dionem [b], ac Tacitum [c], respirare paulùm res Christiana visa est. Destruebat veterem Romam fusus Ethnicorum nobilium sanguis, at nouam sacro enutritam cruore tanquam lacte, prouehebant Sanctorum vulnera & cædes, ad Christi signa, & Virginis matris obsequia. Inter viros primarios neci à Nerone traditos titulo coniurationis, L. Annæus Seneca numeratur, morum magister celeberrimus, atque ipsius Principis, cuius iussu cecidit, institutor: accessere Lucanus Senecæ nepos, idemque insignis suo æuo vates; & Plautius Lateranus Consul designatus, Romanorum clarissimus, qui, licet cum reliquis eâdem de causâ interfectis, magni nominis essent; non tamen vllo pacto conferri possunt, cum innumeris, ex Christi cætu, vocatis ad palmam eodem anno, & Romam non funestantibus, sed expiantibus, sobole ò quantum gloriosâ! ideoque Christo, & Mariæ gratissimâ.

Ethnicorum à Nerone supplicia. *Opposita cædibus Christianorum.*

[b] *Dio l. 62.* [c] *Tacit. Annal. lib. 15.*

Annus Christi 68.
B.Virginis Natæ 82. Petri Rom. Pont. 24.
Et Assumptæ 10. Neronis Imp. 12.

SS. Petrus, & Paulus Apostoli Romam redeunt.

I. IN Ecclesiæ tabulis, insignem fecit hunc annum reditus Romam SS. Apostolorum Petri & Pauli ex varijs Orbis partibus, incertum ex quibus: at illud affirmari certò potest; vtriusque laboribus plures circumquaque terras fuisse lustratas, factam ibidem diuini verbi sementem; amplificatum, auctumque Christianum nomen; sacros ritus confirmatos, certosque statutos in anno, atque adeò in hebdomadâ dies, quibus diuinorum beneficiorum, nostri Vindicis Iesu Christi, eiusque sanctissimæ Genitricis memoria recoleretur. De institutione festorum, quæ Christo potissimum addixerunt Apostoli, alias dixisse nos, & quidem obiter, pro re natâ meminimus. Nunc antequam vltrà pergimus, de primâ Mariani Sabbati origine occurrit mentio, cum eum diem apud Ethnicos olim Deorum patri Saturno sacrum, reliquis qui hebdomadam componunt, ex profanâ nomenclatura in ferias per Apostolos permutatis, constet Dei Matri fuisse sepositum.

Eorum vbique terrarū institutiones

Quid hoc anno tractandū

De Origine Mariani Sabbati.

II. De initio plurimi dubitant, & controuersia diu agitata, adhuc manet sub iudice. Vt proferri in eâ aliquid liceat, meminisse oportet ex monito D. Augustini, ac doctrinâ Theologorum; sacros ritus in Ecclesiâ iugiter vsurpatos, quorum origo prima non liquet, ad Apostolorum tempora consueuisse referri, ipsisque tanquam auctoribus institutionem attribui. Consideret eruditus lector in re dubiâ coniecturas nostras, & quam deinde iudicauerit sententiam ferat: Eo ipso sæculo, quo viuebant Apostoli, compertum est; hunc Sabbati diem, tam in Oriente, quam in Occidente peragi consueuisse à Fidelibus, ritu quidem sacro, sed dispari: nam, teste Hieronymo [a], Romæ, alijsque in oppidis Occidentalis Ecclesiæ, inter dies ieiunio addictos, numeratum est Sabbatum, per illam à cibo abstinentiam, religione cultum peculiari, & quidem ab eo tempore, quo Petrus in Vrbe fuit, & Magi Simonis vicit, elusitque præstigias, id quod Augustinus [b] ex quorundam sententiâ, & Cassianus [c] tradiderunt. At verò in Oriente Fideles, aliter celebrasse septimam Hebdomadæ lucem, ex testimonio colligitur S. Ignatij [d] Antiocheni, Apostolorum synchroni, qui scribens ad Philippenses, execratur apertè

In Oriente & Occidente cultum diuersimodè Sabbatum.

a S. Hieron. epist. 28. ad Lucin.
b August. epist. ad Casul. 86.
c Cassian. Coll. 3. c. 10
d S. Ignat. epist. 8.

apertè ieiunium Sabbati, tanquam Apostolico canone [a] vetitum; quòd fortasse magis è re Christianâ futurum videretur, si ea dies pari obseruantiæ ritu cum Dominicâ perageretur. Quare videtur certum, ab ipsis ferè incunabulis Ecclesiæ, cultum Sabbati peculiarem fuisse in vsu apud Fideles tum Orientis, tum Occidentis. Sed cur diuersa foret ratio diem vtrinque celebrandi, vt placeret alteris adhibere ieiunium, quod alteri execrabantur, id fuisse causæ dicunt [b], quòd à sparsis per Orientem hæreticis, Simone Mago, Menandro, Saturnino, aliisque eiusdem perfidiæ capitibus, Deus Hebræorum, Orbis conditor, legisque auctor, malus esse prædicaretur, ac proinde à Christo destruendus: insuper cum in eiusdem memoriam die septima feriantis, Sabbatum Iudæi festiuè peragerent; illi contrà vt contumeliam inde captarent odiosæ sibi diuinitatis, ieiunare potius Sabbato decreuissent. Ideò qui in Oriente tunc erant Orthodoxi, vbi ea inualescebat hæresis, non solum à Sabbati ieiunio sibi abstinendum censuerunt; sed etiam quò magis eosdem hæreticos detestarentur, consueuerunt diem agere omninò festam, sacrosque conuentus habere, quales Dominicâ fierent, quæ proximè sequebatur; idque non quidem Iudaicè, vt Ebionæi [c] factitabant; sed piè ac religiosè, in Deum omnia referentes, cæli, terræque conditorem, optimum, maximumque, quem hæretici execrarentur.

Vnde hęc diuersitas.

III. Sub ipsis igitur Apostolorum temporibus cultum fuisse Sabbatum constat, quod paulatim maximis Deiparæ meritis in hebdomadâ recolendis pietas Christianorum addixit. Huc autem quomodo delapsa sit, vetus illa Sabbati siuę per ieiunium, siue per festum consecratio, nunc est nobis paulò accuratiùs inquirendum. Primùm quidem ratio fuit peculiaris, colendæ apud Fideles diei septimæ; non solum quia summus rerum opifex, ad eius olim appulsum, quieuisse è sacris [d] paginis ferebatur; aut quia ex Petri Damiani [e] sententiâ, expressa sit Sabbati nomine altera quies, quâ conditor Diuæ Virginis Deus in sacro eius vtero requieuit: sed etiam in memoriam illius Sabbati luctuosi, quo sanctissimum Christi corpus, pridie de cruce depositum, in sepulcro fuit, mærentibus Apostolis, & cum eis Virgine Matre, Filij mortem lugente. Ità scripsit Innocentius [f] primus Romanus Pontifex, ad Decentium Eugubinum Episcopum. Et sanè sicuti sextæ feriæ sunt illa præcipua: circà meridiem eius diei, Christum fuisse cruci affixum, expirasse pendentem è ligno, & post acceptum

Qua ratione addictũ deinceps sit Deiparæ Sabbatum.

Ob memoriam Sabbati Deiparæ luctuosi, quo Christus in sepulcro fuit.

a *Can. Apost. 55.*
b *Baron ad Chr. an. 57.*
c *Niceph. hist. l. 3. cap. 13.*
d *Genes. 2. ver. 2.*
e *Pet. Dam. opusc. 13. cap. 4.*
f *Innoc. ep. 11. cap. 4.*

lateris vulnus, de cruce in ſepulcrum alienis manibus tranſijſſe; ideòque eâdem per ſingulas hebdomadas recurrente, dominicæ mortis myſteria recoluntur: ità, cum ſequenti proximè Sabbato, B. Virginis ſolitudo & mæror partes præcipuas egerint, quo integro die Apoſtolorum cætus Magiſtro deſtitutus, in cuſtodiam atque tutelam tantæ Matris ſe recepit; æquum omninò videbatur, vt cuiuſque hebdomadæ Sabbatum, in honorem Deiparæ Fideles agerent, quod factum deinceps eſt, a'icubi primùm ieiunio; deinde per vniuerſam Eccleſiam indictâ à carnibus abſtinentiâ, & horarijs precibus in eius Virginis laudem priuatim ac publicè recitandis. Imò hoc ipſo partæ ſalutis anno, octauo ſuprà ſexageſimum, cum Petrus Eccleſiæ caput nonniſi afflatu Numinis Romam poſtremùm veniſſet, vt opem Chriſtianis ferret, qui ſub Nerone cadebant; Simonis Magi Chriſtum ementiti volatibus, coram Principe, ſuas ad Deum preces oppoſuit. Accidiſſe hoc dominicâ die ſcripſit ex quorundam ſententiâ D. Auguſtinus [a], vnàque Caſſianus [b]. At paraturus ſe ad eiuſmodi congreſſum Apoſtolus pridie ieiunauerat, idemque faciendum Fidelibus præſcripſerat, vt ineundum cum impoſtore certamen è re Chriſtianâ procederet. Reportatâ verò, vt mox dicemus, victoriâ, Sabbati ieiunium, quod ſeruatum Romæ tum fuerat, per ſingulas deinceps hebdomadas, in tanti beneficij memoriam renouatum eſt, diuque retentum, præſertim in Occidente. Eam demum diei obſeruantiam ad honorem cultumque tranſlatam Magnæ Dei Matris (cuius opem fortaſſe Petrus in eo congreſſu implorauerat) ſubſecuta eſt abſtinentia dumtaxat à carnibus, ex Eccleſiæ vniuerſæ præſcripto, quæ & ſextam feriam in memoriam Chriſti morientis eidem legi ſubiecit.

S. Petri cum Simone Mago congreſſus.

Præſcriptum Fidelibus ab eo ieiunium.

Idque retentum.

a August. epiſt. 86. ad Caſul. b Caſſian. Coll. 3. c. 10.

IV. Hic agnoſcere cuicunque licet, aliquod Sabbati peculiariter ſeruandi principium, quem deinceps diem ſibi Deipara totum aſciuit: creditur enim paulatim progreſſu temporum creuiſſe cultus, per vniuerſam Eccleſiam feliciter propagatus, habito primùm ad carnis afflictationem ciborum delectu, aut ad pietatem animi excitandam, adhibitis ſanctorum operum exercitijs: deinde certis precibus ritè compoſitis, ad laudes magnæ Virginis in ſacris odeis decantandas, & rem diuinam in eiuſdem honorem faciendam. De primis poſt Chriſtum natum ſæculis, nihil afferre poſſumus peculiare ac certum, niſi fortè, quòd inducta Apoſtolorum temporibus opera ad cultum Sabbati, fieri ceperunt quibuſdam ſaltem in locis ad hono-

Obſeruantiæ Sabbati principium.

Et progreſſus.

Primis poſt Chriſtũ natum ſæculis.

ad honorem Deiparæ, eo die olim, post Filij humationem vnâ cum Apostolis luctuosam solitudinem, extremumque dolorem perpessæ, vt hac de causâ, Regina Martyrum, & plusquam Martyr appellari meruerit. Et quidem, vt aliqua obiter hoc loco notemus, post annum à partâ salute sexcentesimum, quo septimum sæculum incepit, Toletanus Antistes S. Ildephonsus, Deiparæ Virginis cultor eximius, teste Pelbarto [a] Themesuarensi, lectiones nouem conscripsit, suoque Clero proposuit, quibus ad soluendum Deo per Sabbata precum horariarum pensum, Virgo mater siue publicè in templis, siue priuatâ recitatione celebraretur. Nec à testimonio Pelbarti alienum est, quod habet testis antiquior, Iulianus [b] Ecclesiæ Toletanæ Diaconus, ipsi Ildephonso synchronus. Is Liturgiæ meminit, à S. Antistite in B. Mariæ Dei Genitricis honorem & commemorationem conscriptæ, quam Liturgiam ait septimam esse, singulis nempe Sabbatis, vt ego interpretor, repetendam, post alias, in aliorum mysteriorum memoriam, diebus reliquis celebratas. Simile quippiam de S. Ioanne Damasceno dici posse, colligunt aliqui ex Vincentio [c] Belloua-censi, idemque de Albino Flacco, Bedæ discipulo, & Caroli Magni Francorum Regis magistro testatur expressiùs Gulielmus Durandus [d], qui de Missis agens, ex ipsius Albini instituto, & rogatu Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, in singulos quosque hebdomadæ dies distributis, ait Sabbato rem sacram fieri de S. Mariâ. Atqui tam Ioannes Damascenus, quam Albinus octauo post Christum natum sæculo floruerunt. Nono autem in decimum vergente, cum per Sanctum Odonem [e] monasticam vitam sub regulâ S. Benedicti professum, Ordo Cluniacensis proueheretur, iniecta diuinitus ea mens est Abbati sancto, vt inductus in nouum Ordinem, ex amplissimâ S. Benedicti familiâ deriuatum, Deiparæ cultus, illi semper adesset; ac statis anni temporibus [f], à festo nempe D. Virginis post puerperium purificatæ, ad initium solemnioris ieiunij; à die gloriosæ Christi anastasi sacro, ad illos, quibus sacræ precationes recurrunt; ac mensibus qui decurrunt, inter votiuam S. Spiritus ad Apostolos illapsi memoriam, atque hebdomadas nostri Liberatoris aduentui consecratas, nocturnæ diurnæque horarum preces, ad laudem D. Virginis recitarentur per Sabbata, quibus maius aliud non occurreret festum. Hanc ipsam constitutionem sub initium Ordinis, à sanctis eius Moderatoribus editam, seruatamque censet Augustinus Vvichmannus [g] Præmonstratensis, quod Diuam illi Virginem sibi

Septimo sæculo. *Octauo.* *Nono & Decimo.*

a Pelbar. Stellar. l. 1. par. 4. ar. 3. cap. 2.

b Iulian. in præf. ad lib. Ildephon. de Virginit. Deip. t. 7. Biblioth. PP.

c Bellouac. speculo hist. l. 18. alias 19. cap. 103.

d Durand. Ratiõ. diu. off. l. 4. c. 1.

e Io: Monachus in S. Odonis vita.

f Ex Ioan. Monacho, & Breuiario Ordinis Cluniac.

g August. Vvich. in Sabbatismo Mariano cap. 2.

nem ſibi in peculiarem Patronam elegiſſent, aduerſus obtrectatores, quos plurimos patiebantur, ob ſeuerioris diſciplinæ formam vltrò ſuſceptam. At vndecimo ſæculo noua dicati Deiparæ Sabbati argumenta non deſunt; nam eo S. Gerardus Canadienſis Antiſtes, & Pannoniæ Apoſtolus, pro eximio quo in Deiparam ſe ebatur cordis affectu, ſub eius tutelâ extruxiſſe fertur [a] ad Moriſij fluenta cænobium, vbi decreuit, vt in D. Georgij templo ſingulis Sabbatis imperatum precum diurnarum penſum ante aram Virginis à ſe excitatam abſolueretur, & quidem in ipſius laudem æquè ſolemniter, ac Aſſumptæ ad ſuperos feſtum celebratur, quod feſtum Hungari ab eo tempore *diem Dominæ* appellabant. Ipſe verò Antiſtes, vt ſuis exemplo præiret; procumbens ad eandem aram, penſum illud diebus præſcriptis perſoluere multiplici laudum præconio conſueuit. Hic eſt Gerardus ille, qui D. Stephano Hungarorum Regi gratiſſimus, pro Chriſti fide primus in eo regno Martyr occubuit, Tyranni iuſſu, qui ſe in regnum intruſerat, à populo neci datus. Ad B. verò Petrum Damiani, qui eodem ſæculo floruit Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis, cum alij [b] referant præſcriptam Monachis per dies ſingulos Marianam Pſalmodiam, quam paruum Officium vocant; cenſent quoque, ab eodem obſeruantiam Sabbati fuiſſe commendatam ad honorem Deiparæ; & Gregorium ſeptimum id temporis ſummum Pontificem, ritum confirmaſſe. Sed neque tunc primùm in vſu fuit earum precum recitatio, quam ante tria ferè ſæcula Gregorius Secundus, & Zacharias Romani Pontifices à Religioſis Caſſinenſibus adhiberi mandarant, (vt ex Petro [c] Diacono docet eruditè Ioannes [d] Bona, Abbas Generalis Monachorum S. Bernardi diſciplinæ ſeuerioris) & ſeruati in honorem Diuæ Virginis Sabbati originem, ad ſuperiora tempora referendam eſſe vidimus ſuprà. Ad finem verò eiuſdem ſæculi vndecimi à Virginis partu, ſummus Pontifex Vrbanus Secundus [e], expeditionem indicturus ad terram ſanctam recuperandam, cum Claromonte Aruernorum in oppido ſynodum celebraret, menſe Nouembri anni milleſimi nonageſimi quinti; vt Deiparam adiutricem ſibi, & Chriſtianis militibus rubræ crucis teſſerâ inſignitis conciliaret; rogatâ Patrũ ſententiâ, ſtatuit admodũ ſalubri conſilio, vt horariæ preces ac laudes Dei Genitricis apud Petri Damiani Eremitas vſurpatæ, à Clericis quoque recitarentur; quæ lex excepta cum plauſu fuit, adeòque libenter; vt breui ad populares vtriuſque ſexus tranſierit, magno, vt ait Card. Baronius [f], cum fœnore gratia-

Vndecimo.

a Sur. 24. Sept.

b August. Vvichm. Sabb. Marian. cap. 3.

c Petrus Diaconus Caſſinenſis in cap. 64. Regulæ S. Benedicti & ex eo.

d Io. Bona in Harmonia Eccleſiæ cap. 12.

e Barõ. an. 1095.

f Baron. vt ſup.

gratiarum; quas experti inter cæteros sunt Carthusiani [a], diuino monitu ad illarum precum recitationem inducti. Ab eodem Claromontano Concilio statutum fertur, vt horariæ illæ D. Virginis laudes solemniter decantarentur in Sabbatis. Habetur id ex plurium [b] testimonio, ac præcipuè Durandi [c], Sanctique Antonini [d]. At, sicuti hæc prima origo Mariani Officij non fuit, quod ante hàc vsurpatum alicubi fuisse legimus,& ab Vrbano Secundo præceptum communiter Clericis in Synodo Claromontanâ iam diximus; ità neque hæc censenda est prima Sabbati celebratio, quam etiam in vsu vidimus superioribus sæculis: nisi fortò velimus dicere, ipsam Sabbati institutionem multò ante inchoatam, per Concilij decretum aut instauratam, aut certè confirmatam fuisse, ità quidem vt septimus hebdomadæ dies vbique terrarum sit Deiparæ doloribus dedicatus,inductâque deinceps in eius laudem diuini Officii recitatione, ex Pontificum iussu peculiariter cultus: nostra coniectura maximè nititur testimonio S. Bernardi [e], qui de suo æuo in sæculum à partâ salute duodecimum cadente sic scribit: *Aptissimè tota Ecclesia in laudem & gloriam eiusdem Virginis, diem Sabbati per totius anni circulum celebrare consueuit.* Et Bernardo Synchronus S. Norbertus, dicitur apud Surium [f] Sabbato de S. Maria rem sacram fecisse, *vt illo die* (sunt auctoris verba) *fieri solet.* Et sanè locum vtrunque consideranti facilè veniet in mentem, ex modo loquendi significari, ritum illum celebrandi Sabbati in honorem Deiparæ, non fuisse planè recentem, sed multò ante institutum;cum sit apertum vtrinque de re consuetâ & solitâ testimonium; atque aliunde etiam constet, eundem ritum fuisse de cælo non semel miraculis confirmatum.

Duodecimo.

V. Nam, quod ex Ioanne Beletho [g] refert Georgius Coluenerius [h] (annus non proditur) de velo pendente ante imaginem D. Virginis, quæ Bizantij in templo ad Blachernas colebatur, huc adeò pertinere videtur, vt Durandus initium instituti per vniuersam Ecclesiam Sabbati fecerit, cui tamen nos minimè assentimur, fertur id velum sacram Iconem obtegens, vbi quælibet sexta per hebdomadam feria vergebat in vesperas,reductum palàm ad superiora fuisse,haud dubiè mouentibus Angelis; atque vsque ad finem sequentis proximè Sabbati, detectam imaginem exhibuisse videndam, colendamque; denique eiusdem diei vesperis absolutis, iterum ad eam operiendam descendisse, & sic expansum perseuerasse ad vesperas vsque feriæ sextæ in hebdomadâ subsequenti. Eodem

Obseruantia Sabbati miraculis confirmata.

Velo ante Virginis iconem ducto diuinitus & reducto.

a Surius in rebus gestis S. Brunonis 6. Octob.
b Apud Georgium Coluener. in Kal. Mariano t.1. c 9 Gener. Cōmem.
c Durand. l.6. Rat. c. 2. num. 6.
d S. Antoninus par. 2 hist. tit. 16. cap. 1.
e S. Bern. l. de Passione Domini cap. 2.
f Sur. 6. Iunij.
g Beleth. in explic. diu. off. c. 15
h Coluener. to. 1. Kalen. Marian. in Gener. cōm. cap. 7.

dem spectat quod narrant Ferreolus [a] Locrius, & Marinæus [b] Siculus rerum Hispanicarum scriptor de opilionibus septem, qui ad annum Domini octingentesimum nonagesimum, aut paulò ante, in Monte ferrato ouium greges pascebant: dicunt enim die quodam Sabbati in noctem vergente, fuisse ab ijs conspecta ex cereis in aëre lumina, eademque ad cauernam stetisse montis; vt eiusmodi indicio, statua D. Virginis inibi defossa detegeretur. Prodigium augebant Angelorum cantus ibidem auditi, & luminum cum concentu cælesti spectaculum, iterum atque iterum recurrente die Sabbati renouatum. Ecquis dubitare hoc loco possit de indigenarum pietate in Sabbati diem, aut auctâ per eam occasionem, aut inductâ? Alterius prodigij meminit Martinus Nauarrus [c], auditi nempe Sabbato Angelorum cantus, in Roncanâ valle propè fontem, qui eâ de causâ ab Angelis nomen accepit, seruatque in hodiernum diem. Eiusmodi autem concentus continebat, salutationem illam Virginis, conscriptam (vt plures [d] sentiunt) ab Hermanno Contracto; *Salue Regina, mater misericordia*, & alibi etiam, ab Angelis decantatæ testis affertur ex auditu (vt idem Nauarrus [e] asserit) S. Bernardus. His & alijs euentis declaratum cælitùs est; quam grata Deo fuerit, obseruantia Sabbati Mariani, quæ signa fusiùs à scriptoribus enarrata, & præsertim ab Augustino Vvichmanno [f], nos suis locis singula referemus. Illa interim indicasse sit satis, vt constet, perantiquum diei septimæ celebrandæ ritum, ab Apostolorum temporibus promanasse, atque à Græcis ad Latinos fluxisse, vt docet Godescalcus [g] Hollenus Ordinis Eremitarum S. Augustini; imò paulatim in vniuersam Ecclesiam propagatum, ad honorandam vbique Deiparam transijsse. Sed ad res huius anni proprias reuertamur.

Audito à pastoribus cælesti concentu, visisque luminibus.

Cantata ab Angelis die Sabbati salutatio Virginis: Salue Regina.

a Locrius lib. 4. Mar. Aug. c. 25. in Historia miraculorũ Mõtis Serrati.
b Marin. l. 5. de rebus Hispan.
c Nauarrus de Oratio. c. 19. nu. 183.
d Apud Georg. Coluener. to. 1. Kal. Mar. c. 14. Gen. Cõmentar.
e Nauar. vt sup.
f Vvichmann. Sabbatismo Mariano. cap. 5.
g Hollenus in Praecep-torio. explicat. 1. præcep.

VI. Venerant Romam Apostolorum Principes Petrus & Paulus, opportunitatem ingrediendi, manendique præbente Neronis gladio, qui clade Christianorum tantisper omissâ, vltrò sæuiebat in Romanos ciues, de conspiratione in necem Cæsaris postulatos. Affuit ab vtroque solatium afflicto Fidelium gregi, agente pro clientibus apud Iesum Christum in cælo Virgine Matre, & allatâ per Apostolos ope, quorum sermonibus Christi milites animabantur ad pugnam. Dedit Petrus dum Romæ versaretur alteram ad Hebræos epistolam, vt quicunque inde transierant ad Christi signa acciperent hoc à Patre morituro mnemosynon. Pari argumento contexta legitur, quo Iudas Thaddæus suam conscripsit: nam

Aduentus Petri & Pauli Romam salutaris Christianis. Epistola Petri secunda ad Hebræos.

vtraque

vtrâque reprehenduntur Hæretici tum viuentes in omnigenæ luxuriæ sordibus, prauâque doctrinâ Christi gregem corrumpentes. Hoc autem ecquid aliud fuit, quam apertis, iuratisque D. Virginis hostibus bellum indicere? quales fuere Simone Mago Duce Menander, Basilides, Carpocras, & Nicolaitæ. Hos scripto confutarunt Apostoli; erectoque virginitatis vexillo Deipara omnes confecit: & sua cecidit in singulos pœna, quam epistolæ minabantur.

Et altera Iudæ Thaddæi pari argumento.

Aduersus hostes Deiparæ

VII. Quoniam verò incidit mentio de Iudâ Thaddæo, quem Christo & Virgini matri cognatum fuisse docuimus; aliquid nunc de Mariani Herois morte dicamus. Habetur pro comperto, circà hæc tempora, pro Christi fide iugulum hostibus præbuisse, certo quidem martyrio, sed anno ac modo incertis. Ferunt illum expiatâ per longos circuitus Mesopotamiâ, in Perside tandem conuenisse cum Simone Cananæo, altero Apostolo, qui Aegyptum lustrarat; atque ibidem ambos populis ad Christi signa traductis, per idolorum Sacerdotes, in quorum odium & fraudes incurrerant, glorioso certamine vitam dedisse, ad confirmationem fidei, quam prædicarant. Nouum in cælo Dei Matri gaudium attulere eorum coronæ, tum quia vterque fuit ex numero Apostolorum; tum etiam, quia alter ipsius Mariæ consanguineus, ex Cleophâ Iosephi sponsi fratre. Quare suo illum ornemus elogio.

S. Iudæ Thaddæi martyrium.

Et labores.

Quomodo ad Dei Matrem referâtur.

Heros Virgini Matri coniunctissimus
Et sanguine, & meritis
Non vnam à nobis laudem sibi iure reposcit.
Mesopotamiam perdomuit solus,
Vbi monstra Deorum afflixit solo,
Non cum Hercule, sed cum victore exercitu conferendus:
Mox indicto Persidi bello
Sine copijs, sine opibus vllis,
Inermis, & nudus,
Comite tantùm Simone, regna Christi iugo subegit.
Optimum cum collega consulatum gessit.
Populos planetarum cultores aberrare docens à via,
Quòd erratica sidera sequerentur.
Et sine armis cogens noua Roma parere gentes,
Quas vetus extimuerat milite instructa
Denique dum Christi victima cadit, & Christo triumphat;
Maria quoque triumphum auget,
Cælo aeternùm plaudente.

Eiusdem elogium.

Sepulcrum.

Duo Apostoli neque sunt in morte disiuncti; nam ambo feruntur Babylone sepulti, in templo, quod Rex eorundem operâ Christianus extruxit. Sed lapsu temporum, sacra corpora Romam translata, in Vaticanâ Basilicâ, non longè à sepulcro Principis Apostolorum quiescunt, gloriosum Fidelibus in Orbis theatro spectaculum, vbi per Iudam splendet Christi, Deiparæque cognatio.

Apostolatus & labores S. Matthiæ auspicijs diuinæ Matris.

VIII. Opportunè etiam occurrit hoc loco S. Matthias in Apostolorum Collegium cooptatus, cum duce Mariâ sacrosanctus ille cætus signum diuinæ voluntatis haud dubium didicisset; D. Virginis in eo negotio ad Deum preces, plurimum habuere momenti, & Apostolus ipse suæ electionis memor, cum in Iudæâ addictâ sibi prouinciâ laboraret, non longè à ductu & magisterio sanctissimæ Matris, aspectu frui viuentis non rarò potuit, & commodè audire consilia. Denique cum in inferiorem Aethiopiam transijsset, Sophronio [a] & Nicephoro testibus, Ethnicorum manu cæsus, Euangelicus concionator occubuit. Tempus mortis certum, genusque martyrij non proditur: ponamus paulò ante hunc annum obijsse imperante Nerone, atque vt Petrus Ribadeneira [b] refert, impetitum lapidibus, & capite diminutum; sic ad cæli gaudia vocatum, atque ad Christi, & Virginis Matris conspectum. Pluribus à morte annis elapsis sacrum eius corpus translatum est Romam, atque in templo reconditum S. Mariæ, cui nomen Maiori; atque origo, à niuibus cælitùs inter æstiuos calores delapsis. Ibi, propè dixerim è Virginis gremio, venerandum Apostoli caput ostenditur; licet Ioannes Echius, inclytus olim Hæresiarchæ Lutheri antagonista, eius sepulcrum Augustæ constituat, quam in vrbem fortasse partem aliquam corporis asportatam fuisse, non imus inficias.

a Sophronius, Nicephorus.

b Petr. Ribaden. 24. Feb.

Martyrii genus ex aliquorum opinione.

Sepulcrum.

S. Petri cum Simone Mago congressus.

Nebulonis præstigiæ.

IX. Iam verò, vt ad Petrum narratio redeat, congressus ille hoc anno videtur, cum magno Dei Genitricis hoste, Simone Mago, cuius ante hac fraudibus in Iudæâ primùm, & mox iterum Romæ obstiterat: cum enim apud Neronem gratiâ plurimùm præstigiator polleret, illumque rerum admirandarum amantem sibi conciliasset; mutis hominum simulacris ad ambulandum inductis; solâ vi verborum apertis ianuis; lapidibusque in panê conuersis, erat Cæsari, ac eius aulæ spectaculo: imò vt imperitæ multitudinis imponeret oculis, vsus vmbrarum ministerio (quas mortuorum animas esse iactabat) permutauit identidem rebus faciem, verusque Proteus, nouas subinde induit ipse sibi magicis excantationibus

formas.

formas. Itaque apud populum diuinitatis famam adeptus, se Christum esse, & illicò volaturum ad Patrem sparsit in vulgus. At Petrus vt tantam illi personam detraheret, & credulum populum erroris argueret, affuturum se promisit ad condictum diem, quando Magus foret prodigiosum volatum exhibiturus. Interim cum die Dominico, vt ex D. Augustino [a] & Cassiano suprà docuimus, eiusmodi spectaculum coram Cæsare, magnoque populo dandum esset, pridie eius diei, nempe Sabbato, ieiunium Fidelibus Petrus indixit, vt fraus detegeretur interuentu D. Virginis, cui iam tum destinabatur is hebdomadæ dies. Et quidem ex communi voto res contigit; nam orante postmodum Petro, cum Simon à malis Genijs in altum vectus, Dædali per cælum volatum imitaretur, coacti sunt stygij vectores nebulonem relinquere, qui in terram confestim corruens, toto fractus corpore malè perijt: nec minor fuit ad apertam fallaciam, præ pudore confusio. Sic vlta tandem est diuina iustitia virum, qui compotem se diuinitatis simulans, Christum esse dicebat, in dedecus & probrum Virginis matris, incipientis in hoc vno de Hæreticorum perfidiâ triumphare. Cognouit se Nero deceptum ab homine, in pœnam suæ temeritatis turpiter lapso; itaque vt castigaret artis fallaciam, expulit Româ philosophos; nec Apollonio Tianæo Magorum principi parcendum ratus, illum hoc anno Romam ingressum, sub Consulum patrocinio; & quasi in locum Simonis à Dæmone substitutum, eodem exire ab Vrbe coëgit. At verò in Petrum pariter ac Paulum irâ conuersâ, occasione Simoniani lapsus, Apostolorum Principes ambos, quasi reos, in Mamertinum carcerem Octobri mense coniecit; & Paulo insuper datum est crimini, quòd insignem Neronis pellicem ad Christianam fidem conuertisset. Interim ipse Nero in Achaiam profectus, vt Isthmum perfoderet; dum opus molitur difficillimum, relictus est Petro & Paulo campus, vel ex carceris angustiâ, rem Christianam fouendi. Sic magister vterque magnus, nec semel imbutus D. Virginis documentis, inter compedes & catenas, ad eius cultum, atque ad Christi fidem liberè audientium cateruas hortatur.

Quomodo Petrus cum Simone concurrat.

a August. & Cassianus, vt suprà.

Non sine ope Diuæ Virginis.

Lapsus Simonis.

Philosophorū exilium.

Petri & Pauli carcer.

Non vacat ab institutione Fidelium.

X. Dum hæc Romæ aguntur, anno Neronis duodecimo, & Agrippæ Iudæorum Regis decimoseptimo, ceptum esse bellum Iudaicum Iosephus [b] est auctor: quo bello horrenda series ærumnarum continetur, in eum populum confluentium; vlciscente Deo sacrilegam Filij cædem, repensisque supplicijs ad scelerum magnitudinem, quæ Virgo Mater cum

b Iosephus 20. antiq. c. 19. & 2. de bel. cap. 13.

Initia belli Iudaici.

ingenti dolore ſpectauit. Orta calamitas ex tyrannide Geſſij Flori procuratoris, quam Iudæorum natio ad biennium tulit, eò tandem deſperationis adacta, vt ſeditione à potentioribus excitatâ obſtinatiſſimo animo defecerit à Romanis. Itaque ſi Ieſum olim Nazarenum, nempe Floridum, atque Iſaiæ [a] vatis oraculo ſub floris nomine de Ieſſæâ virgâ, ſeu Virgine Dauidicâ prodeuntis, præmonſtratum, abiecit à ſe indignè contemptum, & occiſum: nunc à Floro, omnium ſceleſtiſſimo, domi recepto, atque in obſequijs habito, ludibrijs, rapinis, cædibuſquæ vexatur. Alter, vitæ auctor, & ſalutis occiditur: alter Iudæorum perniciem molitus vltrò recipitur, muneribus auctus. A Ieſu beneficia Iudæi plurima: à Floro omnis generis maleficia ſuſceperunt. Ille pacem, hic bellum intulit. Ieſus denique Iudæorum odio eſt actus in crucem; Florus eorum nobiliſſimos affixit patibulis. Nec verò Berenice Agrippæ Regis germana ſoror, cum Hieroſolymam voti causâ veniſſet, exorare vel infimis precibus Tyrannum valuit, vt à cædibus populi, & direptione templi abſtineret; imò & ipſa adducta eſt in vitæ diſcrimen: ſicuti antea coërcere Iudæos à nece Chriſti non potuit præſentia, & luctus ſanctiſſimæ Matris, cuius ob oculos ille exutus veſtibus, affixus cruci, ac felle potatus occubuit. Probabit Lector antitheſim, ſi quæ nos indicauimus de Flori in Iudæos tyrannide apud Ioſephum [b] perlegerit.

Inter Ieſum & Florũ ad Iudæos Antitheſis.

a Iſai. 11. ver. 1.

b Ioſeph. l. 2. de bel. c. 11. & ſeqq.

XI. Illud verò omitti non poteſt, tanquam calamitatis caput, quòd ortâ Hieroſolymæ ſeditione, illicò inter Iudæos ciuile bellum exarſit, conuenientibus ad Sionis arcem nobilibus, profanato armis templo, & multâ cæde polluto. Mox impetu popularium in Romana etiam præſidia conuerſo, ad Iudæos quoque per Palæſtinam circumquaque diſperſos malum pertinuit: nam pluribus in locis ad ſeptuaginta eorum millia ferro periere, deuaſtatâ Iudæâ, ipsâque Hieroſolymâ obſeſsâ. Quamobrem cum inde plurimi fugerent, patuit etiam Chriſtianis fugiendi campus, & reipsâ illorum multi per fugam ſunt elapſi; inter quos fuiſſe creditur, Antiſtes Hieroſolymæ Simeon, Diuæ Virginis conſanguineus, ſuperſtes deinde vſque ad Traiani ætatem, ſub quo annos natus centum viginti, ſuum in cruce certamen abſoluit. At etiam ſacra eius Eccleſiæ ſupellex, à Chriſtianis opportunè ſubducta, integra permanſit, id quod expreſsè ſcribit Euſebius [c] de Cathedrâ S. Iacobi, quam ad ſua vſque tempora ſeruatam eſſe teſtatur. An hic intelligere licet *abominationem deſolationis in loco Sancto* ſacri

Hieroſolymæ bellum ciuile inter Iudæos.

Fugiunt ex vrbe etiam Chriſtiani.

Abominatio deſolationis in têplo quæ.

c Euſebius hiſt. lib. 17. cap. 14.

Vatis

Vatis [a] oraculo prædictam; quoniam adyta templi sanctiora, armis vndique per scelus referta, militaris licentia dehonestauit? Et potest etiam huc referri, quod insinuatum discipulis, insigni vaticinio [b] voluit Christus; vt eiusmodi abominatiónem videntes, relictâ Hierosolymâ, atque adeò Iudæâ, ad montes fugerent: quo tempore etiam, vt ait Lucas [c], obsessam ab exercitu ciuitatem illam inspectarent. Habes veluti protasin horrendæ tragœdiæ, in excidio Hierosolymitano per Titum editæ post annos paucos, in quâ protasi, vti Christus monuerat, datum est spatium euadendi calamitatem Christianis ibi degentibus, non Iacobi modò, sed etiam Deiparæ alumnis, cuius patrocinio tuti viuebant; dum miserrima clades Iudæis eius hostibus parabatur, diris hoc eodem anno in magno populi concursu prænotata prodigijs, quæ Iosephus [d] describit. Tunc etiam exeuntibus Hierosolymâ Christianis cum sacrâ supellectili, verosimile est; eductas fuisse iconas Deiparæ plures, & alias reculas ab eâ in morte relictas, quæ sicuti Fidelibus fuere solatio, itâ ab ijsdem quasi fugæ comites aliò asportatæ creduntur; vt properante iam ad interitum ciuitate, vbi Virgo per tot annos sedem habuerat, sacra illa pignora deinceps tutius in Ecclesiâ seruarentur.

Icones & Reliquiæ D. Virginis Hierosolyma asportatæ.

XII. Ex rebus Romanis hoc anno illusus Nero fertur promissione thesauri, quem Cesellius Bassus, origine Pœnus, latere in suburbano suo ingentem, tanquam conditum olim à Didone Phænissâ, mentitus fuerat, aut somnia sua pro veris credens, aut Neroni opum percupido ausus imponere. Incidit præterea in idem tempus mors Poppææ Augustæ, quam Nero coniugem grauidam, ex iracundiâ, subito ictu calcis occidit. Vtrumque euentum expositum apud Tacitum [e] habes: at oppone primùm Neroni myriadas Christianorum, qui id temporis solidos, æternosque diuinorum charismatum thesauros verè inuenerunt per Mariam, siue in terris pro Christi gloriâ militantes, siue in cælo inter Sanctorum choros adscripti. Deinde Poppææ Augustæ ictu pedis à viro interemptæ, Mariam ipsam oppone Augustissimam, quæ Tartarei Draconis caput mortalibus exitiale calcauit, contriuitque, ac de numeroso eius exercitu, tertiâ nimirum parte stellarum ad inferos deturbatâ, apud Superos æternùm triumphat.

Illusus Nero promissione thesauri.

Ab eodem mors Poppææ Aug.

Ex profana historia sacræ opponũtur.

[a] *Daniel.* 9. *vers.* 27.
[b] *Matt.* 24 *vers.* 15.
[c] *Luc.* 21. *vers.* 20.
[d] *Ioseph. de bel. l.* 7. *c.* 12.
[e] *Tacit Annal. lib.* 16.

Annus Christi 69.
B. Virg. Natę 83. Petri R.P. 25. & vlt. Et Assumptę 11. Neronis Imp. 13.

I. Nero ex Achaiâ Romam reuersus, Apostolici Senatus principes Petrum, & Paulum, anno superiore in carcerem coniectos morte multauit tertio Kalendas Iulias huius anni decurrentis. Ambobus iampridem in Deiparæ clientelam receptis, & nunc in supremo certamine constitutis, optima de cælo Patrona non defuit. Causa illati à Nerone supplicij potissima fuit Christianæ Religionis sincera professio aduersus Simonem Magum, cuius interitus valdè displicuit; & commendata in concionibus virginitas, vitæque castimonia, adeò vt in eius amorem exarserint Neronis pellices aliquot, à cultu Deorum, atque ab illicito Cæsaris commercio ad Christiana sacra traductæ. Gratissimam fuisse Matri Virgini Apostolorum operam nemo negabit, qui consideret, virtutem illam Deiparæ propriam, contrà infandam Cæsaris libidinem, nouos adeptam esse sectatores, eiuratis profanis castris, sub vexillo virginali receptos. Petrus ergò capite in terram obuerso, & pedibus in altum elatis, cruci affixus, aliter ac olim ipsemet Christus, in Transtyberinâ regione, vbi Iudæi degebant, montem seu Ianiculum, qui nunc Aureus dicitur, seu Vaticanum suâ morte nobilitauit, & Iesu morientis imaginem exhibuit in se ipso. Paulus verò extrà portam Ostiensem tertio ab Vrbe lapide ad Aquas Saluias, excepit collò securim, quâ abscissum illi caput, vt Romano ciui, cum tribus terram saltibus attigisset, totidem inde fontes, qui etiamnum extant, expressit; atque ex vulnere admixtum sanguini lac effudit. Nimirum qui Fidelibus scribens clarè professus fuerat, ideò se in Euangelij promulgatione laborasse, vt Christus in illis efformaretur, alumnulis suis ad pleniorem ætatem prouehendis, habere lac debuit: & sicut Dei Mater Christum nutriuit infantem, vbere de cælo pleno; ità Gentium Apostolus, tot infantium parens, quot hactenus Religioni genuerat, Christum in ijs millies congeminatum, educare visus est, vulnere diuinitus lactescente, *in Ecclesiæ nutritio*, vt ait Ambrosius [a].

SS. Petri & Pauli Martyrium sub Deiparæ patrocinio.

Eius causa.

Et modus.

Duplex in Pauli morte miraculum.

[a] Ambros. serm. 68.

II. Vterque obsequio ergà Mariam memorandus; Petrus quidem, cui non caro & sanguis, sed reuelauerat Deus

Iesu

Iesu Christi diuinitatem, cum probè cognitam, atque perspectam haberet, Dei Genitricis excellentiam; tanto est eandem affectu prosecutus, tantique fecit, vt vel viuenti templa dicarit, pietate simili in omnibus discipulis excitatâ. Si verò beneficia in eum collata per Virginem recolere velis; maxima fuisse comperies; diuinam in primis clementiam eius interuentu exoratam, cum ille culpam defleret ad ancillæ & militis voces admissam, ter Dominum [a] pernegando: itemque eductum è carcere Apostolum, atque à vinculis Herodianis liberum [b], orante Fidelium cætu, sub ductu Deiparæ, quæ pars erat Ecclesiæ potissima. Primum illud concessæ diuinitùs Petro veniæ beneficium, Mariæ tribuitur in tragœdiâ [c] *de Christo Patiente*, quæ Nazianzeno Gregorio ascribitur, vbi Deiparam inducitur Apostoli lacrymis, precibusque commota, vt diuinæ pro illo clementiæ supplicaret. Et paucis ante annis Iacobus [d] Bidermannus, pluribus Heroum epistolis, argumento vario, poëticoque stylo conscriptis, vnam exhibuit quasi à D. Petro exaratam, missamque Virgini matri, vt per eam pænitens aditum sibi iterum aperiret ad Iesum, quem ex metu negarat. Denique quotam amoris partem sit à D. Virgine consecutus, & quantum ad eam pertinuerit magnus hic Heros, indicat eleganter ac piè Lælius Guidiccionius [e] in heroico carmine, de Arâ maximâ Vaticanâ, ab Vrbano Octauo Pont. Max. magnificentiùs restitutâ, vbi vates sic Petrum ipsum alloquitur,

Perti in Mariã Dei Matrem studiũ.

Et Mariæ in Petrum beneficia.

Amor D. Virginis ergà Petrum.

.... Tibi contigit vni
Christi implesse vices primùm, mox Virginis ore
Christipara, alloquioque frui; cælestia facta,
Et genus, & studia, & mores tibi nosse licebat.

III. At Paulus nusquam à Petro disiunctus, nec in vitâ, nec in morte, vt canit Ecclesia, coniunctim quoque locum habuit in amore Deiparæ, atque in meritis apud illam. Primùm quidem eius ad Deum conuersio, atque ex Christi persecutore in Apostolum transmutatio, tum à sanctissimæ Virginis, tum à D. Stephani precibus duxit initium, vt suprà docuimus. Deinde Christianis sacris ritè susceptis quò maiores fecit in stadio virtutis progressus; eò coniunctior Dei Matri fuit, quam inter heroicos sui Apostolatus labores impensè coluit, nec semel inuisit, audiitque. Vt sectatores illi vbique gentium pararet, virginitatis erexit vexillum; ad eiusdem allocutionem plures adduxit; & epistolis Fideles instituens, dum suprà quadringenties ex abundantiâ cordis Iesu nomen ingeminat,

Merita Pauli apud Deiparam.

a *Ex Euangelica historia.*
b *Act.12.v.5.*
c *Tragadia de Christo Patiente.*
d Iacobus *Bidermannus in Heroum epistolis lib. 3. epist. 2.*
e *Lalius Guidiccionius Heroico carmine de Ara Maxima Vaticana.*

minat,

minat, in mentis affectu Matrem à Filio non disiunxit. Lucæ denique peregrinationum comiti auctor fuit, vt pro arte pingendi, quam callebat, D. Virginis efformaret imagines, easque pietati Fidelium vbique terrarum relinqueret adorandas. De sacro hospitio, quod Romæ habuit, Christianorum liberalitate conductum; deque insigni Dei Matris imagine, ac templo, quæ ibi nunc sunt, suo loco [a] iam diximus.

[a] Ad an. Chr. 59. & B.Virg. 73.

IV. At verò, post sacrum vtriusque Apostoli triumphum, per quem animas cælo illatas Iesus excepit, & Maria, corpora propè ipsa loca, vbi occubuere, primùm sepulta, Petri in Vaticano, & Pauli viâ Ostiensi in prædio Lucinæ, Orientales Christiani Romam profecti, inde clam surripuisse feruntur, ad suas regiones asportaturi. Verùm viâ Appiâ ad secundum ab Vrbe lapidem, vbi Callisti cœmeterium attigerunt, prohibiti sunt à facinore, id quasi indignante cælo, vt Sanctus Gregorius [b] asserit, per exortam illicò in aëre tempestatem, quæ insueto nubium fragore, inter fulgura atque tonittua, profugos coëgit consistere, eodemque in cœmeterio furtum relinquere; quod deinde, relatis ad priora loca corporibus, Sanctus Pontifex Cornelius Vaticano & viæ Ostiensi restituit. Tandem extructo vtrobique per magnum Constantinum templo, sacra pignora Sanctus Sylueſter diuisisse iterum traditur, atque ex ambobus suas vtrique Basilicæ partes dedisse asseruandas, vbi nunc religiosè coluntur. Hæc ipsa templa vel Ethnicis barbarisque veneranda, Deiparam exhibent per Apostolos, populorum confluentium votis benignissimè annuentem. Probat id de altero primùm, quod Sancto Dominico Ordinis Prædicatorum parenti accidisse narratur: testatum enim est in annalibus [c] eius sacræ familiæ, ingresso S. Petri templum Dominico, atque ad preces intento, apparuisse de cælo ex vnâ parte Christum, lanceis tribus intortis, exitium humano generi minitantem; ex alterâ supplicantem Filio Deiparam pro veniâ, ostensis ipsius S. Patris, qui tunc orabat meritis, vnàque Asisinatis Francisci, qui cum illo ad animarum salutem pari studio conspirabat. In Ostiensi autem D. Pauli templo adfuit Deipara S. Ignatio Societatis Iesu fundatori, quando is vnà cum socijs ante eiusdem Diuæ Virginis effigiem aramque, ritu solemni Professionis suæ vota ex Apostolici diplomatis formulâ nuncupauit: quæ sanè fuerũt felicia religiosæ familiæ deinceps ducẽdæ auspicia, in æde quidẽ suburbanâ S. Pauli, cuius sectari vestigia in Apostolico stadio suos optabat Ignatius; sed operis adiutrice Deiparâ, quæ ante

De sepultura SS. Petri & Pauli in Vaticano & Via Ostiensi.

Et mox in Cœmeterio Callisti.

Reddita locis prioribus

Beneficia per Deiparam collata in templis SS Petri, & Pauli.

[b] Greg. Regist. l. 1. ep. 30. Ind. 12.

[c] Ferdin. Chronic. S. Dom. lib. 1. cap. 18.

[d] Orland. Hist. Soc. Iesu l. 3. n. 11

ante duos annos Parisijs in Monte Martyrum à conspirantibus in Dei gloriam socijs adoptata fuerat in patronam. Præterea quanti eadem fecerit illud Doctoris Gentium templum, quidam D. Georgij in Velabro Clericus (vti narrat eiusce tituli Cardinalis [a] Iacobus) ostendit: is enim reprehensus per visum fertur à Dei Matre, eò quòd anno piaculari suprà millesimum trecentesimo, publicâ criminum expiatione indictâ, nugando & garriendo iter ad D. Pauli confecisset.

a Iacobus Card. tit. S. Georgij. Tract. de Iubilaeo.

V. Cæterùm tam Petrus quam Paulus, seu viuentes in terrâ, seu post obitum in cælo gloriosi, valuere plurimùm apud Dei Matrem, ergà quam vbique Fidelium amorem, atque obsequia comparasse feruntur. Vbi verò illa videndam aliquando se præbuit viris aut mulieribus Deo gratis, comites Apostolorum Principes habere voluit, per quos & beneficia precantibus plura concessit. Testatur id in arcanis sibi diuinitùs reuelatis D. Birgitta [b], atque innotuisse præterea legimus [c] sanctæ Viduæ Romanæ Franciscæ, Petri ac Pauli interuentu esse prohibitam à Deiparâ imminentem Vrbi cladem. Ex hac vtriusque Apostoli apud illam gratiâ factum quoque credimus, vt imagines D. Virginis exhiberi non vno tantùm in loco consueuerint pietati Fidelium depictis ad latera sacris ijs Principibus, tanquam præcipuis Ecclesiæ patronis, eiusque beneficio maximè apud Deiparam valituris. Vtriusque effigies ex lineamentis constat quæ Nicephorus [d] indicat, vulgatam in Ecclesiâ traditionem secutus; & sua ambobus apponuntur insignia, vt dignoscantur, Petro claues, in signum diuinitùs acceptæ potestatis, Paulo gladius, sacræ symbolum eloquentiæ corda ferientis. Sunt etiam aliæ rationes, cur ad latera Deiparæ depicti inueniantur: nimirum quòd Petrus filiam habuit Petronillam, siue in carne, vt plures existimant, siue in spiritu tantùm genuerit, vt alij sentiunt, quam filiam Deo per virginitatem dicatam voluit, & sub vexillo Deiparæ militantem: Paulus autem in eandem ascriptus militiam virgo fuit, testibus Hieronymo [e], ac Tertulliano [f], quibus subscribunt Chrysostomus [g], Augustinus [h], Theodoretus [i]. Præterea eiusmodi picturæ, decor accedit ab Ecclesiæ ritu; quæ in maiori Psalmodiâ, tam ad matutinas, quam ad vespertinas preces, post B. Mariæ quotidianam commemorationem, Petri & Pauli gloriosa merita recolere proximè consueuit: atque in minori, quæ ad Deiparam spectat, eorundem expressam fieri mentionem iubet.

Deipara apparet media SS. Petro & Paulo.

Et ita quàndoque pingitur.

b S. Birgit. lib. 6. Reuel. c. 93. & lib. 4. c. 18.
c Liber m. s. de vision. S. Francisca apud Hippolytū Maraccitū Fād. Mar. in S. Francisca.
d Niceph. lib. 2. hist. c. 37.
e Hieronym. ep. 22.
f Tertull. lib. de Monogam. c. 3.
g Chrysost. l. de Virg.
h August. de grat. & libero arb. cap. 4.
i Theodor. in c. 4. epist. ad Philipp.

VI. At etiam susceptum à D. Virgine apud Cælites re-

Deiparæ patrocinium ergà Linum Petri successorem.

gnante, ergà Ecclesiam Christi sponsam patrocinium, eò spectasse arbitramur, vt quemadmodum Petro illa semper affuit, Christiani gregis Pastori constituto, per annos ferè sex ac triginta ab ascensu Christi in cælum elapsos, quatuor quidem Hierosolymæ, septem Antiochiæ, Romæ vigintiquinque; ità Lino non defuit, qui in summo Sacerdotio primus Petro successit, ipsâ institutus Apostolorum Principis disciplinâ, vnâque cum Cleto ab eodem viuente in sacri operis coadiutorem assumptus. Pietatem & obsequium ergà Virginem Matrem Linus ab illo didicerat, & semper in se ipso professus est, dum in Ecclesiâ moderandâ omnes Romani Hierarchæ partes impleuit, plurimis, eisdemque maximis patrocinante Deiparâ miraculis illustratus. Sunt qui tradant, fuisse vnum è duobus ac septuaginta Christi discipulis, ideoque visam ab eo, agnitamque Dei Matrem negare consequenter non possunt; quod si verum sit, ex hoc etiam capite D. Virginem Linus peculiariter coluit, eiusque in cælo regnantis ductu summum Pontificatum administrauit, dignus planè qui primus Petro successerit.

Lini in Deiparam studiū

VII. Exposito Petri certamine, Andreas Apostolus, eius frater germanus, occurrit, qui de Virgine Deiparâ benemeritus, paulò post illum triumphasse creditur glorioso martyrio, licet omninò incertum remanserit, quoto id acciderit anno. Omnium Apostolorum primus vocatus à Christo Andreas fuit, atque ad tantæ dignitatis fastigium euectus, Petrum fratrem secum adduxit. Mox verò (cum Apostoli fidei composuere regulam, sententijs duodecim, quas contulere in vnum singuli, definitam) huiusce symboli, vt vocant, partem, quæ ad Virginem matrem spectat, Andreæ tribuit Augustinus [a], vbi singillatim exponit, quid ad rerum à Christiano credendarum regulam concinnandam, singuli Apostoli dixerint; cum enim narret S. Doctor: illi formæ credendi, faciente initium Petro: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, & mox sequente Ioanne: *Creatorem cæli, & terræ*, illicò de Filio Dei pronunciasse Iacobum asserit: *& in Iesum Christum, Filium eius vnicum, Dominum nostrum*. Andream verò, de eodem carnem assumente: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*: Deinde octo reliquos, suo quemque lemmate, prosecutos esse cætera mysteria, quæ ad Christum, ad Spiritum Sanctum, atque ad Ecclesiam Catholicam pertinent. Fateor quidem apud multos manere dubium; an ille Augustini sermo sit: sed modò saltem non negemus antiquum esse; ac-

De Andrea Apostolo Petri fratre.

Eius in symbolo Apostol. pars.

Ratio symboli.

a August. ser. 115. de tem.

se, accedente aliorum PP. auctoritate idem testantium, poterit vtique narratio haberi pro verâ. Vt ergò redeamus ad Andream, illi tribuitur in symbolo Apostolorum, Virginis matris elogium, quod paucis quidem verbis, sed mysterio vndecumque plenis expedijt: nouam enim, eandemque ineffabilem rationem exponit, quâ Dei Filius, partus diuinæ mentis æternus, humanam carnem de solâ Matre suscepit, cuius illibatam, integramque virginitatem, auctor operis Spiritus sanctus reliquit: Natus deinde Filius nono post conceptum mense, Deus vtique verus, verusque homo, maternum non resignauit vterum, cui integritatem nullatenus abstulit; sicut idem clauso sepulcro rediuiuus post mortem prodijt, atque ad discipulos in intimum conclaue receptos ingressus est, ostio nequaquam aperto; vt sacra narrat historia [a]. Virginem autem hanc, quam sibi elegit in matrem Deus, in eodem elogio addit Apostolus, appellari Mariam, vel ipso nomine venerandam, quascumque demum etymologias acceperis, ex ijs quas suprà indicauimus. Hæc ideò exposita sint; vt appareat, qualis Deiparæ encomiastes Andreas fuerit, vbi cum reliquis Apostolis fidei symbolum suâ collatâ sententiâ composuit, reliquitque Christianis tanquam tesseram Religionis. Idem Achaiæ Proconsuli Aegeæ, ob Euangelicæ veritatis promulgationem inuisus, apud Patras in crucem est actus, vt ex hac etiam parte imago Christi videretur expressior, similis in morte fratri, atque vnà cum illo Virgini Deiparæ gratior, de quâ cum in ligno penderet, splendidè magnificèque locutus, eius purissimam virginitatem testatus est, ad confertissimam multitudinem; & vbi ad biduum cruci affixus verba fecisset, Christum, Matremque commendans, fertur dixisse palam: *Sicut primus homo ex terra immaculata formatus; ità & Christus ex Virgine immaculata.* Inter voces quas tunc Apostolus protulit planè cycneas, hanc numerant Achaiæ presbyteri [b]; qui & delapsâ cælo subitâ luce, exceptum eius spiritum aiunt, ab ergastulo carnis, in gremium euolasse diuinitatis, inter plausus Cælitum, eorumque Reginæ Deiparæ.

Quod de D. Virgine in symbolo pronunciauit Andreas.

Andreas Deiparæ encomiastes.

Eius in Cruce martyrium.

Et vltima de Virgine Deipara verba.

a Io. 20. v. 19. 26.

b Presbyteri Achaiæ in vita S. And. Apost.

VIII. Corpus post honorificam in Achaiâ sepulturam, Constantinopolim primùm in Vrbem D. Virgini mancipatam, eiusque auxilium ad pericula non semel expertam, deinde Amalphim regni Neapolitani translatum, ibi nunc colitur, & prodigioso liquore scatet, ad quoscumque morbos diuinitùs repellendos. Brachium & caput obtinuit Roma, cum alterum quidem à Tiberio [c] secundo Imperatore impetrarit

Varia sacri Andreæ corporis sepulcra.

c Ex M.S. Vat. plut. 3. nu. 600.

Eiusdem brachium & caput.

S. Gregorius Magnus; apud illum legatione functus, antequam summus Pontifex renunciaretur, & mox ad Vrbem delatum, in templo collocarit, quod S. Andreæ suis in ædibus ad Scauri cliuum erexerat. Caput verò à Demetrio Peloponesi dynastâ Constantinopoli pariter Romam aduectum, Romanus Hierarcha Pius secundus [a], solemni supplicatione indictâ obuiam factus excepit, atque in Basilicâ S. Petri Vaticanâ reposuit. Id autem opportunè factum videtur, quòd in eodem templo, è regione huius venerandi capitis, in loculamento asseruatur lanceæ mucro, quæ Iesu Christo cruci affixo latus aperuit. Illum Antiochiæ diu sub terrâ reconditum, Andreas Apostolus Christianorum exercitui per visum indicasse narratur [b], cum anno nonagesimo octauo suprà millesimum, copiæ victrices Turcis eiectis, eam ciuitatem occupassent; quæ deinde ibidem ab hostibus obsessæ, atque in extremas redactæ angustias, sacro pignore obiecto, sese à periculo liberarunt. Translatum præterea Hierosolymam venerabile ferrum, Balduino Regi profuit ad victorias de Turcis pariter reportandas, quorum semel ad quadraginta millia, profligata feruntur [c] anno millesimo centesimo vigesimo quarto, ex tribus tantùm millibus Christianorum, qui contrà pugnarunt, nec vno quidem desiderato. Denique Hierosolymâ Constantinopolim asportatum, Baiazetes Turcarum Imperator, vltrò donauit Innocentio octauo summo Pontifice, misitque Romam, vt Zosimo fratri ibidem in custodiâ detento honores, & libertatem consequeretur. Sacrum ergò & memorabile pignus, non solum ob latus Christo mortuo transfixum, sed ob pectus etiam Virginis Matris cruci astantis, crudeli spectaculo perculsum, Andreæ Apostolo debet, quòd innotuerit: & in æde tandem, vt diximus, S. Petri locatum, seruari diceres ab eiusdem Andreæ capite non longè posito, tanquam monumentum ad Iesum Christum, atque Deiparam pertinens, quòd vulnerato Filio descenderit etiam ad cor Matris propè exanimandum; vt propterea inter diuinorum cruciatuum instrumenta, quæ in hymnis ab Ecclesiâ decantatis [d] dulcia vocantur, solius lanceæ mucro crudelis & dirus audiat.

Lancea quæ Christo pectus transfixit.

Quomodo pertineat ad Deiparam.

IX. Hoc etiam anno Neronem maleficiorum conscientiâ territum, & horrificis quibusdam spectris consternatum, Romana profert historia: nam, si teste Dione [e] post illatam matri necem, itá nocturno exagitatus est metu, vt consistere loco nequiret, in ipsâ quiete corporis inquietus; eò magis exanimatum scriptores [f] notant, horrendarum imaginum portentis,

Neronis pauor post necem Apostolorum.

a Comment. Pij 2. l. 8.

b Iacob. de Vitr. hist. l. 1. cap. 19. Ciaccon. in Vrb. 2.

c Tyr. de bell. sac. l. 3. c. 11. & l. 5 c. 23. & l. 6 c. 12. 14.

d Ex hymnis Vexilla Regis prodeunt, & Lustra sex.

e Dio l. 61. hist. Rom.

f Baro. Annal. to. 1. ad an. Chr. 69.

rentis, postquam de medio sustulit sanctissimos Religionis parentes, quorum obiecta dormienti minacia simulacra feruntur: ideò nolens & inuitus gladium tandem à Christianorum cæde retraxit. Libet hîc admirari diuina consilia, quibus illicò videmus frænum iniectum hosti Sanctorum, crudelissimè debaccanti in Christum & Mariam, illorum in vitæ sanctimonia duces, inuocatos vbique terrarum à Christianorum cætu, Neronianæ procellæ obnoxio; dum è contrario integræ nationes ab ipso [a] Nerone deficerent. At illatas à Vespasiano Iudææ prouinciæ clades, prodit earum testis oculatus Iosephus [b], vbi satis apparent, de alijs Christi & Mariæ hostibus, supplicia cælitùs sumpta, in Galilæis gente fortissimâ debellatis, in oppidis plerisque direptis, in occisis plusquam centum millibus Iudæorum, & captiuis abductis, aut venditis, quadraginta circiter millibus. Ad hæc alij, qui cladem euaserant, Hierosolymam recepti, vsurpatâ sibi Zelotarum nuncupatione, ac si pro patrijs institutis, Deique lege certarent, ciuitatem ac templum, ciuium, Sacerdotum, summique Pontificis cæde funestarunt. Calamitatum Hierosolymæ impendentium hæc fuere præludia, post Christianorum ab eâ fugam, & subtractum Diuæ Virginis cum Simeone Antistite patrocinium, quem paulò ante aliò commigrasse docuimus, vt commissum sibi gregem ope magnæ Matris præsentissimâ securiùs custodiret.

Frænum Tyranno iniectum etiam ad Marianum referendum.

Iudææ clades.

Et Hierosolymæ.

Ex subtracto Deiparæ patrocinio.

a Suet. in Nerone cap. 42.
b Ioseph. de bel. Iud. l. 3. & 4.

Annus Christi 70. Lini Rom. Pont. 1.
B. Virg. Natæ 84. Ner. Imp. 14. & vlt.
Et Assump. 12. Galbæ.

I. Plures hoc tempore Apostolorum discipuli in varijs Orbis partibus nauiter laborabant, qui Magistrorum vestigijs insistentes, Christianæ fidei semina ab illis vbique feliciter iacta, sudore, & sanguine excolebant. Ex his præcipuus Barnabas fuit, inter Apostolos cooptatus, dignusque qui Paulo comes accederet. Annum certum dare non possumus, quo lapidibus obrutus à Iudæis fuerit, cum hoc martyrij genere occisus in eius historiâ legatur; licet, imperante Nerone in liberâ fidei professione vitam dedisse sanctum virum plerique iam credant. Quanto ergà D. Virginem studio vir sanctus exarserit, inde colligi potest, saltem ex parte; quòd is post varios labores alibi fortiter exantlatos; diuinitùs ad Mediolanensem

S. Barnabæ labores, & martyrium.

Eius in Deiparâ studiũ.

nensem Ecclesiam euocatus, in agro primùm Ticinensi consistens, templum ibi Iouis ritè expiatum, magnæ Dei Matri dicarit, idemque postea factum ab illo Mediolani, testantur eius Ecclesiæ monumenta; & qui de ijs commentarios [a] nuperrimè conscripserunt. Eiusdem Apostoli pietatem in Mariam Dei Matrem declarat, exaratum ipsius manu S. Matthæi Euangelium, vbi præter exposita Iesu Christi mysteria, plura de Virgine Deiparâ continentur, quibus euulgandis eximius Ecclesiastes, ad populos Christianâ fide imbutos, sedulò nauauit operam; eius deinde corpus, cum Iudæi, in ignem coniecissent, ex rogo integrum prodijt, nec vllum passa detrimentum est Euangelica pagina, quam ille secum iugiter habuit, neque post mortem abesse voluit ab ossibus sepulcro mandatis, tanquam nobile monumentum ad Christum pertinens & Mariam. Itaque post plura sæcula, quibus sacra ossa latuerant, ipso per visum indicante incogniti diu sepulcri locum, reperta sunt, vnàque volumen Euangelij à Matthæo editi, quod Zeno Augustus id temporis regnans, auro inclusit, & simul cum Apostoli corpore intulit templo in eius honorem erecto.

Euangelium S. Matthæi à D. Barnaba descriptum.

Seruatum vna cum corpore.

Ac tandè inuentum.

a Io: Ant. Castellionæus in Antiqu. Mediol.

II. Omittere hoc loco non possumus, alterum è Christi scholâ, & pariter sanguine, vt creditur [b]; Iosephum, inquam, cognomento Iustum, ex ijs vnum, quos sacri Euangelistæ Matthæus [c], & Marcus fratres Domini vocant, à nobis suprà indicatos. Hic Iose nuncupatus in Græco textu, Iosephi nomine in Latino memoratur, quòd vna censeatur nuncupatio, non obstante illo inflexionis discrimine modico: vnde corruit Gasparis Sanctij [d] coniectura, duos censentis Iosen, & Iosephum, ex illâ qualicumque vocis discrepantiâ; itemque ex eo, quòd Iosis, nulla amplius recurrat in sacris litteris mentio, cum id quidem verum sit, sub illo nomine; sub altero autem non multùm diuerso Iosephi, semel sit sermo de eius ad Apostolatum, & Matthiæ [e] factâ nominatione, ac sorte diuinam indicante voluntatem, super alterum lapsâ. Is ergò Iosephus, ex Deiparæ consanguineis vnus, cum inter Marianos heroas meritò habeatur, suum sibi asciscit in nostris annalibus locum. Et primùm quòd in Christum crediderit, Mariæ debet, cuius tanquam magistræ monita Nazarethi toties audiuit, & viuendi exempla suspexit. Deinde ab operibus Iusti cognomentum adeptus, recepto in cælum Christo, Apostolicæ dignitatis cum Matthiâ candidatus effectus est, vt eorum alteruter Iudæ proditori in Apostolatu succederet: vt verò,

De S. Iosepho Iusto.

Iose & Iosephidem.

Prima eius instructio Nazarethi ex Maria.

b Io: Stephanus Menochius historia Act. Apost. l. 1. c. 7. num. 1.

c Matt. 27. ver. 56. Mar. 15. ver. 40.

d Sanctius Comm. in cap. 1. Act. Apost. n. 55.

e Act. 1. v. 23.

cum

cum & lapsa cælitùs sors, & sanctorum suffragia Matthiam præelegissent; ad amplificandum Christi cultum, & Mariæ Matris nomen omnium pectoribus inferendum, laborare vltrò non destitit, multáque à Iudæorum gente perpessus, sanctò in Iudæâ fine quieuit; mortis quidem incertus est annus; nos illam circà hæc tempora contigisse putamus. De genere etiam mortis, nihil inuenimus expresè notatum; id solum ex Romano Martyrologio proditur, hausto venenó nihil illum triste, propter Domini fidem pertulisse. Eius, inter viros, qui Apostolis successere, labores etiam pro D. Virgine honorandâ susceptos, quando nos aliter commemorare non possumus, aut expressius dicere quales fuerint, & quoto anno sint gesti, subiecto ornamus elogio.

Concursus cū Matthia.

Labores, & haustum sine nocumento venenum.

Siste Lector, & suspice
Iosephi constantiam Deiparæ cognati.
Ab hac primùm magistra didicit viuere simul, & vincere,
Christi, si virtutem spectes, miles,
Si sanguinem, consobrinus.
Ab huiusmodi disciplina, & cognatione,
Iustus prodijt, re, & cognomento.
Id honoris habuit, vt cum Matthia componeretur,
Cum ab Apostolis quæsitum est, vtri cælum destinasset
Relictum à Iuda proditore locum.
Matthiæ posthabitus, ærumnis perferendis nulli voluit posthaberi.
Christo duce pugnauit alacrius,
Iudæos vicit, vt ille, multa patiendo.
Ab hausto veneno non læsus
De virulenta Synagoga, tanquam de serpente, triumphauit.
Si quis pares consequi cum eo triumphos amat,
Ineat feliciter cum Erebi serpente certamen,
Iustusque sit, & par Iosepho Iusto bellator.

Elogium S. Iosephi Iusti

III. Alij quoque ex Apostolorum scholâ discipuli, hoc anno strenuè in varijs Orbis partibus decertabant; auspicijs vtique Deiparæ Virginis, quam & ipsi post Apostolos magistram habuerant. Multos facilè recensere possemus: sed abstinere præstat ab hoc labore; quoniam pauca occurrunt, à nostro non aliena proposito, quæ peculiaria singulis sint; qualia de Sanctis Episcopis, Romulo Fesulano, Trophimo Arelatensi, & Paulino Lucensi narrantur, quorum primus Fesulas à S. Petro destinatus, D. Virginis icon-

De alijs Apostolorum discipulis ad Deiparam pertinentibus.

nem,

nem, Apostolorum donum, in populo sibi commisso celeberrimam fecit [a], publicoque cultui expositam, extructâ cohonestauit æde, quam ferunt S. Mariæ Primeranæ vocitatam, quòd eius imago prima, ibi conuersi ad Deum populi pietati patuerit. At verò Trophimus [b] ad Galliam expiandam missus, Arelate in peramplo palatio, à ciuitatis Præfecto, locum obtinuit diuino cultui destinandum, vbi Sanctissimæ Dei Genitrici, tanquam suorum laborum Præsidi, sacellum erexit; eiusque perpetuum patrocinium, credito suis curis gregi promeruit. Denique Paulinus Antiochiæ natus, ibique excultus Apostolorum principis disciplinâ (ex quâ spiritum hausit Deiparæ Virginis amantissimum) Lucæ in Hetruriâ renunciatur Antistes, vbi ædificatum illicò templum [c] magnæ Matri dicauit, suæ pietatis, suique obsequij monumentum. Diuæ autem Virginis in illum amor, Martyrij circà hunc annum lauream Sancto Præsuli comparauit, quem cæteroqui Mariæ addictissimum fuisse Cælites reuelarunt. Studium ergà Deiparam huic consimile, & parem fuisse pietatem in reliquis, siue è Christi proximè disciplinâ, siue ex Apostolorum institutione ad populos verâ fide imbuendos missis, credere licet; quoniam si sanctis quibuscunque in cælum ex hac nostrâ mortalitate receptis, supplicare certatim consueuerunt;& aras, templa, imagines eorum nomini dedicare; quantò magis id Sanctissimæ Virgini factum oportuit, suprà omnes colendæ, vt Dei Matri, Cælitumque Reginæ? hanc veritatem consectura deinceps sæcula demonstrabunt, cum concessa singulis per Deiparam beneficia, atque illi vicissim honores redditi, suo singillatim tempore, memorabuntur.

De S. Romulo.

De S. Trophimo.

De S. Paulino.

De reliquis SS. Episcopis generatim.

a Vghellus in Italia Sacra to. 3.

b Martyrolog. Gallican. 29. Decemb.

c Cæsar Franciottus in eius vita & M. S. Ecclesiæ Lucensis.

VI. Inter Marianos huius anni triumphos, computandus meritò videtur, Neronis interitus, quem horrendum in modum sublatum esse de viuis, post irrogata Christianis tormenta; ecquid aliud fuit, quam obtrito serpentis capite triumphasse Mariam? nam si Antichristum Ecclesiæ persequendæ addictum; in ipso Nerone agnouere nonnulli [d]; hunc vtique accusante Martyrum sanguine, subitæ ac voluntariæ deditum morti, à diuinâ iustitiâ scelerum vindice, Erebi quoque victrix Deipara iudex effecta damnauit. Quare à Senatu [e] populoque Romano, ad necem quæsitus, à fugâ in speluncam ingreditur, vbi ferrum stringens, in se carnificis officium occupauit; at ægrè ferientis manum iuuere liberti, iidem ministri pœnæ, qui scelerum olim fuere: victima mactatur Orbi debita, quem omni flagitiorum genere inquinarat.

Neronis Imper. obitus refertur ad Mariæ triumphum.

Modus & genus mortis.

d Vide Chrysost. serm. de Eleemos. & collat.

e Suet. in Neron. c. 49.

rat. Cæterùm inter Diuæ Virginis victorias recensendam esse Tyranni necem, argumento est ipsum etiam execrandi cadaueris sepulcrum, quod ad nucis proceræ plantam diu fuisse creditum est: nam funestam arborem malis obsessam spiritibus, & mortalibus vltrò citròque commeantibus infestam, cælesti monitu fertur [a] excidisse radicitùs Romanus Pontifex Paschalis secundus, ibique collocasse peruetustam Deiparæ imaginem, eductam è Lateranensi sacrario, aduersus pestilentiam in Vrbe grassantem; proiectis in Tyberim Neronis cineribus, & expiatâ ritè viciniâ per ædis, aræque virgineæ molitionem: cui nostro æuo, dum hæc scriberentur, Alexander Septimus, ex Fabio Chisio, summus Pontifex renunciatus, maximum contulit nouæ instaurationis decorem, memor gesti antea in sacrâ purpurâ Tituli, & sacelli ibidem à suis in honorem magnæ Matris erecti, atque à se magnificentissimè exornati. Cum Nerone stirps Augusti defecit; & Seruius Sulpitius Galba in Hispaniâ dictus Imperator, ætate propè decrepitâ principatum inuasit, quem tamen citò perdidit, obnoxius regimini libertorum, auctoritate principis suas prætexentium cupiditates: cum enim militi, cui placuerat, statim displicuisset, sexto imperij mense interemptus est ab Othone. Horribilis temporum caligo se aulæ Romanæ offudit interfecto Nerone, & à primarijs ducibus de principatu disceptatum est armis, cum è contrario Ecclesia Deiparæ auspicijs à Neronianæ persecutionis procellâ respiraret.

Neronis sepulcrum funestum, & per imaginē Deiparæ sublatum.

Galba in imperium Neroni subrogatus.

a Ex monumentis Ecclesiæ S. Mariæ de Populo Iacobus Alberieius in Comp. eius Eccles.

Annus Christi 71. B. Virg. Natæ 85. Et Assump. 13. — Lini Rom. Pont. 2. Othonis, Vitellij Impp.

I. ANnum à fundatâ salute primum ac septuagesimum, atque ab assumptâ in cælum D. Virgine tertium suprà decimum, memorandum facit obitus Euodij Antiocheni Antistitis, qui vt se Dei Matri conformaret, Sancto Ignatio [b] eius synchrono teste, perpetuam coluit virginitatem, eâque virtute ad rerum diuinarum contemplationem factus alacrior, diuini Euodij nominationem est adeptus. Eius ergà Virginem Deiparam merita declarat epistola, à Nicephoro [c] Callisto primùm relata, cui fortè expositionem continenti rerum sacrarum, quæ diu latuissent, nec aliunde possent innotescere, auctor pro titulo *Lumen* apposuit. Suprà eius argu-

S. Euodius Virgo.

b S. Ignat. epist. 6. ad Philadel.

c Niceph. l. 2, hist. c. 3

De summa annorũ Deiparæ, quæ continetur in eius epistola.

mentum attigimus, quod paucis Deiparæ vitam complectitur, à pueritia vsque ad senectutem; & annis triginta tribus per partes numeratis, vndecim addit, ab illâ post Filij mortem exactos, vnde summâ omnium tandem collectâ, ponit Deiparam nouem & quinquaginta vixisse. Ex quâ supputationis clausulâ, cum testimonio antiquissimi Patris, qui vixit viuente Deiparâ, non consentiat alterum æquè peruetustum Areopagitæ Dionysij [a], qui fuit pariter eidem D. Virgini synchronus, & asserens virgineo se funeri interfuisse, probabilem suprà cæteras reddit sententiam illam, quæ Dei Matris ætatem ad duos ac septuaginta annos producit: nos ad concilianda tantorum virorum testimonia, in eam venimus suspicionem; descriptum à Nicephoro Euodianæ epistolæ locum, non carere mendo: cum enim in Græco auctoris textu, annorum supputatio per numerales litteras expressa legatur; fieri facilè potuit, vt exemplar ab amanuensi aut chalcographo exceptum non sit omninò sincerè, variato alicubi per imprudentiam numero; sicuti suspicamur factum, vbi legitur, D. Virgo post Crucis supplicium implesse annos vndecim: cum enim huius numeri notæ in græco sint ιά, irrepsisse in textum videntur aliarum loco κδ', quibus anni viginti quatuor significantur, ab auctore ad iustum calculum in autographo non omissi; vnde summa ex calculatione collecta, non quinquaginta nouem tantùm annorum numerum, qui ex priore supputatione conficitur, sed duorum ac septuaginta complectitur, quot vixisse Deiparam in terris, ex testimonio S. Dionysij suprà collegimus, & Euodium expressisse credimus; licet Nicephorus, alijque posito superiore numero annorum vndecim; nouem denique & quinquaginta posuerint. Certè obuius est in describendis numeris error huiusmodi, vt vnus ponatur imprudenter pro altero, vbi præsertim figuræ ipsæ non multùm inter se discrepant: itaque cum ex defectu semel erraueris, summa quam inde ducis integra esse non potest, aliunde corrigenda. Ex simili lapsu corruptum existimat Card. Baronius [b], græcum Iosephi [c] Iudæorum Historici textum, vbi legimus, anno Iesu Christi secundo & septuagesimo, quo obsessa & excisa est Hierosolyma, incidisse diem Azymorum in decimamquartam Aprilis, cuius notæ numerales positæ videntur pro alteris, secundam & vigesimam exprimentibus, quam fuisse verè eo anno diem Azymorum, facilè vnusquisque comperiet.

Suspicio de lapsu scriptoris in Euodii epistola.

Confirmatio suspicionis.

a *Dionys. l. de diu. nō. cap. 3.*

b *Baron. ad an. Christi 72. nu. 1.*
c *Ioseph. l. 6 cap. 4.*

II. Idem sanctus Antistes, addictam D. Virginis obse-

quijs

quijs vitam, hoc anno gloriosus Martyr absoluit. Genus martyrij certò non proditur, at quale fuerit, scribit ex probabili coniecturâ Baronius [a]; Iosepho [b] enim teste, cum ingens exortus esset Antiochiæ tumultus, à Iudæo quopiam instigatore, qui suæ gentis homines, ipsumque patrem tanquàm incendiarios detulerat, ac si spatio noctis vnius decreuissent, conspiratione factâ, flammis tradere Antiochiam: imò Iudæus ille cōtribulium suorum, & parentum calumniator, Antiochus nomine, cum hospites quosdam Iudæos, tanquam conscios iniqui consilij, publicè concremandos curasset, Iudaici se ritus desertorem professus, mutis Deorum simulacris Ethnicorum more sacrificauit, itemque auctor fuit, vt reliqui Iudæorum ad sacrilegum cultum adigerentur; nam si qui renuissent, hos sine vllâ dubitatione insidiatores fore iactabat. Vbi verò deuentum est, ad eiusmodi experimentum, consensere quidem pauci; at plures execrantes facinus, neci sunt traditi. Hic verosimile censet Baronius [c], ex occisis fuisse Iudæorum plerosque, qui cum iampridem Christo nomen dedissent, mori maluerint, quam Ethnicorum ritu sacrificare; quare etiam probabile ducit Historicus; Euodium id temporis Antiochenum Antistitem, sacrilego mandato morem gerere foriter recusantem, ante omnes esse necatum, impetrante Deiparâ suo clienti charissimo gloriosam martyrij palmam; quamobrem Ignatius [d], eius in Episcopatu successor, ad Antiochenos scribens, *beatissimum Pastorem* appellat.

De S. Euodij martyrio.

Eius occasio per coniecturam.

Quæ confirmatur auctoritate magni Chronistæ.

a Baron. ad an. Christi 71. nu. 12.
b Ioseph. l. 7. de bell. cap. 21.
c Card. Baron. ibid.
d S. Ignat. epist. 12.

III. Interim res Iudaicas ac Romanas, suæ vtrinque tragœdiæ funestabant. Nam in Iudæâ quidem Simon Gerasenus latronum dux, Zelotis intrà Hierosolymæ mœnia grassantibus, foris alia loca depopulatus, à quorum clade gladius Vespasiani cessauerat, in obuios quosque Iudæos, ferro sæuiebat, donec Hierosolymam receptus à ciuibus, non sine ingenti eorum damno, pugnam cum Zelotis inijt, violatoribus templi. Romæ verò Syluius Otho, degustato tantum imperio, ab Aulo Vitellio, ad Cremonam leui prælio victus, voluntariam mortem oppetijt; quinto & nonagesimo principatus die. Exinde Vitellius ipse, sine æmulo euectus ad solium, vitia Princeps docuit, quæ priuatus didicerat; octauo imperij mense à Vespasiani ducibus cum dedecore captus, agitur in Tyberim iugulatus. At mox Flauius Vespasianus relictâ filio Tito Iudæâ, acclamatione exercitus suscepit imperium. Vides tam in Iudæâ, quam Romæ Hebræos, & Ethnicos Iesu Christi & Mariæ matris hostes, dissidijs ciuilibus immaniter distractos,

Res in Iudæa turbulentæ, ac miseræ.

Itemque Romæ.

Clades Imperatorum.

 fieri

fieri seditionum, fraudum, bellorumque ludibria; atque è contrario Ecclesiam, vtrique addictam, instar arcæ Noëticæ, diluuij aquis supernatare: nam tempestas Iudæis Ethnicisque feralis, clientibus Marianis non obest, qui concessâ diuinitùs serenitate, per Mariam, tanquam propitiam nauigantibus stellam, insurgentes vndique procellas non metuunt.

Opponuntur Ecclesiæ paci sub Deiparæ patrocinio.

Annus Christi 72.
B. Virg. Natæ 86. Lini Rom. Pont. 3.
Et Assump. 14. Vespasiani Imp. 1.

I. VEspasiani Imperatoris annos numeramus à cæde Vitellij, non autem ex quo, salutatus ab exercitu, nomen & insignia suscepit imperij. Itaque primum eius annum hunc dicimus, qui fuit vltimo Hierosolymæ excidio memorandus. Infortunium nemo ducet alienum à re nostrâ, qui consideret, Iudæam nationem Iesum Christum, eiusque cognatos & sectatores execratam, odijs in Matrem vehementiùs exarsisse, eoque nominatim crimine dedisse pænas. Adde, ab eiusmodi clade monumenta plura perijsse, diuturno D. Virginis hospitio consecrata; & frustrà curatum esse, malorum Dæmonum astu, vt decora Christo & Mariæ propria, ad alios immeritò deferrentur: Iudæis enim adulantibus nouo principi, rumor circumquaque percrebuit; promissum sacrorum Vatum oraculis, humani generis vindicem, ipsum esse Vespasianum, quod vulgatum Dæmone instigatore commentum, facilè fidem inuenit, patratis à Cæsare Alexandriæ miraculis, quæ vulgò ferebantur, atque ab historicis Suetonio [a], ac Tacito [b] sunt litteris consignata. Ijs restituta cæco lux oculorum, & claudo cruris integritas, cum magicis præstigijs ascribatur, siue Apollonij Tyanæi Magorum celeberrimi, qui tunc aderat Principi; siue Dæmonum ipsorum, pro suâ natiuâ facultate remouentium impedimenta; ratiocinatio relinquitur cuique ducenda; Erebi vnius hanc artem fuisse, quâ ad inobscurandam Christi, & Mariæ gloriam, de Vespasiano intelligerentur, vaticinia Prophetarum, qui multò ante prædixerant, venturum ex Iudæâ Iessæ Virginis Filium, ad soluendam generis humani captiuitatem. Et quidem rem altius considerantes, manum agnoscimus vltricem diuinæ iustitiæ; dum quæ natio, olim cælo gratissima, verum recipere Liberatorem noluit, ex progenie ortum Dauidis, atque adeò ex Virgine

Excidiũ Hierosolymæ quomodo pertineat ad Deiparam.

Iudæorum opinio de Vespasiano.

Miracula ei falsò ascripta

Abnegantes Christum Iudæi iustè puniuntur.

a Suet. in Vesp. c. 7. b Tacit. hist. lib. 4.

gine

gine eiusdem stirpis, ea talem vltrò confessa est, Vespasianum obscuro loco natum, quem militum studia ad solium euexissent, mox ipsi Iudæorum populo futurum exitio. Nec mirum, si viliora eius gentis capita, hæc peruasit opinio, cum & primates quique ab errore sibi non cauerint, atque inter eos Iosephus primùm in Iudaico bello captiuus, deinde insignis suæ gentis Historiographus, professus palam sit; Vatum oraculis, non Iesum cruci affixum, sed Vespasianum tanquam verum prænunciari Messiam. Denique per quæsitum, redditumque de Carmelo monte responsum, (quem montem iam tùm, vt fama est, D. Virgini sacrum, veri Numinis adoratores incolebant) Vespasianus ipse credidit, Suetonio [a] teste, magnam sibi à sortibus promitti fortunam, omniaque deinceps ex voto cessura.

a *Suet. in Vesp. cap. 5.*

II. Ergò signum expressius diuinæ vindictæ in Iudæos supremus fuit, & vndecumque miserandus Hierosolymæ casus, à Christo multò ante prædictus; quem à Iosepho fusiùs enarratum, paucis absoluemus. Titus, Aprili mense castra fixit ad Oliueti montem, ex quo perhibetur olim ingemuisse Dominus ad aspectum ciuitatis, innuens eius occasum. Imminebat Paschæ festum, & ingens conuenarum multitudo Hierosolymam de more confluxerat: hæc autem recepta mænibus est ad incredibilem planè numerum: vt omnibus cælitùs in vnum vocatis, eò numerosior foret Iudaicæ perfidiæ pæna, quò fuerat in occidendo Christo vniuersæ nationis Hierosolymam profectæ culpa communior. Militaribus igitur copijs obsidendæ ciuitati propius admotis, Romanus miles post expugnationem primi, & alterius muri, in tertium inuasit; & quò omnem exitum obsessis præriperet, quinque aggeres contrà vrbem extruxit, & circumquaque murum quadraginta circiter stadiorum, ac propugnacula tredecim: captos verò tum Iudæos, siue inter pugnandum, siue in fugâ miseriarum, quas intus paterentur, iussit palam ad quingenos quotidie suffigi crucibus, eò vsque vt Iosepho [b] teste, illis deesset spatium, & corporibus cruces. Vrgebat interim obsessos, præter intestinam seditionem, miserrima fames, cuius causâ præter fimum & paleas, aliàque vilissima, quæ carò vænibant, humanæ carnes alicubi sumebantur in cibum. Mulierem prædiuitem, Mariã nomine, asseruasse sibi in alimentũ, assata lactentis filioli mẽbra, attoniti milites deprehenderũt. Ingens in ciuitate pereuntium numerus, adeò vt proiectis extrà pomœrium cadaueribus plena essent omnia, & alta sanies è tabidis mem-

Excidii Hierosolymitani narratio.

Obsidio, atque expugnationis initiũ.

b *Ioseph. de bell. l. 6. c. 8.*

Obsessorum miseriæ.

membris circumquaque deflueret. Multi Iudæorum per fugam elapsi in Syros & Arabes inciderunt, à quibus executo ventre sunt interempti, ob famam auri in visceribus reconditi; quorum duo millia vnâ tantùm nocte reperta esse, Iosephus [a] affirmat. Sed grauior in excidio templi calamitas, cuius expugnationem Titus dum ex Antoniâ turri machinis, & flammis aggreditur, excitato per militem incendio, tot annorum opus, atque Orbe toto celeberrimum perijt, quarto [b] Idus Augusti; quo die iam pridem fuerat à Babylonis Rege aliàs concrematum. Tandem vrbs superior, quæ Sionis dicebatur, est capta, & Hierosolyma excisa penitus, ac flammis abolita sexto [c] Idus Septembris, ipso die Sabbati, vt auctor est Dio [d], obsidione quadrimestri, Iudæorum vndecies [e] centena millia perijsse, historici numerant; atque ex nonaginta septem millibus captiuorum, alij ad opera in Aegyptum missi, alij theatris destinati ad pugnandum cum bestijs, aut triumpho asseruati; qui verò nondum ætatis annum septimum ac decimum attigissent, vnà cum fœminis vilissimo pretio vænierunt, cum nec emptores suppeterent; nec illis nutriendis alimenta. Cæterùm Iudaicam nationem sacerdotio destitutam, & regno, vagam & profugam toto Orbe terrarum, obruêre calamitates, atque à reliquis discretam mortalibus, sceleris antiqui memoria, & inhærens vel corporibus fætor execrabilem fecit, vbique odio generis humani, & miserrimæ expositam seruituti.

Excidium templi.

Et vrbis superioris, dictæ Sionis.

Numerus occisorum, & captiuorum.

Superstes in hunc diē Iudæorum calamitas.

[a] Ioseph. l. 6. de bel. c. 14. & 15.

[b] 10. Aug.

[c] 8. Sept.

[d] Dio in Neron.

[e] Millio e. mus & quingenta millia.

III. Certè vnusquisque referet miserandum exitium, ad patratam sacrilegè Iesu Christi cædem, quem præter sacrorum Vatum testimonia, opera ipsa quæ fecit, & sacramenta, quæ docuit, verum Dei Filium declararunt, missum in terras, vt cælestis iræ piaculum. Itaque qui suauissimum eius iugum detrectarunt, coacti sunt, Romanorum pati tyrannidem, omni vacui dominatu: pro odio concepto ergà sanctissimum humani generis vindicem, vniuersarum in se nationum odium concitarunt: pro conjectis in eum probris, ipsi mortalibus abierunt in probrum: pro cruce vnicâ illi paratâ, plura eorum millia pendere è crucibus Hierosolyma vidit: expuncta denique ciuitas est, quæ Christum Regem abnuisset; & quæ natio innoxium eius sanguinem fudisset, mersa perijt suo. At etiam Iudæorum scelus, poscebat ex alio capite graue supplicium, quòd Iesu Christi Matrem, Dauidicâ è stirpe prognatam, contempsere primùm; deinde ob eius oculos ad crucem stantis, in Filium patibulo affixum, omne genus exercuerecru-

Pœna eorum ex Christi cæde.

Et ex iis, quę peccarunt in Sanctissimā Matrem.

re crudelitatis, iactis vndecumque conuicijs, aceto & felle in potum oblato, adactâ mortuo lanceâ; vestibus in milites sortitò diuisis: & laniato corpore clauis, spinis, flagellis, quæ nullum in membris locum sanitati reliquerant: hæc enim omnia, quæ multiplicatis cruciatibus Iesu Christo maximos cruciatus, & necem indignissimam attulerant; eadem sanctissimæ Matri, quà per aspectum, quà per nuncium accepta, totidem pœnas crearunt in animo, quem ex oraculo Simeonis multiplex gladius pertransiuit. Itaque nemo non videt, vltimo Iudæis illato supplicio, vltam esse diuinam iustitiam, non modò sacrilegum illorum facinus, in diuini Filij cæde, sed scelera etiam in D. Virginem eius parentem admissa. Ideò excisa, & solo æquata Hierosolyma legitur, sexto [a] Idus Septembris, quo die ante annos sex & octoginta natam Deiparam diximus, & consentiunt Ecclesiæ monumenta: itemque scribunt Historici [b], vltimam ingratæ ciuitatis ruinam, in Sabbatum incidisse, diem eidem Virgini dedicatum. Spectans igitur duplici illo titulo ad Deiparam dies, attulit exitium genti, in magnum Liberatorem, & Matrem impiæ: ac præterea (quod animaduertit ingeniosè, Ioannes Baptista Masculus [c]) meritò idem dies extitit Iudæis feralis, & magnæ Dei Matri natalis; vt dolorem, quem huic in Filij morte peperit Synagoga, tandem exusta patria compensaret incendio. Neque illud est negligendum pro re nostrâ; quòd in quâ ciuitate odio est habita Maria Deipara, quæ meritò genitum à se pignus adorauit, in eâ reperta est altera eiusdem nominis mater, quæ filium deuoraret. Denique quantum splendoris adepta est Hierosolyma à diuturnâ habitatione Mariæ, (quæ in templo olim educata, & post Filij mortem in Sionis montem recepta, ibidem diem clausit extremum) tantum calamitatis perpessa est ab eiusdem obitu, non multis post eum annis elapsis capta, direpta, ac penitùs diruta. Cadit in hunc locum, quod ab auctore recentioris memoriæ scribitur, octauum Septembris diem maximè vocalem haberi, vtpotè qui coniunctâ olim excisæ Hierosolymæ infelicitate, cum felicitate ortus Deiparæ; huius quidem votiuam memoriam referat quotannis Ecclesiæ recolendam; alterius verò miserandam cladem ingratæ Synagogæ iugiter prædicare non desinat.

a 8. Sept.

b Iosephus. Dio. vt sup.

c Masculus Encomijs Cælitum, & Fastis Septēb.

Excidiū Hierosolymæ 8. Septembris & Sabbato.

Octauus Septembris dies maximè vocalis.

IV. Aliud huius anni memorandum euentum ex Romanis rebus, proximè ad Iudæorum calamitates accessit, idemque remotè ad amplificandam D. Virginis gloriam relatum videtur. Cum enim Hierosolymæ templum arderet, & pollu-

Capitolii per Vespasianū instauratio.

polluta cædibus sacra, flammis absumenda circumquaque traderentur; id temporis, ò rerum vices! Romæ Capitolium paulò ante ciuili bello combustum, Vespasianus Cæsar magno sumptu restituit. Areæ dedicationem solemni pompâ, & ritibus Ethnicorum factam describit Tacitus [a], sublatumque collo ab Imperatore rudus, & illuc ex veteri ædificio exportatum, Suetonius [b] addit. Ideò in Iudæos toto terrarum Orbe dispersos, ira Numinis sæuijsse magis visa est, dum templi omnium sanctissimi profanationem lugentibus, affertur nuncius, arcem Capitolinam, Romæ veteris gloriam, & robur, sedemque Deorum, paulò ante collapsam, magnificentiùs attolli. Verùm sumptuosa tantæ molis per Cæsarem restitutio, non tam Ioui, aut reliquis Dijs, quam Virgini sanctissimæ Dei Matri cælitùs destinabatur: nam vbi olim Augustus, ignarus quantæ rei proluderet, aram posuisse fertur *Primogenito Dei*, cum monente per fatidicos libros Sibyllâ didicit, cælestem Puerum assidentem Virginis Matris gremio, deinceps regnaturum; ibi peramplum nunc est, Vrbique imminens Deiparæ templum, quod tanquam nuncupationis antiquæ vestigium, *Aram Cæli* vulgò indigitant. Diceres vetus Capitolium, excusso Ioue cum reliquis fictis Numinibus, in hoc D. Virginis templum transijsse, alterum & quidem firmius Romæ præsidium, cuius antiquitatem indicat perantiqua eiusdem Virginis imago, quam delineasse fertur D. Lucas, & ibidem iamdiu colunt, confluentes Religionis causâ Christiani. Per Duces olim suos, expugnator prouinciarum, Orbisque domitor Senatus, Populusque Romanus, in Capitolio tantâ cum magnificentiâ triumphabat, vt spectaculum toties exhibuerit planè dignum, quod magni viri [c] consequentibus deinde sæculis, solâ famâ commoti, eius intuendi desiderium sint professi. Nunc verò Romanis triumphis in fumum dilapsis, superest in eo loco, ac perennis est magnæ Virginis triumphus, quæ nimirum Erebi victrix, serpenti humani generis domitori caput obtriuit, & per eam loci Patronam Romanus Magistratus (qui inibi sedem habet, templumque agnoscit tanquam suum) viam sibi sternit ad Cælitum immortales triumphos; præter innumera beneficia, quæ eiusdem Virginis ope consecutus est, extinctâ non semel pestilentiâ; bellisque compositis, per virgineam imaginem, quæ ibi colitur, Vrbe totâ circumuectam. Neque solum hac parte Capitolini montis, ædem Deiparæ sacram Roma nunc habet, sed in ipsâ quoque Tarpeiâ rupe, quæ ex altero latere, Tyberim respicit,

Cedit in honorem Deiparæ.

Per templũ eius, sub titulo Aræ Cæli.

Templi antiquitas.

Religio.

Et vtilitas.

a Tacitus lib. hist. 4. b Suet. Vespas. 8.

c S. Augustinus.

respicit, imò & ad montis radices, erexit eius generis plures, vt verè dici iam possit; Romanum Capitolium non amplius Deorum sedem, quo nomine appellatur à Tito Liuio [a], sed solium vnius esse Mariæ, quæ reuerà Romæ semper adest, & sanctam protegit ciuitatem.

Alia in eodē colle, & ad radices Deiparæ templa.

a T. Liu. dec. 1. l. 1.

Annus Christi 73.
B. Virg. Natæ 87. Lini Rom. Pont. 4.
Et Assump. 15. Vespasiani Imp. 2.

I. DEbellatam anno superiore Iudæam, euersamque penitus Hierosolymam, excepit proximè Titi victoris de profligatâ natione triumphus, qui & celeberrimus fuit, & nonnulla habet, quæ referri maximè ad illustrandam D. Virginem possunt. Sacra Hierosolymitani templi monumenta in triumpho Romam allata, & Iudæorum primates cum viris septingentis, robore & formâ præstantibus, post currum triumphantis more captiuorum adducti, pompam cæteroqui magnificam, quâ Titus in Capitolium ascendit magis spectabilem reddiderunt. Inter sacra templi cimelia tunc in Vrbem aducta, fuere plura, haud dubia Iesu Christi symbola, eademque tanquam typos Mariæ Deiparæ, agnouere identidem Patres: & præcipuè triumphum ornabant lapideæ tabulæ [b], quibus descriptam Dei digito legem Moses Iudæis exhibuit; septenæ lampadis [c] candelabrum ex auri talento, quod iugiter ad sanctiorem templi recessum præluxit; aurea [d] mensa offerendis Deo panibus posita; geminæ tubæ [e] statis anni quinquagesimi solemnijs nunciandis adhibitæ; virga [f] Mosis miraculorum effectrix; & altera [g] Aaronis, quæ in signum collatæ diuinitùs dignitatis, floruit suprà vires naturæ. Hæc omnia Encomiastæ sacri, seu voce, seu scripto, ad mysticas Deiparæ Virginis significationes detorquent; quoniam illa animo & corpore, tanquam geminis tabulis, exactissimam prætulit obseruantiam diuinæ legis, quam intus in eius corde, & foris in opere digitus Dei descripserat: eadem septeno præuenta Sancti Spiritus lumine, iugiter arsit ad Verbum diuinum humanâ carne vestitum, quod instar Sanctuarij, diu habuit domi. Ad exhibendas Deo piorum oblationes, in aureæ mensæ locum successisse videtur. Præterea ità vixit, vt tam eius locutio, quam silentium, instar tubarum; iugem in cælo feriationem, æternamque, Christi sectatoribus, quietem nun-

Titi de Iudæa victa triumphus.

Hierosolymitani templi monumenta Romam adu cta.

Relata à coronatoribus ad Deiparā.

b Exo. 31. v. 18. & 34 ver. 4.
c Exo. 25. ver. 31.
d Exo. 35. ver. 13.
e Leuit. 25. ver. 9.
f Exo. 14. ver. 16.
g Num. 17 ver. 8.

ciarint. Denique miraculis virgam Mosis, & non flore solum, sed fructu pretiosissimo alteram Aaronis superauit. A sacris illis monumentis, quæ tot tantasque significationes prætulerant, quantum triumpho decus accesserit, nemo non videt; cum præsertim ignarus mysteriorum Titus, instinctu Numinis ea Romam deferret, quò excisâ Hierosolymâ migrabat Religio, Iudaicæ pietatis, ac magnificentiæ reliquias, seruatura deinceps in Vrbe, quæ in Catholicæ Ecclesiæ caput destinabatur. Quemadmodum verò dixit ad innumeras Iudæorum clades ipse victor, se non auctorem fuisse tantæ victoriæ, sed ministrum dumtaxat iræ diuinæ, quæ haud dubiè in victos grassata, vltimum illis exitium attulisset: ità sacratiorem quoque templi supellectilem Romæ per triumphum exhibitam; non suo sed diuino consilio tribuere potuisset.

Quam opportuna eorum translatio.

II. Sed dubium est, an in eâ sacri thesauri prædâ, fuerit Arca fœderis, quæ magnæ fuit apud Hebræos religionis, atque vt in Apparatu docuimus, typus expressior D. Virginis, non legem scriptam, sed Verbum Dei corporatum vtero complexæ. Aliqui id affirmantes facilè refelluntur, tum ex testimonio Iosephi [a], qui sacra vasa singillatim adnumerans, à Tito in Vrbem aduecta, illius Arcæ non meminit, cum cæteroqui ob cultum nominari ante omnia debuisset; tum etiam ex auctoritate, quæ maiorem vim habet, sacrarum litterarum: legimus enim in libris Machabæorum [b], Iudæis olim captiuis Babylonem abductis, in ipso itinere præscriptum à Deo Ieremiæ fuisse, vt in monte Nebo, quem Mosis [c] funus iam pridem nobilitarat, altare thymiamatis cum arcâ fœderis sub terrâ absconderet: quod cum fecisset Ieremias, nonnullos explorantes depositi locum, acriter reprehendit, negauitque futurum, vt ea sacra pignora lucem aspicerent, nisi quando in vnum Dei populus iterum coiuisset, conciliato sibi per pænitentiam Numine; quod sacri Vatis oraculum, Epiphanius [d], vnàque Dorotheus [e] de mundi fine intellectum volunt, quando Enocho [f] & Eliâ de suo recessu ad concionandum eductis, sequetur conuersio Iudæorum ad Christum, quam Isaias [g] prædixit. Hinc itaque conficere licet; eo tempore, quo perijt ab hostili incendio Hierosolymæ templum, ibi arcam fœderis non fuisse: neque enim obstat, quod hic obijcit Augustinus [h] Torniellus, ratus à Iosepho, spolia templi recensente, à Romanis asportata, nomine legis, arcam quâ illa seruabatur, intelligi; cum id de tabulis legis dictum esse, congruentius videatur; neque præterea afferri in contrarium potest Aggæi [i] vaticinium,

An inter ea fuerit Arca fœderis.

Probatur esse ibi non potuisse.

Obiectis occurritur.

a *Ioseph de bello lib. 7. cap. 24.*

b *Machab. l. 2. c. 2. v. 4.*

c *Deut. 34. ver. 5.*

d *Epiph. de vita Ierem.*

e *Doroth. in Synopsi.*

f *Apoc. 11. ver. 3.*

g *Isai. 10. ver. 21.*

h *Torniellus ann. sacr. an. mun. 3885.*

i *Agg. 2. v. 10.*

cinium, apertè nunciantis; nouissimi templi gloriam, maiorem, quam primi, futuram; quoniam intelligendus est locus de vera Iesu Christi præsentiâ, qui templum deinde, suâ promulgatâ doctrinâ, editisque miraculis illustrauit, ità vt illud altero non indigeret oraculo. Quod si visus Zachariæ sacerdoti Angelus, apparuisse dicitur [a] *à dextris altaris incensi* hoc aliud fuisse oportet, ab eo quod Moses fecit, & Ieremias abscondit, cum excitandum fuerit nouum altare, ad obseruantiam cæremoniarum, & rituum legis antiquæ.

a *Luc. 1. v. 11.*

III. Inter alias, quæ in auctarium doloris, Iudæis superuenere calamitates, non vltima fuit, ad Vespasiani iussum Dauidicæ stirpis excisio, cum quotquot ex ea reperiri potuerunt, ad vnum omnes sint trucidati: quæ enim familia Regum olim Ducumque fæcunda, post antiquitatem clarissimi generis, Mariam denique & Christum dedit; illa exceptis iis, qui Christiana sacra susceperunt, degenerauit à se ipsâ. Quare ne probrum redundaret in proauos, diuino planè consilio excisus est truncus: licet reuerà Vespasianus vaticinia metuens, quæ ex eâ oriturum præcinebant mundi Regem, vt sortes eluderet, extirpandam curauerit. Vniuersa verò Iudæorum natio, quæ superfuit, præter innumeras clades, exuta regno, natalem reliquit terram, Romano licitan[d]e distrahendam, & coacta deinceps est, soluere in tributum Ioui Capitolino didracma, quod antea templo soluebat, exclusa per magistratus à militiâ, atque ab omni munere publico, priuilegioque vel barbar[i]s concesso. Insuper æternùm captiua redimere à militibus auro consueuit, annuum ad euersæ patriæ locum accessum, & repetitam tantæ calamitatis larga lacrymarum profusione memoriam. Denique expressum in se gerens perpetui dedecoris signum, vt olim Caino [b] legitur factum, vbique gentium profuga, & quasi charactere notata diuinæ vltionis errauit. Interim triumpho Titi magnificentissimo, gloriæ plurimum & plausus accessit à Ducibus Iudæorum præcipuis, alijsque captiuis post currum triumphantis inter catenas & vincula ad ostentationem ductis; qui cruciatuum memores à maioribus quondam suis Christo illatorum, odij fuerant in Christianam gentem hæredes, nec Virgini Deiparæ pepercerant, quam vna cum Filio iam videbant vbique terrarum honorari. Fuit inter captiuos Duces Iosephus, Matathiâ genitus, Iudaicæ scriptor historiæ, quam cum captiuus retexeret, suæ nationis rituum vel tenacissimus, insigne de nostri generis vindice Iesu Christo edidit testimonium [c], à nobis intrà recitandum,

Persecutio Dauidicæ stirpis per Vespasianū.

Alia Iudæorum miseria

b *Gen. 3. v. 16.*

Captiui duces in triumpho Titi.

Atque inter eos Ioseph is Iudæorum historicus.

c *Ioseph. l. 18. Antiquit. c. 4.*

dum, & benè in hoc egit historici partes, cuius est sincerè & candidè veritatem afferre; licet aliàs Vespasiano adulatus, Prophetarum de æterno Rege vaticinia ad illum detorserit. Considerabat historicus, vltore Numine Iudæam dilabi, quam instar matronæ infortunia sua in squalore lugentis, incisa Cæsaris iussu numismata præferebant; & è contrario cætum Christianorum augeri, Christo, vt Dei Filio, eiusque Matri templis erectis: itaque mirum non est, si pro personâ, quam gereret, vtriusque honores non potuerit diffiteri.

Arcus Titi nunc ex parte superstes.

IV. Superest adhuc Romæ insigne monumentum eius triumphi, quem Titus duxit, marmoreus arcus erectus ad Palatini montis radices, in quo fornix & latera ità sunt conformata, vt sculpta vtrinque cernantur sacra spolia de templo sublata, quorum suprà meminimus, triumphantis in curru effigies, ac turba in vinculis insignium captiuorum. Sed placuit deinceps Christianis, vocare Deiparam in partem eius victoriæ, quam de Iudæis reportatam, Numini in victos grassanti, Titus ascripserat, vt intelligerent posteri; hunc de Iudaicâ natione triumphum, D. Virgini quoque deberi. Ideò ad gemina arcus eiusce latera, duo illi erecta sunt templa; alterum quidem in ascensu Palatini, hodie destructum [a], quod cum totâ viciniâ nomen duxit à Pallade, ob eius Deæ simulacrum allatum ex Græciâ, atque inibi in delubro Victoriæ collocatum, quod nempe delubrum Christiano ritu expiatum, Romanorum pietas Dei Matri sacrauit, addixitque Monachis Græcis, qui diu ibidem peramplum habuere cænobium sub nomine Palladij; nunc tantum superest nuncupatio, & pauca Mariani templi vestigia vix apparent. At verò magnificentior sacræ ædis moles in honorem Deiparæ attollitur ad alterum latus eiusdem arcus, cui nimirum imminens, notatum in eo triumphum D. Virgini ascíscit, cum illa in Dracone victo, omnes Filij sui hostes, & præsertim Iudæos domuerit. Censent aliqui [b] hoc ipsum templum, ex ijs vnum, quæ dedicasse fertur S. Syluester, ideoque S. Mariæ Antiquæ appellationem ab Anastasio Bibliothecario illi tributam volunt: sed à Ioanne primùm octauo summo Pontifice, qui ibi ad triennium habitauit; deinde à Leone Quarto, & Nicolao primo instauratum, posteri S. Mariæ Nouæ titulo nominarunt. Locum sanctiorem reddit perantiqua tabella [c], D. Virginis effigiem præferens, vti creditur, à S. Lucâ depictam; dum Apostoli Pauli peregrinationum comes, Troadem lustraret; atque inde in hoc Vrbis templum ab Angelo Frangipanio

Cedit in Deiparæ gloriã.

Ob gemina templa.

a Panciro-lus in Thesauris absconditis Vrbis p.102

b Idem Pãcir. in Templo S. Mariæ Nouæ.

c And. Victorel. in Mem. Deipar. p. 6. c. 8.

panio allatam; vbi cum diu publico Fidelium cultui patuisset, transferri aliò semel ad tempus debuit, dum reficeretur lapsus ab incendio paries, cui innitebatur. Itaque ad Capitolij radices deposita, in æde S. Adriani; dum prohiberent armati ciues, ne illinc amoueretur; animaduersum est, puero monente, eam vltrò ad priorem locum, absque mortalium operâ, rediisse. His alijsque signis non semel illustratus est locus, & cum Titi gloria iam euanuerit; in eius arcu superstite, tanquam in veteris victoriæ monumento, videtur nunc de Iudæorum perfidiâ triumphare Maria.

Ingens Marianæ imaginis miraculũ.

V. Ex rebus Romanis, quæ in hunc annum cadunt, nouum occurrit Vespasiani Cæsaris consilium, de templo pacis post debellatam Iudæam ædificando: & perlata Romam ex Palæstinâ in triumpho balsami arbuscula, in quam, ait Plinius [a], sæuiere Iudæi, cum perdere eam mallent, quam ab hostibus diripi: contrà defenderunt Romani, & pro frutice dimicarunt. Sata deinceps à fisco, & mole procerior fuit, & redundantiâ balsami, Solino [b] teste, fæcundior. Templi quidem ædificium in honorem pacis aggressus est Cæsar, quòd videret; vnius anni spatio, quatuor tyrannis occisis, debellatisque Iudæis, partam, firmatamque sibi in imperio pacem, ac Isaiæ [c] vaticinium: *Princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis*: deceptus ab adulatoribus, ad se detorqueret: cum potius eiusmodi monumentum, cuius molitionem Imperator cogitabat, vel ipso ignaro sui operis, referendum fuerit ad pacem à Christo Rege fundatam, interuentu Deiparæ id temporis in Fidelium cœtum inductam, ac nonnisi per eorum cædes, Romæ firmatam, quando à Iudæis persequentibus, atque à Neronis gladio nullum erat periculum; imò per Vespasianum ac Titum respirare licebat. Certè iam tum in trophæum Deiparæ ea moles destinabatur, quam hodie videmus collapsam, erecto proximè Virginis templo, & vnicam eius striatam columnam, quæ integra supererat, statuæ virgineæ in Exquilino colle subiectam. Illum verò balsami fruticem ex Palæstinâ Romam aduectum, licet in expressum D. Virginis typum accipere. Hæc ex Iudæâ fuit, vt ille; odorem Cælitibus gratissimum exemplo vitæ semper dedit, experta non semel Iudæorum sæuitiem in filio, & in se; excepta Romæ, defensa, in honore habita; & quæ antea satis fæcunda fuerat in vnico fructu, instar balsami ad sananda nostræ mortalitatis vulnera effuso; nunc nouos enixa Christianorum partus, feracitatis est fætæ semper, nunquam effætæ.

Vespasiani consiliũ de Templo pacis, & balsami arbor, in triumpho aduecta.

a Plinius l. 12. hist. nat. cap. 25.

b Solinus in Polyhist. cap. 38.

c Isai. 9. v. 7.

Illa de templo pacis cogitatio in honorem Deiparæ cessit.

Ex balsami frutice eiusdem typus.

Annus

Annus Christi 74.
B. Virg. Natę 88. Lini Rom. Pont. 5.
Et Assumptę 16. Vespasiani Imp. 3.

Plures Hebræorum sectæ inter ærumnas non deseruere perfidiam.

I. IVdæis superiore bello magnâ ex parte deletis, non eorum est deleta perfidia; cum sectæ eædem Scribarum, Pharisæorum, Sadducæorum, aliæque plures, quamuis destitutæ viribus, primum nihilominus retinuerint virus in Iesum Christum, & Virginem matrem; itaque non animum illæ, sed nomen mutarunt, & aliquæ impositâ sibi Christianorum personâ, ijs adhæserunt, vt vitarent nationis infamiam, ac sese probris subducerent populorum. Samaritæ ac Nazaræi, non ex antiquo instituto, sed nouiter quodammodo cusi, receperunt Euangelicæ legis iugum, suâ nequaquam dimissâ, quasi verò possent Hebræi simul esse & Christiani, neutris accensendi. Reliqui tanquam vnius corporis membra, sub Ebionis [a], & Cerinthi Hæresiarcharum vexillis recepti, Christi diuinitatem, & Matris virginitatem pernegarunt. Accessere in eandem sententiam alij ex Iudæis, quotquot suorum pertæsi calamitates, mutato tantùm nomine, mordicùs retinuere perfidiam. Dicebant, fieri minimè posse, vt saluâ matris virginitate filius nasceretur: non animaduertentes, miraculum hoc superans naturæ vires, omnipotentiæ diuinæ deberi, quæ vel ipsis fatentibus, primam eduxit ex Adami costâ mulierem, terram formauit in hominem, expressit ex lapidibus aquas, aliàque quamplurima signa patrauit, quorum fidem faciunt sacræ paginæ, præsertim instrumentum vetus, ab ijsdem admissum; quoniam, teste Gabriele Archangelo apud Lucam [b], *non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Vicit Maria peruicaciam gentis, ex quâ tanquam ex vitiatâ radice pullulantes hæreses interemit, per sacros primùm Doctores, quos labentia subinde sæcula protulerunt, Ioannem Apostolum & Euangelistam in Asiâ, Irenæum, Tertullianum, Origenem, Epiphanium, aliosque; deinde immissâ sæpiùs de cælo vindictâ in ipsos perfidiæ auctores, sumptum de Ebione supplicium scribit Epiphanius [c], de Cerintho Eusebius [d], & Irenæus [e]; de ambobus, magnâ inter se morum, doctrinæque similitudine coniunctis, Baronius [f], cum per subitum balnei lapsum, prædicente ruinam S. Ioanne, aut alteruter, aut vterque est oppressus.

De Samaritis ac Nazaræis.

Hæretici negantes virginitatem Mariæ.

Pro Deiparę virginitate argumenta.

De Hæreticis Mariæ victoria.

a Niceph. l. hist. 3. c. 13

b Luc. 1. v. 37.

c Epiphan. hær. 10.

d Euseb. hist. l. 3. c. 25

e Irenæ. l. 3 cap. 4.

f Baro. Annal. to. 1. ad an. Chr. 74 num. 9.

II. Re-

II. Referunt in hunc annum Hagiographi, vltimum certamen, ac triumphum S. Martialis Lemouicensium Antistitis, missi ab Apostolorum principe in Gallias, vt eo Christianæ fidei semina iaceret. Pertinet is peculiari iure ad Mariam, si quid auctoritatis habet peruetusta traditio, quam ex Christophoro Castrio suprà posuimus: ea enim docet, Martialem fuisse Diuæ Virginis consanguineum, vtpotè genitum ab Eliudó, Esmeriæ filio, quæ creditur S. Annæ soror. Ille ex tantâ cognatione in Christi disciplinam admissus, post huius ad superos reditum adhæsit Petro, à quo destinatus operi conuertendarum animarum, venit cum ipso Apostolorum Principe Romam, habitauitque aliquando domum in viâ latâ, ad quam domum diuertisse pariter cum Paulo Lucam suprà docuimus. Ex hac ante Pauli aduentum ab inhabitante Petro missus in Gallias Martialis creditur, vt eruditè probat Florauantes [a] Martinellus edito commentario. Illi debent Christianæ Religionis susceptæ beneficium Lemouicenses, Tolosani, Burdegalenses, Cadurcenses, Aquitani, & quotquot à Rhodano in Oceanum vergunt; cum vir sanctus, mortuos ad vitam reuocasset, vnius baculi tactu, quem à S. Petro adhibitum, dono ab eodem acceperat. Hinc animis insita Christi fides, illicò progerminauit in studium ac pietatem ergà Virginem matrem, quæ humanæ libertatis assertorem pepperisset. Quæsita à pluribus eius exemplo virginitas, pro quâ Martiale institutore nobilissima Virgo Valeria [b], insignes nuptias, vitamque despexit. Nam sub D. Virginis vexillo recepta, & per eam Iesu Christo desponsa, Stephanum Aquitaniæ Principem, à quo in vxorem expetebatur, constantissimè est auersata: ille verò repulsæ impatiens, vsque adeò in iram excanduit, vt puellam tanto prius petitam ambitu, carnifici subiecerit, securi percutiendam. At seruatam ad sanguinem vsque virginitatem, excepit illicò insigne miraculum, dum virgo ipsa, amputatum sibi caput, atque in terram collapsum, sustulit manibus, & rectà ad aram portauit, in quâ rei diuinæ Martialis, eius institutor intentus, sacra mysteria perficiebat. Hîc truncum illud corpus, vitâ destitutum, flexis humi genibus caput suum Antistite mirante deposuit, tanquam Deo gratissimum seruatæ virginitatis trophæum, & verè lilium, quod Virgini Deiparæ protulit institutio Martialis. Neque hic miraculi finis; spectaculo commotus carnifex Valeriæ percussor, & Princeps qui cædem iusserat, vnà cum quindecim hominum millibus, sancti Antistitis manu Christiana

sacra

De S. Martiale Lemonicẽsium Antistite.

Et D. Virginis consanguineo.

Eius miracula, & labores.

S. Valeria Virgo ab eodem instituta

Insignis Martyr.

Cum miraculo delati ad aram capitis.

Et cõuersione carnificis, Tyrãni, aliorumque.

[a] Florau. Marti. lib. inscr. Primum Gratiæ Trophæum erectum in via lata à S. Petro.

[b] Gregorius Turon. hist. l. 1. cap. 29. Episcopus Equilinus l. 6. cap. 29.

sacra suscipiunt. Hoc eodem anno, ipsemet Martialis, miraculorum gloriâ clarus, expiatâ à sacrilego Deorum cultu magnâ ex parte Galliâ, ab Ethnicis [a] interemptus, veræ Fidei, ac Religionis victima cecidit, quem vti Deiparæ ex memoratâ traditione cognatum, hoc ornamus elogio.

S. Martialis Martyrium.

a Martyrologium Rõ. 30. Iun.

Et Elogium.

Suspice Martialem
Apostolum tuum ò Gallia
Verè Phosphorum tibi è cælo delatum
Quèm Maria Deipara, & Petro Apostolorum Principi debes;
Illi pietate & sanguine: huic disciplina coniunctum;
Aperto Marte cum viuis, mortuisque congressum.
Superstitionem ab Ethnicis, doctrina,
Mortem à cadaueribus expulit S. Petri baculo.
Ducens vtrobique triumphum
Ad quem pertinet Valeria Virgo.
Recisum sibi caput, ad aram præferens,
Et virginitatem in illo suam pro victima.
Dona vtique Deo oblata
Caput in manibus Sacerdotis
Virginitatem ad Mariæ pedes.
Suum deinde sanguinem fudit Sanctus Antistes,
Vt in ea veluti purpura pulcriùs triumpharet,
Oblatoque magnæ Dei Matri, virginis à se instituta lilio.
Candidus [b] idem & rubicundus
Sub diuini sponsi schemate appareret.

b Cant. 5. vers. 10.

III. Promulgatum est sub hoc tempus à Vespasiano Cæsare aduersus Philosophos edictum, per quod teste Dione, non tam litteraturæ nobilissimæ professores, quam Cynicæ libertatis amantes, & philosophiæ prætextu inutilia, noxiàque docentes, eiecti ab Vrbe sunt. Id lenissimi Principis non lene consilium, eò referunt Historici, vt castigatam dumtaxat velint, seditiosorum contumaciam, qui gratiam apud vulgus aucupantes, spargerent in populum simultates, & odia in dominantes. At gloriosiùs feliciùsque Deipara, insurgentes vndecumque Hæreticorum sectas ità repressit, vt sola interemerit multorum capitum hydram, primùm diuino Iesu Christi conceptu, qui est sapientia æterna, & vera aduersus mundi tenebras lux; deinde sacris Doctoribus iugiter institutis in Hæreticam prauitatem, vt tanquam impiorum Antagonistæ, veram fidem linguâ & calamo, sartam tectamque seruarent.

Vespasiani edictum de Philosophis ab Vrbe pellendis.

Opponitur Deiparæ Hæresim profliganti.

Eiusce

Eiusce veritatis suis locis afferentur testimonia: nunc satis esto, decantatum ab Ecclesiâ celebre encomium [a]: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo,* cuius nos laudis meminimus, occasione edicti à Vespasiano aduersùs Philosophos promulgati, illi opponentes Deiparæ præstantiam in Hæreticis profligandis.

a *Antiphona ex Officio B.Mariæ.*

Annus Christi 75.
B.Virg.Natæ 89. Lini Rom.Pont. 6.
Et Assump.17. Vespasiani Imp.4.

I. QVo tempore Apostolorum aliqui, adhuc in viuis superstites, & Apostolici viri complures, ex eorum institutione discipuli, sub Deiparæ patrocinio, vineam Domini toto terrarum orbe diffusam, excolebant; eodem [b] Ethnici Philosophi, suas pariter iniere peregrinationes; habitis vbique ad populos de vitâ rectè instituendâ sermonibus, deprauatos ciuitatum mores, vt dicebant, emendaturi. Sed eò tendebat vanorum hominum labor, vt cum auitâ superstitione constantissimè retentâ, vitæ sanctitatem coniungendam esse contenderent: cum cæteroqui Christianorum in agendo moderatio, atque ad prudentiæ regulam exacta locutio, vel testimonio Ethnicorum ad sublimioris philosophiæ genus pertinerent, eamque doctrinam omninò saperent, quam Christus Dei Filius promulgasset. Si qui verò Sophistarum, sapientiam ostentantium, moribus essent minus corruptis, dum seriò spectarent doctrinam, vitamque Christianorum, ijs maculis, næuisque carentem, quibus reliquæ philosophantium sectæ abundarent; cognitâ faciliùs veritate, accedebāt ad Christi partes, professi tandem, neminem sapere posse, extrà eius legem ac disciplinam; & nominatim ergà Virginem Matrem, quæ salutis Auctorem mundo genuerat, pietatis & obsequij non vnum specimen statim dedere. Neque enim poterant, aut nosse salutis nostræ mysteria, aut amore Christi flagrare, quin & sanctissimam eius parentem agnoscerent, atque ad eam colendam peculiari studiò raperentur, cum quæcumque ad filium pertinent, ea quoque matrem attingant.

Apostolici Sanctorum labores.

Ab Ethnicorum Philosophorum peregrinationibus discrepantes.

Facilis ad Christianam fidem conuersio aliquorum Philosophorum.

Cōuersorum ad fidem obsequia ergà Deiparam.

b *Ita notat ad hunc annum Card. Baronius.*

II. Id sanè compertum est in Apollinari, qui sub hæc tempora, cum Erebi ministris insigne certamen aggressus, innumeris laboribus exantlatis, & vario [c] per multos annos tormen-

De S.Apollinari Martyre

c *Ex actis S.Apollinaris.*

tormentorum genere ab Ethnicis excruciatus, inter flammarum incendia, & lapidum ictus, in ærumnis carcerum & equulei torturâ, inuictum se Christi athletam & Mariæ clientem probauit: inter eius enim miracula recensetur puella nobilis iam exanimis ad vitam reuocata, & posthabitum ab eâdem coniugium virginitati, per quam sancti viri suasu merens sub Mariæ signis, mundi calcauit illecebras. Et sanè retulit à Diuâ Virgine gratiam Apollinaris; cum erectum deinceps Romæ suo nomini templum, atque expiatum iam pridem à profano Apollinis cultu, præcipuè ab ipsâ Dei Matre viderit honoratum, vbi depictam in porticu, ante ædis sacræ vestibulum, imaginem illa suam, geminis Apostolorum principibus mediam, coli à Fidelibus diu voluit: nam sæculis aliquot post primam templi molitionem elapsis [a], cum ex instituto Basiliano monachi Græci, ad vitandam persecutionem Leonis Isaurici Imperatoris iconoclastæ, Bizantio Romam profecti; quinque Sanctorum Martyrum corporibus, clam inde secum asportatis; Adriani Primi summi Pontificis, qui templum instaurauerat, iussu, illud curandum suscepissent, expressam pro foribus effigiem Deiparæ, vnàque pueri Iesu materno gremio insidentis, obiecere populis venerandam, quasi pro S. Apollinari, magnæ Virginis olim cliente, excubantem. Eò processit sacræ iconis veneratio, vt monachis sub Vrbano Quinto Pontifice, à Ioanne Palæologo Imperatore Bizantium reuocatis, substituti in ædis procurationem Canonici, cultum summopere amplificarint; & proximè habitans Cardinalis Rothomagensis, ardere diu noctuque iugiter lumina ad imaginem iusserit, festumque Virginis in cælum Assumptæ diem, quotannis ibidem solemniter celebrari. Verùm deinceps, quæ calamitas temporum fuit, sacram illam templi porticum tanto monumento insignem, militaris licentia polluit; nam anno salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto, cum Carolus octauus Galliæ Rex, in Italiam cum ingentibus copijs descendisset, Romæque moraretur Neapolim periturus; ex distributis per Vrbis regiones militibus, ij qui ad D. Apollinaris excubabant, violatam compotationibus, alijsque sceleribus porticum adeò deformarunt, vt Canonici obstruendas templi portas ab eâ parte censuerint, & in ipsâ porticu Marianam imaginem nouo tectorio obducendam. Neque verò scelera militibus cesserunt impunè; ortâ enim Romæ id temporis militari seditione, qui coram icone sacrosanctâ peccauerant, ad vnum omnes sunt obtruncati. Ad

hæc

Quam is fuerit Deiparæ gratus.

De Imagine Deiparæ ad D. Apollinaris depicta.

a Ex Francisco Maria Vannio Canonico in Ephemeridi.

Quanto illa in honore fuerit.

Malè à militibus deinceps habita.

Nec impunè.

hæc cum ab Vrbe copias Carolus in Campaniam eduxisset, quæ templi portæ prius obstructæ fuerant, illicò reductis cæmentis patuere, atque in porticu parietibus iterum, iterumque dealbatis, sacra imago multis annis mansit abscondita; at nostro tandem sæculo, quo mandamus hæc litteris, per subitum calcis superinductæ lapsum, paulò ante rursus innotuit,& nouis in dies magnisque signis clarescit, quorum testes sunt oculati complures, vt alibi Deo volente dicemus. Interim ratum hoc esto: illustrari à Deiparâ D. Apollinaris in Vrbe templum; vt inde coniecturam facere liceat; quam gratus ille D. Virgini in certamine olim pro Religione inito fuerit, reuocatæ ab inferis puellæ auctor seruandæ virginitatis. Cætera ad loci honorem, atque ad Collegium præsertim Germanicum, & Hungaricum, quod eò successit, spectantia, argumento sunt; ibidem ali ex vtrâque natione selectissimos iuuenes, sub Virginis Deiparæ ac D. Apollinaris patrocinio, vt morum integritate, & spiritu Apostolico imbuantur.

Diu mansit abscondita, ac tandem iterum patefacta.

Collegium Germanicū & Hungaricū

III. At verò Eleucadij ad Christianam fidem conuersio, fuit quidem fructus concionum, quas Rauennæ habuit Apollinaris, sed interuentu Deiparæ filium exorantis perfecta creditur, quoniam, ex doctrinâ Patrum, accessuris ad Christum præstò semper D. Virgo fuit, clementiæ & salutis mater. Itaque eximio de Platonis scholâ philosopho, quem Christus ad se per Apollinarem vocauit, insinuata est excellentia Christianæ philosophiæ, quâ tandem imbutus, magistro suo persimilis, probauit illicò se Mariæ clientem, cuius virginitatem à conceptu, partuque illibatam, non ex platonicis ideis, quibus assueuerat prius, sed ex creditis veræ fidei mysterijs, scripto volumine confirmauit [a]. Animus ad Euangelicam veritatem recipiendam expeditus & facilis, ex eo vim acquisiuit, quòd sciendi vera percupidus, in arcana se philosophorum adyta penetrauit, vbi fucatam Ethnicorum sapientiam videns, minimè carere fallacijs, à quibus recta ratio dissentiret, & è contrario quæ Christus per suos præcones doceret, labis esse purissima, vitæ regulam sanctioris, sequentium multitudine confirmatam: quare pedicis extricatus, vltrò conuolauit ad Christi signa, & superstitionem veterem eiurauit, dignus præterea, qui columbæ de cælo delapsæ indicio, tertius post Apollinarem Rauennæ renunciaretur Antistes. Vsque adeò Christianæ Religionis sanctitas insinuatur facilius ijs, qui veritatis indagandæ flagrantes, studijs cognitionum se dedunt, nec vitam interea ducunt, à rationis præscripto aberrantem. Vidimus

S. Eleucadii conuersio.

Qui librum scripsit de Virginitate Deiparæ.

Eius facilitas ad fidem recipiendā vnde orta sit.

a Hieronÿ. Rubeus Hist. Rauen. lib. 1.

Probatur exemplo recenti Christinæ Suecorũ Reginæ,

mus nostro hoc æuo exemplum eiusce rei semper apud posteros memorandum, quo Christina Suecorum Regina, cuiuscumque generis litteraturæ amantissima, hæreditarij regni administrationem, seuerioribus studijs, lectione Sanctorum Patrum, & antiquitate peruestigandâ condiens, thesaurum inuenit hæreticis absconditum, cum animum cognitione veritatis imbutum, ab hæresi auitâ ad Catholicam Religionem conuertit: quare sponte se regno abdicans, ad vera Christi signa confugit, Romæque ad pedes accidit Alexandri Septimi summi Pontificis, abiecto gloriosior sceptro, quam gesto; & pro Sueciæ regno ad securitatem nacta Ecclesiæ gremium, vbi patronam habet Dei Matrem, cui post Christum, & suæ beneficium conuersionis debet, id ipsum vltrò professa cum sacrosanctam Lauretanæ Virginis domum inuiseret.

S. Thomæ Apostoli Martyrium.

IV. In hunc annum quintum & septuagesimum ab ortu Iesu Christi, placet referre, D. Thomæ Apostoli, Mariæ Deiparæ cum reliquis addictissimi, vltimum in Vrbe Meliapore, certamen; non quòd ea temporis nota sit certa, cum ex idoneorum testium defectu apud probatos auctores manserit dubia: sed quòd ex Onuphrio Panuinio Petrus Ribadeneira, qui diligenter ex verioribus testimonijs, Sanctorum acta descripsit, illam asserere non dubitauerit; nec videatur vero dissimile, saltem circà hæc tempora, perillustre Apostoli martyrium accidisse. Ergò Thomas pluribus Orbis terrarum regionibus perlustratis, penetrauit in Orientalem Indiam, quò secum deportasse fertur [a], D. Virginis, puerum Iesum sinu fouentis, effigiem, vt annunciato ijs populis, Dei hominis facti mysterio, sanctissimam tanti partus Matrem indicaret; cuius fortasse imaginem Cranganore ab vno è tribus Magis collocatam, & suprà à nobis ex Hieronymo Osorio memoratam inuenit. Imò vt facilius populos ad Christum duceret per Mariam, Petri Apostolorum Principis exemplo creditur apud Indos, eiusdem magnæ Matris titulo templa fundasse; quorum præsertim vnum Meliapore non sine miraculo extructum, illius nomini fuisse dicatum, ea ratio persuadet; quòd Apostolus semina pietatis in D. Virginem, iam pridem à primis Christi infantis adoratoribus Magis, in eas regiones iacta perspiceret; censeretque hoc peculiare ergà cæli Reginam obsequium, rei Christianæ augendæ, summopere profuturum. Ingens in eâ templi molitione miraculum memorant Indorum [b] historiæ. Immensę magnitudinis trabem è mari eiectam ad lictus profano vsui destinauerat vrbis princeps; sed

Imago Deiparæ à S. Thoma in Indiã deportata.

Extruit Deiparæ templũ.

[a] Bartholomæus Pisanus, de Laudibus Virginis lib. 5. fructu 8. & Hippolytus Maraccius Apost. Mariæ in S. Thoma.

[b] Io. Petrus Maffeius Histor. Indic. lib. 2.

mouere loco præuaſtam molem non artificum conatus vlli, non admotæ machinæ, non elephanti potuerunt. Spondet Thomas ſe moturum; modò in ſacræ ſtructuram ædis, Meliapore inchoatam, ingens ille truncus ſibi concederetur: acceptâ conditione cum Rex per ludibrium annuiſſet: Apoſtolus ope diuinâ fretus, Zonâ quâ erat præcinctus ad prominentem è caudice ramuſculum annexâ, factoque Crucis ſigno; tractam feliciter molem per milliaria decem, illicò intrà pomœrium ſtatuit. Perfecto denique in Chriſti honorem ac Deiparæ templo, crucem erexit, vbi memorandum edidit vaticinium; poſt multos nimirum annos, cum eò loci ſuos mare limites extendiſſet, venturos ab Europâ nouos euangelicæ legis præcones, qui plantatam iam pridem in Oriente Chriſti vineam, ac temporum lapſu penitus ſilueſcentem, iterum excolendam ſuſciperent; quod vaticinium impletum creditur, cum S. Franciſcus Xauerius, alter à ſancto Thomâ Indiarum Apoſtolus, illuc Pontificiâ auctoritate miſſus, in populis ab Orbe noſtro propemodum diſſitis, iterum Chriſtianæ fidei lumen accendit: quo tempore compertum eſt, erectæ à S. Thomâ Cruci, mare appropinquaſſe; ac templum illud ab Apoſtolo excitatum, profligatâ rurſus idolorum ſuperſtitione, reſtitutum eſſe Chriſto, eiuſque Sanctiſſimæ Matri. Conſtans autem eſt earum gentium fama; ipſum S. Thomam poſt decurſa terrarum vaſtiſſima ſpatia, populoſque ſalutari lauacro expiatos, in fidei teſtimonium, quam euulgarat, lanceâ traiectum cecidiſſe, in eâdem vrbe Meliapore; vbi & amoris in Chriſtum, & pietatis in Deiparam inſignia reliquit monumenta: nam præter extructum ab eo templum, ſpelunca viſitur ſeſquimilliario à ciuitate diſtans, vbi cum ſupplex ante Crucem in lapide exciſam, preces ad Deum funderet, ab irrumpentibus Ethnicis cæſus, inter Deiparæ iuuantis manus, heroicum Chriſto ſpiritum reddidit. Corpus in vrbem à Chriſtianis relatum, illatumque ſepulcro, non alibi quam in templo, quod viuens extruxerat, inuenere tandem Luſitani[a] anno ſupra ſeſquimilleſimum vigeſimo tertio, vnà cum lanceâ, quæ ſacro lateri eſt adacta, & baculo præferrato, ad peregrinationes adhibito. Tranſijt in ſacram ædem locus martyrij, vbi Hieronymo Oſorio[b] teſte, lapidea oſtenditur crux, maculis aſperſa ſanguineis, cuius capita quatuor in lilia deſinunt, ex eodem exciſa lapide, ac deſuper exhibent quieſcentem columbam, arcumque litteris ignotis inſcriptum. Solemniter ibidem quotannis colitur, votiua Virginis ab Angelo ſalutatæ me-

Non ſine miraculo.

Crux ab eodem Apoſtolo erecta, editumque vaticinium.

Quo martyrii genere obierit.

Reperta eius monumenta.

De têplo & Cruce ad locum martyrii.

a An. Dom. 1523.

b Oſorius l. 3. hiſt. Regis Eman.

tæ memoria, decimo quinto [a] Kalendas Ianuarij; quo die in Hispaniâ per implorationem æterni Verbi ad mortales in carne venturi, sacrosancti partus expectationi proluditur; festoque [b] nomen indidit interiectio vocandi O, per quam tum in sacris odeis alternæ psallentium voces ad vespertinum B. Mariæ canticum inchoantur. Patratum palàm eodem die ac loco miraculum sæculo proximè superiori, nec semel tantum; sed per plures annos repetitum, narrant probatæ fidei testes [c], quo miraculo cruentæ in Cruce lapideâ maculæ, inter rei diuinæ mysteria, cum Euangelica historia legeretur, fluere ex improuiso visæ sunt, adeò copiosè; vt stillans inde sanguis, lintea super aram extensa guttatim asperserit. Idem quoque accidisse testantur, Societatis Iesu Sacerdotes, cum ipsi priuatim ibi sacrificarent, eodem die celebratæ expectationis Virginei partus. At excisi ad ipsam Crucem exotici characteres, ex peritorum interpretatione, notasse Thomam feruntur, illuc à Dei Filio missum, vt veri Numinis cultum Gentibus nunciaret, hominem miraculis apud Indos clarum, & hastâ confossum à barbaris, cum positis ad eum lapidem genibus, Deum oraret; vnde loco Calaminæ nomen est inditum, quod *suprà petram* sonat.

Crucis miraculum in festo D. Virginis.

Characterũ in Cruce excisorum significatio.

V. Hinc obiter conficere licet, quanti D. Virginem Thomas fecerit, quam gratus eidem extiterit, cuius clarissima symbola, lilia, & columbas, in Cruce, quam ex lapide sibi ipse formauit, cælari voluit; suique cruoris in eam effusi superstites maculas, repetito toties cruento stillicidio fluere, recurrente quotannis Deiparæ festo. Denique debet is D. Virgini, quam auspicem sibi laborum suorum asciuit, quòd imminente [d] Virginei partus recordatione anniuersariâ, per martyrium cælo sit natus. Corpus si non totum, certè aliquâ ex parte translatum primùm Edessam in vrbem Mesopotamiæ, deinde Ortonam Apuliæ, vtrobique miraculis (sicut & apud Indos) legitur illustratum. Edessæ illud celebre fuit, quod ex Petro de Natalibus [e] refert Ribadeneira, de reciso ex vite sarmento singulis annis ad Sancti sepulcrum, cum festi peruigilium ageretur, in vuæ racemum progerminante. Ortonæ verò, vbi nunc requiescere eius ossa creduntur, concurrentibus peregrinis, animorum & corporum beneficia non sine miraculis impertiuntur; quæ omnia cedunt in Dei gloriam, & laudem Virginis matris, Apostolorum Reginæ.

Quam gratus D. Virgini S. Thomas

De corpore S. Apostoli,

Eiusque miraculis,

VI. Ex profanâ historiâ in rem nostram sumere libet, quæ auctor [f] in Deum cæteroqui blasphemus, vtpotè atheus, scripsit

a 18. Decemb.

b Nostra Domina de O.

c Apud Petrum Ribadeneirã in vita S. Th. Hiero. Osorius.

d 21. Decemb.

e Pet. de Nat. & Ribad. in vita S. Thomæ.

f Lucianus Samosatenus in Dialogis.

scripsit de Peregrino quodam philosopho, verius impostore, ac sycophantâ; oriundo ex insulâ Paro; qui Christianorum clementiâ & liberalitate abusus, eorum Religionem simulatè ac perperam sub hoc ipsum tempus professus est, suscepto in fraudem baptismo, vinculis toleratis, pœnisque quæsitis, ardentissimum obeundæ pro Christo mortis desiderium ementitus, vt nimirum homines fraternæ charitatis amantes sibi deuinciret, & pecuniam eleemosynæ titulo ex pio cætu corraderet. Ex his quæ sunt per ludibrium scripta, tanquam ex lutulentis paludibus, aurum & gemmas colligere licet, nempe virtutes, quæ id temporis Christianorum vitam illustrarent; quoniam profugus philosophaster publico theatro committitur, reipsâ sancto cætui imponens, dissimulato ad tempus Deorum cultu, & simulatâ sanctitate, quæ in peregrinatione, atque egestate piorum viscera ad opem ferendam impelleret. Irridet quidem exoticus scurra primorum Christianorum probitatem, & beneuolos mores, expositis itineribus peregrini furunculi, alienam misericordiam in sua furta vertentis: sed quod mirum est, ipse vel hostis suo testimonio confirmat mutuam inter primos Ecclesiæ alumnos charitatem, hospitalem tesseram peregrinis exhibitam, annonam in pauperes distributam, opem miseris, fessis leuamen, ægris, & captiuis solatia concessa. Huius generis opera olim à Christo commendata, D. Virgo, quæ meritò dicitur [a] *Misericordiæ Mater* in se viuens expressit, & cum Deum super omnia perfectè dilexerit, humanum quoque genus, quod Filio suo charissimum nouerat, materno est amore complexa; post sacrosanctum diuini Verbi conceptum mater effecta, ad salutandam Elisabetham cognatam, & ad imbuendum sanctitate Ioannem, mulier dignitate vel Angelis præstans, festinanter in montana perrexit. Eadem, vt Ambrosius [b] ait, *solita benè velle omnibus* in nuptijs Canæ cum vinum defecisset, dominos miserata, Filium Mater exorat, memorato defectu, sponsoque, & conuiuis abundè consulit. Apostolis, & reliquis Christi discipulis matrem se & magistram probauit, dum quibuscumque potuit viscera ostendit verè materna, omnium saluti prospiciens, & neminem passa à se indonatum abire; hinc à primis illis Christianis, dum Diuæ Virginis memoria recens esset, desumpta sunt exempla viuendi, quoniam Deiparæ vita facta est omnium disciplina [c], ex quâ Christi sectatores didicerunt, non dissentire à propinquis, parentes non lædere, non deserere debilem, inopem non vitare; imò egenis & miseris

Peregrinus Philosophus Christianæ Religionis simulator.

Virtutum in cætu Christianorum existentiū index.

Testimonio vel hostis, licet cæteroqui irridentis.

Ex virtutes quomodo ad D. Virginem referantur.

Charitas D. Virginis ex eius operibus.

Ad exemplū Christianorū

a *Ex Antiphona Salue Regina Hermanni Contracti.*

b *Ambros. l. 2. de Virg. sub initium*

c *Idē eod. lib. post init.*

feris aperirè viscera charitatis: quæ omnia cum hostis iutatus Christianorum derideat, in narratione de Peregrino, qui Christianam Religionem, vt ditesceret, simulabat; non videt suo se testimonio docere, qualis fuerit eorum vita, in quorum hospitalitate, vt ipse ait, sperauit Peregrinus, satis sibi fore viatici.

Annus Christi 76. B. Virg. Natæ 90. Lini Rom. Pont. 7. Et Assump. 13. Vespasiani Imp. 5.

I. Compositus nouo pacis fœdere mundus, occasionem dedit, vt olim sub Augusto, Orbis descriptioni iterum faciendæ, quæ descriptio, cum contineat lustrum habitum à Vespasiano postremum, vt auctor est Censorinus [a], huic anno post Christum natum septuagesimo sexto, veluti nota peculiaris accessit. Opportuna fuit Ecclesiæ diu afflictatæ pax, ac Deiparæ pro illa excubanti, accepta meritò fertur, quoniam in varijs Orbis partibus, Apostolici viri complures, vsi temporum quiete sunt, vt Virgini quoque matri, suorum cum erebo certaminum auspici, quietiùs famularentur, & sacræ vineæ excolendæ securiùs insisterent. Insuper vt certum diuinæ prouidentiæ consilium est agnoscendum; aliquos ex Apostolorum discipulis, qui Christum, & Matrem viderant, vltrà centum annos in viuis mansisse, quod contigit Simeoni Hierosolymæ post Iacobum fratrem Antistiti, itemque Dionysio Areopagitæ, Polycarpo Smyrnensi Episcopo, Hermæ Pastori, Parmenæ, alijsque; vt nimirum possent, dum Ecclesia feliciter adolesceret, oculatum edere de Christo & Virgine Matre testimonium, ac tum accedentibus quotidie ad fidem, comperta & probata de vtroque tradere; tum etiam insurgentes vndecumque Hæreticos, veritatis corruptores, arguere.

Sub Vespasiano pax Ecclesiæ opportuna.

Cessit etiam in honorem Deiparæ.

Itemque lõgæua Sanctorum vita vltrà centum annos.

a Censorin. de die natal. cap. 15.

II. Neque admirationem vlli faciet, ætas occurrens hoc tempore tam longæua Sanctorum: cum etiam, teste Plinio [b], lustro quod habuit vltimum hoc anno Vespasianus, in octauâ dumtaxat Italiæ regione, inter Apenninum & Padum, censi fuerint homines centenarij quadraginta quatuor; vltrà verò centesimum ætatis annum, alij decimum attingentes; nonnulli vigesimum, aut trigesimum, pauci quadragesimum agentes, aut quinquagesimum. Auctor est fide dignus, qui eius generis plura recenset, Plinius; vtpotè hoc tempore viuens,

Affertur longæua aliorũ ætas ex historia profana.

b Plinius hist. Nat. lib. 7. c. 49.

uens, neque vllo pacto arguendus erroris, cum in eiusmodi censibus posset, ex Consulum notis annum vnicuique natalem describi solitum, sine fraude cognoscere. At verò nos hinc desumere argumentum possumus, ad confirmandum pro Deiparæ genealogiâ, in Apparatu [a] ad Annales expositâ, quod diximus, de Boozo Ruthæ Moabitidis viro, contendentes ad iustam explanationem Euangelici textus, vnicum fuisse, non ternos eiusdem nominis, quos cacophoniæ vitandæ gratiâ, suppresserit sacra historia; quoniam non est inconueniens asserere, Dauidis parentibus, Boozo proauo, Obedo auo, Iessæ patri, viuere vltrà centum annos contigisse; eosque vel octogenarios, vel nonagenarios, operam liberis non frustrà dedisse: dum initus hoc anno à Vespasiano census, similia exhibuit exempla, in vnâ tantum Italiæ parte, de quorum veritate, ob auctoritatem testis, tunc viuentis, dubitare non licet. Ecquid enim, tanquam fieri non potuerit, vnquam euinces, si id factum omninò constet consequentibus sæculis, quæ multorum ætatem satis longæuam, vltrà annorum hecatontadas, & aliquot decadas exhibuerint, in profanâ simul, & sacrâ historiâ? Itaque hinc argumentum optimum ducitur, ad Euangelistarum testimonium sartum, tectumque seruandum; asserendo Boozum, quem illi vnicum ponunt in genealogiâ Christi, ac Deiparæ, verè vnicum esse, non contractum ex tribus, vt aliqui excogitarunt.

a In Apparatu n. 53.

Inde argumentum desumitur pro Deiparę Genealogia, ad veritatem vnici Boozi, qui ponitur.

III. Ex rebus Romanis hoc anno historici [b] notant mulierculæ obitum, Cænim vocant, Vespasiani pellicem, per quam creditus est, Cæsar, opes sibi plurimas comparasse; ab illâ vndecumque collectas, vêditis procurationibus prouinciarum, officijs militum, magistratibus, Sacerdotijs, & Principis non rarò responsis. Vsque adeò vnius fœminæ cupiditas, Vespasiano cæteroqui non malo, turpem auaritiæ notam inussit, arguente vitium [c] Tito filio. Ecclesiam verò Dei vniuersam, per hæc ipsa tempora, magnis afficiebat honoribus Maria Deipara, nascentium in dies Christo Fidelium mater; cuius interuentu ditati sunt homines, Christianarum virtutum thesauris adeò, vt verè in illam cadat sanctæ matronæ Iudithæ [d] elogium

Tu gloria Hierusalem; tu lætitia Israel; tu honorificentia populi nostri.

b Dio. lib. hist. Rom. 66.

c Sueton. in Vespas. c. 23.

d Iudith. 15. vers. 10.

Cænis Vespasiani pellex, & auaritiæ ministra.

Opponitur Deiparæ, quę vera opulentia est, & felicitas generis humani.

Annus Christi 77.
B. Virg. Natæ 91. Lini Rom. Pont. 8.
Et Assump. 19. Vespasiani Imp. 6.

I. ABsolutum hoc anno templũ Pacis, fuisse & solemniter dedicatum à Vespasiano, auctor est Dio [a]. Aedificium titulo perhonorificum, & magnificentiâ visendum, à nostris annalibus alienum non est: quoniam sacra Hierosolymitani templi monumenta, Deiparæ eximias dotes adumbrantia, magnâ ex parte sunt ibidem deposita, & asseruata. Aeternam mundo fore pacem, incisa in templi superficie docebat inscriptio, quam pacem verè mundo peperit Dei Mater, dum humanæ salutis auctorem Iesum Christum edidit partu. Id templum, eâ nocte collapsum esse, quâ ille est natus (vt nonnulli scripserunt) aperti mendacij re ipsâ conuincitur: nam si sumptuosam vndecumque molem, paucis ante annis inchoatam, hoc anno Vespasianus absoluit; quomodo potuit in terram corruere, quando condita nondum erat? cum anno post Christum natum tertio ac septuagesimo illud ædificium aggressus sit Vespasianus, atque intrà quadriennium absoluerit, dedicaritque: neque vllum tantæ magnificentiæ, molisque templum, ante id tempus Romæ fuit paci dicatum, vt docet eruditè Baronius [b]; & quod incerti auctoris homilia, falsò Petri Damiani [c] titulo prænotata testatur; consulta à Romanis oracula non semel iactasse: ædificium hoiusmodi, cum Virgo pareret, periturum; vel fuit omninò confictum; vel certè ideò dictum, vt significaretur; lapsum iri templum, cum sacrosanctum virginei partus mysterium, toto iam orbe per fidem catholicam crederetur; idque intellectum esse per Virginem parientem. Factum nos hoc æuo videmus, quo tum firmiter credimus Iesum Christum ex Virgine natum, & de Spiritu Sancto conceptum; tum cernimus templi, quod Vespasianus magnis sumptibus Paci erexit, vix manere vestigia.

Templi pacis molitio absoluta, quomodo ad Deiparam pertineat.

De lapsu eius templi, Christo nascente fabula.

Vaticinium de eo templo quomodo possit intelligi.

a Dio. l. 66. hist. Rom.

b Baronius Appara. ad Ann. Eccl. n. 11. 12.

c Hom. præ notata Pet. Dam. titulo & falsa est, & malè intelligitur.

II. At verò idem Pacis templum, spectare aliquo modo ad Virginem Deiparam aliunde conficimus; quoniam illuc translata fuerunt, ornamenta omnia, immensæque diuitiæ Hierosolymitani templi, à Salomone constructi, in quo multiplex præcesserat sanctissimæ Matris significatio: nam moles ipsa Deo sacra, Hierosolymæ erecta, per sapientissimum, atque opulentissimum Regem, & cumulatà postmodum vndecum-

Spectare ad Deiparam idem templum aliunde probatur.

que

que thesauris, ex Orbe vniuerso religionis causâ comportatis præcipuè Deiparam signat, quam sacri Doctores Dei templum omnes appellant, eiusque molitionem considerans Damascenus [a], architectum ait illi fuisse pro Salomone Christum, sapientiam Patris; eundemque inquilinum cælestes illuc thesauros traxisse. Eximiæ virtutes, virginalis animi ornamenta, respondere videntur immensis Hierosolymitani templi diuitijs, quæ quales quantæue id temporis fuerint, cum sacrum illud ædificium illata per Titum clades absumpsit, colligere licet ex alterâ expilatione, quam fecerat Crassus ante annos quatuor & viginti, quando in pecuniâ, & reliquo auro infecto, factoue, ablata fuisse decem millia talentorum Iosephus [b] est auctor: annis enim subinde consequentibus, multò magis creuere diuitiæ; quoniam præter collatos iterum à Iudæis thesauros numero & pretio maiore, quam prius, muneribus etiam Romanorum Imperatorum, templum ipsum fuisse locupletatum, Philo [c] testatur. Cum ergò D. Virgo alterum Dei templum foret, Hierosolymitano nobilius; huius certè ornamenta, quæ multis talentorum millibus æstimabantur, illius sanctitatem, arcanamque pulcritudinem diuinâ beneuolentiâ definitam apud interpretes sacrarum scripturarum significabant. Post euersam verò Hierosolymam, pretiosus sacræ supellectilis apparatus, aurea, argenteaque vasa, stragula vestis, myriades gemmarum, adamantes, vniones, margaritæ, aliaque id generis, numeri, ac pretij, quæ ad vsum erant sacrificantium in lege veteri ministrorum, Romam translata sunt, atque in erecto Paci templo deposita, vbi hoc maximè suspiciendum habuere, quòd pertinentia ad ornatum Hierosolymitani Sanctuarij in varias Deiparæ significationes, trahenda postmodum à Patribus forent.

III. At hæc inter, eodem collocata sunt loco, alia Iudaici templi cimelia, quæ vt expressa Dei Matris symbola frequentiùs efferunt Ecclesiastæ, & nos suprà notauimus exponentes Titi triumphum. Purissima panum mensa, quos propositionis appellant, confecta è lignis Setim, immunibus à putredine, leuibus, candidis, atque fortissimis teste Hieronymo [d], auro vndique mundissimo conuestita, & duplici cincta coronâ, ponitur à Patribus Deiparæ typus, cuius illa omnia significationem aliquam exhibent; ligna quidem, ex quibus mensa construitur, virtutes Virginis solidissimas notant, aurum quo fulget, ardentissimam charitatem, duplex corona gratiam, & gloriam, quarum altera viuentem in terrâ, al-

Marginal notes (left): a *Damasc. or. 1. de nat. Virg.* — b *Ioseph Antiq. l. 14. cap. 12.* — c *Philo de legat. ad Caium.* — d *S. Hiero. in Isai. c. 41 & in Ioel. cap. 3.*

Marginal notes (right): D. Virgo est Dei templũ. — Templi Hierosolymitani diuitiæ. — Referuntur ad internam Diuæ Virginis sanctitatem. — Alia templi Hierosolymitani supellex collocata in Tẽplo pacis. — Symbola cõtinebat D. Virg. — Mensa panũ.

tera triumphantem in cælo coronauit. Viuus verò panis in hac mensa propositus, Iesu Christi est caro, quâ mortales vescimur ad æternam immortalium patriam peregrinantes: ideòque D. Virginem eius genitricem, specioso mensæ titulo Patres salutant Epiphanius [a], Damascenus [b], & Georgius [c] Nicomediensis. Positum etiam in eodem templo est candelabrum aureum septilustre, quod cum ad significandam potissimùm D. Virginis charitatem, ante Sancta Sanctorum lumine septeno præluxerit, non potest hic præteriri. Inhærebat basi, ait Iosephus [d] illud describens, media columna, ex quâ tenues producebantur cannulæ, desuper in lychnum desinentes, quæ cum numero septem essent, honorem indicabant diei septimi, qui deinde inter cæteros hebdomadam componentes D. Virgini dicatus est. Ex hoc igitur capite candelabrum illud, Hierosolymitani Sanctuarij decus, pertinebat ad expressionem Deiparæ, cuius laudationem ab illo ducens Andreas [e] Cretensis, visam fuisse dicit à Zachariâ aureum ceu candelabrum, septem lychnis ornatum, totidemque S. Spiritus donis clarum & lucidum. Eadem appellatio placuit eximijs Deiparæ laudatoribus Epiphanio [f], Georgio [g] Nicomediensi, & Damasceno [h] ad eam extollendam; quibuscum conuenit S. Ephremus [i] Ecclesiæ Edessenæ Diaconus, adhibito lucernæ clarissimæ titulo. De alijs Hierosolymitani templi spolijs, similem Deiparæ significatum habentibus, asseruatisque in Vespasiani monumento, non est quòd vlterà sermonem protrahamus, cum suprà indicata sint satis. Notandum hic superest; geminas legis tabulas, quas spoliorum nouissimas in triumpho Titi aduectas fuisse testatur Iosephus [k], velis inuolutas purpureis in Palatio habuisse custodiam, vt ex eodem auctore colligitur. Pro lege quidem arcam fœderis intellectam voluere nonnulli; sed quas habeat difficultates eorum interpretatio, suprà monstrauimus.

Candelabrū septilustre.

Legis tabulæ in Palatio asseruatæ.

IV. Cur erexerit paci Vespasianus templum, quod ante ipsum Romæ nullus extruxerat, suprà obiter indicauimus causam. Nunc dicimus, eiusce molis ædificandæ consilium inijsse Cæsarem, vt post plura bella feliciter gesta, Orbis ab ipso pacati præclarum monumentum extaret; cum præsertim ex Iudæorum adulatione spem animo concepisset, se futurum principem pacis ab Isaiâ prænunciatum, æternoque Orbis imperio potiturum. Sed meliore consilio Christiani Virgini Dei Matri templa dicabant; quorum plura erecta deinceps fuere sub titulo pacis: quoniam D. Virgo pacem terris attulit,

Templū Pacis, pacati Orbis monumentum.

partâ

a Epiphan. ser. de Laud. Virg.
b Damasc. orat. 1. de Dorm. Vir.
c Geor. Nic. orat. de Oblat. Virg.
d Ioseph de bel. Iud. l. 7 cap. 24.
e Andreas Cret. oratione in Annun. Virg.
f Epiph. or. de B. Virg.
g Georg. Nic. or. de oblat. Vir.
h Damasc. orat. 1. de Dorm. Dei par.
i Ephr. de laud. Virginitatis.
k Iosephus de bel. Iud. l. 7. cap. 24.

partâ humano generi salute, & conciliato hominibus Deo; itemque mortalium in cœtu extinguere solita simultates, rixas, & odia, quæ sunt bellorum fomenta, auctor in Christiano populo pacis frequenter extitit. Huius rei exemplum ne aliunde petamus, habemus ob oculos, dum hæc scribimus; nam pertinacibus bellis orbe Christiano in partes iam diu distracto, cum humanis in consilijs spes nulla reuocandæ concordiæ superesset; quod templum Romæ summus Pontifex Sixtus Quartus D. Virgini, vt arbitræ pacis extruxit ad componendas Principum Christianorum discordias, illud eodem consilio Alexander Septimus instaurare, atque illustrare aggressus, exoratam assiduis precibus cæli Reginam ità flexit ad piorum vota, vt duo eius interuentu Reges, post longa bellorum dissidia, inito coniugij fœdere, pacem firmarint; quam speramus propitiâ vtrique regno Deiparâ duraturam.

Opponitur Templis sub titulo pacis Deiparę erectis.

Quorũ vnum Romæ ab Alexandro Septimo instauratur.

Magno cum fructu.

Annus Christi 78.
B. Virg. Natę 92. Lini Rom. Pont. 9.
Et Assumptę 20. Vespasiani Imp. 7.

I. PAce mortalibus sub Vespasiano partâ, Christiani alcyonijs veluti diebus, in veræ fidei professione securiùs permanserunt: quo tempore firmiores duxit radices cultus Dei Matris, iam pridem in Ecclesiam introductus. Plura ad eum augendum ab Apostolis sancita leguntur; plura etiam stabiliuere successores. At Fidelium ergà Diuam Virginem sub hoc tempus obsequia, creuere ab eiusdem imaginibus venerationi populorum expositis. Fauit pio studio ipsa natura, diuinæ prouidentiæ ductu: nam [a] in eâ Araucanæ prouinciæ parte, quæ Tubulia dicitur regni Cilensis, excauatus per hemicyclum naturaliter mons, ad loculamenti formam, simulacrum exhibuit D. Virginis, Iesum gremio sustinentis, quod simulacrum insitâ pariter naturæ vi ex eodem saxo formatum, incolarum cultui patuit, ante quam Christiano ritu expiata gens, esse Dei Matris signum didicisset. At etiam [b] in insulâ eiusdem regni Tenarise, magnam Canariam vocant, alteri Deiparæ simulacro indigenæ supplicarunt, cum Virginis Matris notitiam nondum à sacris præconibus accepissent. De operis auctore dubitatum est: ipsa vbi erat cauerna, ex materiâ situque statuæ, naturam indicabat opificem: descripti circumquaque characteres, quibus incorrupta parens, diui-
nusque

Augetur cultus Deiparæ per pacem Vespasiani.

D. Mariæ statua naturaliter formata.

Altera miraculis clara.

a Io: Eusebius Nierembergius in Trophæis Marianis l. 5. c. 8. & 9.

b Guilielmus Gumppebergius l. 1. Atlantis Mariani.

nusque partus prædicabatur, aliquem ex Cælitibus artificem arguere videbantur. Mira produnt de eiusmodi simulacro Canarienses historiæ [a]: inflictum primò diuinitùs pastoribus duobus supplicium, quo alteri quidem ob iactum in illud lapidem, torpuerat repentè brachium; alter verò intortum operi findendo telum, in suorum vulnera digitorum conuerterat. Deinde ex eisdem habetur libris; opiliones ambos deferre in aulam Principis monumentum aggressos; statim atque attigere, sanatos esse vnum à torpore, alterum à vulneribus: denique cum oneri ipsemet vna cum magnatibus Regulus successisset, vires singulis defecisse tanquam impares ponderi, quod asserunt, moueri loco non potuisse, nisi nouis insuper ex plebe portitoribus ad illud tollendum adhibitis. Vtramque statuam Araucanam, ac Tenarifensem earum gentium historia [b] Romæ paulò ante impressa, naturæ tribuit subseruienti futuris Deiparæ obsequijs, quibus iam tum ibi produlebatur. Alterius etiam Marianæ imaginis in Moschouiâ ex arbore suapte naturâ formatæ singulari diuinæ prouidentiæ opificio, meminit Heidenstenus [c], Moschouitici belli scriptor.

a Alphōsus de Espinosa l. 1. c. 2. & Io: Allozal. 4. celi sellati c. 1. num. 23.

b Historia Regni Cilensis Romæ impressa Ital.

c Heidenstenus l. 4. de bel. Moschou.

Imagines Deiparæ ad tempus absconditæ, & tandem repertæ.

II. At sacrarum vsus tabularum præsertim Deiparam exprimentium, per Orbem terrarum longè latèque peruagatus, cum Iudæorum præcipuè odium excitasset; iactis alicubi ad eas tollendas Iconoclastarum quasi seminibus, ibidem non semel contigit abscondi, & clam haberi Dei Matris signa. Quare labentibus subinde sæculis reperta, iterum prodierunt in lucem: imò vt communis tùm omnium lætitia foret; inuentumque thesaurum pertinere ad humanum genus, constaret: datum est varijs temporibus locisque cuilibet hominum conditioni, ætati, ac sexui in illum incurrere, atque extrahendo de latebris felicem admouere manum; siue Superis reuelantibus; siue indicio prodigiosi splendoris, aut auditæ cælitùs melodiæ, aut ipsius muræ imaginis planctum edentis: Inuenere modò primates, ac nobiles; modò plebeij vel rustici, modò clerici, aut eremitæ, aliquando milites, fæminæ, pueri. Peculiaria inuentionum loca fuerunt arbores, montes, littora: identidem maria, fontes, fluuij: non rarò cauernæ, vel putei. Inueniendi occasio multiplex etiam occurrit, in venatione, in agrorum fossione, in plantarum culturâ, intectorij de parietibus lapsu. Inuentis denique toties sacris Deiparæ tabellis veneratio non defuit, à cælo quod subortâ repente luce illas detexit; à Cælitibus easdem aduehentibus, & illustrantibus; ab hominibus cuiuscumque generis certatim

Illarum veneratio.

ado-

adorantibus, ab inclinatis siluarum truncis, & à belluis in obsequium pronis. Summa hæc rerum capita nobis indicasse sit satis, integras alibi historias ex populorum fide daturis.

III. Ad amplificandum Virginis Deiparæ cultum, præsertim hoc anno, quo ponimus partam sub Vespasiano pacem, plurimùm profuit S. Lucæ exemplum, quod in Dei Matre pingendâ secuti sunt alij, siue ad archetypum ab illo relictum, siue ad ectypum inde exceptum. Ex eodem creduntur desumpta, quæ tradunt Epiphanius [a] Byzantij Presbyter, Nicephorus Callistus, & Cedrenus, D. Virginis formam graphicè describentes; vbi exposita eius delineandæ ratio non dissentit à maiestate, & decoro personæ, quæ refertur; moresque eâ dignos, grauitatem, modestiam, & sanctitatem spirat. Ità pingendam esse Dei Matrem Christianis decori amantibus, censuit proximè superiori sæculo Titianus [b], celeberrimus pictor, ad exemplar tabulæ ex Archetypo Sancti Lucæ, vt ferebatur, exceptæ, quam apud se Venetijs habuit, singulas exprimentem notas, Diuæ Virgini à veteribus attributas. Idem suo nobis confirmauit calculo Petrus Berrettinus Cortonensis, nostri æui Apelles, qui ad primam huius operis faciem, Diuæ Virginis effigiem delineauit, tam decenti ac viuido linearum ductu, vt ad genium antiquitatis pictura ipsa maiestatem Dei Matris exhibeat; oblatumque inuitatu Ecclesiæ à sacrâ Historiâ Annalium Marianorum volumen, tanquam nouum religionis anathema proponat. Ità qui sapiunt, in Virgine sanctissimâ delineandâ, decori memores, non aliter coloribus, ac penicillo laborandum censent, quam ad expressionem sanctitatis & morum, Deiparæ Cælitum, hominumque Reginæ conuenientium. Quo loco parcere querelis non possumus, detestantes æui recentioris vitium, antiquitati non cognitum, quod vitium à pictoribus sui tantùm quæstus amantibus, corruptoque populi genio feruientibus, committi dolemus, expressa vel in sacris ædibus Dei Matre, ore ac vestitu minus decenti; imò lineamentis faciei non semel desumptis ex muliercularum specie, quas perditè amant: Vsque eò peruasit ætatis nostræ corruptela, vt sacrarum imaginum sanctitas vestiatur identidem nequitiæ spolijs, per nouum propè dixerim Iconomachorum genus.

IV. Annus à partu Virginis octauus ac septuagesimus, ex Romanâ historiâ [c] ortum habet Adriani, qui postea Imperator Iudæis nouas intulit clades, & obitum Agrippæ, vltimi Iudæorum Regis; vnde agnoscimus primùm hostium Deiparæ non-

Modus pingendæ Deiparæ ad exemplum D. Lucæ.

Iusta Auctoris querela.

Ortus Adriani Imp. & obitus Agrippæ Iudæorũ Regis.

a Epiphan. Presb. Cōstantinop. Nicephor. Callist. Cedren. aliat allegati.

b Apud Canisium Mariali.l.1.c.13

opere ... olo. ... cabi ... 1.

ræ nondum absolutas calamitates; cum natus ponitur is, qui eos iterum debellaturus est, euersamque Hierosolymam reuocaturus in lucem, haud dubiè diuino instinctu, vt ibi inposterum colerentur sacra Christi ac Deiparæ monumenta: deinde extinctas in Agrippâ, si quæ supererant, miserandi regni reliquias.

Quomodo pertineat ad Marianos Annales.

Annus Christi 79.

B. Virg. Natæ 93. Lini Rom. Pont. 10.

Et Assump. 21. Vespasiani Imp. 8.

I. CVm de Mariæ Dei Matris cultu, vnà cum ipsa Religione amplificato, dictum anno superiore iam sit: quoniam, qui proximè sequitur, beneficio pacis, per Vespasianum partæ, eundem exhibet noua ducentem incrementa; placet in eos acuere calamum, qui colendæ Deiparæ studium ab Apostolis in Ecclesiam deriuatum ausi reprehendere, temerè affirmant inductum esse per vulgi errorem, post Nestorianam hæresim, quæ quinto à fundatâ salute sæculo, suum in Dei Genitricem virus euomuit. Nam in pseudohistoriâ Tridentini Concilij, quam ante annos fermè quadraginta vulgauit, sub nomine Petri Suauis Polani, auctor aliunde satis notus; id expressum reperitur: introductas in Ecclesiam esse picturas, quæ D. Virginem exhiberent cum Iesulo maternis vlnis insidente, vt Nestorio neganti, Christum esse Dei Filium, eiusque Matri Mariæ conuenire Deiparæ titulum, signa opponerentur, quæ alterum vel infantem, esse in sinu Matris adorandum innuerent; & sic effuso per Hæresiarcham veneno pararetur antidotus. Hinc obortam erroris ansam in populo, asserit memoratus auctor, quasi verò Matrem in ijs imaginibus, tanquam operis præcipuam, Christiani coluerint, Filium verò vt additamentum.

Præparatio ad eos refellendos, qui cultum Deiparæ reprehendunt.

Petrus Suauis Polanus auctor Pseudohistoriæ Concilii Tridentini.

Quid afferat in illû cultû.

II Sed hoc est ineptum planè mendacium, quo proferendo vel auctor se ignarum historiæ, vel impium prodit. Nam esto, Hæresi Nestorianâ per Oecumenicam Synodum Ephesinam profligatâ, in maiori fuerit apud Ecclesiam cultu Dei Mater, salutata frequentiùs, & inuocata à Fidelibus per certas preces ad eam directas, vt suo loco dicemus: at ratio illa pingendi Virginem, cum sanctissimo Filio ad pectus applicito antiquior fuit; nec datus per eam vnquam est errandi locus. Picturæ antiquitatem imagines illæ declarant, quæ proludentes olim

Refellitur.

tes olim fidei Christianæ mysterijs, vel ante Christum natum fuisse in honore leguntur, apud [a] Aegyptios, Iaponas, Sinenses, Druidasque Gallorum, nescientes quid potissimum venerarentur: itemque aliæ in regno Cilensi, quas diximus [b] à naturâ formatas. Etenim eiusmodi statuæ non Virginem tantùm Matrem, sed Filium eius gremio insidentem exhibebant; agnitæque tandem sunt vti sacræ, statim atque ijs nationibus, apud quas erant, Euangelica lux affulgens, arcanum aperuit susceptæ à Dei Filio mortalitatis. Ex earum numero duæ, Carnotensis, & Aniciensis, vt suis locis docuimus, translatæ in Galliam, magno nunc piorum concursu extructis magnificè templis coluntur, & vtraque inter Matris brachia Filiolum exprimit. Huc recidit quod de trium Magorum vno [c], suprà retulimus ex Osorio [d]; similem imaginem indicantes, quam ille ab itinere Bethlemio reuersus in patriam, suis exposuit populis adorandam. Sed quas ex traditione maiorum credimus à S. Lucâ depictas, eæ antiquissimam pingendæ Deiparæ rationem vnà cum sacro pignore, negari non sinunt; quoniam vbique ob oculos sunt, vel in prototypis, vel in ectypis centies congeminatæ.

a In Appar. ad Annal. nu. 41. & ad an. B. M. 63.
b Anno superiore.
c Ad an. B. M. 17.
d Osor. l. 1. de Reb. gestis Emmanuelis.

Antiquitas imaginum D. Virginem cum Filio exprimentium.
Ex imaginibus ante Christum.
Ex depictis à S. Luca.

III. At verò nullus error promanare in vulgus inde potuit, quoniam in adorandâ ritè Deiparâ suprà Sanctos quidem & Cælites omnes, at infrà Deum, eiusque Filium Iesum Christum, Apostoli præiuerunt; & sacri Doctores singulis à partâ salute sæculis, ità laudem in Dei Matrem scribendo contulerunt, vt eius excellentiam vno ore suprà Angelorum choros, & ordines quoscumque reliquorum Cælitum, post sacrosanctam diuinarum Personarum Triadem proximè collocarint. Vnde igitur auctor ille pseudohistoriæ, suum adornauit mendacium; dum asserit in Ecclesiâ per illas picturas potiore cultu impertitam esse Deiparam, & insidentem eius brachijs infantem, qui Deus est, habitum parergi loco? An non vltrò tribuimus omnes hanc Virgini matri laudem, quâ genitum à se filium, vt suum agnouit Dominum, ac prima post partum adorauit vt Deum? Eius vterum, sinumque cum fæderis arcâ componimus, dicimusque ibi non tabulas legis lapideas, sed conditorem omnium quieuisse; supplicem tanto Filio Genitricem sæpe fuisse, infanti, adulto, cruci affixo, mortuo, rediuiuo; & nunc in cælo gloriosè regnantem, eidem ad Patris dexteram consedenti offerre vota mortalium. Cum pingimus puerum Iesum in eius gremio, gloriam ipsius Iesu maximè quærimus, cui in sanctissimâ Matre tribuimus, ta-

Nullus inde error irrepsit in vulgus.
Quid Deiparæ, quid Filio tribuatur.
Ex pictura Deiparæ, Iesu gloria.

bernaculum non manufactum; sed cuius architectus fuit, & opifex Deus; eoque veluti de solio Salomon alter, & quidem ter sanctus, supplicibus populis exhibetur.

Confirmatur veritas auctoritate SS. Patrum.

IV. Sed quando ad refellendum auctoris reprehensi commentum argumenta deessent, neque ab earum imaginum delineatione ansa absuisset errandi; innumera SS. Patrum encomia, quæ in Deiparam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis vsque ad propiora nostro æuo tempora sunt collata, errores arcerent, si qui potuissent irrepere. Excellentias D. Virginis ità illa declarant, vt omnes tandem referantur in Deum, & agnoscantur tanquam flumina deriuata ab immenso diuinitatis Oceano. Adi Nomenclatorem [a] Marianum, quem è titulis selectioribus, apud sacros Doctores Dei genitrici traditis, copiosè contexuit, explicuitque Theophilus Raynaudus. Præterea cuius fidei sit auctor libri in Synodum Tridentinam, atque adeò Ecclesiam vniuersam iniurij, optimè docuit in suâ verâ historiâ, Cardinalis Sfortia [b] Pallauicinus; qui etiam apertè ostendit, quam ineptè ille detraxerit sacris picturis, exhibere iampridem solitis, sanctissimam cum paruulo Iesu Matrem, pietati Christianorum. Ad confutandum Pseudohistoricum, qui diu simpliciorum animis imposuerat, bipartitum volumen prælo subiecit, absolutum, expolitumque triennij spatio, quod opus alij annis viginti & pluribus vix conceperant. Ingenium, eruditio, diligentia, fidelitas, elocutio omnia in eo summa. Vnde auctorem laudans nouus ingeniosè [c] Poëta: *Non est*, inquit, *Sfortia vicinus Palladi, Pallas hic est*.

Opus præclarum Card. Sfortiæ Pallauicini.

a Nomenclator Marian. Theoph. Rayn. cum obseruationibus & Glossario.

b Sfor. Cardin. Pallauic. to. 1. Hist. Cōc. Trid. l. 9. c. 7. n. 6.

c Hieron. Petruccius.

Terræmotus in Insula Cypro.

V. Memorabile est euentum, quod circà hunc annum accidisse scribit Eusebius [d], de ingenti terræmotu, vnde ità quassata est Insula Cyprus, vt funditus tres in illâ ciuitates perierint. Similem terræmotum ibidem contigisse annis ante Christum natum quindecim, quando conceptam fuisse Deiparam ex Euodij, supputatione posuimus, litteris mandauit idem Eusebius, & nos in Apparatu [e] ad Annales obiter indicauimus. Quare sicuti tunc sumi id in omen potuit, tanquam significans; diuinâ Puellâ conceptâ, virginum magistrâ ac duce futurâ, Cypriæ Veneris regnum, quod impudicitiæ sordibus constat, magnâ ex parte ruiturum. Ità nunc prouecto eiusdem Virginis Dei Matris cultu, quando nimirum illa ducit secum ante solium Numinis, innumerabilem Virginum cateruam, post Agni immaculati vexillum; renouatur Cypriarum vrbium ruina per alterum terræmotum, annis duobus ac

Quomodo referri possit ad Deiparã.

d Euseb. in Chronico.

e In App. num. 91.

busac

bus ac nonaginta à priore elapsis; quoniam impura Venus stare in suo regno non potuit, præsente Mariâ cuiuscumque labis vel minimæ inimicâ, ac Tartarei Draconis inuictissimâ domitrice. Vtinam & in nobis per illam singula vitia corruant, nec vltrà quicquam supersit, quod purum non sit.

Annus Christi 80. B. Virg. Natæ 94. Lini R.P. 11. & vlt. Et Assump. 22. Vespasiani Imp. 9.

I. S. Lini, proximè post Petrum Pontificis martyrio illustratur hic annus; postquam ille Magistri ac decessoris sui secutus vestigia, suum optimè munus impleuit temporibus difficillimis. Vrbs diu fuerat ciuilibus distracta bellis, & Orbem latè permeauerant arma: at Linus inter procellas securus, sicut in commissâ sibi curâ Christiani gregis Iesu Christo summo Pastori non defuit; ità nec sanctissimæ Matri, ad sacri ouilis custodiam excubanti: nam quæ in eam obsequia, quæ studia pietatis ergà Patronam optimam à Petro didicerat, ea deriuauit ad singulos, qui in Christi populo censerentur. Præceptum, quod ex præscripto S. Petri, atque ex institutione S. Pauli seruandum mulieribus tradidit, vt velato in Ecclesiam capite introirent, quantum de modestiâ D. Virginis sapit! cuius vnius vita, vt ait Ambrosius [a], omnium est disciplina; ab illâ enim manauit, vt sexus fœmineus verecundiæ virginalis imitatione, titulum deuoti sit adeptus, cui sexui sacra modestè, religiosèque obeunti, vt adsit Virgo Deipara, quotidianis ab Ecclesiâ precibus [b] inuocatur, per ea verba: *Intercede pro deuoto fæmineo sexu*. Ab eâdem Virgine, tanquam à Magistrâ ortum duxit, velandi sacras virgines institutum, ipsumque velamen certis precum formulis consecrandi, vt sit virginitatis insigne, & quasi flammeum nuptiale, ad nouas Iesu Christi sponsas obnubendas. Neque est dissimile vero; legem à S. Lino sancitam, vt operto mulieres capite sacris adessent, ad Deiparam posse referri; quoniam cum desumptam fuisse constet ex SS. Petri & Pauli doctrinâ, ecquis ab illâ Virgine promanasse neget, quæ fuit amborum Magistra?

S. Lini R.P. martyrium.

Eius de velandis in Ecclesia mulieribus præceptum.

Sacrum velamen Virginum.

Et mulierum in Ecclesia quomodo ad Deiparam referantur.

a *Ambros. l. 2. de Virgin.*

b *In comme. B. Maria.*

II. Traditus est neci Linus à Saturnino [c] Consulari; cuius filiam ab obsidente malo spiritu liberarat, Christo in hoc similis, qui ab ingratis Iudæis, reddentibus maleficia pro beneficijs

Qua nece Linus occiderit.

c *Ex Breuiario Rō.*

neficijs est occisus. Ideò tolerata constanter à Sancto Pontifice cædes, dici meritò potest dignum Cælitibus, & Mariâ Dei Matre spectaculum, gloriosam gratulantibus inuicto Athletæ coronam. Præterea diuinæ clementiæ, & Mariæ piorum Aduocatæ tribuendum videtur; quòd ad rem Christianam prouehendam subiectus Lino Pontifici fuerit Cletus, sanctitate compar, Petro primùm in laboribus adiutor vnà cum illo, & deinde alter in supremo Magistratu successor.

Digno Deipara spectaculo.

Subiectus in Pontificatu Cletus.

a Ex Hist. ra Eccles.

III. Scribunt Historici [b] non ignobiles, horribilem hoc anno pestilentiam Romæ grassatam adeò, vt, quo durauit tempore, decem millia mortuorum diebus singulis per Libitinarios efferrentur. Vnde noxiæ Vrbis expurgationem quandam licet agnoscere, quoniam per innumera Ethnicorum funera, inueteratæ superstitionis decreuit impietas, vt ducenti firmas radices Religioni, crescentique in dies D. Virginis cultui adessent expeditiora incrementa. Ab ipso Vespasiani Cæsaris de pace seruandâ studio, & ingruenti in Ethnicorum colluuiem pestilentiâ, liberior fuit fidei Christianæ professio; afflictarum gentium facilior ad Deum conuersio, & promptior inuocatio Mariæ Deiparæ, Fidelibus sub eius præsidium confugientibus.

Ingens Romæ pestilentia.

b Ex opere Chronolog. Iacobi Gordoni.

Ad Romam Ethnicorum colluuie expurgandam.

Annus Christi 81.
B.Virg.Natæ 95. Cleti Rom. Pont. 1.
Et Assump. 23. Vesp.Imp. 10. & vlt.

I. MOrtuus hoc anno ad Cutilias ex alui defectione Vespasianus Cæsar, cum ageret sexagesimum nonum ætatis, & imperij decimum, locum in nostris annalibus habet, vtpotè qui Dauidicam stirpem, vnde Maria Deipara ortum duxit, funditùs delere decreuit, ne Isaiæ oraculum de Principe pacis, quod falsò in se detorquebat, ab eâ superstite retardaretur. Sed tandem Iudaicæ perfidiæ domitor, vnà cum Tito filio, innumeros Iesu Christi & Mariæ Matris hostes extinxit, nescius à Dauidis prosapiâ alterum extitisse, vt pacis Regem, quem æternum fore Propheta designasset; alteram, vt tanti Regis Parentem. Afflictâ sub illo Iudæorum Republicâ, Christiana respirauit, magno vtique sui incremento, quod post Deum Virgini Deiparæ acceptum retulit. Morientis Cæsaris vox fuit memoratu [c] digna: *Imperatorem stantem mori oportere*. Et reipsâ defectis æger viribus contendit surgere ad

Mors Vespasiani.

Eius laus in perdomādis Iudæis.

Eiusdem in morte vox.

c Suet. in Vespas. c. 24

re ad posteritatis documentum, dum altiori magisterio instructi, id abundè præstiterunt Apostoli, qui non stantes modò, sed per Orbem terrarum circumquaque excurrentes mortem obierunt; cum lapsa ex alto diuini spiritus virtus ad cursum impulisset, & suis D. Virgo consilijs ad labores confirmasset.

II. Mortuo Patri cum Titus in imperium successisset, memoranda contigit Kalendis Nouembribus flammarum eruptio ex Vesuuio Campaniæ monte, qui prodigiosè commotus, quasi se ipsum euomuit, eiectis Bizantium vsque cineribus, tactisque ferali aspergine plurimis ciuitatibus, ad tres mundi partes. Terrori fuerunt [a] subterranei sonitus, tanquam tonitrua, crebri terræmotus, fremitus maris, nubium fragores, magna ignis, fumique copia, & lapidum, arborumque circumquaque iactus ad exitia Ciuitatum. Incendia consequentibus subinde sæculis frequenter ex eodem monte repetita, innuere Patribus videbantur æternas inferorum flammas, aut omen erant conflagrantis vltimùm mundi. Quare illorum exemplo sacri Doctores identidem vsi sunt, vt absterrerent à criminibus sontes. Hinc noua Christianis occasio, se ipsos in fide susceptâ stabiliendi, trahendique alios ad signa Christi, cum conflagrare de summo monte viderent, tanquam scintillas, & spiramenta ignis, in corde terræ ad scelerum vltionem accensi. Insuper intelligentes inde Fideles imaginem ardentium inferorum, vt paratam sontibus flammam euaderent, rectà confugerunt ad D. Virginem clementiæ matrem, aduocatam apud Deum pro peccatoribus constitutam: ideoque excitata exinde est eorum pietas, & fiducia in Mariam, affuturam procul dubio animis, ne æternùm pereat; cum vel corpora à temporarij incendijs, non semel liberarit: Insuper quæ sunt alibi terræ fauces, iugiter ignem vomentes, appositè ostensæ sunt in visu Sanctis viris, vt quædam inferni portæ, per quas damnatorum animæ in æternum carcerem inferantur, vt de Theodorico Gothorum Rege Ariano scribit Magnus Gregorius [b]: suæ enim & alienæ salutis studium Sancti promouent per hæc exempla sæpius inculcata, & imploratum frequentissimè patrocinium Dei Matris.

Eruptio flammarum ex Vesuuio.

Quid significarit apud Patres.

Occasio ad D. Virginem confugiendi.

Terræ fauces ignem vomentes.

a Plinius iunior ep. 16. lib. 6.

b S. Greg. Dialog. l. 4. cap. 30.

III. Cum Vesuuianum incendium Campaniam deuastaret aliud perniciosius Romæ grassabatur excitatam à primo Simonis Magi discipulo Menandro, qui ijsdem ac magister instructus artibus, imò etiam deterioribus, Antiochiæ Saluatoris honorem Christo debitum sibi arrogans, & iniurius

Menander Heresiarcha & Magus.

Eusebius l. 3. c. 26. Isidorus, & Augustinus ... de He[res].

Virgini

Virgini Matri, illum verum hominem esse pernegabat: Romam deinde profectus, euomuit suum ibi venenum, multosque vitiauit: sed non defuit antidotus ad eius vim repellendam; quia auctus in dies Christianorum cætus, opportunum accepit malo remedium, à Deiparâ impensè cultâ; quæ omninò prohibuit, ne ad clientes suos hæresum contagia pertinerent. Certè sicuti paulò ante hoc ipsum tempus, inuenta [a] theriaces compositio, aduersus lethiferos anguium morsus, vim suam ostendit; ità præsidium D. Virginis, quæ serpentem extinxit humani generis corruptorem, ad venena comprimenda minorum anguium vim habuit cælestis antidoti, quæ non modò plurimos à lue seruauit innoxios; sed etiam in auctores ipsos malum retorsit, id quod Menandro contigit circà hoc tempus miserè pereunti.

Inimicus Iesu Christo & Mariæ; perniciosissimus Romæ.

Liberi ab eius veneno Christiani per Deiparã.

Quæ opponitur Theriaces inuentioni.

a Andromachus Cretensis inuentor ex Theophilo Raynaudo Chronol.

Annus Christi 82.

B. Virginis Natæ 96. Cleti Rom. Pont. 2.
Et Assumptæ 24. Titi Imp. 1.

I. IMperio Titi, confirmata pax est: at nondum finitæ, sed auctæ calamitates, quas sub immani nequiorum Cæsarum iugo Roma non viderat: cum enim optimis moribus Princeps populorum infortunia miseratus, iter in Campaniam arripuisset, vt partas aspiceret ex Vesuuij conflagratione ruinas, triduo Romam depastum est, (incertum ex quâ causâ) ac deformauit nouum incendium. At verò, si scrutari aliquatenus licet mortalibus diuina consilia, dicere cum Dione [b] historico possumus, aut certâ suspicari, igne fuisse de cælo submissum, imò etiam, quod non agnouerunt eius æui scriptores, voluisse Deum, fana Deorum flammis absumi, quo tempore vbique terrarum Apostoli, eorumque discipuli ac successores erexerant vni Deo templa sub inuocatione Virginis Matris, atque Sanctorum; nam erectis Romæ pluribus ad Fidelium conuentus habendos, auditum est, repente à prodigioso igne corruisse ædes [c] Isidis, Serapidis, ac Neptuni, ipsumque Pantheon, ædificium celeberrimum, ab Agrippâ Augusti genero extructum Ioui, & reliquis mendacibus Dijs: quasi iam tum cedere inciperent Deiparæ, ac Sanctis triumphantibus falsa Numina; sicuti factum deinceps in Pantheo fuit, quod summus Pontifex Bonifacius Quartus, Dei Matri, atque vniuersitati Sanctorum piè voluit dedicatum.

Incendiũ Romæ sub Tito

Absumpsit plurima Deorũ templa.

Et Pantheon quod erat in honorẽ Deiparæ dedicandum.

b Dio in Tito.

c Dio ibid.

II. Ex

II. Ex profanâ historiâ illustrauit præterea hunc annum, solemnis Amphitheatri Flauij dedicatio, quod animo primus Augustus conceperat, deinde Vespasianus inchoarat, ac Titus ipse tandem absoluerat, ædificium planè admirandum, quod Lipsius [a] fusè descripsit. Ad interiorem caueam decliues visuntur fornices, vbi impositi olim sedentium gradus, areolis per certa interualla intercurrentibus, ex tertiâ, altioreque porticu descendebant. Inde ferarum, & gladiatorum certamina spectabantur: sed succedentibus deinceps in Romanum imperium Tyrannis Christiani nominis hostibus, Sanctorum Martyrum gloriæ destinatus est locus, quorum triumphales in morte laureas, intulit quidem cælo Deus, iustus bonorum remunerator: at sanctissima Virgo Dei Mater, & Cælites vniuersi, suos ibi clientes, & commilitones decertantes spectarunt. Alteram fuisse dedicationem dixeris, & quidem nobiliorem primâ, in quâ ferarum [b] tot millia occisa ferantur: quoniam hæc belluas, vilesque animas terris; illa sacrorum Heroum veluti pretiosas hecatombas cælo dedit; sessores vtrobique plausoresque fuerunt, in alterâ mortalium cætus, ipso cadentium sanguine efferata; in alterâ Deipara, & Cælites, victricibus suorum palmis gaudentes. Locus denique cuius admixtæ ruinis reliquiæ vix supersunt, nomen velut vmbram antiquæ magnificentiæ retinet, diciturque Colossæum à Neroniano Colosso in altitudinem centum viginti pedum non procul olim erecto: sed ob Christianorum memoriam, qui ibi fortiter ceciderunt, includitur nunc semirutâ caueâ sacellum D. Virginis, quasi Præsidis, quæ à pietate nuncupationem habet, vt consecratum nostrorum sanguine monumentum, nonnisi Reginæ Martyrum subderetur.

Amphitheatri Flauii dedicatio.

Locus Sanctorum Martyrum gloriæ destinatus.

In quorum certamine fuit amphitheatri altera dedicatio, nobilior prima.

Cedit tandè locus in Deiparæ gloriam.

a *Lipsius l. de Amphitheatro Tit. c. 2. & c.*

b *Dio in Tito l. hist. 66.*

Annus Christi 83.
B.Virg. Natæ 97. Cleti Rom. Pont. 3.
Et Assump. 25. Titi Imp. 2. & vlt.

I. Annis rerum ad Ecclesiam pertinentibus, teste Baronio, magnâ ex parte vacuis, etiam Mariana euenta, quæ nos potissimùm spectamus, aut nulla, aut quampaucissima occurrunt. Ideò, quod hactenus fecimus, sumere ab humanâ historiâ successus, ad sacram non collatione, sed opposiru illustrandam nunc maximè cogimur.

De rebus huius anni nota.

II. Ergò Titus cum Orbis principatum tenuisset, ad duos

Mors Titi. duos vltrà biennium menses, annos natus vnum & quadraginta, inter lacrymas generis [a] humani (cuius amor vocabatur) hoc anno defecit, vltæ Christi necis titulo inclytus, expugnatâ, euersâque Hierosolymâ clarus, & datus vtique à Deo, vt gentem perderet, hostili in Iesum Christum odio, & Mariæ Matris contemptu execrandam. A Christianorum sanguine dum vixit abstinuit: quare licuit ijs, pacis commodo vsis, propagandæ Religioni operam dare, idque habitum est diuinæ prouidentiæ cuncta moderantis beneficium, referendum insuper, post Deum, ad D. Virginis Ecclesiam tuentis patrocinium: cum interim clientium Marianorum animi, ad alteram sub Domitiano persecutionem subeundam cælitus pararentur.

Eius gloria à deuictis Iudæis.

a Sueton. Tito c. ult.

III. Huius etiam fuere temporis illustres, & crebræ victoriæ Iulij Agricolæ in Britannico mari, vbi Romanorum omnium primus, circumfusam vndique pelago Britanniam, adeòque Insulam esse cognouit. De rebus ab eo præclarè gestis testimonia sunt Dionis [b], ac Taciti. Sed inuicti Ducis gloria Domitianum offendit, cuius mandato in præmium victoriarum veneno peremptus creditur. Vsque adeò in humanis eidem sæpe competit vicisse, & vinci; cum is, qui strenuè depræliatus crebrò vicit, fraude vel vi potentioris tandem vincatur, & pereat. At Deiparæ Virginis insignes victoriæ, alterius generis sunt. Vicit illa Christi hostes, vincitque assiduè, ità tamen, vt semper inuicta, semperque victrix, eò sit apud Deum & fortior, & gloriosior.

Victoriæ Iulii Agricolæ.

b Dio hist. l. 66. Tacitus in eius vita.

Oppositæ victoriis Deiparæ.

Annus Christi 84.
B.Virg.Natæ 98. Cleti Rom. Pont. 4.
Et Assump. 26. Domit. Imp. 1.

I. OCcurrunt Domitiani Imperatoris initia, ab Idibus Septembris anni superioris ducta, quando Titus naturæ concessit, & ille in principatu suffectus est fratri. Nihil habuit antiquius nouus Cæsar, quam dissimulatâ ad tempus improbitate, animi vitia virtutum laruis obtegere, vt fratrem ad speciem æmulatus, illo minus æquus à nemine iudicaretur. Editis ergò iustissimis legibus, vt vagam arceret multorum libidinem, seueras adulterijs pænas præscripsit, cum antea peccaretur impunè; itemque plura sanxit cum populorum vtilitati, tum præsertim publicæ honestati maximè consen-

Domitiani Cæsaris initia laudata.

a *Martia-lis l.6.ep.4.*

sentanea, adeò vt Poëta [a] tum viuens, Principi per adulationem blanditus, Vrbis faciem eo præside mutatam argueret, eidemque debere Romam, quòd ex impudicâ, pudica iam foret. Sed cum ex metu legis pœnam minantis, se mortales à publico scelere continerent, cautiùs quam antea in occulto peccantes, inducta nonnisi ad speciem pudicitia videbatur, id quod non dissimulat alter eiusdem æui Poëta [b] Satyrarum scriptor, Vrbis libidines sub Domitiano effusas insectatus.

b *Iuuena-lis Sat. 2.*

Roma à Christianorum cætu pudica, & sub patrocinio Deiparæ.

Cum verò aliquâ ex parte veram tum pudicitiam coleret Roma, eiusmodi laus negari de Christianorum cætu non potest, qui sub immaculatæ victimæ, Agni nempe cælestis vexillo militabat, atque ex Mariâ Deiparâ habebat exemplum virginitatis semper illibatæ. Eâ apud sanctissimum filium continenter perorante pro clientibus suis, vel iuuenes in æstu ætatis constituti, & iuuenculæ inter carnis illecebras enutritæ, reuocari neutiquam potuerunt à proposito integritatis seruandæ, aut promissis amplissimis, aut minis acerrimis Tyrannorum. Itaque ad rem, & aptè Bernardus [c], quoscumque à malis Genijs oppugnatos hortatur, vt si velint Cacodæmonis astus eludere, ad Mariam inuocandam segnes ne sint; fore nimirum, vt ipsa Draconis Tartarei victrix, semper inuocanti propitia sit, aduersus eundem hostem. Ergò cum in ijs qui Christiana sacra susceperant, verè iustior, & sanctior Roma foret; acceptum id vtique referendum Mariæ fuit, in quam potiori iure cadit laus olim per adulationem Domitiano ascripta [d]: *Hoc debet tibi Roma, quòd pudica est.*

c *S. Bern. Homil. 2. sup. Missus est.*

Inuocatio Mariæ perutilis ad carnis illecebras.

d *A Martiali vt sup.*

II. Erat hoc anno in Vrbe apud eundem Domitianum, æquè illi charus ac prius fuerat Vespasiano, ac Tito, Iosephus [e] rerum Iudaicarum scriptor, imò maiori etiam honore affectus, vt de se ipse testatur. Cuius egregium de Iesu Christo elogium, etiam Virgini matri perhonorificum, in Iudaicis antiquitatibus hoc tempore scribebatur. Insigne de nostro Seruatore testimonium Iudæi hominis, centies apud sacros Scriptores memoratum inuenies, & nos eius meminisse debuimus, vt D. Virgini laudes inde comparemus ex ore inimici, qui Christum Iudæus, vel inter Ethnicos agens, cum magni se facere profiteretur, eandem existimationem tacitus deriuabat in Matrem, & apud sui generis homines commendabat [f]. *Eo*, inquit, *tempore fuit Iesus vir sapiens (si tamen virum eum fas est dicere, erat enim mirabilium operator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de Iudæis, quam de Gentibus sectatores habuit) Christus hic erat, quem accusatum à nostra*

e *Ioseph. in vita sua ad finem.*

Iosephi Iudæorum Historici testimonium de Christo.

f *Iosephus Antiq. l. 18. c. 4.*

 gentis

gentis Principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio ceperant: apparuit enim eis tertia die viuus, vt diuinitùs de eo Vates, hoc & alia multa miranda prædixerunt, & vsque in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit. Quæ verba quantum Iudæis Christi & Mariæ osoribus displicuerint, inde colligas; quòd in peruetusto codice [a], vbi Iosephi historiæ è Græco in Hebraicum translatæ legebantur, perfidè sunt & impudenter abrasa: scelus verò Romæ deprehensum, ne vllus pernegandi locus esset, membrana ipsa, acie ferri violata confirmabat. Nec desunt sacrorum librorum interpretes ex Iudæis (Rabbinos vocant) quorum antiquissimis testimonijs astrui possit non solum Christi diuinitas, sed Mariæ matris præstantia, atque illibata semper virginitas. Affert illa copiosè Petrus Galatinus [b], & obiter recenset Canisius [c], ad confutandos Hebræos, Christo eiusq; sanctissimæ parenti obloquentes.

Perfidis à Iudæis abrasũ, sed frustrà.

a Baron. ad an. Chr. 34 num. 226.

III. Sed aduersus istiusmodi homines, inhærentes suorum perfidiæ, in D. Virgine insectandâ verè Deiparâ, sacrorum Doctorum, singulis à partû salute sæculis, stylus non defuit, qui etiamnum illis refellendis feliciter intorquetur, eò certè vtiliùs ac fortiùs, quò indecentiùs & otiosiùs Domitianus ipse Cæsar, circà hunc annum, vt habet Eusebius [d], secretam quotidie quietem captans, ad animi laxamentum, obuersantes sibi muscas consueuit stylo configere; quasi tyrocinium poneret carnificinæ deinceps in Christianos ineundæ.

Sacri Doctores stylo Deiparam defendunt.

Opponũtur Domitiano muscas configenti.

b Galat. l. 7 de arcanis Catholicæ veritatis c. 14. & l. 8. cap. 2.
c Canisius Marial. l. 2 cap. 6.

d Euseb. in Chronico.

Annus Christi 85.
B. Virg. Natæ 99. Cleti Rom. Pont. 5.
Et Assump. 27. Domitiani Imp. 2.

I. Vixisse ad hæc vsque tempora credimus quatuor Philippi Diaconi filias virgines, quarum suprà meminimus, tanquam æuo ac virtute florentium, & præditarum dono vaticinandi. Illæ educatæ apud parentem, cuius sanctimonia in Apostolorum historiâ commendatur, D. Virginis Deiparæ exemplo, virginitatem coluerunt adeò, vt laudem à S. Lucâ [e] eius operis scriptore meruerint, atque ex hoc capite ad Marianum cætum pertineant, ab annalibus non excludendæ. Accessit virginitati, tanquam cæleste donum prophetia, quæ Sibyllis virginibus, fidei lumine destitutis ornamento fuit. De Philippi Diaconi filiabus quatuor præclarum edidit

De quatuor virginibus Philippi diaconi filiabus.

e Act. 21. num. 9.

testi-

testimonium S. Hieronymus [a]: *post crucem Christi, vna domus Philippi Euangelistæ, quadrigam producit virginum filiarum: cumque Dominus in Euangelio dixerit, lex & Prophetæ vsque ad Ioannem; istæ quia virgines erant, etiam post Ioannem prophetasse referuntur*. Idem præterea S. Doctor [b], Paulæ Romanæ peregrinationes exponens, vidisse illam testatur Cæsareæ, cum ædiculis Philippi, cubicula quatuor virginum Prophetidum, consentitque Eusebius [c] in historiâ. Denique Ephesiorum Præsul Polycrates ait, easdem in virginitate consenuisse, tres quidem Cæsareæ immortuas, ac sepultas vnà cum patre; quartam verò spiritu sancto plenam Ephesi ad plures appositam, vt expressum habetur in Romano [d] Martyrologio. Agnitam ab illis in Iudæâ degentibus, fuisse Deiparam, auditam sæpius & consultam par est credere: imò habemus pro comperto, singulas ab eâdem didicisse amorem virginitatis; in quâ cum ad extremam vsque ad senectutem perseuerasse ferantur, tum habuere semper ob oculos exemplar D. Virginis; tum etiam hunc annum à Christo nato quintum, & octogesimum probabiliter attigerunt.

Testimoniũ S.Hieronymi

Et Polycratis.

Agnita ab iis, & audita Deipara.

a S. Hierõ. lib. 1. con. Iouinian.

b Id. ep. 27

c Euf. hist. lib. 3. c. 25.

d Martyr. 6. Iun.

II. Dissimulata vsque adhuc à Domitiano sæuities, incipit tandem erumpere, post ciuium exilia, & cædes, eiectis Vespasiani exemplo Româ philosophis ad præconis edictum. Quid Cæsarem impulerit ad persequendos eiusmodi homines sapientiam professos, varijque generis litteraturâ expolitos, inquirere nostrum non est, cum satis ab Historicis doceatur. Solum exulare coactis à Domitiano philosophis Musonio, Dioni Chrysostomo, Epicteto Stoico, alijsque opponere possumus viros litteris, & sanctitate lectissimos, ope Deiparæ retinentes in Ecclesiâ gradum, quales erant hoc tempore Dionysius Areopagita, Ignatius Antiochenus, & plurimi ex Apostolorum disciplinâ, qui viuentem in terris D. Virginem nouerant: cum è contrario eadem sapientiæ mater, & magistra Sanctorum, huius temporis Hæreticos cælo insultantes retunderet, deijceretque temerarios homuncionum conatus, molientium alteram Nembrothi turrim, vbi veritatis candore corrupto confusio fieret non tam linguarum, quam mentium.

Philosophi à Domitiano Roma eiecti.

Opponũtur sacris Doctoribus Deiparæ studiosis.

Annus Christi 86.
B.Virg.Natę 100. Cleti Rom. Pont. 6.
Et Assumptę 28. Domitiani Imp. 3.

Annus centesimus ab ortu D. Virginis; eoque decurrente trium Virginum Vestalium supplicium.

I. ANnus ab ortu Deiparæ centesimus, cum sexto & octogesimo Iesu Christi ex nostrâ supputatione concurrit; idemque est apud Eusebium memorandus, trium virginum Vestalium supplicio, quod sumi de illis Domitianus iussit, ob violatam contrà susceptæ vitæ iura virginitatem: nam insignes hac laude Antistitas, Deæ Vestæ templo ministrantes, cum stupri compertæ, damnatæque forent, terræ viuas infodit, iudicio, quod iam obsoletum erat, ad vsum reuocato. Licet hic ad rem nostram animaduertere, annum à D. Virginis exortu sæcularem, ab Ethnicis cæteroqui libidini deditis, & sibi licitum putantibus quodlibet scelus, fuisse honore affectum, cum eo potissimùm decurrente, supplicium, quod crudelitas antiquarat, reuocandum censuerint, ad vlciscendum scelus vitiatæ virginitatis, quam falsis Dijs, eorumque superstitioni mulieres addixissent. Datus est hic honor virginum ordini, quarum integritatem templo deuotam, Ethnici tanti fecerunt, vt eius violationem seuerissimæ pœnæ subiecerint. Commendarunt virginitatem semper Græci pariter & Barbari, vt scribit aduersus Iouinianum Hieronymus [a], & virginei status præstantia illis ignota non fuit, apud quos non solùm Sibyllæ virgines, sapientiâ præditæ, ac futurorum præsciæ floruerunt, dignæ planè, quæ vel post mortem, consulerentur in oraculis transmissis ad posteros, seruatisque; verum etiam quæcumque Deæ Vestæ templo ministrabant, nonnisi virgines erant, addictæ potissimùm custodiendo per vices æterno igni, ne quâ vi in Reipublicæ perniciem extingueretur. Earum scelus certis indicijs detectum punitumque vsque eò exhorruere Romani, teste Plutarcho [b], vt obtentu Sibyllini oraculi, Vrbi interminantis exitiū, ad placandos Deos, cladem que auertendam, insontes etiam fœminas duas, totidemque viros, in foro Boario viuos terræ mandarint. E Christianorum cætu hos fuisse censet Cardinalis Baronius [c]; quoniam si quæ mala Ethnici impendere metuerent, ea vt ait Tertullianus [d], tribuebant Christi sectatoribus qui ad leones illicò & supplicia poscebantur.

Quod cessit in honorem eiusdem.

Honor virginitati apud Ethnicos habitus.

a S Hierō. in Iouin. l. 1.

b Plutarc. Probl. R. q. 83.

c Barō. an. Chr. 86.

d Tert. Apolog. c. 2.

II. Vt vt res sit, quanti fieri debeat exacta custodia virginita-

ginitatis in Sanctimonialibus nostris, corporis integritatem in Parthenone professis, documento sunt Ethnici, qui suas virgines insontes præmio, sontes pænâ carere noluerunt. Sed magnum discrimen fuit Christianis, atque Ethnicis in hac virtute insectandâ; quoniam Ethnicorum quidem virginitas fastu non caruit, cum apud eos vitæ flos illibatus quandoque permanserit ad superbiam, agendus non semel in præceps; apud Christianos verò humilis maximè ac modesta cum sit, exemplo Deiparæ Virginis, non existimationem hominum solam, sed diuinam beneuolentiam sibi conciliat, vnique patet ad hospitium Deo, sicuti Maria semper Virgo, Deum hominem factum illibata concepit, ac peperit. Ex quo tempore honorata summopere virginitas est, & plurimos habuit sectatores, aduersus carnis illecebras strenuissimè vsque ad victoriam decertantes, liliàque pro laureis consecutos.

Ethnici docent seruare virginitatē.

Discrimen inter virginitatē Christianorum & Ethnicorum.

Virginitatē honorauit maximè Deipara.

Annus Christi 87.

B. Virg. Natæ 101. Cleti Rom. Pont. 7.

Et Assump. 29. Domitiani Imp. 4.

I. Certissimum Deiparæ Virginis patrocinium, ergà Alexandrinam Ecclesiam, iam pridem sub Marco probè institutam, demonstrauit hic annus, quo Anianus eiusdem Marci discipulus, atque in Episcopatu successor, obito per annos duos ac viginti sanctissimè sacerdotio, & clarus virtutibus excessit è vitâ, numerandus inter Mariæ clientes; quoniam Marci præceptoris, decessorisque sui institutionem secutus, Ecclesiæ non defuit, cuius ille iecerat fundamenta, relictamque sub patrocinio Dei Matris, præsidio eiusdem tutissimo communiuit. Vnde Christiana sub eo res maximè floruit, & Religiosorum ordinum, sacrorumque Ascetarum initia, quæ Marcum auctorem agnoscunt, prouecta adeò sunt, vt Aegyptus vniuersa, tum Ieremiæ vatis exilio, tum hospitio pueri Iesu, magnæque Matris iam pridem consecrata, inanium Deorum superstitionem eiurarit, ac templa vero Deo, sub inuocatione D. Virginis, & Sanctorum erexerit. Ipsi Aniano Alexandriæ dicatam ædem refert Epiphanius [a]: vnde facilè colligas Sancti Præsulis merita, qui & successorem hoc anno in Episcopatu habuit Abilium, magnæ pariter sanctitatis Antistitem, deque eâdem Ecclesiâ, quæ Virginem Matrem impensè coluit, benè meritum.

S. Aniani Alexan. Episc. obitus, & S. Abilii successio.

Epiph. in mar. bar.

II. Sub

Templa falsis Diis a Domitiano excitata.

II. Sub hoc ipsum tempus, augebat Domitianus Cæsar Ethnicorum superstitionem, templis non vno in loco excitatis, quorum ædificia falsis dicata Numinibus, eius æui Poëta [a] suo Principi adulatus commendat; dicens, numerosa eorum molitione, tantùm dedisse Cæsarem superis, vt isti reddere si cogantur, vel immensâ cæli machinâ venditâ non sint futuri soluendo; ridendum planè commentum. At Virgini Deiparæ toto iam terrarum orbe templa surgebant, ad fouendam pietatem Fidelium ergà sanctissimam Iesu Christi parentem, quæ eorum implorata precibus, tot in locis, quot habebat vbique templa, cæli thesauros largè suis inde clientibus reponebat. Iouis arca, vt ait idem Poeta [b], non habuit, quod Domitiano solueret pro delubris sumptuosè erectis: at Mariæ veri Numinis arca, habuit abundè quod redderet sanctis viris, ædificantibus foris lapidea templa sub inuocatione Mariani nominis, & intus Christianos animos exercitatione virtutum in hospitium Numinis conformantibus.

Opposita templis Deiparæ erectis.

a Martialis l. 9. Epigr. 4.

b Idem eod. Epig. 4. l. 9.

Annus Christi 88:
B: Virg. Natę 102: Cleti Rom: Pont. 8;
Et Assump: 30: Domitiani Imp. 5:

Agones Capitolini à Domitiano instituti ad annos numerandos, vti factum est à Græcis per Olympiadas.

I. Annum nostrarum rerum valdè sterilem, nostrum faciunt agones Capitolini, quibus deinceps annos numerandos Domitianus instituit, sicuti iam pridem per Olympiadas, certissimam temporum notam, pari spatio eosdem supputare Græcia consueuit; nam comprehensos vtrobique quatuor annos inuenies, ita vt renouata quinto quoque anno certamina, ab Olympicis quidem ad Olympiam Græciæ vrbem celebratis sub Iunij mensis finem, Olympiadas dederint; à Capitolinis verò Romæ datis ineunte Ianuario, agones Domitiani iussu in vsum induxerint ad mensuram temporum nouam. Vtriusque supputationis, aliarumque quas antiquitas vsurpauit, meminit Censorinus [c], egregius temporum calculator, qui tertio à partâ salute sæculo floruit. Nos verò sicut animaduertimus, annos olim ab alijs populis aliter esse numeratos, vt apud Romanos ab Vrbis conditu; apud Græcos ab Olympiadum exordio; apud Syros, & Orientales plerosque ab initio Seleuci, qui in Syriâ post Alexandrum regnauit; & Constantinopoli ab Orbe condito; ità auctore Dionysio exiguo, profanis numerationibus omissis, quæ etiam Ro-

Apud varios populos varia ratio numerandorū annorum.

c Censor. de die natali c. 14. 16.

mæ diuersimodè ducebantur, in sacram ab ortu Iesu Christi initam, illapsas tandem fuisse videmus Christ anorum Chronologias, apud quos Aera Christi vsurpatur, & ab eo nostræ salutis Vindice vel in tempora inducta sanctitas est.

Aera Christi.

II. Quoniam verò tanti Filij Mater apud nos maximè commemoratur, cui post Christum debemus, quicquid accepimus boni; decet aliam Epocham à nobis constitui, quæ vt illius propria, Mariana dicatur. Hinc ducendum est annalium opus, quod in eius gloriam molimur, annorum serie singillatim decursâ ad earum rerum expositionem, quæ cæli Reginæ, & sæculorum ducis exornandæ vim habent. Sic fecere ante nos, quicumque Mariana euenta distribuerunt vel in ephemeridas, vel in chronica. Instrumenti veteris annales paucis ante annis edidit Iacobus Sallianus, vbi non modò singula ab orbe condito ad Christum natum sæcula recorditur, sed varijs etiam temporum, ac personarum notis opus illustrat: inter quas notas illa est sanè præcipua, quâ ipso initio, progressuque ità quilibet annus percurritur, vt quotus sit ante Christi natalem designetur; cum verò ad ortum Deiparæ, qui sub Augusto Cæsare, & Herode Iudæorum Rege ponitur, Chronistes accedit; tum Virginis Matris anni, ad sanctissimum vsque partum deinceps numerantur, & quotquot viuente Christo illa vixit, donec mortuum, rediuiuum, atque ad superos ascendentem spectauit, suum omnes pariter reuocantur ad calculum; id quod præstat etiam Augustinus Tornielus a in suis chronographicis tabulis, quas ad sacrorum annalium illustrationem expandit.

Marianæ Epochæ constitutio.

Apud varios auctores.

a Torniel. t. 2. Annal. Sacr. ad finem.

III. At nos eorum vestigia secuti, vltrà pergimus in annis Deiparæ recensendis, vt in Chronographia vitæ Virginis factum quoque nouimus à Christophoro b Castrio, itemque percurrimus reliqua, post eiusdem Dei Matris obitum, sæcula; in quæ per annos distribuimus, Virginalem historiam, Aeramque statuimus Marianam, præstantissimam cæterarum, si demas tantùm alteram Christi: ambæ spectant ad tempora nobilitanda, ijsque splendorem afferunt magis, quam Græcorum Olympiades, aut Agones Capitolini.

b Castrius in Histor. Deip. ad finem.

Quam & nos sequimur Aeram Marianam statuentes.

Annus

Annus Christi 89.
B.Virg.Natæ 103. Cleti Rom. Pont. 9.
Et Assump.31. Domitiani Imp.6.

Domitianus vult haberi Deus, & Minerua virgine genitus.

I. HVius anni decursu noua Domitiani occurrit insania, quæ sicuti Iesu Christi ex Virgine nati præstantiam, ipsamque Matris virginitatem æmulari quodammodo ausa est, itá à nobis non est omittenda. Asciscere sibi diuinitatem Cæsar cum minimè erubuisset, inter adulationes Poëtarum, Mineruâ Deâ virgine genitus haberi voluit, & nuncupari palam eiusdem filius, promulgato etiam edicto; cui si quis parere peruicaciùs recusasset, illicò conijcebatur in carcerem, tanquam violatæ maiestatis reus, vt colligitur ex Philostrato Apollonij Tyanæi [a] res gestas persequente. Lapsus in similem amentiam legitur magnus Alexander, qui ob vitæ superbiam dissimulatâ Philippi patris progenie, genitum se Ioue Ammone iactabat, meritò per Cynicum Diogenem à Luciano [b] derisus. Sed aliò spectabat commentis suis Domitiani mens; cum enim Iosepho Iudæo suadente Vespasianus pater, in se detorsisset oracula sacrorum Vatum, promittentium æternum ex Iudæâ Regem, superstes ab illo filius spem eandem concepit, quam vt sibi confirmaret, Palladem virginem parentem asciuit, quoniam nasciturum ex Virgine Regem Prophetæ prædixerant, cuius in Orbe principatus futurus esset æternus. Tam absono cogitatu delirare Principem sapientiores iudicabant, & Christiani, quorum in Iesum Christum D. Virginis filium fides vigebat inconcussa, Cæsaris execrabantur insaniam, quam vero Deo, veræque Dei Matri concurrere temerariâ æmulatione videbant, trahentem vtique ad se priuilegium, diuinitùs horum vtrique concessum; cum doceat Catholica fides; Deum quidem assumptâ carne mortali, ex Mariâ Virgine natum esse; Matrem verò sine virginitatis iacturâ peperisse.

Eius consilii ratio.

a Philost. in Apollo. lib.7.

b Lucian. in Dialogis mortuorû.

Verbum Aeternum sapientia patris, eiusque in terris Mater Virgo Maria.

II. Præterea cum Mineruâ creditâ ab Ethnicis Sapientiæ Deâ, ne committi quidem decet, Virginem Matrem verè sapientum magistram, aut Verbum illud æternum, quod in principio fuisse apud Deum scribit Ioannes [c], diciturque meritò Sapientia Patris; à Domino, vt ait Salomon [d], *initio viarum suarum* possessa. Hoc à Deo seipsum intelligente genitum Verbum, eiusdem cum Patre substantiæ, Orthodoxi credimus

c Io.1.v.1. d Prou. 8. ver. 22.

dimus

dimus & fatemur; atque à Mariâ ſemper Virgine conceptum de Spiritu Sancto vnigenitum Dei, humani generis vindicem: Græci verò fabulatores cum audirent æternum diuinæ mentis partum iactari, nec myſterium capere poſſent; ſuſpicantes ſacramentum eſſe mentibus humanis abſconditum; Palladem commenti ſunt ex Iouis cerebro prodeuntem. Regum ſapientiſſimus Salomon [a] diuinam ſapientiam non vno in loco deſcribit, eamque dicit ordinatam ab æterno, & ex antiquis; ante mundum conditum conceptam, & natam; ſummo rerum omnium opifici coæuam, & cuncta cum illo componentem. Alibi varijs ſymbolis ad eandem graphicè exprimendam reuertitur [b], quam ante ſæcula creatam appellat, Ierichuntinæ ſimilem roſæ, cedro Libanitidi, Sionis cupreſſui, oliuæ ſpecioſæ camporum, & platano ad aquas in ſublime progerminanti; rurſuſque alia multa ſubnectit ad eiuſdem diuinæ ſapientiæ perelegās & figuratum encomium. Detorquent hæc omnia ſacri Doctores ad Deiparam Virginem; cui & per allegoriam accommodant, quoſcumque ſenſus ad litteram aliò eſſe deductos oportuit. Imò Eccleſia cum eius votiuas, feſtaſque memorias recolit, ſiue conceptam, ſiue natam de more commemoret, eadem in ſacris legenda proponit elogia, quibus Salomon regius Eccleſiaſtes, diuinam ſapientiam, humanis adumbratam coloribus, nobis ob oculos ponit. Itaque colligere hinc licet, quantum excellentiæ ad Mariam Deiparam fiat acceſſio, dum Eccleſiæ vniuerſæ ſuffragio aſciſcit ſibi Sapientiæ laudes, & Virgo ſemper illibata, Dei vera Mater exiſtit; ſicuti vel populi iudicio Pallas, falſa fuit parens Domitiani Cæſaris, qui ex patre ſimul ac matre cognitus, genus ſuum diſſimulare nullatenus poterat, dictuſque palam [c].

Falſus Mineruæ filius, caluus Nero;

Vnde Ethnici commenti ſint Palladē natam ex Iouis cerebro.

a Prouerb. ibd.

b Eccleſiaſt. cap. 24.

Diuinæ Sapientiæ laudes accōmodantur Deiparæ.

c Bernardinus Stephonius. Tragœ. Flauia.

Annus Chriſti 90.
B.Virg.Natę 104. Cleti Rom.Pont 10.
Et Aſſumptę 32. Domitiani Imp.7.

I. IN hunc annum ab ortu Ieſu Chriſti nonageſimum, conijcit Petrus Ribadeneira [d] glorioſum obitum Sancti Apoſtoli, & Euangeliſtæ Matthæi, qui cum in ſuâ Euangelicâ hiſtoriâ, plura de D. Virgine conſignarit poſterorum memoriæ, iure ijs adnumeratur, qui optimè de illâ meriti ſunt.

d Ribad. in vita S. Matth. 21. Sept.

S. Matthæi Apoſt. & Euan. martyrium.

Mmmm

ſunt. Lauit ille non ſine fructu nigros Aethiopas, quos vnà cum eorum Rege expiatos baptiſmo, ad Chriſti partes adduxit, donauitque perpetuâ Virginis Matris clientelâ; regiæ filiæ cadauere ad vitam diuinitùs reuocato, eluſiſque Magorum præſtigijs, quos habuiſſe legitur ſui operis aduerſarios.

Iphigeniam Regis filiam inſtituit, & imitatricem facit Deiparæ.

II. At in eo potiſſimum Deiparæ Virginis, & Virginum ducis gloriam ſpectaſſe videtur, quòd Iphigeniam Regis filiam, adeò in amorem Marianæ virginitatis accendit, vt illa ſe vni ſponſo Chriſto integram in Parthenone dicarit, traxeritque exemplo ſuo plurimas ad idem votum. Imò cum Hirtacus demortui Regis frater per vim regnum vacuum occupaſſet, ipſamque virginem eius filiam, & neptem ſuam, copulare ſibi matrimonio vellet, quò ſtabilior foret poſſeſſio; illa hortatore Matthæo perſtitit in propoſito. Quare magno in Apoſtolum odio Tyrannus exarſit, eumque ſacris operantem ad aras ſecuri percuſſit, ſacerdotem ſimul & victimam. Itaque pergratus Deiparæ Matthæus fuit, non ſolum ex defenſâ vſque ad profuſionem ſanguinis virginitate, cuius ipſa vexillum extulerat; ſed etiam quia ſtatu virginum publicè commendato, ſacra earum cænobia, ab Apoſtolis excogitata, in Aethiopiâ primus inſtituit, vbi Iphigenia cum alijs virginibus fermè ducentis, mundi pompas, & carnis illecebras Dei vnius famulatui, ac Deiparæ imitationi poſthabuit. Conſignatum præterea litteris eſt; illuc irrumpente Hirtaco, vt virginem Deo ſacram extraheret, flammas parthenoni palam illatas, viſum eſſe in aëre Matthæum repellere, atque immittere in Tyranni tectum, qui ſeſe & filium incendio ægrè ſubduxit. Sed mox in admiſſi ſceleris pænam morbo & furore correptus ſibi manus attulit. Iphigenia verò cum ſuis virginibus in parthenone morata, ſub vexillo Deiparæ militauit, quâ tandem duce, inſtar columbæ in odorem currentis, ad cæleſtem ſponſum euolauit; nec vnquam ab inito ſemel ſui ſacrificio ſeſe proripuit, ſicuti factum fuiſſe fabulæ iactant de alterâ Iphigeniâ, ceruæ ſuppoſitu ab aris ſubductâ.

Martyrio coronatur Apoſtolus.

Quam gratus Deiparæ fuerit.

Extinguit flammas Parthenoni illatas.

III. Poſt mortem Apoſtolus (quem Virginitatis victimam appellat Hippolytus [a],) ſuum ſacrum corpus manere in Aethiopiâ diu voluit, ad conſolationem Fidelium, quos ibi inſtituerat; at deficiente paulatim fide, beatum pignus in Britanniam fertur translatum; & rurſus poſt annos quinquaginta in Lucaniam, vbi ad milleſimum octogeſimum partæ ſalutis annum, manſit occultum; donec non ſine miraculis detectum, cæleſti admonitu, Salerni ſtabile ſepulcrum habuit, magno

S. Matthæi ſepulcrum.

a Apud Ribaden. 21. Sept.

magno indigenarum bono. Quod verò magis è re nostrâ videtur, præter ædes sacras, eius nomini vbique terrarum erectas, vna, & quidem perantiqua, visitur Romæ; vbi Diua Virgo, ad honorem Apostoli, suam collocari imaginem voluit, prodigijs claram, ex Oriente translatam. Publicis consignata monumentis res ità se habuit [a]. Mercator clam surripuerat sacram iconem ab insulâ Cretâ, vbi pluribus illustrata signis, publicum sibi conciliauerat cultum. Is maritimo itinere per maximas tempestates, à quibus propè fuit, vt obrueretur, In Italiam delatus, Romam venit; ibique morbo lethali correptus, & morti proximus, furtum reliquit amico, per iusiurandum obstricto, vt quamprimùm imago in templum illata, sanctiore Vrbis loco exciperetur. At hominem ab exequendo promisso auocauit vxor, quæ auctor fuit, vt retineretur domi sacrum pignus, ac priuatim coleretur. Quare ter ille in somnis admonitus à Deiparâ; cum non idcircò mandata perficeret, immissâ cælitus morte, pœnam criminis luit. Denique per quinquennem puellam, mortui filiolam, iubetur à Diuâ Virgine mater, iconem addicere templo Sancti Matthæi, Romæ erecto in viâ, quâ iter est a Basilicâ S. Mariæ Maioris, ad alteram sub titulo S. Ioannis Lateranensis splendidè extructam, Summorum Pontificum sedem. Et verò factum hoc [b] tradunt, ante annos ferè centum, & septuaginta, Alexandro Sexto ad Pontificium clauum sedente: cum etiam aliunde constet; ædem illam S. Matthæo Apostolo dicatam, pertinere ad tempora S. Cleti, qui tertius à Petro rexit Ecclesiam; hic enim [c], cum distributos in Vrbis regiones Presbyteros, ad quinos, vicenosque redegisset; peculiarem constituit in suâ domo, quam hic habuit, addixitque diuino cultui; vbi annis subinde labentibus, Christianorum pietas, variorum Pontificum liberalitas, inhabitatio Religiosorum Ordinum, quam Cruciferi primùm, deinde Augustiniani tenuerunt, & Imago Deiparæ, haud dubio Numinis instinctu illuc delata, antiquo S. Matthæi in Vrbe monumento, honori fuerunt.

IV. Hoc anno, cum Domitiani principatus à septimo vergeret in octauum, celebratos ab illo fuisse seculares ludos, colligimus ex ratione, quam iniuit Onuphrius [d]; & quamuis institutio eorum prima ferret, vt centesimo quoque anno repeterentur: spatio nihilominus contracto, identidem anticipati leguntur. Verùm has lætitiæ significationes, quæ statis temporibus in Vrbis natæ memoriam recurrebant, si semel, vt ait Ouidius [e], ætas vna vidisset, necesse non erat iterum

Templum illi Romæ erectum.

Imago Deiparæ ibi locata non sine illustribus signis.

Seculares ludi à Domitiano celebrati.

a Ex monumentis Ecclesiæ S. Matthæi in Merulana.

b Ex ijsdem monumentis.

c Octauius Panciroliis Thesauris Abscõditis Vrbis Romæ.

d Onuph. Panuinus.

e Ouid. l. 4. Trist.

dari: cum è contrario D. Virginis natæ memoriam, cuius iam annus quartus suprà centesimum decurrebat, singulis non annis modò, sed mensibus, diebus, atque adeò horis, in Christianorum cætu esse renouatam oporteat; quoniam quicumque Christum sequimur, illam agnoscimus nostræ felicitatis auspicem, & diei quo fruimur Auroram.

Opponitur Deiparæ festis.

Annus Christi 91.
B.Virg. Natæ 105. Cleti Rom. Pont. 11.
Et Assump. 33. Domitiani Imp. 8.

I. IActa nunc primùm fuere semina, non modò persecutionis crudelissimæ, in Christianos à Domitiano instauratæ, quæ post Neronianam altera fuit: sed etiam relegationis, & exilij, quo Apostolus, & Euangelista Ioannes, Epheso Romam, & Româ in insulam Patmon eiectus est. Discipulus Iesu Christo dilectus, & Mariæ Matris adoptione filius, cum in Asiâ populos institueret, exagitari cepit occasione Apollonij Tyanæi [a], qui hoc anno tanquam præstigiator, & magus, à Domitiano Romam accitus, reusque perduellionis factus, comæ primùm, & barbæ recisæ ludibrium subijt; deinde dum iubetur causam dicere, metu grauioris pœnæ, à conspectu se Domitiani, Dæmonum arte proripiens, Puteolis repente inter amicos apparuit; inde Ephesum migrans, Ioanni feliciter ibidem laboranti, idque vnum maximè curanti; vt auersum à Dianâ cultum, conuerteret in Mariam; magnum parauit apud Ethnicos odium; itemque apud Asiæ Proconsulem, falsâ criminatione traducto, viam strauit ad pœnas. Hinc vniuerso Christianorum cætui, qui palam simulacra Deorum, cultumque damnabat, noua est indicta persecutio, cui præiuit missus in vinculis Romam Ioannes, id quod accidit anno sequenti.

S. Io. Euang. exilium.

a Philostrat. Eusebius.

Eius occasio per Apollonium Tyanæum. Nouæ persecutionis in Christianos initium.

II. Habemus ex Romanâ huius anni historiâ [b], repetitum à Domitiano vetus in Philosophos, & Astrologos edictum, quo genus hoc hominum, iussum est iterum Româ discedere, eò quòd haberetur publicæ tranquillitati, & bonæ Principis famæ contrarium. At opponere Domitiano licet, sanctum Deiparæ Virginis alumnum, Ioannem Apostolum; qui relictus illi à Christo moriente, in solatium orbitatis, diu eâdem magistrâ, & vitæ comite vsus est. Huius enim euangelico oraculo mox edendo, reseruabatur exilium Ebionis, qui

Domitiano eicienti Philosophos.

Opponitur S. Ioãnes indicens Ebioni exilium.

qui hoc tempore Romæ versatus;nec tam philosophus,quam hæresiarcha, in Christi diuinitatem, & Mariæ matris virginitatem bacchatus, Domitiani edictum effugerat.

Annus Christi 92. B. Virg. Natæ 106. Cleti R.P. 12. & vlt. Et Assump. 34. Domitiani Imp. 9.

I. MAgnum illud Asiæ lumen, Ioannes Apostolus in vincula coniectus, ductusque sub militari custodia Epheso Romam, & quòd aduersaretur Deorum cultui, apud Domitianum accusatus impietatis, illustrauit hunc annum. Imò notabilior fuit eius captiuitas, quòd persecutioni iterum in Christianos excitatæ fecit initium; & insuper integerrimum virum, D. Virginis cognatione, & conuictu memorandum, extremâ senectute Tyranno vinctum obiecit. Itaque coram eo iussus causam dicere; & mox in dolium ingens immissus olei, ab igne supposito feruentis; tandem cum ab eiusce cruciamenti genere illæsus, & integer euasisset, in Patmon, Aegæi maris insulam, exul eijcitur. Huius in Asiâ labores, auspice Virgine Deiparâ olim suscepti, eâdemque apud Deum patronâ deinceps feliciter ducti, eò peruenerant; vt Apostolus euersum viderit magnâ ex parte Ephesiæ Dianæ cultum, lapsumque ad suas preces diuinitùs eius templum; vnde ex Ethnicorum colluuie sectatores plurimi accessere Christo, ijdemque Mariæ matri, vt Cælitum Reginæ, vnanimiter supplicarunt. Romæ in vinculis à Fidelium cætu conspectus, venerationi pariter, atque exemplo omnibus fuit, eo præsertim nomine suspiciendus, tum quòd in vltimâ Christi cum discipulis cænâ, super Magistri pectus reclinato ad quietem capite, diuinæ sapientiæ fluuios illinc hausisset; tum etiam quia reuerso ad Patrem per triumphum rediuiuo Iesu, Mariæ Deiparæ cessisset in filium, eius custodiæ, ad reliquum vitæ cursum, in terris addictus. Certè magna hæc Mater; quæ iam Romæ non vno in loco religiosè colebatur; in Ioanne animatum sibi templum inuenit, in quo sui partus memoria per multiplex virtutum specimen iugiter excitabatur. Cum verò athleta vegetior ab olei præferuidi vase, correptis flammâ lictoribus, iussus est in insulâ Patmo exulare, quasi vera felicitas secum illò migrasset, incolis cælum aperuit, atque in eo æternum Christi regnum, Mariæ matris solium, & præmia Beatorum indicauit. II. Ex

S. Io: ductus Epheso Romam in vinculis.

Eiusdē exilium in insula Patmo.

Quantum in Asia laborarit auspice Deipara.

Romæ venerationi habitus.

Quā gratus Deiparæ.

In insula Patmo indigenis salutatis.

Reuocatus ab exilio Nerua Cocceius.

II. Ex Romanis rebus, cum Ioannis exilio concurrit, reuocatus in Vrbem Nerua Cocceius, quem anno superiore exulem Domitiani edictum expulerat, & nunc tandem Cæsar longæuo seni ad consulatum ascito, viam strauit ad solium; in quo illum habuit successorem. Alter quidem commercio terrarum exclusus, cum solitarius ageret in secessu maritimo, cælestis Hierosolymæ spectator euasit, eam pariter descripturus in chartis, ad hominum eruditionem illuc tendentium: alter verò ab exule consul, & mox etiam Imperator futurus, tantum Vrbi non profuit, tractatis imperij insignibus; quantum Ioannes exilio & solitudine Orbi terrarum. Vsque adeò, qui Mariam Dei matrem olim *accepit in sua* [a] is instar Aquilæ nobilioris, suprà Romanas Aquilas volatum explicuit.

Opponitur Ioanni exulanti, qui quantū profuerit ostenditur.

a Io: 19. v. 27.

Annus Christi 93.
B.Virg. Natæ 107. Clem. Rom. Pont. 1.
Et Assumptæ 35. Domitiani Imp. 10.

S.Cleti Martyrium concurrit cum exilio S. Io.

I. EXilio S. Ioannis accessit sancti Pontificis Cleti martyrium, quod post duodecimum sedis annum, fuit præludium alterum persecutionis nouæ in Christianos excitatæ: relegatus enim Ioannes, & Cletus occisus, innumeris cædibus præiuere Sanctorum, qui sub Domitiano fortiter ceciderunt. Non mediocre solatium extremâ vitâ Cleto fuit; videre Romæ, & alloqui magnum Ecclesiæ columen, Christo Domino in terris agenti charum in primis, atque eo etiam capite suspiciendum, quòd diu apud D. Virginem commoratus, videbatur Orbi, tanquam pignus ab illâ relictum, plurimùm vtique ex eâdem referre. At vnum de Cleto memoriâ dignum sacræ tabulæ notant, vbi expressum legitur, distribuisse illum ex institutione S. Petri quinos, vicenosque Presbyteros in totidem Vrbis partes, ritè per sacrorum procurationem moderandas; quæ deinde partes, ad habendas Fidelium Synaxes, Ecclesiarum ac Titulorum accepere nomen. Prima Deiparæ cessit, in cuius honorem condita trans Tyberim est perinsignis Basilica, quæ sexcentis in Vrbe sacris ædibus eidem Dei Matri dicatis præiuit, vt infrà suo loco dicemus. Cleto in Pontificiâ sede successit Clemens, primæ inter Romanos nobilitatis, ex Imperatorum stirpe, & Domitiani Cæsaris consanguineus; sed longè nobilissimum fecit, Di-

S. Cletus distribuit in Vrbem Presbyteros.

Idque cessit in Deiparæ honorem.

Succedit Cleto in Pontificatu S. Clemens.

a Cornel. à lapide in c. 14. Apoc. refert testimonium S. Ignatij.

uæque Virgini apprimè gratum virginitas, quam tum integram seruauit in se, ex [a] Ignatij Martyris testimonio; tum etiam alijs pluribus exemplo persuasit, & verbo; vt numerosum Virginum Virgini pararet exercitum. Ioannis Româ in exilium abeuntis casum, secuta est sanguinea in Christianos per Domitianum procella; & vix ille digressus, Patmon insulam attigit; cum & loci colonis, per aperta fidei Christianæ mysteria, & sacris athletis vbicumque pro eadem fide certantibus, magistram Religionis, & Martyrum adiutricem conciliauit Mariam.

S. Io: in exilio vtilitas.

II. Nouâ hac ineunte clade, vexati leguntur è Ioannis disciplinâ potissimùm bini, nec indigni tanto Magistro auditores, eoque nomine clientes ambo Mariani; alter quidem Antiochenus [b] Ignatius, qui scribens ad Mariam Cassobolitem, spectatæ sanctitatis fœminam, tum Clementis meminit, in summo Sacerdotio paulò ante Cleto suffecti: tum etiam addit; se alienæ potestatis factum, exilijs, custodijs, vinculis exagitari: alter verò Antipas sub hoc tempus in Asiâ perillustris Martyr. Illa fuere Ignatio tormentorum præludia, & prima certaminis tentamenta, ad mortem suo tempore inter leonum vngues, dentesque subeundam: ijs cum fortiter heros adijceret animum, iam tum se probauit Cælitum choro, ac præsertim Mariæ Deiparæ suæ, verè Theophorum, quo nomine palam salutabatur. Verùm Antipæ Domitianus sæuitiâ fuit alter Phalaris, cuius ille iussu in æneum, candentemque bouem inclusus, præbuit se *testem fidelem* (sic eum appellat Ioannes [c]) Euangelicæ veritatis, natique ex Mariâ semper Virgine pro humanâ salute Filij Dei.

b Ignat. ep. 4.

Duo eiusdē discipuli in hac clade vexati.

c Apocal. 2. ver. 13.

III. In Romanis rebus notatur hoc anno Domitianus erigendis, dicandisque sibi vt Deo statuis occupatus: in eiusmodi vesaniam ostentandæ diuinitatis iam pridem venerat; seque Deum, ac Dominum nominari palam edixerat; sed eò tandem amentiæ prouectus est, vt coli etiam in imaginibus, signisque dedicatis voluerit, id quod in præsentem incidit annum. Ausis humanam conditionem excedentibus nec cælum annuit, nec terra plausit; cum tactas desuper statuas, post mortem Cæsaris solo afflixerint, & comminuerint popularium manus. Huc euaserunt diuini honores ab eo vsurpati, quem indignum etiam humanis, exitus commonstrauit. E contrario Iesus Christus, & cum eo Virgo parens, stabiliùs, firmiùsque in imaginibus colebantur, quæ per totum orbem dispersæ, receptæque nullo impietatis conatu aboleri posse visæ sunt:

Domitianus erigens sibi simulacra vt Deo.

Opponitur Iesu Christi, & SS. Matris vero cultui.

ſunt: quin imò Sancti ipſi, vbique terrarum necì traditi, viua erant Numinis ſimulacra, morum imitamentis ad Chriſti, & Mariæ ſimilitudinem conformata, quæ eò numeroſiùs pullulabant, quò magis oppugnabantur. Horum gloriam cælo deberi diceres, inanes Cæſaris faſtus tenebris inferorum.

Annus Chriſti 94.
B.Virg. Natæ 108. Clem. Rom. Pont. 2.
Et Aſſump. 36. Domitiani Imp. 11.

I. ANnus ſequitur planè cruentus, quo in perpetrandâ noſtrorum clade ſæuitiem pluſquam Neronianam Domitianus exercuit adeò, vt meritò altera fax, & portio Neronis dictus ſit. Eo principe non Vrbs modò, ſed Orbis vniuerſus theatrum euaſit, vbi Chriſtiani Heroës cum Tyranno congreſſi, nouum de ſe ſpectaculum exhibuere Cælitibus. Conſtat ſanè victricia Martyrum capita, ingentem expleuiſſe numerum, quibus in Mariâ Deiparâ altera poſt Chriſtum ſpes fuit; eiuſque Martyrum Reginæ interuentu, atque auſpicijs benè pugnarunt. Acilium Glabrionem Exconſulem, nobiliſſimum virum, à Domitiano interfectum, ex ijs quæ de eo mandata litteris legimus à Dione [a], colligere, aut ſuſpicari licet, ob relictum Deorum cultum, & Chriſtiana ſacra ſuſcepta vltimum ſubijſſe ſupplicium; cum Ethnicus Hiſtoriographus aſſerat, impietatis damnatum, quòd ad Iudæorum ſectam tranſiſſet, dediſſe pænas. Atqui Iudæorum nomine, etiam Chriſtianos, qui ab illis deſcenderent, fuiſſe intellectos, apud quoſcumque vel mediocriter eruditos eſt in confeſſo. Si res ità ſe habuit, memorandum viri Conſularis exemplum, quod Chriſtianæ fidei propagandæ, aduersùs Domitiani conatus, ſummopere profuiſſe credendum eſt, ſingulare fuit diuinæ clementiæ beneficium, aſcribendum vtique patrocinio apud illam Deiparæ, quæ iam tum Vrbem elegerat, in ſedem præcipuam Religionis, & ſuam.

Secunda Chriſtianorũ perſecutio per Domitianum.

Martyribus Deipara propitia.

Acilius Glabrio exconſul à Domitiano interfectus creditur fuiſſe Chriſtianus.

a Dio. in Domit.

II. At Iudæorum Romæ agentium noua vexatio, quâ acerbiſſimè actus eſt, Suetonio [b] teſte, Iudaicus fiſcus, fuit miſeriarum auctarium, ad vindictam recrudeſcentem prauæ nationis, in Chriſtum, & Mariam animum hoſtilem vndecumque profeſſæ. Noua illi, adeòq; grauia ſunt indicta tributa, vt pro ſingulis arboribus ruris, quod conduxiſſet, certũ vectigal pendere iuberetur; cum cæteroqui ad extremam egeſta-

Noua Iudæorum vexatio.

b Suet. in Domit. c. 12

tem

tem redacta, vltrà fænum, & cophinum possideret nihil; vitæque vtcumque sustentandæ, panem ostiatim cibarium mendicando conquireret, eâ de causâ Satyricorum [a] conuicijs, & maledictis exagitata. Nec miramur, eò deuenisse miseriarum Romæ Iudæos, postquam à Iesu Christo, & Mariâ Deiparâ defecissent; si prius Messiæ intuitu, ex eorum sanguine nasciturі, missâ de cælo ciborum lautitiâ liberalius sunt excepti.

Eorundem inopia, & miseriæ quò referantur.

a Iuuenalis & Martialis.

III. Denique ex Romanis rebus, incidit in hunc annum, Eusebio [b] teste, Corneliæ Vestalium maximæ, crudelissimum sub tyrannide Domitiani supplicium; cum indictâ causâ, absens incesti damnata, an innocens, & sceleris omninò pura, non liquet; certè tanquam nocens humi viua defoditur, quoniam (vt ait iunior Plinius [c]) suum illustrari sæculum hisce crudelitatis exemplis, Domitianus arbitrabatur. At longè felicissima fuit, omnibus sæculis Virginum Christianarum conditio, quæ virginitate seruandâ Deiparæ vexillum secutæ sunt; ea enim Vestalis ad iniustum acta tribunal, accusat quidem ad posteros immanitatem Tyranni: at non ideò se ipsam absoluit; de quâ adhuc incertum remanet; an insons occiderit; & siquam adepta est gloriam, fortiter obeundo; eam secum habet omninò sepultam: dum è contrario virgines nostræ, inter enses & flammas, sub Mariæ ductu, innocentiam tuentur suam; Tyrannisque frementibus cælum ascendunt, & iugiter honorantur in terrâ.

b Euse. in Chron.

c Plin. l. 4. epist. 11.

Corneliæ Vestalium maximæ supplicium.

Opponitur conditioni Virginum Christianarũ.

Annus Christi 95:

B: Virg. Natę 109: Et Assump: 37: — Clem Rom: Pont. 3. Domitiani Imp. 12:

I. ORtum inter Christianos Corinthi dissidium, Romanus Pontifex Clemens, scriptâ ad eos epistolâ, sedare ac tollere hoc anno nititur, vt commotas altercantium mentes, dignæ Christiano cœtu paci restituit. Eius operis, quod ingenti posterorum infortunio, nusquam hodie integrum reperitur summam Irenæus [d] descripsit, dum ait; illo auctorem egisse, *de fide, quæ in Deum esset, & Ecclesiæ traditionibus*. Itemque quod ab Apostolis iam pridem accepisset, in Veteri Instrumento præsignatum, tanquam in synopsi quadam, obiter attigisse. Eruditè verò, aptèque Baronius [e], laudatæ à pluribus epistolæ, hodieque deperditæ, varia fragmenta re-

Epistola S. Clementis Papæ ad Corinthios.

d Iren. l. 3. cap. 3.

Indicatur ab Irenæo.

Et restituitur à Baronio.

e Bar. an. Chr. 95. n. 1.

ta recitans ex antiquis Patribus, qui eam legerant; tan quam simulacrum confractum, & in aliquibus partibus tantùm superstes, reddere vt licuit conatus est. Ductu igitur tanti viri, opus egregium iterum saltem ex parte compingentis, dum illud consideramus, subit occasio dubitandi; num quid eâ epistolâ de Diuâ Virgine traditum contineretur: vbi enim, Irenæo teste de Patriarchis, de Mose, de Abrahamo, de Prophetis, deque Apostolorum doctrinâ ex professo ageretur; certè non deerat ratio; cur mentionem fieri addeceret Deiparæ; per quam felicitas omnis in genus humanum est deriuata. Præterea cum oratio tota, ad pacandos Corinthiorum animos directa, tenderet in Iesum Christum, hominis Liberatorem, ac Vindicem; commemoratione aliquâ D. Virginis eius Matris, videbatur non posse carere. Sed valeat eiusmodi coniectura, quanti fieri illam sapientum arbitratu par est. Etiam si ponamus; non fuisse in epistolâ Clementis, vllam Dei Matris memoriam, aut nominationem expressam; admissum certè qualecumque de tantæ dignitatis, excellentiæque personâ silentium, non vacabit mysterio; imò in eius laudem redundabit.

An in ea mētio aliqua fuerit de D. Virgine.

Si nihil dictū sit, id nō vacauit mysterio.

II. Venit in mentem narrationis, quam identidem exhibet sacra Euangeliorum historia, vbi de Sanctorum virorum laudibus expressa leguntur testimonia. Ioannis Baptistæ Præcursoris conceptum, ortumque refertum miraculis fusè prosequitur S. Lucas. Rursus heroicas viuentis virtutes, non vno in loco prædicant alij, illatæque eidem ab Herode cædis seriem Marcus enarrat. At verò de Virgine Deiparâ, quæ excellentior Ioanne fuit, nihil horum Euangelistæ scripserunt; cum in sacrâ Instrumenti noui paginâ non expositio virginei conceptus, non natiuitatis, non gloriosæ in cælum Assumptionis narratio vlla texatur. Insuper vbi apud Matthæum exponitur legatio Gabrielis ad Virginem, Verbum æternum nunciantis, humanam naturam in vnâ hypostasi suscepturum, ad nominationem Iosephi Deiparæ sponsi, regia viri ex Dauide prosapia prætermissa non est, quæ tamen excellentia nominatæ ibidem sponsæ non additur, licet eiusdem illa cognationis esset. Denique Apostolorum historia, quæ Pauli & Sociorum labores, Iacobi maioris necem, Petri carcerem; aliosque successus Ecclesiæ nascentis, Lucâ scribente persequitur, & reliqua Apostolicarum Epistolarum canonica scripta, Mariæ Dei Matris vix meminerunt, quam scimus Christiani cætus partem fuisse potissimam, dignitate & præroga-

In Euangelio plura de S. Io. Baptista testimonia.

In sacris literis D. Virginis mentio parca.

rogatiuis spectandam. Et verò sacris Historicis in eius commemoratione adeò parcis, visus est exemplo præiuisse Christus [a], qui ad vrbis Canæ nuptias semel, iterumque instante morte sanctissimam Virginem allocutus, non compellauit dulcissimo matris nomine, in maximam vtique illius laudem abituro, sed vocare placuit vocabulo communiore mulierem.

a Io: 2. v. 4. & 19. v. 26

III. Huius de rebus Deiparæ, aut silentij, aut parcissimæ mentionis causam reddit, vir eruditione ac pietate clarus, Burgensis Antistes Paulus [b], eamque ascribit heroicæ humilitati ipsius Virginis, de se adeò demissè, modestèque sentientis; vt pro Deiparæ dignitate; pro conceptu, natalique sancto; pro vitæ innocentiâ; pro cæli, terræque Reginæ titulo, laudibus vni Deo omnium auctori relictis, silentium de singulis apud homines seruari vellet; seque ancillam humilem communis Domini, qualem in cantico professa est ad Elisabetham, agnosceret prædicaretque. Hanc eius mentem non ignorarunt sacri Scriptores, ideòque moderante calamum Numine, plurima quæ illi in decus & laudem cessissent, præterita voluerunt; idque dumtaxat litteris consignarunt, quod spectabat ad fidei Christianæ mysteria, nobis Deo reuelante credenda. Eius generis fuit; ex illâ *Dei filius homo factus & Verbum caro:* itemque Maria Dei parens, solâ Spiritus Sancti virtute, mater simul & Virgo; tantæ demissionis, modestiæque puella, vt oculos senserit summi Numinis in se vnam peramanter conuersos, ideòque instar oraculi dixerit [c]; *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ*. Hanc ipsam virtutem in Virgine nostrâ plusquam heroicam, vltrò concedimus, fuisse in causâ; vt virtutum omnium nobilissimum ædificium tolleretur; eæque modesto silentio tegerentur potius, quam expressæ Scriptorum laudationi subessent. Itaque affirmare nunc licet, cum Antistite modò laudato Burgensi; Historicos eius æui sanctissimos, retexendæ Iesu Christi vitæ, Ecclesiæque primordijs enarrandis intentos, tanquam testes oculatos, consultum voluisse Dei Matris humilitati; cui nimirum obsecundantes, paucissima omnino certa de illâ transmiserunt ad posteros, plurimis maximisque in Cælitum annales reseruatis, quæ in Verbo diuino semper à Beatis legantur.

b Paulus Epise Burgensis.

Ad Heroicā D. Virginis humilitatem refertur, quòd sileri, aut parcè memorari voluerit.

c Luc. 1. v. 48.

IV. Sed quò magis abstinuere primi Scriptores, à rebus datâ operâ recensendis, quæ Deiparæ Virginis erant; eò vberiùs pleniùsque de iisdem verba fecerunt, qui sæculis deinceps labentibus vsque ad nostram ætatem, scripto sacras historias sunt prosecuti. Illi quidem per diuinas scripturas digito

Scriptores Neoterici in D. Virgine laudanda plenissimi.

Numinis exaratas, nota voluerunt hominibus ea tantùm, quæ designauerat, iusseratque Deus, omnium auctor, habito in Diuâ Virgine commendandâ ad modesta illius sensa respectu: alteri verò aut Sanctorum Patrum testimonijs, rebusque per Seniores traditis inhærentes, aut consequenter ad ea, quæ habebantur certa ratiocinati, aut vsi tantùm verosimilibus coniecturis, de Virgine matre, eiusque mysterijs plenissimos in lucem commentarios ediderunt; qui tot tantique hoc æuo iam sunt, vt in maximam vndecumque bibliothecam excreuerint, qualem indicatis exemplaribus, & recitato auctorum syllabo, in duplex volumen distribuit Hippolytus Maraccius [a], ex Clericis Regularibus Matris Dei, vir de eâdem optimè meritus, quique mihi ad Marianos annales facem in multis prætulit. At aliter idem opus aggressus nuperrimè Petrus [b] de Aluâ ex Franciscanâ familiâ, cui de Obseruantiâ nomen, exemplaria singula prælo subiecta, in vnum corpus redigere meditatur. Itaque videtur planè remunerari voluisse Deus tantâ Scriptorum copiâ modestiam Virginis, cuius causâ sub ortum Ecclesiæ, plurima, vnde laudum accessio Deiparæ fieret, vel scripta non sunt, vel si scripta, ad nostras certè manus non peruenerunt. In eorum album, qui de Diuâ Virgine Ephemeridas, Chronica, Kalendaria, Menologia, aut cuiuscumque generis tractationes instituunt nos admissi, tum res ab eâ gestas ante mortalitatem depositam, tum alias quæ post ductum ad superos gloriosè triumphum illam quomodocumque respiciunt, pro tenuitate nostrâ in singulos distribuimus annos, certi iam non amplius licere silentium, quando ad Deiparæ laudes, in linguam, aut calamum totus ferè mundus abiuit.

Et hoc æuo plurimi.

Auctor Annalium Marianorum.

a Hippolyti Maraccij Bibliotheca Mariana.
b Altera Petri de Alua.

V. Vt verò ad Clementem Pontificem redeamus: compertum est ex D. Hieronymo [c], præter epistolam ad Corinthios datam, cuius suprà meminimus, scripsisse illum & alias plures, in quibus, cum vt S. Doctor testatur frequentissimi sermones habiti sint de præstantiâ virginitatis, asserere vtique licet, formam ibi traditam esse vitæ ducendæ ad exemplar Virginis virginum ducis, quam formam cum in se ipso Clemens auctor epistolarum expresserit, quia virgo prædicatur à Sancto Ignatio [d], inhærens maximè exemplo Virginis matris; quod scripto docuit, facto probauit. Insuper in eâdem Deiparâ honorandâ sibi non defuit, tum eius cultu per se ipsum amplificando, tum etiam per sacros Antistites, quos ritè initiatos ad regimen populorum per Orbem Christianum distribuit.

S. Clemens scripsit de præstantia virginitatis; seu vitæ ducendæ ad exemplar Deiparæ.

c Hieron. Aduer. Iouin. lib. 1.
d S. Ignatius vt suprà.

VI. Sub

VI. Sub hoc ipsum tempus occisos à Domitiano plures Romæ, cuiuscumque conditionis homines, causâ vel leuissimâ, vel nullâ, protert Dionis [a] historia: neque enim, eo teste, in solos Christi asseclas desæuijt Tyranni crudelissimi gladius; sed ex aulicis, ciuibusque Deorum cultoribus, vnum iussit interfici Cæsar, quòd descriptum graphio orbem terrarum haberet domi; alterum ob laudatum pro concione sophistam; tertium, quòd functus quæsturâ, nullum deinceps magistratum quæsiuisset. Omninò contraria erat vel fontium apud Christum & Mariam conditio, quando illos grauissimorum criminum reos anteactæ vitæ pæniteret, & pro noxis veniam ex corde petentes, audiri contingeret ad diuinum tribunal; vbi aduocato apud Patrem Christo, & Mariâ deprecante misericordiæ matre, nacti sunt absolutionis sententiam, vt conuerterentur, & viuerent.

Occisi à Domitiano plures leuissima, vel nulla de causa.

Opponuntur fontibus post pænitentiam à Christo, & Maria recepti.

a Dio. hist. l. 67. in Domit.

Annus Christi 96.
B. Virg. Natæ 110. Clem. Rom. Pont. 4.
Et Assump. 38. Domitiani Imp. 13.

I. Memorandum fecit hunc annum, absolutus à Iosepho Hebræorum Historiographo, de Iudaicis antiquitatibus commentarius, quem libris viginti comprehensum, vt præclarum nationis eiusce monumentum habemus. Opus hac vnâ ex parte respicit nostros Annales, quòd auctor Iudaicæ cæteroqui perfidiæ tenax, quo tempore Christi in crucem acti gloria radiis toto iam orbe diffuderat, & Maria Dei Mater signis vbique gentium editis, virgam se Iessæam esse probauerat, multiplici ratione florentem; negare tandem scripto non potuit, quod ore sæpius pernegarat; & si cæteroqui constat, nec renunciasse illum Hebraismo, neque sentire cum suis vnquam desijsse. Itaque mirum non est, si loci suprà à nobis indicati lectio, alia olim erat ab illâ, quam nunc vulgati codices exhibent: vbi enim laudato Iesu, latina versio ducebatur in hæc verba: *Christus hic erat*; àliter fuisse redditam ex Græco volunt, interprete S. Hieronymo: *credebatur esse Christus*.

Iosephus Iudæus absoluit commentarium de rebus Iudaicis.

Quomodo id opus pertineat ad D. Virginem.

Corrupta loci de Christo lectio.

II. In hunc Domitiani annum, vel certè in aliquem ex ijs, qui circà eundem decurrerunt, conijcimus ex Romanâ Dionis [b] historiâ, conuiuium ad speciem planè horrendum, quod primoribus Senatorij, & Equestris ordinis Cæsar exhibuit.

Ferale Domitiani conuiuium.

b Dio vt suprà in Domitiano

buit. Aedibus vndecumque ad parietes, ad laquearia, ad pauimenta pullatis, noctu absque comitibus subiere conuiuæ: mox vnicuique inter horrores discumbenti, ad columnam instar sepulcri excitatam, paruus ab eâ lychnuchus, vt in monumentis, lucebat. Tum nudi pueri, atramentoque obliti, ac si spectra quædam forent, feralem mensam horribili saltatione circumeunt, in speciem potius exequiarum, quam epuli. Alia his similia, in eius descriptione conuiuij narrat Historicus.

Opponuntur illi pia hilaria Christianorum sub B. Mariæ patrocinio.

Sed opponere tenebrarum spectaculo licet pia Christianorum hilaria, ad quæ id temporis Iesu Christi asseclæ, & Mariæ clientes conueniebant; vt commemoratis quæ recepissent cælitùs beneficijs, in gratiarum actionem laudes frequentissimi decantarent, conuiuio cælesti vel in ipsâ morte excepti, quod immortalis vitæ foret initium.

Annus Christi 97. B.Virg.Natæ 111. Clem. Rom.Pont.5. Et Assump.34. Domitiani Imp.14.

S. Io. videt ac describit mysticam Apocalypsim.

I. CVm esset sub finem imperij Domitianus, visa fertur ac descripta à Ioanne Apostolo, in suo ad Patmon exilio, mystica Apocalypsis, vt Irenæus [a], qui sequenti sæculo floruit, expressè testatur. Sacrum illud spectaculum sancti exulis menti oblatum, atque ab eo ad instructionem posteritatis expositum, in annum hunc Domitiani penultimum conijcitur ab Historicis. Relegato ad Aegæi maris recessum Apostolo Vrbem clauserat edictum Cæsaris; cum ei superior patuit Mundus, & patria illa Cælitum se visendam obtulit, in augustissimæ vrbis speciem conformata; vbi aurum calcatur, atque ex vnionibus constructa sunt mœnia. Hinc eodem auctore liber extitit, symbolis, & ænigmatis inuolutus, ad futura arcana, recondita, & retrusa præsignanda. Subobscurè diuina in eo maiestas innuitur sublimi in sede; & cælestis Agnus, in speciem victimæ immolatæ, resignandis septem voluminis magni sigillis admotus. Rerum verò futurarum significationes haud dubiæ, varium pro tempore Ecclesiæ statum, & maximè memoranda vtriusque temporis euenta, prospera & aduersa ex ordine notant, vt quodque sigillum soluitur. Adumbratam hic etiam peculiariter fuisse Dei Matrem, eiusmodi scripturæ interpretes censent, vbi & lectissimos quosque Diuorum, ex veteri, nouâque lege, per Seniores viginti

Plura eo libro symbolis adumbrata.

Et præsertim Dei Mater.

a Irenæus lib. 5.

viginti quatuor indicatos agnoſcunt; per quatuor animalia Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptores totidem; & per lucentes iugiter ſeptem lampades, ſeptem Angelorum Principes, diuino ſolio adſtantes repræſentari. Præſtantiſſimam cæleſtis Hieroſolymæ partem, qualem Diuam Virginem profitemur, præteriri non decebat, ab Apoſtolo deſcribente ſub varijs typis ſanctam illam ciuitatem, vbi Deus regnat, cum innumerabili cateruâ Sanctorum, & per Deiparam ipſam, tot, tantàque ſuæ Eccleſiæ dona largitur. Equidem detorquere huc poſſum, quod de eâ dicebat S. Antoninus [a]: *Cum ſit ſecundùm Chriſtum omnium nobiliſſima, per quam Deus ſuam prouidentiam, & in homines miſericordiam peculiari ratione exercet, præcipuè commemoranda videbatur.* Atque id factum eſt, cum reducto ſuperni veluti theatri ſipario, in ſublimiore cæli parte ſplendidus Dei Thronus apparuit, quem à ſe in exceſſu mentis viſum Ioannes [b] affirmat. In hanc ſententiam eruditè ac piè diſſerit Petrus Antonius Spinellus [c]; qui ex vniuerſo SS. Patrum Senatu, cum eos recenſuiſſet, quotquot Diuam Virginem Dei Thronum pro concione dixerunt, clarè argumentis euicit; ſub eiuſmodi verborum integumento, ac veluti ſymbolo quodam, illam oſtenſam eſſe, indicatamque Ioanni. Id etiam latè nos expoſuimus in Apparatu [d], cum ſternentes annalibus viam, diuinæ Sedis ex Apocalypſi ſacrâ deſcriptionem, tanquam Mariæ Deiparæ congruentem, afferremus in medium. Nunc ſatis eſt id vnum animaduertere; excellentiam Virginis à Ioanne iam diu cognitam perſpectamque, hoc anno ad inſignem mentis raptum recognitam, redditamque libro, laudibus eiuſdem Dei Matris, quas conſequentia tulere ſubinde ſæcula, præiuiſſe.

Quam præteriri non decebat, vt partem cæleſtis Hieroſolymæ potiſſimam.

Quando ſit ea indicata.

a S. Anton. 4. par. tit. 15 cap. 20.

b Apoc. 4. ver. 2.

c Spinellus de Maria Deip. Throno Dei c. 2.

d Appar. n. 5.

II. Habemus prætereà compertum; vltimis hiſce Domitiani temporibus, non ſolum exagitatos crudeliter fuiſſe edicto Cæſareo Chriſtianos; ſed odium quoque renouatum in ſtirpem Dauidicam, quod Chriſti quoque ac Deiparæ memoriam inſequebatur, cum ambos conſtaret ab eâ ortum duxiſſe. Scribit enim ex Hegeſippo æui illius Hiſtoriographo Euſebius [e]; quoſdam id temporis ſuperſtites Iudæ nepotes (quem Cleophæ filium, inter Chriſti & Mariæ cognatos teſtimonia Euangeliſtarum adnumerant) adductos ad Domitianum fuiſſe, metu perculſum (ſicut olim Herodi Iudæorum Regi contigerat) ne regnum amitteret ab iſtâ progenie, vnde Orbi affuturum hominem cum ſtabili æternoque imperio, ex antiquiſſimis circumferebatur oraculis, ac traditione maio-

Odium Cæſaris in ſtirpem Dauidicam renouatum.

e Euſebius hiſt. lib. 3. c. 35.

rum

rum, Itaque comperto, esse homines abiectos, & agrorum culturæ deditos, quod & corporis durities, obductumque manibus ex labore multiplex callum indicabat, ab illis vltrà infectandis Domitianus abstinuit. Cæterùm auitus Dauidicæ familiæ splendor, mirum quantum creuerat à Christi & Mariæ luce nunquam extinguendâ! cum alter in cælesti gloriâ Regum Rex, & Dominantium Dominus esset; altera proximè sub illo regnaret, inter iuges Cælitum plausus, & supplicationes mortalium. In terrâ verò si quæ supererant sanguinis eiusce reliquiæ, vbi Christum vt verum Messiam, & Mariam eius Matrem virginem agnouissent, accedebant vtique ad vtriusque decora, omnium participes: at si patrum vestigijs pertinaciter insistentes, neutri honorem debitum deferre tentassent; abiectæ omninò & viles pristinâ nobilitate carebant.

Dauidicæ familiæ splendor maximus à Christo & Maria.

III. In annum hunc Domitiani penultimum ex Romanâ historiâ referre licet, prodigia quæ ante eius necem accidisse, Suetonius [a], & Dio testantur; illique vltimum diem denunciasse antiquitas credidit. Prin ùm quidem per ipsos octo menses tot fulgura facta, nuntiatáque, vt exclamasse Cæsar impatienter feratur: *Feriat quem volet*; deinde tactum de cælo Capitolium, templumque Flauiæ gentis, cum domo Palatinâ, ipsiusque Imperatoris cubiculo: denique quod pauidum vndecumque pectus magis terruit, visum inde per quietem Mineruæ signum abiectis armis excedere, suæque statuæ triumphalis è basi titulum vi procellæ excussum, in proximum labi sepulcrum. Versabat adeò Tyranni mentem sæuities, vt trepidare illum ad singula cogeret, ac si suprema in horam immineret dies: imò scelerum conscientia, somnia fingebat; vnde magis paueret, fieretque crudelior. Verùm ex opposito in Mariâ Deiparâ eò peruasisse clementiam compertum est; vt certam securitatis spem fecerit clientibus suis, excusso timore quem inferre solent fraudes & prælia Tartarorum. Quare sub Domitiano armis instructo, ac trepidante, Christiani crudelissimè exagitati per exilia, & vincula, inter carnificum secures, aut vngues ferarum, metum omnem abiecerunt, certi quidem se morituros, sed vt vincant, & viuant. Beneficium debere se Iesu Christo profitentur, interuentu Deiparæ, clementiæ matris; dum Domitianum crudelitas anxium, pauidumque facit, ac minus tutum.

Prodigia quę antecesserũt Domitiani mortem.

a Suetonius & Dio in Domitiano.

Ipsum Cæsarem terrent.

Securitas Christianorũ opposita terroribus Cæsaris.

Id beneficiũ à Christo per Deiparã.

Annus Christi 98.
B.Virg.Natæ 112. Clem. Rom. Pont. 6.
Et Assump. 40 Dom. Imp. 15 & vlt.

I. FLauiæ Domitillæ nobilissimæ Virginis exilium, seruandæ virginitatis causa susceptum, in Marianis annalibus clarum facit hunc annum. Illa ex institutione Plautillæ matris, & pudoris custodibus Nereo Achilleoque suadentibus, sponsi Consularis nuptias virginitatis voto postposuit. Quare à Clemente Pontifice per sacri impositionem velaminis Deo auctorata, sub Virginis matris vexillo, egregium virtutis specimen præbuit. Ideo Domitiani iussu, qui eius auunculum, & patruelem suum Flauium Clementem Exconsulem securi percusserat, relegata est in Insulam Pontiam, vbi remansit nobile tanti exilij monumentum, à S.Hieronymo [a] laudatum, cum agit de Paula Romana illac prænauigante Hierosolymam versus, memoratque cellularum, in quibus virgo illa clarissima *longum martyrium duxerat, pro confessione Christiani nominis*. Neque defuerunt aliæ id temporis in Orbe Christiano patratæ cædes, per Præsides a Domitiano submissos, quæ præter confirmatum in populis Iesu Christi cultum, honorem quoque Virginis matris spectarent, vt accidit Eutropio Santonensi in Gallijs Antistiti, qui Hierosolymæ olim versatus, & Christi Iudæa moratus, & frui etiam Mariæ matris ibidem extitit alloquio, atque apud suos vtriusque oculatus testis est habitus. Fesulano Præsuli Romulo, per Domitianum occiso, quis neget insignem Martyrij palmam a Deipara donum fuisse, quam constat, tum ab eo eximiè cultam, tum etiam in imagine de qua suprà nos diximus, venerationi populorum expositam, gratas clienti suo vices reddidisse?

II. Sed & beneficium commune rei Christianæ fuit, ad diuinam vtique in Ecclesiæ incrementa prouidentiam referendum, vltimus Domitiani Cæsaris casus, quem ad huius anni exitum accidisse ferunt. Licet hic etiam agnoscere Dei Matris opem, interceptâ repente Tyranni sæuitia, quæ sæpius Flauidicæ reliquijs ante ad necem quæsitis, in Christianorum sanguinem grassabatur, nec suæ cognationi pepercerat. Nam qui præpositus apud eam erat domesticarum rerum procurator ... us, nomine Stephanus, familiæ vniuersæ casu perculsus, in vltionem exarsit. Itaque prætextu grauioris ...

Flauiæ Domitillæ virginitas.

a Hierony. epist. 27.

Alij notantur SS. cædes factæ ... nomine Deiparæ.

Domitianus ... Dei Matris ... cæsus.

Cæd ... ferro ...

b Suetonius in Dom. c. 17.

admiſſus ad Cæſarem, quaſi ſecretò indicaturus cubile fraudis, quam præmoliretur in Principem occulta coniuratorum manus: oblatiq[ue] e ad eiuſmodi indicium libelli tacitæ lectioni, dum Cæſar vacat attentius; Stephanus ipſe è ſiniſteriore brachio, quod fictè ſaucium lanis, faſcijſque obuolutum de collo pendebat, telum exerens, illico legentis inguina, ventremque confodit. Sic inuiſum ſuperis & mortalibus caput, è viuis abſtulit, cælitùs immiſſa vindicta; quæ Chriſtianis etiam diu exagitatis, quietem peperit à perſecutionis procellâ. Id quod portendiſſe Domitiano, aiunt, oblatum paulo ante mortem ſomnium, in quo viſus eſt videre ſe dorſum habentem aureum, cum viuens delectatus fuerit ferri præſentiâ: itâ coniectoribus viſum interpretantibus; fore, vt poſt illum meliora conſequerentur tempora. Neque defuit vaticinationi euentus; quoniam deinde tam ex conſenſu Senatus, quam militum, ſuſcepit imperium Nerua Cocceius, per quem cum licuerit Chriſtianis præconibus in amplificationem veræ Fidei ac Religionis incumbere, eorum operâ habuit ætatem auream Orbis terrarum, Chriſti regno, & Mariæ matris cultu longè, latèque diffuſis; ac ſecuribus illis aliquandiu feriatis, quæ Fidelium ceruicibus impactæ rubuerant.

Poſt necem Domitiani meliora Eccleſiæ tempora.

Subſtitutus in imperium Nerua Cocceius,

III. Ex Romanâ Dionis hiſtoriâ, ciuium oſtenditur odium in Domitiani memoriam; cum ſtatim à morte ſtatuæ illius omnes tam aureæ, quam argenteæ, conflatæ in maſſam prodantur; arcus qui eiuſdem titulum præferebant, euerſi; itemque ex omni ære vel ſaxo nomen eraſum; ne vel vmbra Tyranni ſupereſſet. Sed habemus quod illi ex noſtris rebus potiſſimus opponere, ſortem cum ſorte conferentes. Heroes quamplurimos reſpice, quos ſuo dignata eſt patrocinio Virgo mater, ſub hoc ipſum tempus, Domitiani gladio traditos neci; horum memoriæ conſuluit Romanus Hierarcha Clemens, qui vt eam in poſteris æternaret, acta ſingulorum ſeptem per Vrbis regiones ſcribis, aut exceptoribus deſcribenda commiſit; & licet iniuriâ deinceps temporum, vel Tyrannorum plurima exciderint, factum nihilominus eſt, vt ex ipſis Ethnicorum monumentis poſteritati relictis, innotuerint ſaltem ex parte, quod opportunè Cardinalis Baronius [a] animaduertit. Verum oppoſitio ſuppetit maior ex ipsâ Virgine Dei matre; quæ cum ex animi demiſſione, modeſtiaque ſummâ, neſciri ſemper amarit, nec titulos vnquam ſplendidos conquiſierit: attamen ætatum omnium linguis & literis commendatur, laudata plurimùm ſemper, nunquam ſatis.

Odium ciuiū in Domitiani memoriam.

Dio hiſt. l. 67. in Domit.

Opponitur Martyrū honori, & patrocinio Deiparæ.

Et Deiparæ ab humilitate honoratæ.

a Baron. l. 1. Ann. 98.

Annus

Annus Christi 99.
B.Virg.Natæ 113. Clem.Rom. Pont. 7.
Et Assump. 41. Neruæ Imp. 1. & vlt.

I. DOmitiano extincto reuocatur ex Insulâ Patmo Ioannes, mox Ephesum reuersurus: profuit hac ex parte initus à Neruâ principatus, per dorsum decessoris aureum, quod est visum in somnis, fortasse à coniectoribus intellectus. Sub hæc tempora creditur Apostolus ab exilio liber, cum sacræ Apocalypsis arcana retulisset, Euangelicam historiam Euangelistarum vltimus enarrasse. Operis edendi non vna proditur causa. S. Hieronymus [a] rogatum ait à cætu Fidelium, vt insigne de Christi diuinitate testimonium transmittendum ad posteros ipse redderet, qui tum agenti in terris Domino charus in primis, tum Virgini sanctissimæ filij loco relictus ad solitudinem eius leuandam, plurima nosset ad vtrumque spectantia. Neque desunt qui scriptionem eò potissimùm referant, vt occursum opportunè per eam sit Cerinthi, Ebionisque perfidiæ, in Christum & Mariam impudenter debacchantium, cum præsertim illis auctoribus totâ iam Asiâ serperet lues. Addit Metaphrastes [b], ascendisse Apostolum in verticem montis, vbi post indicta Fidelibus ieiunia, precesque congeminatas, proximè aggressurus ad opus, inter tonitrua & fulgura, renouato Mosis è Sinâ legem accipientis miraculo, duxit è cælo, protulitque illud Euangelicæ narrationis exordium [c]: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Sic Aquilæ similis, altiore suprà cæteros Euangelistas volatu, nubes, cælumque transgressus, ipsum scrutatus est Dei sinum, vbi Verbum diuinum didicit maius humano captu: idque in vtero Virginis assumptâ mortalitate contractum terris ostendit, cum dixit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Ad confirmandam miraculi veritatem laudat Hieronymus proœmium illud, piorum precibus & ieiunijs expressum è cælo tanquam fulmen; ideòque *Tonitrui filium* appellatum esse Ioannem asserit Epiphanius [d]. Animaduersum præterea est, ità Iesu Christi historiam suscepisse scribendam, vt plura persecutus sit à tribus ante ipsum Euangelistis prætermissa, & præsertim quæ gesta testatur, proxim antecedente Baptistæ carcerem anno.

Reuocatur ab exilio S. Ioannes, & scribit Euangelium.

Causæ scribendi.

Vbi scripserit.

a Hieron. de Script. Eccles. in Ioan.

b Metaph. ap. Lipp. t. 1. & Doroth. in Synops.

c Ioann. 1.

d Epiphan. hæres. 73.

II. Quoniam verò conscius maximè rerum à Virgine ge-

ſtarum ipſe præ cæteris fuit, ijs relictis quæ apud Matthæum, Marcum, & Lucam de illâ legebantur, tribus tantùm hiſtoriæ ſuæ locis, Mariæ arcana quædam Fidelibus profutura in lucem eduxit. Primùm quidem cum de celebratis in vrbe Cana nuptijs ſermonem habet, vbi ad nutum Deiparæ Filio indicantis vini defectum, conſultum fuiſſe improuiſæ neceſſitati, per miraculum aquæ in vinum conuerſæ, teſtis eſt: deinde verò cum poſt eas nuptias aduentus Chriſti Capharnaum vnà cum Matre & fratribus memoratur: denique cum in Caluariæ monte Ieſu in Crucem acto adſtare Mater eius cum mulieribus dicitur, vnàque verba referuntur pendentis Domini ad ipſam Matrem, deſignatione Ioannis, vt filij suâ vice relicti; atque ad Ioannem, commendatione D. Virginis, habendæ deinceps parentis loco, diligenterque ſeruandæ.

Quæ ſcripſerat de Deipara.

III. Illa miraculi primi narratio ad nuptias Canæ patrati, expeditam & facilem oſtendit legentibus Dei Matris clementiam, quæ diuinâ Maieſtate exorandâ, iam tum volebat omnibus notum, qualis eſſet futura ſemper ad generis humani neceſſitates, vbi præſertim ad illas ſe nouerit imploratam. At verò conſequentia ſubinde ſæcula, experientiâ ipsâ magiſtrâ didicerunt, quam facilis ſemper extiterit ad miſerorum inopiam ſubleuandam, ſed multò magis cum de animi bonis, æternâque ſalute actum ſit. Aduentus prætera Ieſu Capharnaum cum comitatu Matris & fratrum, à Ioanne poſt Canæ miraculum proximè enarratus, viam aperuit alteri notitiæ, quâ S. Auguſtinus [a] Mariam appellat adulti iam Chriſti in itineribus comitem, & ſociam indiuiduam laborum, Gerſon [b] verò expreſſam in pluribus per Euangeliſtas, Matris cum Filio ſocietatem agnouit; vnde videtur probabiliter poſſe deduci, eam vnà cum ſanctis mulieribus concionanti per Iudæam, & Galilæam Domino ad triennium miniſtraſſe, eius ad turbas audiuiſſe ſermones, & miracula perſæpe ſpectaſſe. Haſce de Diuâ Virgine Filium ſequente coniecturas, excitauit illa Ioannis narratio. At maximum nobis documentum fuit, expreſſa in eodem Euangelio Maria adſtans fortiter Cruci, cum ab eâ Chriſtus lacero vndecumque corpore, clauis affixus, & proximus morti penderet. Nam paucis Euangeliſtæ verbis intelleximus ingentes Matris in Filij cruciatu dolores, à quibus illa meritò Regina Martyrum audit: ij verò cum exprimi ſatis ad veritatem non poſſent, propoſiti ſunt pietati Fidelium magis ſilentio, quam ſermone, vt ex Virginis ad Crucem ſtatu intelligerentur, expoſito inſuper morientis Domini veluti teſtamen-

Ea loca explicantur ad noſtrum documentum.

[a] *Auguſt. ſerm. 18. de Tempore.*
[b] *Gerſon Tracta. 11. in Magnificat.*

ſtamento, quo Ioanni Maria in parentem, & Mariæ Ioannes in filium ceſſit: diceres more pictorum velatam artificiosè fuiſſe Virginis faciem, vt ſignificaretur, ſenſum doloris intimum exprimi neutiquam ab arte poſſe. In ſummâ vbi ſinguli cruciatus in Filij membris referuntur, totidem in animâ Matris lanienam ſpectantis vulnera dantur recogitanda, vt quilibet vnius dolor, ſit etiam alterius, cum hoc diſcrimine, quòd ibi externum corpus, hic arcanum cor pertentatur.

IV. Inſuper de tribus Ioannis epiſtolis, quæ iam citrà omnem controuerſiam tanquam ab eo conſcriptæ in Eccleſiâ recipiuntur, & præcipuè de duabus primis, habemus, quod pertineat ad Mariam. Cum enim vtrâque refellantur Baſilidis errores, qui ſuſceptam à Chriſto veram carnem negabat, iniurius etiam Virgini Matri; vtique ab eâ idem Chriſtus verè genitus prædicatur, quoniam vindicatus Filij honor trahit ſecum in eandem defenſionem parentis decus, de quâ verum, atque inſigne teſtimonium non vno in loco Euangeliſta protulerat. Illud verò in epiſtolis ex peculiari affectu credimus factum, quòd Chriſti noſtri Vindicis gloriam, & præcipuam Mariæ matris prærogatiuam, ſimul ab iniuriâ vindicaret.

Tres S. Io: Epiſtolæ quomodo pertineant ad Mariam.

V. Nec illud omittere poſſumus, quod tum eſt huius temporis, tum etiam redolet Marianam clementiam ergà ſontes, per veras pænitentiæ lacrymas ad rectam vitæ ſemitam reuocandos. Ex Chriſti diſciplinâ, ac Mariæ exemplo, rem egiſſe Ioannem facilè lector agnoſcet. Ex Alexandrino Cyrillo, & antiquiorum teſtimonio tradit Euſebius [a]; probæ indolis adoleſcentem ex Ethnicis aſſumptum parentibus, & Epiſcopo à Ioanne concreditum fuiſſe, vt ab illo ad ſanctitatem inſtitueretur: ſed Chriſtiano primùm lauacro expiatum, & mox ſacro confirmationis inunctum oleo, cum ob magiſtri ſocordiam, tum præſertim ob conſuetudinem improborum, adeò à viâ probitatis aberraſſe, vt infandis obrutus vndecumque ſceleribus, perditorum hominum dux euaſerit. Re cognitâ Ioannes vltrò per latronum ſpeluncas profugum conquiſiuit, inuentique tandem ad genua prouolutus, cruentam oſculo manum dignatus eſt, nec illum abire permiſit, niſi anteactæ vitæ noxas deflentem, diuinæque beneuolentiæ reſtitutum. Quis hîc neget ſecutum Apoſtolum fuiſſe inſtitutionem Chriſti, perditam ouiculam conſectantis, & exemplum Mariæ domeſticum, peccatoribus ad frugem redeuntibus, ſemper propitiæ?

a Euſeb. 3. hiſt. c. 15.

Eiuſdē clementia in adoleſcentem

Ex domeſtico Mariæ exemplo.

VI. Huius temporis ſunt, quæ de Apollonio Tyanæo ſcripſit

scripsit Philostratus [a], mendacij magnâ ex parte compertus: cum enim suis ille præstigijs, quibus se admirandum præbuerat, eò dementiæ egisset Ephesios, vt ab ijs diuinitatis particeps haberetur; Ioanni in Asiâ rectam fidem, ac Deiparæ cultum promouenti plurimùm obstitit; sicuti paucis ante annis Simon Samatites, Magorum signifer, Romæ Petrum paribus præstigijs oppugnarat. Existimationem verò nominis magnam, ac diuinos honores Apollonio conciliarat, denunciata Ephesi palàm Domitiani cædes, eò temporis momento quo patrabatur: nam frequentiorem ad populum, cum Magus concionem haberet, repente substitit, tanquam rerum dicendarum oblitus, mox aliquantulum loco progressus, & ope Paredrorum, quibus familiaribus ex Erebo genijs vtebatur, percussorem Cæsaris quasi præsentem conspicatus, eò orationem conuertit, ex abrupto pronuncians: *percute Tyrannum, percute*. Ac tandem populo ad hæc attonito, cædem tunc ipsam Romæ perpetratam inexpectato nuncio promulgauit. Sed impostoris & Magi fraudes, ad lucem à Ioanne allatam, instar tenebrarum euanuere, non secus ac Romæ ceciderat orante Petro, Simonis ex aëre summo corpus, eiusque existimata diuinitas ex vulgi opinione. Vtrobique est rei Christianæ consultum peculiari Diuæ Virginis ope; Romæ quidem lapso in præceps Simone post indictum à Petro Fidelibus ieiunium Sabbati, vt diximus, quam in hebdomadâ diem iam tum Maria seligebat in suam: Ephesi verò disiectis Tyanæi præstigijs non solum ad Ioannis conciones & signa; sed ad Deiparæ quoque memoriam, quæ olim ciuitatem inhabitasset; suoque tum clienti, alteriue quasi filio laboranti auxiliaris adesset. Itaque abijsse in fumum visus est Apollonius, cum ablegatis à se procul comitibus & asseclis vniuersis, recessit solus in horridam solitudinem, vbi nullo teste ereptus è viuis, credi voluit ad superos auolasse: sed posteritatis oculo vanitas patuit, sicut & Romuli quondam ad Capream paludem absorpti, falsò credita apotheosis, diu latere non potuit.

Apollonius Tyanæus magnam sibi existimationem conciliat apud Ephesios.

Promulgata Domitiani morte.

Euanescunt magi fraudes ad lucem S. Io.

Exitus Apollonii.

[a] *Philostr. tus in vita Apollonij.*

VII. Illustrat etiam hunc annum adoptatus à Neruâ in filium M. Vlpius Traianus, militarium copiarum id temporis in Germaniâ ductor; nam cum Imperator se viribus destitutum ob senectutem agnosceret, nec multùm distare mortem præsentiret: vt rei Romanæ consuleret, posthabitis consanguineis, successorem sibi per adoptionem elegit, quem nosset virum frugi, adeòque dignum imperio. At licet ille summopere laudatus à suis clauum regendum susceperit, non tamen

Adoptatus à Nerua Traianus.

tamen omne punctum tulisse censetur, aliquam in eo si minus virtutem, certè virtutis speciem, non vno crimine deformante: dum è contrario adoptatus iam pridem à Mariâ, Christi iussu Ioannes, adeò probe præscriptas seruandæ Matris partes agebat, vt dignus tanto Filio successor Virgini datus, dignusque tantâ Matre filius habitus sit. Opponitur Io: Mariæ adoptio.

Annus Christi 100.
B.Virg. Natæ 114. Clem. Rom. Pont. 8.
Et Assumptæ 42. Traiani Imp. 1.

I. EVolutum à Virginis partu sæculum, nouo aperit ineunti viam, Neruæ Cocceij Imperatoris obitu, Traianique successoris inchoato principatu; quo tempore Christiana res plurimùm aucta, vbique terrarum adeò florebat, vt nihil planè dubitationis foret, quin adesset illi de cælo Christus; & Virgo Deipara patrocinaretur. Quicquid hactenus boni consecuta erat Ecclesia, ambobus referebat acceptum; iisdemque debebat positum sub Neruâ cædibus modum, quas Nero & Domitianus Christianis intulerat. Muta iam Deorum oracula, quæ diu Gentibus imposuerant; deserta multis in locis templa, quæ fuerant fictorum Numinum sedes, rari victimarum emptores, & superstitio vetus vndecumque collapsa, Christi de Satanâ profligato victoriam, & Mariæ patrocinium arguebant. Itaque sicuti suum ille vbique per præcones signum extulerat; ità hæc plurimorum ad se conuerterat vota, tanquam constituta apud Deum, omnium Aduocata & Mater. Felicitas Ecclesiæ sub Mariæ patrocinio.

II. Et iam, vt aliqua peculiariter exponamus, ad eius cultum ante hoc ipsum tempus, in vsum frequentissimum vocari consueuerat apud Fideles, illa salutandæ Virginis forma, quam Gabrielis internuncij, & Elisabethæ verbis initam, vix nata ad quotidianas preces adhibere cepit Ecclesia, auxitque additâ apprecatione, quâ sibi clementiam diuinæ Matris implorat. Huius formæ post Orationem Dominicam recitatæ antiquissimum vsum pernegare poterit nemo, dum concedat, quod dictum à nobis altero loco iam est: legi illam in ordinatâ primùm à S. Petro Liturgiâ, & rursus Apostolorum Principis exemplo, à SS. Iacobo Alphæi, & Marco vsurpatam pariter ad liturgica sacramenta fuisse. Neque id mirum videri debet, cum habita sint instar oraculi de cælo delapsi, tum Angelicæ salutationis antiquitas.

quæ

Eiusdē præstantia.

quæ Gabriel ex diuino mandato Virgini salutationem impertiens pronunciarat: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*: tum etiam quæ Elisabetha, quasi Angelo interfuisset, postremas resumens voces, insuper addiderat: *Benedictus fructus ventris tui*. Nam censetur Deus vtrobique locutus, in Angelo quidem, qui cælesti legatione functus, diuina pretulit iussa; in Elisabetha verò, quæ Spiritu Sancto plena, indicem sacri mysterij vocem effudit. Postrema denique verba, quæ ad demerendam sibi Dei Matrem, Ecclesia voluit ipsi salutationis formæ subnecti, ad Deum quoque meritò referuntur, quoniam adeò Ecclesiæ diuinus Spiritus, eamque iugiter moderatur, ac regit. Itaque post Orationem Dominicam, quam suo nos ore Christus edocuit, excellentissima omnium deprehenditur, ac præstat cæteris precibus Angelica salutatio, cuius pariter est auctor Deus, suorum ore seruorum ad instructionem nostram prolocutus, cum illa audita primùm in terris est. Eius in Ecclesia perantiquus est vsus; nam ex quo Angelus & Elisabetha diuino instinctu Virginem salutarunt, exemplum Fideles secuti, Apostolis præeuntibus colere eodem illam honore ceperunt, vt Matrem, Christi quidem naturâ, adoptione verò omnium Christianorum: ad quam salutandam, honorandamque extitisse iam tum magnos vndecumque concursus, testis est D. Ignatius Antiochenus Antistes, ipsius Virginis synchronus, & Apostolorum discipulus, itemque multa argumento sunt, quæ sparsim hoc opere à nobis sunt dicta. An verò vltima verba eiusdem salutationis, quibus Deiparæ interuentum ac preces apud Deum sibi poscit Ecclesia, Apostolorum tempore adiuncta sint, non abs re vocatur in dubium: cum cæteroqui constet; Hæresi Nestoriana per Ephesinam Synodum profligata, Mariam Dei Genitricis titulo solemniter fuisse insignitam; sentiatque Cardinalis Baronius, eam nominationem tum primùm expressam ad salutationem Angelicam accessisse. Attamen pernegare quis audeat; illam salutandæ Virginis formam, cum adhuc Apostoli viuerent, & hoc ipso in quo nunc versamur tempore, ante coactam Ephesi Synodum, ità Fidelibus in vsu fuisse, vt opportuna aliquâ apprecatione sit clausa, quam tandem damnato Nestorio, inter Catholicorum plausus de profligatis Mariæ hostibus, Patrum suffragia statuerint, & implorandum in eâ sontibus pro vitâ & pro morte Dei Matris auxilium indicauerint.

Recitari cōsueuit post orationem dominicam.

De vltimis salutationis eiusce verbis, & quando additæ fuerint.

III. Si verò vel ipsis Apostolorum temporibus quotidiana esse

na esse cepit, atque adeò sæpius diebus singulis ingeminata est apud Fideles Orationis Dominicæ recitatio, ad exorandam crebrò diuinam clementiam per formulam precatoriam, quam Christus edocuit, consequendis bonis, & auertendis periculis opportunam: tunc etiam frequentissimæ eius recitationi subiungi à Fidelibus cepit, imploratio Virginis Matris, per Angeli & Elisabethæ verba, quoniam ad conciliandum nobis cælestem Patrem, post Christum nullus est aptior Deiparà, efficacior nullus. Hinc factum est, vt orantium commoditati, tenendoque facilè precum numero consultum deinceps sit, per adhibitos calculos, & globulos ex variâ materiâ precatorios, quos sub Coronæ nomine simul adnexos, in eum vsum gestamus; quem quidem vsum antiquissimum esse dicimus, non à Neotericis inuentum, vti scriptum reliquit Polydorus [a] Virgilius, qui Petro Eremitæ Ambianensi illum attribuit, cum hic sub annum Christi millesimum nonagesimum, expeditionem in terram sanctam Vrbano Secundo Summo Pontifici suaderet. At perantiquum orandi modum per calculos petere possumus ab amplissimis testibus, Palladio [b] Galata Lausiacæ scriptore, & Aurelio [c] Cassiodoro Senatore, Regique Theodorico ab epistolis; cum alter quidem quarto post Virginis partum sæculo, alter verò sexto floruerint; & loquentes ambo de Paulo quingentorum Monachorum Abbate, dicant; trecentas illum preces quotidie Deo instar diurni, nocturnique tributi reddere solitum, singulas missu totidem lapillorum, quos habebat in sinu numerasse. Vnde benè conficit Heribertus [d] Rosuuedius, originem globulorum, quibus iam Rosarij, aut Coronæ nomine precaria serta conficimus, referendâ esse ad Patrum tempora, inter Aegypti atque Thebaidis solitudines, vni Deo sibique vacantium, in quorum numero Paulus Abbas anno post Christum natum septuagesimo suprà trecentesimum superstes erat. Quare audiendi non sunt, oblatrantes hoc æuo in Religionem Sectarij, qui morem illum nouitatis, ac superstitionis insimulant.

Serti precatorii per calculos antiquitas.

Eiusdē origo

[a] Polyd. de rerum inuent. lib. 5. cap. 9.

[b] Pallad. in Hist. Laus. cap. 23.

[c] Cassiod. in hist. Tripart. l. 8. c. 1.

[d] Rosuued. in not. ad lib. 8. de vit. Patr. Orientis.

IV. Sed adhuc antiquiorem eo Patrum Aegyptiorum æuo dicimus esse, atque ad altiora referendum principia; cum aliunde compertum sit; eo incepisse tempore, quo serti illius coronarij, certo globulorum numero constantis, ad preces numerandas vsus inualuit. Hunc autem viguisse, cum Apostoli viuerent, ex eo probat B. Alanus [e] de Rupe Ordinis Prædicatorum, à Ioanne Trithemio [f] laudatus; quòd sub Ec-

Ante Aegiptios patres in vsu fuit.

[e] Alan. in Apol. pro Rosar. Christi & B. V.

[f] Trithem. in Catal. Script. Eccles.

clesiæ primordia. Fidelium cætus exemplum orandi in veteri Synagogâ vsitatum imitaretur: vbi enim hæc centum quinquaginta Dauidis Psalmos ad quotidianas preces adhibebat, vocabatque Psalterium; placuit illis post Christum natum, cum Iudaici ritus abrogati iam forent, eandem retinere Psalmodiam, cuius vsus etiamnum durat. Insuper vt vulgus ignarum legendi, alijque, (quibus per occupationes, aut quacumque ex causâ, difficilis redderetur eiusmodi pensi solutio) pietati ac religioni pro suo modulo satisfacerent, ijs in vsu esse cepit, ternas Orationum Dominicarum quinquagenas pro Psalterio recitare; & ne inter numerandum error irreperet, adhibiti sunt calculi, ex quibus serta extitere precaria. Ità sentit, præter Alanum de Rupe, Ioannes Andreas [a] Coppensteinius ex Ordine eodem Prædicatorum. Et Apostoli reliquis Fidelibus eiusce recitationis præiuerunt exemplo: nam S.Bartholomæus adhibuisse illam orando proditur, & singulis tam diebus quam noctibus centies ac centies geminasse, flexis per totidem vices humi genibus, quæ pariter obduruerant. Neque id temporis in Oratione Dominicâ solum, sed in Angelicâ quoque salutatione factum est, vt ternis ista quinquagenis æquè ac illa redderetur; ità docuerunt Scriptores doctrinâ percelebres, quos recenset ac sequitur Hippolytus [b] Maraccius in peculiari hac de re tractatu, vnàque Iudocus Beyssellius [c] Aquensis Patritius, omnigenæ litteraturæ professor, scribens de Coronâ precatoriâ ad Maximilianum Augustum: *cum, inquit, inter ipsa nascentis Ecclesiæ primordia, perfectiores quique Fideles, tribus Dauidicorum Psalmorum quinquagenis, diuinas laudes assiduè celebrarent, ad rudiores quoque, pij moris æmulatio est deriuata; vt tamen non psalmos ipsos canerent, sed ad mysticum illum numerum, Angelici concentus carmine vterentur*. Denique concludit id factum, quòd crederentur cuncta Psalmorum sacramenta; salutatione Angelicâ contineri; quoniam quem illi venturum concinebant, hæc formula iam adesse nunciabat. Itaque eam centies quinquagies recitatam Mariæ Psalterium, ad alterius similitudinem, appellarunt, præmissâ ad singulas decadas Oratione Dominicâ, vt obseruatum quoque nouerant à Psalmidicis.

V. At etiam orandi formam à Christo præscriptam, quâ Apostoli, ac reliqui Fideles vtebantur, fuisse Virgini Matri in vsu propè quotidiano, cum ratio probat ac studium, quo verba Christi omnia conseruare consueuit illa in corde suo, atque exactissimè ad eiusdem præscriptum orare; cum maximè insigne

Initio nascẽtis Ecclesiæ.

Sertum precarium appellatum est Mariæ Psalterium.

Orationis dominicæ recitatio B. Virgini fuit in vsu.

[a] Coppenst. in op. de institutione fratern. Rosar. l. 1. c. 24

[b] Hippol. Mar. de Pontificibus Marianis in Honor. 3.

[c] Beyssell. lib. de Corona Ros. B.V.

ſigne monumentum, quod in hunc vſque diem Roma cuſtodit, lapilli nempe aut globuli, quos adhibuiſſe Virgo creditur ad quinquagenas dictarum precum numerandas. Viſuntur hi in templo ſacris Deiparæ natalibus dicato, quod ex vicinitate Capitolij, corrupto vocabulo, ad Campitellum vulgus indigitat. Cum varijs Sanctorum Reliquijs, alijſque ad Deiparam pertinentibus, de lacte, capillis, ac veſtibus, in ſuperiore loculamento reconditi ſunt, atque concrediti diligentiſſimæ cuſtodiæ Clericorum Regularium Matris Dei, qui ædem ab Honorio Tertio ſummo Pontifice conſecratam, nunc habent, ac religioſiſſimè curant. Rei huiuſce fidem petere licet, ex peruetuſto Reliquiarum ſyllabo, ibidem aſſeruato, atque ab ijs [a], qui auctoritate Apoſtolicâ, locum identidem viſitarunt, non ſemel recognito, probatoque. Hîc aduerte; non aduerſari huic, in quam vltrò concedimus, aſſertioni, Dominicæ illius precandi formulæ, â Deiparâ inter orandum adhibitæ, id quod alij in contrarium obijcere ſolent; quaſi verò non potuerit D. Virgo poſtulare à Deo quod ibi continetur, vt ſibi peccatorum debita dimitterentur, cum nullis vnquam vel leuium culparum maculis fuerit contaminata: nam occurrit iam pridem difficultati Cardinalis Toletus [b], cum tanquam certum ſtatuiſſet priuilegium Virginis vndecumque immaculatæ; affirmans ſuis in S. Lucæ Euangelium commentarijs; vſam eſſe Deiparam Oratione Dominicâ; *non quidem*, inquit ille *in hac parte: Dimitte nobis debita noſtra, pro ſe; ſed pro corpore Fidelium.* Et mox ad clariorem expoſitionem ſubdit. *Petitiones hæ ſunt communes, vti verba declarant, in quibus generatim pro omnibus Fidelibus petimus; & pro ſe, ſi quis etiam indiget, cum ſit de corpore.*

Et quidē ad calculos, qui nunc Romæ ſeruantur.

a Lib. Viſitat. Pij V. à Io: Carolo Poteza collectus.

Quomodo poſtulare Virgo potuerit, vt ſibi debita demitterentur.

b Franciſ. Tol. in c. 2. Luca.

VI. Sed redeuntes ad ſalutationem Angelicam; ponimus iam primo poſt Chriſtum natum ſæculo, quod claudit hic annus, in quotidianum vſum fuiſſe inductam, itemque ad precatorios calculos numeroſè pronunciatam, vt præſcriptus recitationi numerus faciliùs teneretur. Qui mos conſequentium ſubinde ſæculorum decurſu, iugiter viguit inter viros ſanctiſſimos, quos anni ſibi inuicem ſuccedentes protulerunt; ac tandem duodecimo poſt Virginis partum ſæculo ab inclyti Ordinis Prædicatorum auctore Dominico mirum in modum eſt illuſtratus, cum trinæ ſalutationum quinquagenæ itâ reddi ceperunt, vt ad prolationem verborum, apta quoque menti conſideratio proponeretur, quæ potiſſimùm petita eſt ex Mariæ vitâ, in pluribus ad Chriſtum relatâ, dum

Auctor S. Dominicus fuit, vt ſalutationum Angelicarum recitationi adderetur meditatio, ſacrorū myſteriorū.

tripartito myſteriorum diſcrimine, gaudia, dolores, & glorias continentium, ſingulæ ſalutationum decades nouam ex illis ſuſciperent materiem meditandi. Cùm verò huiuſmodi labore, Fidelium pietas quaſi roſas colligat, ſimulque attexat, vt Virgo coronetur, placuit appellare *B. Mariæ Roſarum*: nunc autem habitâ annorum ratione quos illa vixit inter mortales, per ſenas aut ſeptenas earundem precum decades ſertum conficitur breuius, eique reſpondent globuli coronarij, quos tanquam inſignia pietatis in Virginem vbique Catholici circumgeſtant. Inſuper quò magis creſcerent vbique terrarum obſequia piorum in eandem, progreſſu temporis factum eſt, vt ad æris campani pulſum ter in die Fideles ſub primum diluculum, ſub meridiem, & ſub noctem vſitatâ eam formulâ ſalutarent: imò & frequentiùs multi eodem fungerentur officio, cum ab horarijs machinis horæ ſingulæ per ſonitum excluderentur. Sanctorum denique in eam ſalutationem affectus, & vſum eiuſdem ſæpius recitandæ, Virgini matri gratiſſimum, comitata ſunt perſæpe miracula, de quibus ſuo loco nobis futurus eſt ſermo.

Sacri Roſarii origo.

Corona Virginis per ſenas aut ſeptenas decadas.

VII. Reliquæ huius anni res, quæ aliquo modo referri poſſent ad Virginem, petendæ ſunt ex nouâ in Eccleſiam Chriſti procellâ, quam excitauit Traianus ipſo ſui principatus initio, non autem poſt decem annos, vt ſcripſit Euſebius: hic enim Imperator, nullâ auitâ nobilitate ad imperij faſtigium euectus, eò creditur perueniſſe, vt paulò ante Veſpaſianus, ac Titus, quòd in expeditione Iudaicâ, Ioſepho[a] teſte, legionis decimæ ductor, egregiam contrà Iudæos nauauerit operam, & quòd perinde ac illi, rem gratiſſimam Numini diuino præſtiterint, nationem inſectatus horrendo Ieſu Chriſti parricidio contaminatam, odijque ream in Virginem Matrem exerciti, dum Iudæorum ſcelus tantum habuit immanitatis, vt qui eos ad extremam vſque ſæuitiem vlti ſunt, pro munere, ad ſummum honoris apicem fuerint euehendi. Præterea nondum profectus Romam Traianus, & pergens adhuc in expeditione Germanicâ, oſtendit ſe Chriſtianis infenſum, id agente diuinâ prouidentiâ, ne quid deeſſet ad eorum conſtantiam exercendam, vnde Chriſtus nouos ſuæ fidei teſtes, & Mariæ clientes acquireret. Prima Cæſaris edicta in conuentus, & ſodalitia inſonuerunt, quibus edictis nemo non videt Chriſtianos potiſſimum fuiſſe perculſos, quos non modò vna fides, vna charitas, vna lex vel loco diſiunctiſſimos, arcano fœdere colligabat; ſed etiam vnus ardor, ac ſtudium vnum laudan-

a Ioſeph. de bello Iud. lib. 3. c. 11. 16. 17.

Traianus in Imperium euectus, vt hoſtis Iudæorum.

Idem Chriſtianis infenſus in ſodalitia, & conuêtus exarſit.

dandæ diuinæ Maiestatis, vbique terrarum certos in cætus numerosè cogebat. Hic implorabant illi cæleste subsidium ad exercenda charitatis opera, sine quibus, ex Iacobi [a] doctrinâ, fides mortua erat; hic suas Cælitibus laudes, Diuæque Virgini tribuebant præcipuas, vt huius ope præsentissimâ, & præsidio, de quo plurimum conceperant spei post Christum, illorumque interuentu, aduersus hostium insidias tegerentur. Edictis igitur toto orbe promulgatis, prætextus non defuit Prouinciarum Præfectis, Christianorum cætus impetendi, vbi sacræ identidem agebantur synaxes, ac tutum omnibus erat ab Ethnicorum insidijs sub expansâ Mariæ Dei Genitricis palâ perfugium.

a Iac. 2. v. 17.

Vbi laudes Cælitibus, & D. Virgini tribuebātur.

VIII. Itaque noui Imperatoris edicto Romæ promulgato, qui rebus administrandis ibi præerant, in Sanctissimum Christiani cætus Antistitem Clementem impetum faciunt, quoniam ab eo, crescens vbique gentium sacrum illud Christi sodalitium regebatur, rati auulso capite corpus illicò ruiturum. At verò optimatibus in partes diuisis, dum eorum alij in sanctum Pontificem decernunt extrema supplicia, alij cum innocente mitiùs agunt; rescribit tandem consultus de re totâ Traianus; oportere illum, vel ad Deorum sacrificia consentire; vel vltrà Pontum Euxinum in desertam Tauricæ Chersonesi peninsulam relegari. Quare ad oblatam sibi optionem Pontifex, durissimum exilium impietati præposuit. Verumtamen Româ digressus, Romæ non defuit, quam cum magnâ ex parte Christianam, sub Deiparæ patrocinio reliquisset; huic acceptas retulit innumeras Martyrum palmas, quas tum ibi, tum in reliquis Orbis partibus deinceps, Traiani peperit persecutio. Affuit [b] quoque Pontifici Diua Virgo in desertis locis exulanti; vbi enim ille ad duo millia Christianorum inuenit, quos latomijs Tyrannus damnauerat, tum solatio omnibus fuit, tum etiam id præstitit opportunè subsidij, vt laborantibus iugiter ad Chersonesi fodinas, ac siti propè enectis, vberrimum aquæ fontem aperuerit, quam venam, tanquam indicem labentis è cælo clementiæ, Christus familiarem sibi Agnum indutus, dextro pede, & omine è summâ rupe deduxit. Alios verò populos per vicinas terras circumquaque dispersos summus Pastor ad Christi gregem per fidei lumen adiunxit, intrà biennij spatium Fidelium ibi conuentibus suprà sexaginta institutis, dum Traianus latis legibus in sodalitia fulminaret. Hîc sanè licet agnoscere adiutricem Christi manum, & fauentem operi Deiparam, eiusque insuper

S. Clementis Pontificis relegatio.

b *Ex actis S. Clemen. tis.*

Adest illi exulanti Deipara.

Fructus ab eo facti in exilio.

per gaudium de genitis sibi per Christianum lauacrum tot millibus filiorum à Clemente, cui & ornamento fuit flos illibatus virginitatis.

IX. At splendoris plurimum accessit huic anno, à nobilissimæ Virginis Flauiæ Domitillæ perillustri martyrio. Hæc monitoribus Nereo & Achilleo à cubiculis, nuncium mortali sponso remiserat, atque immortali nubens, acceperat à Pontifice instar flammei, sacrum capitis velum; tolerato mox exilio ad Insulam Pontiam; ab Aurelio, cui desponsa iam pridem fuerat, Tarracinam transmissa, non modò auersata semper illum est, sed etiam ad suas preces vidit vltore Deo inter choreas subitâ ruinâ domus oppressum. In secretum tandem recepta conclaue, eò flammis per Luxurium Aurelij fratrem immissis, vnà cum duabus virginibus Theodorâ & Euphrosinâ conflagrauit. His ignibus accensæ sunt putiores tædæ, quibus Domitilla cum suo comitatu ad cælestis Agni nuptias auolauit, Dei Matre pronubâ, quæ Regina Virginum est. Interim omnium postridie corpora, vt à Cupidinis, sic à Tyranni igne permanserunt illæsa, & à tam sanctis flammarum spolijs, splendet in Dei Matris honorem virginitas.

S. Flauia Domitillæ Virginis Martyrium.

Quomodo pertineat ad Deiparam.

X. Ferè in eundem annum ex Romanâ historiâ referre possumus, quod Dio [a] testatur accidisse Traiano, antequam consequeretur imperium. Ait enim illum imminente principatu, sibi visum esse per quietem aspicere quendam in tunicâ & prætextâ purpureâ proximè astantem, & coronatum; qui signum annulo aureo, nunc in sinistrum ipsius iugulum, nunc in dextrum imprimeret; atque omen ad ipsius Traiani imperium significandum esse detortum. At quantò melius nocturnum visum aliò relatum fuisset, si dixissent onirologi; apparuisse Traiano Regis speciem, qui per illius operam Christianis plerisque, & Marianis clientibus iugulum obsignaturus esset non auro sed ferro, eisque in effusi sanguinis purpurâ dignitatem collaturus: id quod ipsâ Traiani persecutione factum nemo negabit.

a Dio lib. 68.

Traiani somnium relatũ ad eius in Christianos persecutionẽ

Annus Christi 101.

B. Virg. Natæ 115. Clem. Rom. Pont. 9.

Et Assump. 43. Traiani Imp. 2.

I. ALtero Traiani Cæsaris anno, qui octauus & sexagesimus à morte Christi decurrebat, Ioannes Euangelista

gelista Apostolorum postremus, idemque Virgini Matri vt filius alter addictus, migrauit è vitâ; ad cuius mortis veritatem probandam testimonia Patrum plura & antiqua non desunt; imò à sacris Scriptoribus consueuere passim adduci aduersus eos, qui parem illum faciunt Enocho & Eliæ etiamnum viuentibus, atque in vltimum æterni Iudicis aduentum certo aliquo mundi loco reseruatis, cum censeant inter Apostolos olim percrebuisse sermonem; Ioannem in viuis ad vltima mundi tempora permansurum, audito Christi ad Petrum responso: *Sic eum volo manere, donec veniam* a; cui tamen Collegarum suspicioni tanquam minus probabili, scimus ipsum occurrisse Ioannem, clarè testatum in Euangelio: *Et non dixit Iesus, non moritur* & in Apocalypsi b asserentem; duos tantum Præcursores Christi Iudicis, ad mundi exitum affuturos Enochum nempe, & Eliam. Insuper veram de Ioannis obitu sententiam Eusebius, alijque confirmant, qui eius Ephesi sepulcrum suo æuo ostensum esse dixerunt; cum cæteroqui S. Augustinus c improbet aliorum opinionem, qui putant esse in sepulcro Ioannem non mortuum, sed mortuo iacere similem instar dormientis; suamque vitam ostendere scaturigine pulueris, qui creditur ab imo tumulo ad superficiem, flatu quiescentis impelli. De eius ætate cum minimè inter auctores conueniat, nos ex probatâ Cardinali Baronio supputatione, cum ponamus hoc anno mortuum, nec vltrà tres ac nonaginta annos in viuis fuisse, natum oportebit anno post Virginis partum octauo, altero suprà vigesimum suæ ætatis adhæsisse Christo; ad triennium cum reliquis Apostolis fuisse in eius disciplinâ; octo denique ac sexaginta annis post eiusdem à morte triumphum, mortalitati satisfecisse.

S. Io: Euãgelistæ obitus.

Sententia de eius vita adhuc durante improbatur.

a Io: 21. v. 23.

b Apoc. 11. v. 4. & seq.

c S. Augustinus.

Aetas S. Ioannis ex supputatione Baronii.

II. Aliquid iam de ratione dicamus, quâ obijt eximius hic tum è Christi disciplinâ tum è Mariæ domo alumnus, qui vt similitudinem in se Virginis Matris viuens expressit, ità eidem in obitu fuit magnâ ex parte conformis. Martyris quidem titulo impertitum nouimus, licet sciamus è viuis incruentâ morte præreptum, quoniam nec Martyrum illi pœna, nec palma defuit, cum Romæ in aheneum olei feruentis labrum immissus, diu cruciatum pertulit citrà mortem, à quâ diuinitus liber quasi vegetior Agonista, ad noua est inunctus certamina. Sic Maria Dei Mater, non vllo persequentium cecidit gladio; attamen quia dolor quouis acutior telo, in Filij morte ipsi pertransiuit animam, plusquam Martyr, & Regina Martyrum audit. Sed de modo peculiari, quo Ioannes obijt,

Mors S. Ioãnis similis morti Deiparæ.

obijt, præstat audire [a] Nicephorum, cuius testimonio compertum est, Ephesi Apostolum de imminente sibi postremâ in viuis horâ commonitum, extrà pomærium coram ingenti discipulorum comitatu, progressum; sibi tumulum egestâ terrâ parasse; mox extremùm salutere iussis, & valere comitibus, post effusas Deo preces, in monumentum descendisse; vbi quibus erat amictus vestibus, cum se decenter composuisset, statim debito iustis somno captum, quiescentis in speciem expirasse. At hîc pariter quotusquisque non videat expressam Mariæ morientis imaginem, quæ non vllo pressa morbo, suique omninò compos, in Apostolorum cœtu, quos Dei virtus illuc ad extremos coëgerat tantæ Matris afflatus, soluit vltimum naturæ tributum, ac si foret dumtaxat ad somnum composita?

Quomodo ille obierit ex Nicephoro.

a Niceph. l. 2. c. 42.

III. Sed ex alio capite magis elucet vtriusque mortis similitudo, cum post aliquod tempus reserato Apostoli sepulcro, nullum in eo cadauer inuentum sit; vnde quod de Virgine Deiparâ credimus in cælum assumptâ, & resurrexisse dilectum Christi discipulum, & cælo vnà cum corpore illatum constans inter Fideles fama vulgauit, vt laudatus asserit eoloco Nicephorus. Vim hæc assertio magnam inde sortitur, quòd è sacro Apostoli corpore nihil vsquam reperiatur in terris; cum cæteroqui constet, ossa Sanctorum peculiari diuinæ Maiestatis prouidentiâ custodiri, atque à Catholicis suprà aurum & gemmas pro thesauris haberi. An cariturum hoc honore quis censeat eum, cui Christus ipse apprimè dilecto, pectus suum quasi ceruical dormienti supposuit, & Matrem suam moriens testamento legauit? Si plurium opinio fert, eos qui moriente Domino extitere de sepulcris rediuiui, atque in sanctâ ciuitate obtulere se videndos multis, cælo tandem cum Christo receptos esse, assumpto etiam in gloriam corpore; ecquis audeat hoc ipsum negare post mortem Ioanni, tot in vitâ dotibus, tot priuilegijs exornato? ne dicere cogamur, Christum qui prærogatiuâ amoris præcipui illum in viuis dignari voluit, eidem ad plures apposito honorem denegasse, mortuis Sanctorum corporibus, atque ad vltimam anastasim reseruatis passim concessum; vt sacri supersint in terrâ cineres ad solatium Christianorum. Igitur concludere ratiocinationem aut coniecturam cum Christiano Massæo [b] iam liceat, eiusque verbis vti: *Dilectus Domino, virgo, apostolus, euangelista, propheta, custos Virginis & filius, etiam in corpore iam glorificato, cum Virgine Matre triumphat in cælestibus.*

Creditur S. Ioannes resurrexisse, & esse in cælo etiam cum corpore.

Eius opinionis probabilitas.

b Massæus l. 9. Chronici.

IV. Tanta Deiparæ, & Ioannis in vitâ & morte similitudo,

do, esse nobis argumento potest, quantæ sint coniunctionis in eâ gloriâ, quâ perfruuntur: nam ad Christum ipsum Cælitum Regem Mater ità refertur, vt apud eum mortales habeamus neminem, qui eâ Aduocatâ plus possit, ad exoranda nobis Cælitum dona: Mariæ verò & Ioannis in cælo is est nexus, vt alter ab alterâ valeat nobis impetrare quod velit, & quo Maria loco apud Filium est, eo maneat apud Mariam Ioannes.

Coniunctio Deiparæ, & Ioannis in cælo.

Vidisse hoc olim perhibetur in mentis raptu, Sancta virgo Mechtildis [a], cum vtrumque intuita, ab altero postularet, vt per Mariam liceret sibi, quicquid in terrâ charum haberet, pro Christo respuere: & rursus, cum videretur sibi radium lucis aspicere, à Ioannis oculis in ipsa Virginis ora tendentem. In idem recidit quod ostensum est sanctæ item virgini Gertrudi [b]: cum enim hæc, B. Mariæ in cælum assumptæ die, in otium contemplationis abrepta, ipsam Dei Matrem intueretur morientem; vidit ex Ioannis corde, qui proximè adstabat, purissimum sibi vaporem attrahere, significantem vel Christo interprete, quantum gloriæ per Diuam Virginem ad Ioannem custodem ac filium accessisset. Denique inter orandum D. Birgitta [c] annuentem Dei Genitricem Apostoli dilecti precibus vidit, ad quas prouisum est, ne Sacerdos sub ouinâ pelle lupus rapax, nocere diutiùs gregi Fidelium posset.

a *Mechtil. in lib. visionum.*

b *Gertrudis Insin. diu piet. l. 4 cap. 4.*

c *Birgitta l. 4. Reuel. cap. 23.*

Visa est in mentis raptu à SS. Mechtilde Gertrude, & Birgitta.

Innumera sunt concessa petentibus dona à Diuâ Virgine per Ioannem Euangelistam, quorum plura in suo decursu nostra prodet historia: sed illud in primis non possum hic tacitus præterire, sæpissimè mortalibus apparuisse Mariam Ioanne comite, à quo illius iussu Gregorium Thaumaturgum excepisse Fidei regulam, mox pro concione ad populum promulgandam, suo loco dicturi sumus.

Apparuit Diua Virgo mortalibus sæpe Ioanne comite.

Illud deinde occurrit hoc loco non omittendum; accidisse quandoque, vt D. Virgo suas imagines custodiri ad tempus voluerit à viris, Ioanni suo olim custodi, sic moribus, vt nomine quam simillimis. Huius generis per insigne miraculum antiqua continent monumenta [d] venerabilis cænobij, quod sub SS. Cosmæ, & Damiani titulo Romæ trans Tyberim visitur, olim S. Benedicti Monachis addictum, nunc Sanctimonialibus S. Claræ. Imago D. Virginis auro gemmisque diues, ex templo S. Petri per furtum sublata, atque in Tyberim proiecta prægrauanti saxo, cui fuerat alligata, vt mergeretur, vsque eò supernarauit aquis, donec sub transtyberino ponte consisteret, qui nunc ex parte dirutus à S. Maria nomenclationem accepit. Inde translata in proximum S. Saluatoris templum, expositaque palam Romanorum

d *Ex monumentis Ecclesiæ SS. Cosmi, & Damiani trans Tyberim.*

Ignens Deiparæ imaginis furto sublatæ miraculum.

norum venerationi, ipsius D. Virginis iussu à S. Benedicti Monacho iuniore, cui Ioanni nomen erat, accepta non sine miraculo, & custodita creditur, donec ad SS. Cosmæ, & Damiani transtyberinam ædem illata fuit, vbi religiosè nunc colitur. Interim piorum obsequia ergà Virginem Matrem, & Apostolum Virginem coniunctim non desunt, fundatis sub vtriusque ductu & inuocatione sacris Ordinibus, erectisque templis. Ordinem quidem Fontis Ebraldi ità Robertus auctor instituit, vt virgines vtriusque sexus, castitatis vota congruè profiterentur, & fœminæ in Mariâ, viri in Ioanne perfectum sibi proponerent virginei candoris exemplar. Imò vir piusad Christi testamentum respiciens, qui discipulum dilectum Matris obsequio mancipauit, iussit Ascetas suos, Præfectæ sacrarum virginum ipsius instituti subesse. Templum [a] verò Zacharias Senonensium Antistes insigne extruxit, dicauitque S. Ioanni Dei Genitricis adoptitio, custodi, & hæredi; atque honore commendatæ Sancto Apostolo D. Virginis, sacrum ibi Parthenonem addixit.

Ordo Beligiosorũ fontis Ebraldi fundatus sub inuocatione Deiparæ, & S. Ioannis.

a Martyrologii Gallicanum, sub 27. Decemb.

V. De die quo contigit placidissima Ioannis migratio, certi aliquid afferri non potest; festum Ecclesia Latina celebrat [b] sexto Kal. Ianuarij. Menologium Græcorum, cui conueniunt Syrorum, ac Ruthenorum fasti, septimo [c] Kal. Octobris, alij [d] septimo Kal. Iulij. Sed quicquid sit de verâ eius obitu luce, non displicuit multis Gulielmi Durandi [e] sententia, vbi mysterium nacti sumus non alienum à nobis. Dicit is, Ioannem à sapientiâ cognomento Theologum, obijsse octauo [f] Kal. Iulij, in festo alterius Ioannis, cui à baptismo nomen. Addit opportunè illius votiuam memoriam, transferri ad tertium diem post ortus Dominici Festum: *vt omnes comites suos haberet Sponsus, Martyres nempe voluntate & actu, qualis S. Stephanus fuit; voluntate & non actu, vt S. Ioannes Euangelista; actu & non voluntate, vt Innocentes.* Si illud siderum par Iesu Christo & Mariæ matri tot nominibus adnexum, si vterque Ioannes in obitus die concurrit, quis non videt conuenire ambos in meritis, vt conuenerunt in nomine, in sanctitate, atque in cognatione? Romæ alter ab altero non disiungitur, dum cunctarum mater & caput Ecclesiarum, Basilica Lateranensis, sub vtriusque nomine patet, à quâ non longè dissitam suam habet in Exquilino colle Deipara, ne absit à filijs mater, ab illis semper ad salutem Fidelium exorata.

De die mortis S. Ioannis

S. Io: Euan. obiisse eodẽ die quo obierat ante Baptista censet Durandus.

b 27. Dec

c 26. Sept.

d Martyrolog. Rom. & Notkeri 25. Iun.

e Durand. in Rat. diu. offi. l. 7. c. 14. & 42.

f 24. Iun.

Basilica Lateranensis vtrique dicata.

VI. Interim ne sinamus illaudatum, quem ambiunt vndecumque præconia. Hoc esto perbreue Euangelistæ Ioannis

nis elogium, inſcribendum vtique ſepulcro, ſed vacuo.

O Magna Mater, Tuus hic olim iacuit
Non natura, ſed adoptione Filius.
O quiſquis filius Mariæ es,
Germanum recordare maximum filiorum Deiparæ.
Inter Apoſtolos Virginem, inter Virgines Apoſtolum.
Theologorum apicem, Vatem futurorum,
Sine profuſione ſanguinis Martyrem.
Piſcatori calamus ceſſit in ſceptrum,
Cum Auguſtam ille Aquilam præſetulit,
Cælum Dei regnantis ſedem vicit volatu,
Abſconditum diuinæ Mentis Verbum vidit obtutu;
Quod cum eſt deinde caro factum,
Tanquam abbreuiatum expoſuit ſcripto.
Filius tonitrui dictus
Exterruit tonitru Iouem Tonantem,
Cuius è manibus triſulcum fulmen excuſſit.
Hercule maior, in Ebione & Cerintho
Multorum capitum Hydram compeſcuit verbo, non claua.
Heros plurimarum ſanè palmarum
Catenata duxit ſecum Erebi monſtra.
Fecit ſibi prædam ipſum cor Dei amoris vi,
Cum Chriſtus cenans ſuum illi pectus in puluillum,
Et in matrem moriens, Matrem dedit ſuam.
Exul ab Vrbe terrena, admiſſus eſt in cæleſtem
Quam deſiderio poſterorum reliquit deſcriptam,
Cuius in amorem magis exarſit
Cum oleo feruenti immiſſus, prodiuit integer,
Cum venenum Cruce temperatum bibit innoxium,
Cum congeminato millies oraculo, dixit
AMOREM SVMMAM LEGIS ESSE.
Meritò Phœnix eſt habitus ab amoris igne rediuiuus,
At non iterum moriturus.
Angelis par cum Gabriele concurrit
Auguſtiſſimæ Virginis famulatu,
Cui viuens, cui moriens ſimillimus fuit.
Huc oculos intendite, qui reddere alteram vultis vnica linea.
Vera Imago Deiparæ Ioannes eſt.

Elogium S. Io: Euangeliſtæ.

VII. Ex Romanâ hiſtoriâ huic anno contigit primus Traiani Cæſaris in Vrbem ingreſſus, quem in ſuo ad illum

dedimus siue coniecturis, siue populorum traditionibus, siue Sanctorum testimonijs confirmatas. Si quid in ijs peccatum ò Domina, nostram excusabis inscitiam, & veniam facilè dabis, paratis emendare quæ scripsimus ad sapientum censuram & moderatorum præscriptum; nec alios sensus professis quam ab Ecclesiâ Romanâ receptos, probatosque. Interim ad Dei vnius gloriam, cui laboramus, liceat Tuos ante pedes hoc veluti munusculum ponere, cui eam abs Te rogamus vim, vt prodesse legentibus possit, in eorum animis excitare Marianæ pietatis igniculos, Tibique Maximæ Dei Matri, omnium colligere obsequia. Præterea si hac primâ Annalium parte nos huc vsque rebus Tuis illustrandis intentos perbenignè iuuisti; pergentes iam ad reliqua Historiæ Virginalis euenta, quæ Tuam in cælo regnantis gloriam per omnia retrò sæcula declararunt, ne desere: imò nauigationi susceptæ auspice Te, sidus esto propitium, & da vt absque naufragij periculo veniamus ad portum.

FINIS.



INDEX
RERVM NOTABILIVM HOC VOLVMINE COMPREHENSARVM.

APPARATVS AD ANNALES, ET ANNI IPSI DISTINGuuntur in numeros, aut paragraphos. In Apparatu numerus siue paragraphus citatur grandioribus litteris: In Annalibus verò annus natæ Virginis, itemque numerus eius anni, minusculis notis arithmeticis.



quæ Gabriel ex diuino mandato Virgini salutationem impertiens pronunciarat: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*: tum etiam quæ Elisabetha, quasi Angelo intertuisset, postremas resumens voces, ijs superaddiderat: *Benedictus fructus ventris tui*. Nam censetur Deus vtrobique locutus, in Angelo quidem, qui cælesti legatione functus, diuina protulit iussa; in Elisabetha verò, quæ Spiritu Sancto plena, indicem sacri mysterij vocem effudit. Postrema denique verba, quæ ad demerendam sibi Dei Matrem, Ecclesia voluit ipsi salutationis formæ subnecti, ad Deum quoque meritò referuntur, quoniam adeò Ecclesiæ diuinus Spiritus, eamque iugiter moderatur, ac regit. Itaque post Orationem Dominicam, quam suo nos ore Christus edocuit, excellentissima omnium deprehenditur, ac præstat cæteris precibus Angelica salutatio, cuius pariter est auctor Deus, suorum ore ferorum ad instructionem nostram prolocutus, cum illa audita primùm in terris est. Eius in Ecclesia perantiquus est vsus; nam ex quo Angelus & Elisabetha diuino instinctu Virginem salutarunt, exemplum Fideles secuti, Apostolis præeuntibus colere eodem illam honore ceperunt, vt Matrem, Christi quidem naturâ, adoptione verò omnium Christianorum: ad quam salutandam, honorandamque extitisse iam tum magnos vndecumque concursus, testis est D. Ignatius Antiochenus Antistes, ipsius Virginis synchronus, & Apostolorum discipulus, itemque multa argumento sunt, quæ sparsim hoc opere à nobis sunt dicta. An verò vltima verba eiusdem salutationis, quibus Deiparæ interuentum ac preces apud Deum sibi poscit Ecclesia, Apostolorum tempore adiuncta sint, non abs re vocatur in dubium: cum cæteroqui constet; Hæresi Nestorianâ per Ephesinam Synodum profligata, Mariam Dei Genitricis titulo solemniter fuisse insignitam; sentiatque Cardinalis Baronius, eam nominationem tum primùm expressam ad salutationem Angelicam accessisse. Attamen pernegare quis audeat; illam salutandæ Virginis formam, cum adhuc Apostoli viuerent, & hoc ipso in quo nunc versamur tempore, ante coactam Ephesi Synodum, ita Fidelibus in vsu fuisse, vt opportunâ aliquâ deprecatione sit clausa, quam tandem damnato Nestorio, inter Catholicorum plausus de profligatis Mariæ hostibus, Patrum suffragia stabilierint, & implorandum in eâ fontibus pro vita & in morte Dei Matris auxilium iudicauerint.

III. Si verò vel ipsis Apostolorum temporibus quotidiana esse

Eiusdē præstantia.

Recitari cō-sueuit post orationem dominicam.

De vltimis salutationis eiusce verbis, & quando additæ fuerint.

na esse cepit, atque adeò sæpius diebus singulis ingeminata est apud Fideles Orationis Dominicæ recitatio, ad exorandam crebrò diuinam clementiam per formulam precatoriam, quam Christus edocuit, consequendis bonis, & auertendis periculis opportunam: tunc etiam frequentissimæ eius recitationi subiungi à Fidelibus cepit, imploratio Virginis Matris, per Angeli & Elisabethæ verba, quoniam ad conciliandum nobis cælestem Patrem, post Christum nullus est aptior Deiparâ, efficacior nullus. Hinc factum est, vt orantium commoditati, tenendoque facilè precum numero consultum deinceps sit, per adhibitos calculos, & globulos ex variâ materiâ precatorios, quos sub Coronæ nomine simul adnexos, in eum vsum gestamus, quem quidem vsum antiquissimum esse dicimus, non à Neotericis inuentum, vti scriptum reliquit Polydorus [a] Virgilius, qui Petro Eremitæ Ambianensi illum attribuit, cum hic sub annum Christi millesimum nonagesimum, expeditionem in terram sanctam Vrbano Secundo Summo Pontifici suaderet. At perantiquum orandi modum per calculos petere possumus ab amplissimis testibus, Palladio [b] Galata Lausiacæ scriptore, & Aurelio [c] Cassiodoro Senatore, Regique Theodorico ab epistolis; cum alter quidem quarto post Virginis partum sæculo, alter verò sexto floruerint; & loquentes ambo de Paulo quingentorum Monachorum Abbate, dicant; trecentas illum preces quotidie Deo instar diurni, nocturnique tributi reddere solitum, singulas missu totidem lapillorum, quos habebat in sinu numerasse. Vnde benè conficit Heribertus [d] Rosuuedius, originem globulorum, quibus iam Rosarij, aut Coronæ nomine precaria serta conficimus, referendá esse ad Patrum tempora, inter Aegypti atque Thebaidis solitudines, vni Deo sibique vacantium, in quorum numero Paulus Abbas anno post Christum natum septuagesimo suprà trecentesimum superstes erat. Quare audiendi non sunt, oblatrantes hoc æuo in Religionem Sectarij, qui morem illum nouitatis, ac superstitionis insimulant.

Serti precatorii per calculos antiquitas.

Eiusdē origo

a Polyd. de rerum Inuent. lib. 5. cap. 9.

b Pallad. in Hist. Laus. cap. 23.
c Cassiod. in hist. Tripart. l. 8. c. 1.

d Rosuued. in not. ad lib. 8. de vit. Patr. Orientis.

IV. Sed adhuc antiquiorem eo Patrum Aegyptiorum æuo dicimus esse, atque ad altiora referendum principia; cum aliunde compertum sit; eo incepisse tempore, quo serti illius coronarij, certo globulorum numero constantis, ad preces numerandas vsus inualuit. Hunc autem viguisse, cum Apostoli viuerent, ex eo probat B. Alanus [e] de Rupe Ordinis Prædicatorum, à Ioanne Trithemio [f] laudatus; quòd sub Ec-

Ante Aegiptios patres in vsu fuit.

e Alan. in Apol. pro Rosar. Christi & B. V.
f Trithem. in Catal. Script. Eccles.

clesiæ primordia. Fidelium cætus exemplum orandi in veteri Synagogâ vsitatum imitaretur: vbi enim hæc centum quinquaginta Dauidis Psalmos ad quotidianas preces adhibebat, vocabatque Psalterium; placuit illis post Christum natum, cum Iudaici ritus abrogati iam forent, eandem retinere Psalmodiam, cuius vsus etiamnum durat. Insuper vt vulgus ignarum legendi, alijque, (quibus per occupationes, aut quacumque ex causâ, difficilis redderetur eiusmodi pensi solutio) pietati ac religioni pro suo modulo satisfacerent, ijs in vsu esse cepit, ternas Orationum Dominicarum quinquagenas pro Psalterio recitare; & ne inter numerandum error irreperet, adhibiti sunt calculi, ex quibus serta extitere precaria. Ità sentit, præter Alanum de Rupe, Ioannes Andreas [a] Coppensteinius ex Ordine eodem Prædicatorum. Et Apostoli reliquis Fidelibus eiusce recitationis præiuerunt exemplo: nam S. Bartholomæus adhibuisse illam orando proditur, & singulis tam diebus quam noctibus centies ac centies geminasse, flexis per totidem vices humi genibus, quæ pariter obduruerant. Neque id temporis in Oratione Dominicâ solum, sed in Angelicâ quoque salutatione factum est, vt ternis ista quinquagenis æquè ac illa redderetur; ità docuerunt Scriptores doctrinâ percelebres, quos recenset ac sequitur Hippolytus [b] Maraccius in peculiari hac de re tractatu, vnàque Iudocus Beyssellius [c] Aquensis Patritius, omnigenæ litteraturæ professor, scribens de Coronâ precatoriâ ad Maximilianum Augustum: *cum*, inquit, *inter ipsa nascentis Ecclesiæ primordia, perfectiores quique Fideles, tribus Dauidicorum Psalmorum quinquagenis, diuinas laudes assiduè celebrarent, ad rudiores quoque, pij moris æmulatio est deriuata; vt tamen non psalmos ipsos cancrent, sed ad mysticum illum numerum, Angelici concentus carmine vterentur.* Denique concludit id factum, quòd crederentur cuncta Psalmorum sacramenta; salutatione Angelicâ contineri; quoniam quem illi venturum concinebant, hæc formula iam adesse nunciabat. Itaque eam centies quinquagies recitatam Mariæ Psalterium, ad alterius similitudinem, appellarunt, præmissâ ad singulas decadas Oratione Dominicâ, vt obseruatum quoque nouerant à Psalmidicis.

V. At etiam orandi formam à Christo præscriptam, quâ Apostoli, ac reliqui Fideles vtebantur, fuisse Virgini Matri in vsu propè quotidiano, cum ratio probat ac studium, quo verba Christi omnia conseruare consueuit illa in corde suo, atque exactissimè ad eiusdem præscriptum orare; tum maximè insigne

Initio nascentis Ecclesiæ.

Sertum precarium appellatum est Mariæ Psalterium.

Orationis dominicæ recitatio B. Virgini fuit in vsu.

a Coppenst. in op. de institutione fratern. Rosar. l. 1. c. 24

b Hippol. Mar. de Pontificibus Marianis in Hemor. 3.

c Beyssell. lib. de Corona Ros. B.V.

signe monumentum, quod in hunc vsque diem Roma custodit, lapilli nempe aut globuli, quos adhibuisse Virgo creditur ad quinquagenas dictarum precum numerandas. Visuntur hi in templo sacris Deiparæ natalibus dicato, quod ex vicinitate Capitolij, corrupto vocabulo, ad Campitellum vulgus indigitat. Cum varijs Sanctorum Reliquijs, alijsque ad Deiparam pertinentibus, de lacte, capillis, ac vestibus, in superiore loculamento reconditi sunt, atque concrediti diligentissimæ custodiæ Clericorum Regularium Matris Dei, qui ædem ab Honorio Tertio summo Pontifice consecratam nunc habent, ac religiosissimè curant. Rei huiusce fidem petere licet, ex peruetusto Reliquiarum syllabo, ibidem asseruato, atque ab ijs [a], qui auctoritate Apostolicâ, locum identidem visitarunt, non semel recognito, probatoque. Hîc aduerte; non aduersari huic, in quam vltrò concedimus, assertioni, Dominicæ illius precandi formulæ, à Deiparâ inter orandum adhibitæ, id quod alij in contrarium obijcere solent; quasi verò non potuerit D. Virgo postulare à Deo quod ibi continetur, vt sibi peccatorum debita dimitterentur, cum nullis vnquam vel leuium culparum maculis fuerit contaminata: nam occurrit iam pridem difficultati Cardinalis Toletus [b], cum tanquam certum statuisset priuilegium Virginis vndecumque immaculatæ; affirmans suis in S. Lucæ Euangelium commentarijs; vsam esse Deiparam Oratione Dominicâ; *non quidem*, inquit ille *in hac parte: Dimitte nobis debita nostra, pro se; sed pro corpore Fidelium.* Et mox ad clariorem expositionem subdit. *Petitiones hæ sunt communes, vti verba declarant, in quibus generatim pro omnibus Fidelibus petimus; & pro se, si quis etiam indiget, cum sit de corpore.*

Et quidē ad calculos, qui nunc Romæ seruantur.

a Lib. Visitat. Pij V. à Io: Carolo Poteza collectus.

Quomodo postulare Virgo potuerit, vt sibi debita demitterentur.

b Francisc. Tol. in c. 2. Luca.

VI. Sed redeuntes ad salutationem Angelicam; ponimus iam primo post Christum natum sæculo, quod claudit hic annus, in quotidianum vsum fuisse inductam, itemque ad precatorios calculos numerosè pronunciatam, vt præscriptus recitationi numerus faciliùs teneretur. Qui mos consequentium subinde sæculorum decursu, iugiter viguit inter viros sanctissimos, quos anni sibi inuicem succedentes protulerunt; ac tandem duodecimo post Virginis partum sæculo ab inclyti Ordinis Prædicatorum auctore Dominico mirum in modum est illustratus, cum trinæ salutationum quinquagenæ ità reddi ceperunt, vt ad prolationem verborum, apta quoque menti consideratio proponeretur, quæ potissimùm petita est ex Mariæ vitâ, in pluribus ad Christum relatâ, dum

Auctor S. Dominicus fuit, vt salutationum Angelicarum recitationi adderetur meditatio, sacrorū mysteriorū.

tripartito mysteriorum discrimine, gaudia, dolores, & glorias continentium, singulæ salutationum decades nouam ex illis susciperent materiem meditandi. Cùm verò huiusmodi labore, Fidelium pietas quasi rosas colligat, simulque attexat, vt Virgo coronetur, placuit appellare *B. Mariæ Rosarum*: nunc autem habitâ annorum ratione quos illa vixit inter mortales, per senas aut septenas earundem precum decades sertum conficitur breuius, eique respondent globuli coronarij, quos tanquam insignia pietatis in Virginem vbique Catholici circumgestant. Insuper quò magis crescerent vbique terrarum obsequia piorum in eandem, progressu temporis factum est, vt ad æris campani pulsum ter in die Fideles sub primum diluculum, sub meridiem, & sub noctem vsitatâ eam formulâ salutarent: imò & frequentiùs multi eodem fungerentur officio, cum ab horarijs machinis horæ singulæ per sonitum excluderentur. Sanctorum denique in eam salutationem affectus, & vsum eiusdem sæpius recitandæ, Virgini matri gratissimum, comitata sunt persæpe miracula, de quibus suo loco nobis futurus est sermo.

Sacri Rosarii origo.

Corona Virginis per senas aut septenas decadas.

VII. Reliquæ huius anni res, quæ aliquo modo referri possent ad Virginem, petendæ sunt ex nouâ in Ecclesiam Christi procellâ, quam excitauit Traianus ipso sui principatus initio, non autem post decem annos, vt scripsit Eusebius: hic enim Imperator, nullâ auitâ nobilitate ad imperij fastigium euectus, eò creditur peruenisse, vt paulò ante Vespasianus, ac Titus, quòd in expeditione Iudaicâ, Iosepho [a] teste, legionis decimæ ductor, egregiam contrà Iudæos nauauerit operam, & quòd perinde ac illi, rem gratissimam Numini diuino præstiterint, nationem insectatus horrendo Iesu Christi parricidio contaminatam, odijque ream in Virginem Matrem exerciti, dum Iudæorum scelus tantum habuit immanitatis, vt qui eos ad extremam vsque sæuitiem vlti sunt, pro munere, ad summum honoris apicem fuerint euehendi. Præterea nondum profectus Romam Traianus, & pergens adhuc in expeditione Germanicâ, ostendit se Christianis infensum, id agente diuinâ prouidentiâ, ne quid deesset ad eorum constantiam exercendam, vnde Christus nouos suæ fidei testes, & Mariaclientes acquireret. Prima Cæsaris edicta in conuentus, & sodalitia insonuerunt, quibus edictis nemo non videt Christianos potissimum fuisse perculsos, quos non modò vna fides, vna charitas, vna lex vel loco disiunctissimos, arcano fœdere colligabat, sed etiam vnus ardor, ac studium vnum laudan-

a Ioseph. de bello Iud. lib. 3. c. 11. 16. 17.

Traianus in Imperium euectus, vt hostis Iudæorum.

Idem Christianis infensus in sodalitia, & conuentus exarsit.

dandæ diuinæ Maiestatis, vbique terrarum certos in cætus numerosè cogebat. Hic implorabant illi cæleste subsidium ad exercenda charitatis opera, sine quibus, ex Iacobi [a] doctrinâ, fides mortua erat; hic suas Cælitibus laudes, Diuæque Virgini tribuebant præcipuas, vt huius ope præsentissimâ, & præsidio, de quo plurimum conceperant spei post Christum, illorumque interuentu, aduersus hostium insidias tegerentur. Edictis igitur toto orbe promulgatis, prætextus non defuit Prouinciarum Præfectis, Christianorum cætus impetendi, vbi sacræ identidem agebantur synaxes, ac tutum omnibus erat ab Ethnicorum insidijs sub expansâ Mariæ Dei Genitricis palâ perfugium.

a Iac. 2. v. 17.

Vbi laudes Cælitibus, & D. Virgini tribuebãtur.

VIII. Itaque noui Imperatoris edicto Romæ promulgato, qui rebus administrandis ibi præerant, in Sanctissimum Christiani cætus Antistitem Clementem impetum faciunt, quoniam ab eo, crescens vbique gentium sacrum illud Christi sodalitium regebatur, rati auulso capite corpus illicò ruiturum. At verò optimatibus in partes diuisis, dum eorum alij in sanctum Pontificem decernunt extrema supplicia, alij cum innocente mitiùs agunt; rescribit tandem consultus de re totâ Traianus; oportere illum, vel ad Deorum sacrificia consentire; vel vltrà Pontum Euxinum in desertam Tauricæ Chersonesi peninsulam relegari. Quare ad oblatam sibi optionem Pontifex, durissimum exilium impietati præposuit. Verumtamen Româ digressus, Romæ non defuit, quam cum magnâ ex parte Christianam, sub Deiparæ patrocinio reliquisset; huic acceptas retulit innumeras Martyrum palmas, quas tum ibi, tum in reliquis Orbis partibus deinceps, Traiani peperit persecutio. Affuit [b] quoque Pontifici Diua Virgo in desertis locis exulanti; vbi enim ille ad duo millia Christianorum inuenit, quos latomijs Tyrannus damnauerat, tum solatio omnibus fuit, tum etiam id præstitit opportunè subsidij, vt laborantibus iugiter ad Chersonesi fodinas, ac siti propè enectis, vberrimum aquæ fontem aperuerit, quam venam tanquam indicem labentis è cælo clementiæ, Christus familiarem sibi Agnum indutus, dextro pede, & omine è summâ rupe deduxit. Alios verò populos per vicinas terras circumquaque dispersos summus Pastor ad Christi gregem per fidei lumen adiunxit, intrà biennij spatium Fidelium ibi conuentibus suprà sexaginta institutis, dum Traianus latis legibus in sodalitia fulminaret. Hic sanè licet agnoscere adiutricem Christi manum, & fauentem operi Deiparam, eiusque insu-

S. Clementis Pontificis relegatio.

b Ex actis S. Clementis.

Adest illi exulanti Deipara.

Fructus ab eo facti in exilio.

per

per gaudium de genitis sibi per Christianum lauacrum tot millibus filiorum à Clemente, cui & ornamento fuit flos illibatus virginitatis.

S. Flauia Domitillæ Virginis Martyrium.

IX. At splendoris plurimum accessit huic anno, à nobilissimæ Virginis Flauiæ Domitillæ perillustri martyrio. Hæc monitoribus Nereo & Achilleo à cubiculis, nuncium mortali sponso remiserat, atque immortali nubens, acceperat à Pontifice instar flammei, sacrum capitis velum; tolerato mox exilio ad Insulam Pontiam; ab Aurelio, cui desponsa iam pridem fuerat, Tarracinam transmissa, non modò auersata semper illum est, sed etiam ad suas preces vidit vltore Deo inter choreas subitâ ruinâ domus oppressum. In secretum tandem recepta conclaue, eò flammis per Luxurium Aurelij fratrem immissis, vnà cum duabus virginibus Theodorâ & Euphrosinâ conflagrauit. His ignibus accensæ sunt potiores tædæ, quibus Domitilla cum suo comitatu ad cælestis Agni nuptias

Quomodo pertineat ad Deiparam.

auolauit, Dei Matre pronubâ, quæ Regina Virginum est. Interim omnium postridie corpora, vt à Cupidinis, sic à Tyranni igne permanserunt illæsa, & à tam sanctis flammarum spolijs, splendet in Dei Matris honorem virginitas.

X. Ferè in eundem annum ex Romanâ historiâ referre possumus, quod Dio [a] testatur accidisse Traiano, antequam consequeretur imperium. Ait enim illum imminente principatu, sibi visum esse per quietem aspicere quendam in tunicâ & prætextâ purpureâ proximè astantem, & coronatum; qui signum annulo aureo, nunc in sinistrum ipsius iugulum, nunc in dextrum imprimeret; atque omen ad ipsius Traiani imperium significandum esse detortum. At quantò melius nocturnum visum aliò relatum fuisset, si dixissent onirologi; apparuisse Traiano Regis speciem, qui per illius operam Christianis plerisque, & Marianis clientibus iugulum obsignaturus esset non auro sed ferro, eisque in effusi sanguinis purpurâ dignitatem collaturus: id quod ipsâ Traiani persecutione factum nemo negabit.

a Dio lib. 68.

Traiani somnium relatū ad eius in Christianos persecutionē

Annus Christi 101.
B.Virg. Natæ 115. Clem. Rom. Pont. 9.
Et Assump. 43. Traiani Imp. 2.

I. Altero Traiani Cæsaris anno, qui octauus & sexagesimus à morte Christi decurrebat, Ioannes Euangelista

gelista Apostolorum postremus, idemque Virgini Matri vt filius alter addictus, migrauit è vitâ; ad cuius mortis veritatem probandam testimonia Patrum plura & antiqua non desunt; imò à sacris Scriptoribus consueuere passim adduci aduersus eos, qui parem illum faciunt Enocho & Eliæ etiamnum viuentibus, atque in vltimum æterni Iudicis aduentum certo aliquo mundi loco reseruatis, cum censeant inter Apostolos olim percrebuisse sermonem; Ioannem in viuis ad vltima mundi tempora permansurum, audito Christi ad Petrum responso: *Sic eum volo manere, donec veniam* a; cui tamen Collegarum suspicioni tanquam minus probabili, scimus ipsum occurrisse Ioannem, clarè testatum in Euangelio: *& non dixit Iesus, non moritur* & in Apocalypsi b asserentem; duos tantum Præcursores Christi Iudicis, ad mundi exitum affuturos Enochum nempe, & Eliam. Insuper veram de Ioannis obitu sententiam Eusebius, aliique confirmant, qui eius Ephesi sepulcrum suo æuo ostensum esse dixerunt; cum cæteroqui S. Augustinus c improbet aliorum opinionem, qui putant esse in sepulcro Ioannem non mortuum, sed mortuo iacere similem instar dormientis; suamque vitam ostendere scaturigine pulueris, qui creditur ab imo tumulo ad superficiem, flatu quiescentis impelli. De eius ætate cum minimè inter auctores conueniat, nos ex probatâ Cardinali Baronio supputatione, cum ponamus hoc anno mortuum, nec vltrà tres ac nonaginta annos in viuis fuisse, natum oportebit anno post Virginis partum octauo, altero suprà vigesimum suæ ætatis adhæsisse Christo; ad triennium cum reliquis Apostolis fuisse in eius disciplinâ; octo denique ac sexaginta annis post eiusdem à morte triumphum, mortalitati satisfecisse.

S. Io: Euãgelistæ obitus.

Sententia de eius vita adhuc durante improbatur.

a Io: 21. v. 23.

b Apoc. 11. v. 4. & seq.

c S. Augustinus.

Aetas S. Ioannis ex supputatione Baronii.

II. Aliquid iam de ratione dicamus, quâ obijt eximius hic tum è Christi disciplinâ tum è Mariæ domo alumnus, qui vt similitudinem in se Virginis Matris viuens expressit, ità eidem in obitu fuit magnâ ex parte conformis. Martyris quidem titulo impertitum nouimus, licet sciamus è viuis incruentâ morte præreptum, quoniam nec Martyrum illi pœna, nec palma defuit, cum Romæ in aheneum olei feruentis labrum immissus, diu cruciatum pertulit citrà mortem, à quâ diuinitus liber quasi vegetior Agonista, ad noua est inunctus certamina. Sic Maria Dei Mater, non vllo persequentium cecidit gladio; attamen quia dolor quouis acutior telo, in Filij morte ipsi pertransiuit animam, plusquam Martyr, & Regina Martyrum audit. Sed de modo peculiari, quo Ioannes obijt,

Mors S. Ioãnis similis morti Deiparæ.

obijt, præstat audire [a] Nicephorum, cuius testimonio compertum est, Ephesi Apostolum de imminente sibi postremâ in viuis horâ commonitum, extrà pomærium coram ingenti discipulorum comitatu, progressum; sibi tumulum egestâ terrâ parasse; mox extremùm saluere iussis, & valere comitibus, post effusas Deo preces, in monumentum descendisse; vbi quibus erat amictus vestibus, cum se decenter composuisset, statim debito iustis somno captum, quiescentis in speciem expirasse. At hîc pariter quotusquisque non videat expressam Mariæ morientis imaginem, quæ non vllo pressa morbo, suique omninò compos, in Apostolorum cætu, quos Dei virtus illuc ad extremos coëgerat tantæ Matris afflatus, soluit vltimum naturæ tributum, ac si foret dumtaxat ad somnum composita?

Quomodo ille obierit ex Nicephoro.

[a] Niceph. l. 2. c. 42.

III. Sed ex alio capite magis elucet vtriusque mortis similitudo, cum post aliquod tempus reserato Apostoli sepulcro, nullum in eo cadauer inuentum sit; vnde quod de Virgine Deiparâ credimus in cælum assumptâ, & resurrexisse dilectum Christi discipulum, & cælo vnà cum corpore illatum constans inter Fideles fama vulgauit, vt laudatus asserit eo loco Nicephorus. Vim hæc assertio magnam inde sortitur, quòd è sacro Apostoli corpore nihil vsquam reperiatur in terris; cum cæteroqui constet, ossa Sanctorum peculiari diuinæ Maiestatis prouidentiâ custodiri, atque à Catholicis suprà aurum & gemmas pro thesauris haberi. An cariturum hoc honore quis censeat eum, cui Christus ipse apprimè dilecto, pectus suum quasi ceruical dormienti supposuit, & Matrem suam moriens testamento legauit? Si plurium opinio fert; eos qui moriente Domino extitere de sepulcris rediuiui, atque in sanctâ ciuitate obtulere se videndos multis, cælo tandem cum Christo receptos esse, assumpto etiam in gloriam corpore; ecquis audeat hoc ipsum negare post mortem Ioanni, tot in vitâ dotibus, tot priuilegijs exornato? ne dicere cogamur, Christum qui prærogatiuâ amoris præcipui illum in viuis dignari voluit, eidem ad plures apposito honorem denegasse, mortuis Sanctorum corporibus, atque ad vltimam anastasim reseruatis passim concessum; vt sacri supersint in terrâ cineres ad solatium Christianorum. Igitur concludere ratiocinationem aut coniecturam cum Christiano Massæo [b] iam liceat, eiusque verbis vti: *Dilectus Domino, virgo, apostolus, euangelista, propheta, custos Virginis & filius, etiam in corpore iam glorificato, cum Virgine Matre triumphat in calestibus.*

Creditur S. Ioannes resurrexisse, & esse in cælo etiam cum corpore.

Eius opinionis probabilitas.

[b] Massæus l. 9. Chronici.

IV. Tanta Deiparæ, & Ioannis in vitâ & morte similitudo,

do, esse nobis argumento potest, quantæ sint coniunctionis in eâ gloriâ, quâ perfruuntur: nam ad Christum ipsum Cælitum Regem Mater ità refertur, vt apud eum mortales habeamus neminem, qui eâ Aduocatâ plus possit, ad exoranda nobis Cælitum dona: Mariæ verò & Ioannis in cælo is est nexus, vt alter ab alterâ valeat nobis impetrare quod velit, & quo Maria loco apud Filium est, eo maneat apud Mariam Ioannes. Vidisse hoc olim perhibetur in mentis raptu, Sancta virgo Mechtildis [a], cum vtrumque intuita, ab altero postularet, vt per Mariam liceret sibi, quicquid in terrâ charum haberet, pro Christo respuere: & rursus, cum videretur sibi radium lucis aspicere, à Ioannis oculis in ipsa Virginis ora tendentem. In idem recidit quod ostensum est sanctæ item virgini Gertrudi [b]: cum enim hæc, B. Mariæ in cælum assumptæ die, in otium contemplationis abrepta, ipsam Dei Matrem intueretur morientem; vidit ex Ioannis corde, qui proximè adstabat, purissimum sibi vaporem attrahere, significantem vel Christo interprete, quantum gloriæ per Diuam Virginem ad Ioannem custodem ac filium accessisset. Denique inter orandum D. Birgitta [c] annuentem Dei Genitricem Apostoli dilecti precibus vidit, ad quas prouisum est, ne Sacerdos sub ouinâ pelle lupus rapax, nocere diutiùs gregi Fidelium posset. Innumera sunt concessa petentibus dona à Diuâ Virgine per Ioannem Euangelistam, quorum plura in suo decursu nostra prodet historia: sed illud in primis non possum hic tacitus præterire, sæpissimè mortalibus apparuisse Mariam Ioanne comite, à quo illius iussu Gregorium Thaumaturgum excepisse Fidei regulam, mox pro concione ad populum promulgandam, suo loco dicturi sumus. Illud deinde occurrit hoc loco non omittendum; accidisse quandoque, vt D. Virgo suas imagines custodiri ad tempus voluerit à viris, Ioanni suo olim custodi, sic moribus, vt nomine quam simillimis. Huius generis per insigne miraculum antiqua continent monumenta [d] venerabilis cænobij, quod sub SS. Cosmæ, & Damiani titulo Romæ trans Tyberim visitur, olim S. Benedicti Monachis addictum, nunc Sanctimonialibus S. Claræ. Imago D. Virginis auro gemmisque diues, ex templo S. Petri per furtum sublata, atque in Tyberim proiecta prægrauanti saxo, cui fuerat alligata, vt mergeretur, vsque eò supernatauit aquis, donec sub transtyberino ponte consisteret, qui nunc ex parte dirutus à S. Maria nomenclationem accepit. Inde translata in proximum S. Saluatoris templum, expositaque palam Romanorum

Marginal notes (left):
a Mechtil. in lib. visionum.
b Gertrudis Insin. diu piet. l. 4. cap. 4.
c Birgitta l. 4. Reuel. cap. 23.
d Ex monumentis Ecclesiæ SS. Cosmi, & Damiani trans Tyberim.

Marginal notes (right):
Coniunctio Deiparæ, & Ioannis in cælo.
Visa est in mentis raptu à SS. Mechtilde Gertrude, & Birgitta.
Apparuit Diua Virgo mortalibus sæpe Ioanne comite.
Ignens Deiparæ imaginis furto sublatæ miraculum.

norum venerationi, ipsius D. Virginis iussu à S. Benedicti Monacho iuniore, cui Ioanni nomen erat, accepta non sine miraculo, & custodita creditur, donec ad SS. Cosmæ, & Damiani transtyberinam ædem illata fuit, vbi religiosè nunc colitur. Interim piorum obsequia ergà Virginem Matrem, & Apostolum Virginem coniunctim non desunt, fundatis sub vtriusque ductu & inuocatione sacris Ordinibus, erectisque templis. Ordinem quidem Fontis Ebraldi ità Robertus auctor instituit, vt virgines vtriusque sexus, castitatis vota congruè profiterentur, & fæminæ in Mariâ, viri in Ioanne perfectum sibi proponerent virginei candoris exemplar. Imò vir pius ad Christi testamentum respiciens, qui discipulum dilectum Matris obsequio mancipauit, iussit Ascetas suos, Præfectæ sacrarum virginum ipsius instituti subesse. Templum [a] verò Zacharias Senonensium Antistes insigne extruxit, dicauitque S. Ioanni Dei Genitricis adoptitio, custodi, & hæredi; atque honore commendatæ Sancto Apostolo D. Virginis, sacrum ibi Parthenonem addixit.

Ordo Religiosorũ fontis Ebraldi fundatus sub inuocatione Deiparæ, & S. Ioannis.

a Martyrologiũ Gallicanum sub 27. Decemb.

V. De die quo contigit placidissima Ioannis migratio; certi aliquid afferri non potest; festum Ecclesia Latina celebrat [b] sexto Kal. Ianuarij. Menologium Græcorum, cui conueniunt Syrorum, ac Ruthenorum fasti, septimo [c] Kal. Octobris, alij [d] septimo Kal. Iulij. Sed quicquid sit de verâ eius obitu luce, non displicuit multis Gulielmi Durandi [e] sententia, vbi mysterium nacti sumus non alienum à nobis. Dicit is, Ioannem à sapientiâ cognomento Theologum, obijsse octauo [f] Kal. Iulij, in festo alterius Ioannis, cui à baptismo nomen. Addit opportunè illius votiuam memoriam, transferri ad tertium diem post ortus Dominici Festum: *vt omnes comites suos haberet Sponsus, Martyres nempe voluntate & actu, qualis S. Stephanus fuit; voluntate & non actu, vt S. Ioannes Euangelista; actu & non voluntate, vt Innocentes.* Si illud siderum par Iesu Christo & Mariæ matri tot nominibus adnexum, si vterque Ioannes in obitus die concurrit, quis non videt conuenire ambos in meritis, vt conuenerunt in nomine, in sanctitate, atque in cognatione? Romæ alter ab altero non disiungitur, dum cunctarum mater & caput Ecclesiarum, Basilica Lateranensis, sub vtriusque nomine patet, à quâ non longè dissitam suam habet in Exquilino colle Deipara, ne absit à filijs mater, ab illis semper ad salutem Fidelium exorata.

De die mortis S. Ioannis

S. Ioã Euan. obiisse codẽ die quo obierat ante Baptista censet Durandus.

b 27. Dec.

c 26. Sept.

d Martyrolog. Rabani & Notkeri 25. Iun.

e Durand. in Rat. diu. off. l. 7. c. 14. & 42.

f 24. Iun.

Basilica Lateranensis vtrique dicata.

VI. Interim ne sinamus illaudatum; quem ambiunt vndecumque præconia. Hoc esto perbreue Euangelistæ Ioannis

nis elogium, inſcribendum vtique ſepulcro, ſed vacuo.

O Magna Mater, Tuus hic olim iacuit
Non natura, ſed adoptione Filius.
O quiſquis filius Mariæ es,
Germanum recordare maximum filiorum Deiparæ.
Inter Apoſtolos Virginem, inter Virgines Apoſtolum.
Theologorum apicem, Vatem futurorum,
Sine profuſione ſanguinis Martyrem.
Piſcatori calamus ceſſit in ſceptrum,
Cum Auguſtam ille Aquilam præſetulit,
Cælum Dei regnantis ſedem vicit volatu,
Abſconditum diuinæ Mentis Verbum vidit obtutu;
Quod cum eſt deinde caro factum,
Tanquam abbreuiatum expoſuit ſcripto.
Filius tonitrui dictus
Exterruit tonitru Iouem Tonantem,
Cuius è manibus triſulcum fulmen excuſſit.
Hercule maior, in Ebione & Cerintho
Multorum capitum Hydram compeſcuit verbo, non claua.
Heros plurimarum ſanè palmarum
Catenata duxit ſecum Erebi monſtra.
Fecit ſibi prædam ipſum cor Dei amoris vi,
Cum Chriſtus cœnans ſuum illi pectus in puluillum,
Et in matrem moriens, Matrem dedit ſuam.
Exul ab Vrbe terrena, admiſſus eſt in cæleſtem
Quam deſiderio poſterorum reliquit deſcriptam,
Cuius in amorem magis exarſit
Cum oleo feruenti immiſſus, prodiuit integer,
Cum venenum Cruce temperatum bibit innoxium,
Cum congeminato millies oraculo, dixit
AMOREM SVMMAM LEGIS ESSE.
Meritò Phœnix eſt habitus ab amoris igne rediuiuus,
At non iterum moriturus.
Angelis par cum Gabriele concurrit
Auguſtiſſimæ Virginis famulatu,
Cui viuens, cui moriens ſimillimus fuit.
Huc oculos intendite, qui reddere alteram vultis vnica linea.
Vera Imago Deiparæ Ioannes eſt.

Elogium S. Io: Euangeliſtæ.

VII. Ex Romanâ hiſtoriâ huic anno contigit primus Traiani Cæſaris in Vrbem ingreſſus, quem in ſuo ad illum

Traiani Romani aduentus.

Panegyrico Plinius [a], tanti ab omni ætate ac ſexu plauſus, tantique in ciuitate ſpectaculi fuiſſe deſcribit, additque in Principis laudem, præclaro ipſum exemplo conſularibus interfuiſſe comitijs candidatum non tam conſulatus, quam immortalitatis & gloriæ. Sed quæcumque de Traiani Romam aduentu ſplendidè magnificèque ab Oratore dicuntur, deque exhibitis à nouo Principe moderationis exemplis, quæ ſequerentur boni principes, & mali mirarentur: hæc omnia conferri nullâ ratione poſſunt cum triumphali Ioannis in cælum ingreſſu inter Cælitum plauſus, Apoſtolorum occurſus, amplexuſque prodeuntis obuiam Virginis Matris, neque cum acceſſu ad Christi pedes, præ quibus Romani Capitolij pompa vileſcit: & quia ſacrum virginitatis præferebat inſigne, ductuſque eſt à Deiparâ ad cæleſtis Agni vexillum, verius quam Traianus dici debuit. *Immortalitatis & gloriæ candidatus.*

Opponitur glorioſo Ioannis in cælum ingreſſui.

a Plinius Paneg. ad Traianum.

Annus Chriſti 102.
B.Virg.Natę 116. Clem.R.P.10.& vlt.
Et Aſſumptę 44. Traiani Imp. 3.

S.Clementis Romani Pontificis Martyrium.

I. VLtimum Clementis Romani Pontificis certamènne dixerim, an triumphum dedit hic annus, viri inter cæteras laudes de Virginitate optimè meriti, cum virtutem, vt diximus, imitatione Deiparæ nobilem in ſe viuens expreſſerit, laudarit ſcribendo, alijſque perſuaſerit, virgines conſecrando. Gladium quem laudatus à Plinio Traianus palam promiſerat, nunquam tinctum iri bonorum ſanguine, miramur tam ſubitò conuerſum eſſe in ſummum Chriſtiani cætus Antiſtitem, totâ Tyranni ſæuitię in Clementem effuſa cum is annum ageret in Sacerdotio decimum. Ante biennium Româ ad Cherſoneſi fodinas amandatum, ipſa latomiarum tractatio probauit, firmam eſſe ac ſtabilem Religionis petram, euerſis ad trecenta milliaria Deorum fanis, atque ad luſtralem ſacri baptiſmi vndam quingentis quotidie expiatis, qui ad Chriſti partes & fidem, ad agnitionem & cultum Virginis Matris, ad agmina ſanctorum augenda eo auctore tranſirent. Id nimirum cauſæ præceſſit, cur duriſſimo Pontificis ab Vrbe exilio, alterum à vitâ exilium edicto Cæſaris tandem acceſſerit: cum alligatâ ad collum anchorâ præceps eſt è rupe datus in mare, pleno meritorum animo, feliciter ad cæli portum enatante.

II. At

II. At non idcircò Christus, non Virgo Mater solitudini Christianorum defuit, obruto marinis fluctibus Pontifice: nam eò loci euasere gementium preces, & precantium lacrymæ, vt insigni miraculo ad tria milliaria in vtrumque latus cesserit mare, iterque firmum accedentibus præbuerit inter aquarum retroactos montes, donec inuiserent sacrum pignus, eâdemque viâ remearent ad littus. Quin imò vt prodigium prodigio succederet, marmoreum inibi templum à Cælitibus extructum apparuit, itemque ex marmore tumulus, fidus corporis à Superis conditi custos. Miraculum diuisi maris deinceps quotannis iteratum auxit puer, quandoque à parentibus illic per errorem relictus, annique vnius spatio seruatus incolumis. Dices concurrisse quoque ad honorem sui Herois Deiparam, ab illo non semel honoratam, ac tum maximè, cum scripto consignatâ sacrificandi formâ, quam à S. Petro voce tenus didicerat, expressam non vno in loco Dei Genitricis memoriam, laudesque congeminatas reliquit. Hæc de Clementis Missâ [a] traditio commemoratur à Proclo Bizantij Præsule, & indicata suprà à nobis fuit agentibus de S. Petri Liturgiâ.

Miraculum in sepulcro eiusdem Sancti.

In eius liturgia honorifica Deiparæ mentio.

a Biblioth. SS. PP. to. 4.

III. Quoniam verò in mari versamur, & portus loco est admirabile Clementis Mausoleum, à Cælitibus excitatum; ad inhibendum Annalibus cursum, inuentâ hîc Sancti Pontificis anchorâ sistimur. Neque occurrit incongruè pelagus, vbi de historiâ Magnæ Virginis agitur, quam instar maris *Congregationem gratiarum* Bernardus [b] appellat. Erit hîc etiam nobis cæleste templum, eiusdem Virginis gremium, toties ab infante IESV sanctificatum. Huc naufragi rectâ confugimus, quietem & salutem inuenturi. Cum eo ædificio, quod molita est æterna Sapientia, ne conferre quidem licet, miræ potentiæ & magnitudinis opus lapideum pontem, sub hæc ipsa tempora in Istro conditum à Traiano, mirantibus populis vastissimam molem in tantâ gurgitis altitudine, tamque præcipiti flumine. De Clementis sepulcro ad Mariæ gremium nobis ipsa pons est, quæ vltrò inuitat ad se; vocanti accedimus, & audientem salutamus.

Annalium quies, quam aptè hic occurrat.

b S. Bernardus.

IV. Hactenus ò Virginum Augustissima, ò Matrum integerrima, Tibi in terris cum cæteris mortalibus peregrinæ, atque ad Filij dexteram gloriosè regnanti noster famulatus est calamus. Tuarum rerum historiam sumus per Annales partiti: exceptis ijs, quas per sacros Euangelistas nobis apertas voluit Spiritus Sanctus; plures incertas esse fatemur; at illas

Auctoris ad Diuam Virginem Apostrophe.

dedimus

dedimus siue coniecturis, siue populorum traditionibus, siue Sanctorum testimonijs confirmatas. Si quid in ijs peccatum ô Domina, nostram excusabis inscitiam, & veniam facilè dabis, paratis emendare quæ scripsimus ad sapientum censuram & moderatorum præscriptum; nec alios sensus professis quam ab Ecclesiâ Romanâ receptos, probatosque. Interim ad Dei vnius gloriam, cui laboramus, liceat Tuos ante pedes hoc veluti munusculum ponere, cui eam abs Te rogamus vim, vt prodesse legentibus possit, in eorum animis excitare Marianæ pietatis igniculos, Tibique Maximæ Dei Matri, omnium colligere obsequia. Præterea si hac primâ Annalium parte nos huc vsque rebus Tuis illustrandis intentos perbenignè iuuisti; pergentes iam ad reliqua Historiæ Virginalis euenta, quæ Tuam in cælo regnantis gloriam per omnia retrò sæcula declararunt, ne desere: imò nauigationi susceptæ auspice Te, sidus esto propitium, & da vt absque naufragij periculo veniamus ad portum.

FINIS.



INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM
HOC VOLVMINE
COMPREHENSARVM.

APPARATVS AD ANNALES, ET ANNI IPSI DISTINguuntur in numeros, aut paragraphos. In Apparatu numerus siue paragraphus citatur grandioribus litteris: In Annalibus verò annus natæ Virginis, itemque numerus eius anni, minusculis notis arithmeticis.

B

D

E

Epi-

F

Fons

Iesus Christus.

tus in

L

Q

R

Roma-

Simo-

V

ERRATA TYPOGRAPHICA CORRIGENDA

Alia in Textu, alia in Notulis ad marginem.

Pagina	*Menda*	*Correctiones*
10. in Not.	Exterra	Ex terra
14. in Not. ac Tex.	Gadeonis	Gedeonis
45. in Not.	Delphicide	Delphici de
65. in Not.	Elezar	Eleazar
71. in Not.	Sothus	Sethus
72. in Not.	Salaus	Salæus
Ibidem.	Sarugus	Sarugus
83. in Not.	9. Aprilis	25. Maij.
Ibidem.	Matth. 27. 56.	9. Aprilis
84. in Tex.	Theofilacto	Theophylacto
97. Notulæ secundæ ac tertiæ ordo inuersus est, ideoque tertia debet esse secunda, & secunda tertia.		
111. in Tex.	dicunt	dicit.
185. in Tex.	ad annum Christi.	ad annum Mariæ.
299. in Not.	prodiuis	prodiuit
459. in Not.	oporrè	opportunè
501. in Not.	deducit	dedecuit
665. in Tex.	Rosuuedius	Rosuueydus.

Reliqua errata quæ consistunt in litteratum commutationibus dum s pro f. n pro u. alis pro alijs ponuntur, beneuolo Lectori corrigenda relinquuntur.

LAVS DEO OPT. MAX.

Ac Deiparæ semper Virgini.

